FUENTE HURTADO, Diego de la (S.I.)
Theologia reformata, qua plures enodantur morales difficultates ex mente SS.D.N. Innocentij Papae XI / auctore R.P. Didaco de la Fuente Hurtado, Societatis Iesu... -- Hispali : Ex Typographia Thomae Lopez de Haro, 1689
[32], 616, [20] p., *-4*4, A-Z4, 2A-2Z4, 3A-3Z4, 4A-4I4, 4K6 ; Fol.
Antep. -- Port. a dos tintas. -- Texto a dos col.
1. Teologia 2. Teologia I. Título

R-6622 / R-4856

THEOLOGIA
REFORMATA
AB INNOCENTIO
XI.

ХИДРОЛОГИЯ

ДЕТОКМАТА

ЧЛОВЕЧЕСТВО

ТУ

THEOLOGIA REFORMATA,

QVA PLVRES ENODANTVR MORALES DIFFICVLTATES

EX MENTE SS. D. N. INNOCENTIJ PAPÆ XI

AVCTORE

R. P. DIDACO DE LA FVENTE HVRTADO,
Societatis IESV Theologo.



CVM PRIVILEGIO.

HISPALI. Ex Typogra[illegible] MÆ LOPEZ DE HARO.
[illegible]. LXXXIX.



EXC^MO. PRINCIPI,

MAGNO VRSAONENSIVM DVCI,

COMITI VRENIÆ, PINTIÆ MARCHIONI,

HÆREDITARIO QVE MILLE PER HISPANIAM

NOBILIVM POPVLORVM DYNASTÆ,

SVPREMO CASTELLÆ NOTARIO,

MAGNO CALATRAVENSIS

MILITIÆ CLAVIGERO,

ET POST MVLTA DOMVS, REGNI,

Regumque altiora Principum Ornamenta,

MAXIMO MAIORIS SENATVS CONSILIARIO.

RECTOR, ET COLLEGIVM

Vallisoletanum Societatis IESV S.P.N.Ignatij

vtramque salutem.

VENERABILE ISTVD, Religiosum que Parentis N.D. Ignatij Collegium scelera perpetraret nullis victim[illegible] expianda (Princeps Excellentiss[illegible]) si volumen hoc R. Patris Didaci de la Fuente Hurtado alteri committeret Clientelæ, quàm tuæ: illam quippe & materiæ dignitas merebatur, & defuncti iam Authoris interitura nunquam adversus te gratitudo propemodum extorquebat. Inclaruerat Reverendus Pater egregijs planè animi dotibus, quibus iam olim inter primos sui sæculi Sapientes eminere cæpit; & eâ quidem sui nominis existimatione, vt visus fuerit *cæpisse, quo finis erat*: quippe nec Salmanticenses tunc maiorem habuêre; nec deinceps, si Moralem prudentiæ, ac Iurisprudentiæ Christianæ disciplinas in magno (vt par est) pretio habeamus, parem fortassis noverunt; summumque propterea Hispania tota fuit [illegible]enerata: &, quod maius est veræ summitatis argumentum, sublimis Excellentiæ ve-

stræ

ſtræ Genius præ cæteris vniverſim omnibus Caſtellæ Primatibus diſertiſſimum,& vbique præclarum (vti certiſſimum optimæ eruditionis, & ſapientiæ Oraculum) Didacum noſtrum adeuntibus,magnis,& ſerenis fiduciç, & familiaritatis honoribus conſulebat.

Inter hæc tantus doctrinæ Vir ſelectiora noſtræ familiæ Collegia ſapienter,ſanctè que magnis ſemper illorum incrementis direxerat; & ſupremus vtriuſque Provinciæ (Caſtellanæ, ac Toletanæ) continuis, fælicibus que paſſibus Moderator,atque ad publica Societatis Romana comitia bis legatus extitit,& præluxit: tandemque eâ,quâ eminebat, Religioſi animi magnitudine, ſe à diuturniori imperandi onere,& honore ſubtraxit,totum abditiori erga Deum pietati, & liberiori ſui ſolicitudini dedit; ſed omnibus, nullo perſonarum diſcrimine, erudiendis ſe omnino tradere decrevit.

Tantus erat Didacus noſter,cùm Tu, Excellentiſſime Princeps,ingentibus illius Sapientiæ,ac prudentiæ virtutibus (Valliſoletum bonis vtriuſque ſyderibus divertens) longè præ cæteris amplioris,ac ſecretioris conſuetudinis licentia eum vſque ad publicam Vrbis admirationem ſingulari admodum familiaritatis exemplo, atque non anteà viſo vnicitatis decore cumulaſti: quaſi ſcilicet tum ſapiens maximè, ac Religioſus Vir Tibi inter perſpicaciſſimos Magnates Pr[illegible]ipi ſervire debuerit, cùm maximè iam maturus,ac [illegible]mn e opportunus fuerit.

Hâc igitur tandem Tibi obſequendi gloriâ vixit Didacus noſter,tanto nempe Tuæ nõ minùs abſentis,quàm præſentis dignationis faſtigio conſpicuus: quovſque iam ſic humanis plenus honoribus,religioſis virtutibus,quàm ætate ſenior,morte tamen haud ſatis maturâ, diem vltimum clauſit. *Nobis enim* (vt cum diſertiſſimo Plinio Te alloquamur) *acerba ſemper,& immatura videtur mors eorum,qui immortale aliquid parant* : : : *his nulla mors non repentina eſt, vt quæ ſemper inchoatum aliquid adrumpat.* Abrupit quidem ill[illegible]s, quod ſapiens Pater paraverat immortale. Quod que integrum Tibi magis debitum, quàm dedicandum, deſtinaverat: hoc ſanè ipſius fuerat viventis votum, & firmum poſtremâ morituri voluntate teſtamentum. Quare exorientem modò fætum, ne ipſe

omnino

omnino posthumus videatur, Tibi benigno Authoris Patrono, & novo Orphani Parenti, non tàm exhibemus quàm solvimus, Tuum ex fide, & iustitiâ monstramus, & mille nominibus iubemur: quippe excelsa animi Tui humanitas & Authorem liberalissimè devinxerat, & plenissimè Tuum Regijs blandiendi artibus fecerat: sed & promptâ largitate, & munificentiâ Te ipso dignissimâ integros editionis sumptus non tàm promisisti, quàm profudisti, vt prænobilem Scriptorem, sed religiosâ & paupertate, & modestiâ cunctantem, tandem generosissimè, nec minùs eloquenter coëgeris, vt in litterarium publicæ lucis campum erumperet, & aliquod tantæ Sapiẽtiæ trophæum, excelsumque sui aliquale erigeret nostræ æternitati monumentum. Imperatrix ergo Tuæ eloquẽtiæ vis, & magnanima Tuæ largitatis virtus vno veluti impetu placidissimo vicêre, quem nec prolixæ multos per annos amicorum, ac Sociorum preces, nec sua quoque mille iam annuentia vota vincere potuerunt. Tantæ molis erat, vel vnum perpetuare Didaci nostri librum: tanta que erat Tua erga ipsum authoritas, cui & liber Authorem, & Author, totaque Societas, ac vniversa Respublica librum debitum perpetuò referent.

Hæc sunt, Magnanime Heros, privata nomina, quibus Tuum propemodum effecisti i[illegible] Didaci Tui, & nostri volumen; istud que vicissim [illegible]esse non tàm exigit, quàm habet, vtpote *Hæredis iu*[illegible]te aditam hæreditatem iam res possessa. Sin autem ipsius libri materiam, & veluti liberi indolem spectemus, plura suppetunt, quàm quæ vel infinito foliorum pondere describi valeant. Enim verò liber iste severum, iustum que inter nimis dissidentes scribentium sententias iudicium exercet, novum que gubernatricis Sapientiæ Tribunal reveretur, & antiquioribus sanæ Theologiæ commentis adorat, & exornat: nullum ergo dignius, aut opportunius (inter sacratiora sæculi Asyla) Palatium q[illegible]eret, aut propriorem Te Gironio Principe Patronum [illegible]mploraret. Sanè præalta, & verè Regia Gironiorum Gens summum singulis sui sæculis erga vtramque fidem, & omnem iustitiam, publicas que sanctioris æquitatis leges amorem professa, apud incorruptos Regni Annales vbique conspicitur, & plausibus commendatur. Quip-

Recaredus Rex. 1

Quippe iam olim Reccaredus ipſe, qui primus inter Hiſpanos Reges *Catholicus*, ac *Apoſtolicus* appellari meruit, quique notus Ciſneriorum, ſeu Gironiorum Procerum Princeps habetur, legum æquitate, Conciliorum inſtitutionibus, armorum que fortitudine, ac fortunâ nobiliſſimam Gothorum gentem Orthodoxam fecit, politicis moribus donavit, & Hiſpanam omnino dexterrimâ, ac æternâ vtriuſque Nationis vnitate potiùs, quàm vnione, conſtituit.

1. El Conde D. Rodrigo el I.

Iam vero alter Tuæ Gentis Princeps, quique primus Ciſneriorum reliquit cognomen, & Gironium ex maximo virtutis facinore aſſumpſit, & æternavit: nempe Clariſſimus Caſtellæ Primas D. D. Roderícus Gonçalez, Regni Comes.

Virg. Æneï. 2.

..... Iuſtiſſimus vnus,
Qui fuit in noſtris, & ſeruantiſſimus æqui.

Talis quidem fuit, ſive dum ſimul adeò diſſita Regna, Toletanum, & Aſturicenſe pro pace, & bello ſummis Pro-Regis auſpicijs gubernaret: ſive cùm vnus ex priſcis Regni Primoribus inter ſex primos nobilitatis, & Iuriſprudentiæ Militaris Principes pro Tribunali ſederet, cauſam ſcilicet dicturus in illo apud Noſtrates decantato, & deplorato Roderici de Bivar, & Comitum de Carrion nunquam viſo litigio (aut ſeverà ita atteſtante Hiſtoriâ, aut Sapiente [illegible]ico ideam proponente) ſive noſtram Vallis-Oleti prænobilem Vrbem, fortem que de ſuo *Roderici* nomine Civitatem, & Arcem fundaret: atque illas non magis populo, quàm opportunis legum inſtitutis armaret. Hic igitur, & clarum Regum genus, & excelſus Regis ipſius Alfonſi Sexti Gener (& ex legitimâ quidem Filiâ) Regiam humeris ſuſtinuit, Regem que eiſdem ſuſtulit, dum ipſum ſenio, ac iniquâ belli fortunâ labentem Equo, manibus, & collo imponens, atque pro æterno Virtutis, & fortunæ trophęo glorioſa ſpolia retulit, *Girones* ex veſte Regiâ præcidens, vti certiora Optimi Regis, ac Parentis aſſervati monumenta, iam pectore recondebat, iam oſtentabat humeris; & quidem vti fortis, pius que Æneas, Primus Gironiæ gentis Pater.

Vir. Æn. 8

Attollens humero famam que, & fata Nepotum.

Et ita ſanè ipſe fœcundiſſima fuit Natorum, ac Nepotum Origo.

Origo. Sic ergo deinceps ſinguli Domus Gironiæ Principes non ſecus iuſtitiæ,& veritatis,quàm fortitudinis, & gloriæ obſervantiſſimi fuère: & quidem omnes Regna, exercitus,aut ſummas Palatij,& Camporum Præfecturas illuſtrarunt, atque ad celſiora honoris, & famæ ſydera extulère.

Sic primus, nempe eiuſdem Comitis Roderici filius, Comes quoque Gundiſalvus, trium Magnorum Regum exercitus ingenti cum nomine duxit. 2. El Conde D.Gõça-lo el I.

Sic prioris Nepos, qui Avi nomen retulit, virtutem renovans,Comes Rodericus: ille nimirum, quo non celſior alter,pro Religione,Rege, ac Regno in illo infauſto prælio de *Alarcos* fortiſſimè, & ſumma cũ fide pugnans, vitam non tàm perdidit, quàm dedit, & immortalem comparavit. 3. El Conde D.Rodrigo el II.

Sic iſtius filius Gundiſalvus Ruizius Giron, qui in fortunatiſſimo,& inter glorioſa Orbis certamina nulli ſecũdo *(de las Navas de Toloſa)* & quatuor non impares animo,& manu Fratres,vt primi Chriſtianæ gentis ductores pugnavêre,Parentem vlti,ex illo virtutem,ex Avo fortunam diſcentes,Hiſpaniam Regibus,& Chriſto Eccleſiam ſervavêre. Hinc Magnus ipſe Gundiſalvus pari fortitudine,& fælicitate pro iuſtitiâ in pace,& pluſquàm civilibus armis decertans, pijſſimam eginam Berenguelam, & eius filium S.Ferdinandum ingenti cum rei domeſticę periculo, & detrimento incolumes fideliſſimus aſſervit. Maximus ipſe Chriſtianarum in Bœtica expeditionum Propagator: Par pauperum Pater: Peregrinorum Receptor,& Hoſpitalium Fundator: præcipuus inſtructor veteris Nobilium iuris (quod *Fuero de los Hidalgos* appellamus.) Adeò, Princeps Excellentiſſime, honor iuſtitiæ, & amor veritatis primævi in Gironia Proſapia habentur, vt primus tanti Nominis Author, eas fidei Chriſtianæ virtutes non ſecus,ac fortitudinem militarem,& Regiam fidelitatem,veluti congenitam poſteris hęreditatem pro individuo Maioratus Patrimonio reliquerit. Hæc ergo vbique fuit Gironia Domus,vti Auguſta Romana, 4. El Conde D.Gõça-lo el II.

Statius Achil.1.

..... *Cui geminæ florent Divûmque,Ducumque*
Certatim Laurus (olim dolet altera vinci.)

Hinc Rodericus Gundiſalvus (vtriuſque Nominis Tertius) 5. El Conde D.Rodrigo el III.

tius) magnus Parentis æmulator, Regumque assertor: Primus, qui cum Socero, & Avunculo sub Ferdinando Sancto Bœtica Regna calcavit, & Hispalensem occupans Vrbem suo nomine tenuit: Regna Cordubense, & Gienense cæpit; Murciense domuit; & Mahumetismum Hispaniæ fere integram ad Montana Granatensia fugere coëgit. Magnus quoque & Regni Iudex, & æquissimus Regiæ Præfectus. Maximus ipse Equestris Ordinis propagator, Patritij Pater, & locuples, liberalisque vtriusque Princeps: maior tandem, Regius que Leo pares sibi, quos genuit, reliquit Leones, & quamquàm brevi ex iuvenili nimio que Martis adversus Mauros ardore casuros, at Gironum genus, aut geminos, duo fulmina belli, Gonçalos, cladem Lybiæ.

6. D. Gõçalo el III.

Iam ergo alius Gundisalvus Ruizius, ipseque simillimus sequitur: summus, & belliger Iacobææ Militiæ Magister, & Christianæ Martyr, qui pro fide, & Rege fortissimè, sed non *viribus æquis* pugnans, vulneribus, vti syderibus, clarior occubuit, præluxit que. Verum

7. El Maestre de Sãt. D. Gõçalo el IV.

Vir. Æn. 6 ..... *Vno avulso non deficit alter*
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

8. D. Gõçalo el V.

Alius quippe Gundisalvus, non minùs forti, sed fæliciori ferro, in maximo illo, & verè Christianorum celebratissimo certamine *del Sa lo.* inter primos Hispaniæ Nobilitatis Duces totam Africæ potentiam, & superbam Mahumeti impietatem prostravit: & iterum formidabiles Maris portas, fatales nempe *Algeziras*, Mauritanis eripuit. Sed hic ipse etiam iam anteà cum Optimo Genitore Roderico Gundisalvo à S. Romano, Regi Alphonso (*Sapienti* dicto, non magis quàm *Infelici, Afflicto* que dicendo) fidem vivo, ac mortuo fortitudine admirandâ servaverat: & pro iustitiâ (vel contra Reges ipsos) prolixè contenderat, omnia que fere Patriæ bona perdiderat; sed æternitati meliora fecerat.

9. D. Alonso Tellez el I.

Filium virtutum, fortunarum que hæredem reliquit Alphonsum Tellez Giron, quo non fortiorem vllum, iustioremve Procerem viderat Castella: ipse manu, consilio, periculis Regem nimis severum Petrum, non minùs severè, quàm reverenter admonuit, & coërcuit; dum scilicet Reginas, Matrem, Amitam, & Vxorem, ac iustũ istius

Matri-

Matrimonium sanctissimè protegens, tandem fatali turbidi Regis ferociâ cædi iussus, cecidit immortalis, Gironiæ pietatis, æquitatis que victima. Et hæc videbatur maioris, maximæ que potentiæ Gironiorum finis. Quousque iustus, & bonus Rex, Ioannes Primus, ipsos dignitati, & Patriæ restituit.

10. El Conde D. Martin.

Nec minor fuit excelsus ille Comes Martinus Vasquez de Acuña, Clarus Lusitanæ Nobilitatis Princeps, qui pro iustitia eiusdem Castellani Regis adversus Magistrum de Avis (fælicem tandem Lusitanię invasorem) quamvis ipse Lusitanus, constantissimè pugnavit: dignus quidem Theresiæ Tellez Gironiæ consors, & secundus Gironiæ Domus inter viros Princeps, & Propagator.

10. La Cõdesa Doña Teresa.

11. D. Alõso Tellez el II.

Dignus etiam, vt eum sequeretur, sectaretur que optimus planè Filius, Alfonsus Tellez Giron vtriusque familiæ Dominus: qui Ioanni inter Castellanos Reges secundo (fortuna verò ferè vltimo) inter paucos Proceres obsequentissimus fuit: in eius tenebroso admodum Regno contra Christianæ Religionis, & pacis civilis adversarios sereniſſimè pugnavit.

Hic autem est, qui ex Maria Paccieca duos Regibus, & Regnis reliquit celebratissimos Viros, & magnanimos Nobilitatis Patronos, Ioannem Pacciecum, & Petrum Giron, vnum Iacobææ, & alterum Calatravensis Militiæ Magistros:

Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis,
Hic pietate prior. *Vir. Æn. 2.*

12. El Maestre D. Pedro Giron el I. Cõde de Vreña.

Quâ quidem ipse de Henrico Quarto, omnium planè Regum infaustissimo, adeò bene, ac belle meritus est, vt Coronam iam potiùs sepultam, quàm ruentem, elevaverit, reddiderit que: dignus que propterea visus, qui ab ipso Rege præclarissimam Sororem Elisabetham (postea Reginam cognomine *Catholicam*) vxorem Regni que hæredem promissam, & pactis iam certam haberet. Fælicissimus quidem Gironiæ Prosapiæ Princeps, si regnasset; sed fælicior, quia meruit. Faustissimus Vrenienſium Comitum Primus, & Pater.

13. El Conde de Vreña D. Alonso el III.

Eum secuti non magis fortunâ, & potentiâ, quàm pietate, & iusti amore, tres dignissimi tanto Heroë filij: Alfonsus Secundus Vreniæ Comes: Rodericus, Calatravensis

sis Tertius in Familia Magister: & Ioannes, secundus Vrenienſis Primus. Sane Alphonſus, prior natu, generoſæ indolis puer, ex fortuita, & fatali pedis obliquitate decumbens, præcoci morte ad ſepulchrum raptatus:

Heu miſerande puer! ſi qua facta aſpera rumpas,
Tu Gironus eris.

14. El Maeſtre D. Rodrigo.

Rodericus verò *(ſpes altera Gentis)* fauſtiſsimum admodum, ac verè cœleſtem finem habuit, & meruit: qui millies Maurorum victor, & glorioſus triumphator, tandem à plebeia militia derelictus, nimio Granatenſium exercitu circumdatus, vulneribus plenus, & ſanguine iam vacuus, cecidit; ſed in Cœlum evolaſſe creditur, qui forti contra ſe armatus cilicio, Mahumetum pro Chriſto inſequebatur.

15. El Conde D. Juan el I.

Iam verò Ioannes, per quem Vreniæ, Vrſaonis que Principes priſcum Gironiorum ſanguinem recepère, ſervant que: hic ille eſt, qui in prolixo, ſed Hiſpaniæ glorioſiori contra Mauros bello, ſingulis vel adfuit, vel profuit decem annorum periculis, ingentibus que Patrimonij impenſis, Regibus Ferdinando, & Eliſabethæ, toti Hiſpaniæ, & vniverſæ Eccleſiæ nobiliſsimum, nec minùs forte, ac obſtinatum Granatenſe Regnum reſtituit. Poſteà que in ſummo illo ob celerem Philippi Iuvenis obitum diſsidio, ac civili Magnatum bello Ioannes Vreniæ Comes, non fortiori, quàm Ecclesiaſtico fere armatus indumento, (quod iuſtitiam, ac pacem ſpirabat) Principes, ac Partes nimis in arma ruentes, ſuis prudentiæ, & ſeveritatis copijs continuit; Ferdinandum Catholicum, Defuncti Regis ſocerum, providentiorem que delirantis Reginæ parentem, vti iuſtum, ac neceſſarium Regiminis Caſtellani Arbitrum, reverenter admodum prætulit, vocavit, atque recepit. Tandem, Palatio relicto, in Cœlo plenius viveret, ſerviret que vni non morituro, aut mutando Domino, ſe in gentilitiam domum recepit: vbi celebratiſsimus pauperum, omnium miſerorum, & ſubditorum præcipuè miſerator, nulla non meruit benigniſsimi Patris elogia, ſæculorum æternitatem illuſtrantia.

16. El Conde D. Pedro el II.

Tantum bellicæ, & Chriſtianæ fortitudinis Principem ſequutus Filius, qui iam illo vivente, & animi ardoribus & māſuetudinis obſequijs celebratiſsimus erat: ille nimi-

rum

rum Petrus Giron (Tertius Vrenię Comes) qui, *ſi non erraſſet, fecerat ille minus.* Iuſtiſsimus quippe ſui iudex, ac prænobilis vindex, ſuæque victorię victor, ſe totum in omnes Chriſti, ſuique Regis adverſarios obiecit; & quidem nullis non poſtpoſitis vitæ periculis, ac ſubſtantiæ domeſticæ detrimentis ſpretis vbique: Mauros ſcilicet, & Turcas in Africa; Gallos in Navarra, & Catalaunia; ſeditioſos in Caſtella, vicit ſemper, & ſæpius relegavit. Et, quod in martiali Viro mirabilius, atque inſtar miraculi eſt, æquè dulcis, & amabilis Subditis, paribus, & maioribus fuit: ipſiſque Franciſco Galliæ Regi (in Hiſpania victorię captivo) & Imperatori Carolo gratioſus, & magno in pretio habitus. Tanta erat & corporis forma, & animi dexteritas, atque vtriuſque fortitudo, verborum que opportuna tàm victis, quàm victoribus elegantia.

17. El Conde D. Juan el II.

Bellatoris David hæres fuit, qui Pacificus Salomon appellari meruit (niſi caſtior, & conſtantior Salomone fuiſſet:) Petro ſcilicet triumphatori Ioannes, quartus Vreniæ Comes, Frater ſucceſsit, Chriſtianus verè Princeps, excelſis ſapientiæ, pietatis, magnificentiæ, ac Religionis dotibus inter paucos recenſendus: ſanè totus ipſe fuit ædificandis, dotandis que Collegijs, Cœnobijs, Templis, Xenodochijs, Vrſaonenſi que Academiæ, pulchræ quidem, & nobili, & quam vnicam Proceri Hiſpano debet Caſtella. Ipſe etiam, qui co[illegible]unis omnium Pauperum (raro in Annalibus exemplo) Pater eſſe voluit, ſui, cæteris poſt vitam pauperioris, non oblitus, totique Familiæ pro immortalitate piè providus, præclarum, famoſum que (ſi quod aliud) Sepulchrum erexit, non tàm Principum corporibus oſtentandis, nec *infra cineres ſuperbientibus*, quàm viventibus monitorium, & tot Priorum Manibus Monumentum Æternitati ſacravit; & vti præclarum, perpetuumque Mortalitatis Documentum, cunctis obiectum religioſè reliquit.

18. El Conde y Duque D. Pedro el III.

Reliquit etiam, magis virtutum, quàm facultatum ex aſſe hæredem, Petrum nomine Tertium, Quintum Vreniæ Comitem, & Primum ſuæ prænobilis Civitatis Vrſaonenſis Ducem. Qui Paternas virtutes, ſuas eſſe plenè, & conſtanter explicuit: iam Regiam Sponſam Philippo Secundo ex Galliæ confinijs, cum pijſsima Matre, ad Aulam

Aulam vſque adducens;& quidem ſummis Gironiæ gloriæ ſumptibus, qui fortunatiſſimam tunc Hiſpaniam, & Regum potentiſſimum Gallis,& Hiſpanis, Orbi que toti expreſſêre: iam Henricum Luſitaniæ Regem, ipſoſque Luſitanos, qui futurum Caſtellani Principis Sceptrum nimis exhorrebant, prudens admodum, & iuſtus concilians: iam Granatenſes Mauros, periculoſè rebellantes, militiâ,armis, & manu triumphans: iam providus, ac pater Neapolitani Regni Pro-Rex, vbi Regionem fæcunditatis matrem,fame noverca ſubito turbatam, ac moribundam, ſuſtinuit, ad vitam que, & gaudia reduxit,arte, amore, & abundantiâ: iam ad Sixtum V. extra ordinem Legatus;in illa Orbis Vrbe,orbem totum, eius que perſpicacem Principem in ſingularem magnanimi cordis, & oris ſplendidiſſimi, verè que Gironij, admirationem, & amorem rapuit: iam tandem in ſummo Monarchiæ Senatu ſemper paci, honori, atque iuſtitiæ ſuffragia conferens.

19. El Duque D. Juan el III.

Sic meruit ipſe,inſtruxit que Filium,Ioannem Telliũ; illum, qui priſcis Domus Nominibus adiunxit & excelſum Marchionatus de Peñafiel ornamentum, & Regium Velleris aurei inſigne: quibus Martialem ſanè Hæredem, aut Martem ipſum, dignioribus paludamentis expectaret,& Gironia Domus exciperet.

20. El Duque D. Pedro el IV.

Hic ſcilicet eſt M[illegible]mus ille noſtri ſæculi Heros, Avus tuus (Excell[illegible]me Princeps) Petrus Gironius, ſuo nomine præ cunctis etiam ſuis titulis vbique clarior, vtqui immenſis facinorum ſideribus ſingulas Hiſtoriæ, & Rethoricæ paginas implet. In Gallia Henricum Magnum,tunc indignatione turbas meditantem,ſuis eloquẽtis authoritatis radijs ſerenavit: in Belgio per octo annos & Miles,& Imperator ſuo, & inimico ſanguine quidquid ipſe natura erat, meritis fuit, & iure haberet. Summus vtriuſque Siciliæ Moderator,& formidabilis totius Italię Argos, atque indefeſſus Europæ Hercules, cui totus in pectore, ac paſſibus Mundus erat: amicis in pace firmatis;inimicis mari ac terra fugatis,ac devictis; Africanis,ac Turcis triumphatis;Italiæ Politicis turbatis, ac repreſſis: Orbem ſanè amore, & odio ſui replevit; ſed Orbis tandem, qui in iſtius Alexandri conſpectu ſiluit, & contremuit,

muit, visus est immensis cum mendaciorum copijs conspirasse, vt potentiori, ac sagaciori, quem aduersarium horrebat, Hispanis que inuidebat, bellum indiceret, & velocissimo fortunarum Auctori vincula inijceret. Verum qui in propitia, iusta que fortuna maior omnibus fuerat, in aduersâ maiorem se ipso præstitit; & Diuina, seuera que fata, consilia ve adorans, Deo tandem, sponte non iraturo, & sponte placando, minimum se obtulit, & maximus fuit.

21. El Duque D. Iuan el IV.

Ex tanto Pacis, Belli, ac Patientiæ Principe ortus est Ioannes, qui Isabellam Sandovaliam summis sui sæculi splendoribus duxit, Regibus nempe ipsis in Aula Pronubis, & in Gironiam Domum Deductoribus. Hic sanè vir ille est, quem prudentia ac pietate insignem, Regia, & Hispania, aut imitandum, aut mirandum conspexêre: & Sicilia optimum sui Pro-Regem experta, viventem, ac mortuum, gaudijs & desiderijs vsque ad sydera celebrat. Nostra que Societas, quam singulari ferventis dignationis amore prosequi & sibi vbique inseruientem voluit, pijssimum Principem, Annalibus virtutum memorans, gratitudinis elogijs semper commendabit.

22. El señor Duque D. Gaspar

Magnanimis ergo hisce Parentibus, ac Progenitoribus natus es Tu (Excellentissime Gaspar) Quintus Vrsaonensis Dux; Decimus Vreniæ Comes; Quartus Pintiæ Marchio; & post Comitem Rodericum Vigesimus secundus priscæ Gironiorum Nomenclaturæ Hæres, atque à Reccaredo Rege primarij, & Duodecimviralis inter Magnates Ordinis præclarâ Origine Princeps. Qui, more Maiorum, congenitis virtutibus otium negans, belli & pacis artibus deditus, in Lusitania, Catalaunia, & Insubria, atque in ipso Militaris Senatus Principatu, mille, & magna fortitudinis, ac iustitiæ, prudentiæ que documenta Æternitati dedisti: das que modò gratissima Regi, & Regnis in summo Monarchiæ Consulatu, qui non nisi serenam, sanctam que suffragandi libertatem Tuæ maximæ sapientiæ, & authoritati debitam refert. Sed maiorem de Te vivente scribere Historiam, glorioſius gratitudini nostræ, quàm tuæ gravitati gratius foret. At vnum reticendum non est recens tuarum virtutum exemplum, vtpote quod iustam istius Christiani libri materiam concernit, illustrare

illustrare que potest, & pium Tuumque Sapientis Authoris commerciam, aut commendat, aut memorat: nimirum cùm Tu suprema pacis, & belli munia per tot annos gesseris, ne forsitan subditorum aliquis læsus (non enim singula videre potuisti) in Te querelas iactaverit, deinceps vè concipiat; cunctos provocas ad supremum æquitatis tuæ Tribunal, pijs, ac sapientibus viris regendum, quorum prompto iudicio quidquid apud Te alienum deprehẽdi possit, creditoribus soluturus facilis ades. Rem sanè præstitisti singularem, sideribus potiùs, quàm folijs, aut marmoribus conscribendam; dignissimam quidem optimo scrupulosi adeò libri, & Religiosi Authoris Mecœnate; & quam iam olim sanctissimus Iudex, & Imperator Samuel æterno sui nominis honore præstitisse laudatur. 1. Reg. 12.

Iam tandem istam Tui, tot que Progenitorum heroicis factis exaratam Tabellam ostendet vbique Gentibus clara nostri, tui ve libri frons; ferè que superbè tantis virorum (qui magna nomina sunt virtutum) characteribus incedet, & attolletur. Adeò quidem, vt eis iam doctior iste liber, doctissimus que & amantior Author Excelso tuo Filio Francisco Pintiæ Marchioni, maximę tot Principum spei Hæredi, prædicere reverenter ac religioso ritu possint, 23. El señor D. Frãcisco, Marquès de Pe[illegible]uel.

Macte nova virtute Puer, sic itur ad Astra,
Dijs genite, & genitore Deos.

Deus Optimus Maximus ita prospiciat, Gironiam que pietatem, ac potentiam Sibi, Hispaniæ, ac Nobis cumulatam extollat, Æternitati que servet.

FACVL-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis Ieſu in Provincia Caſtellanâ.

ANdræas Reguera Societatis Ieſu in Provinciâ Caſtellanâ Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi factâ à R^do. Adm. P. N. Thyrſo Gonçalez de Santalla, Præpoſito Generali, facultatem facio, vt liber inſcriptus *Theologia reformata ab Innocentio XI.* Authore R. P. Didaco de la Fuente Hurtado Societatis Ieſu Theologo, & eiuſdem Societatis gravium, Doctorumque hominum iudicio approbatus, typis vno vel duobus voluminibus mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus. Romæ in noſtra domo Profeſſâ, die 10. Iulij, an. 1687.

Andræas Reguera.

CENSVRA R.P. SALVATORIS DE RIBADEO
Societatis Iesu, olim in Regali eiusdem Societatis Salmanticensi Collegio Sacræ Theologiæ Professoris.

IVssu Illustrissimi Domini D. Didaci de la Cueva & Aldana, Episcopi Vallisoletani, Regij Consiliarij, &c. Librum, qui *Theologia ab Innocentio XI. reformata* inscribitur, Auctore R. P. Didaco de la Fuente Hurtado Societatis Iesu, diligenter vidi, cupidissimè perlegi. Nam eius titulus in rem pulchrè conveniens vocabat volentem, vt in evoluto opere luculentiùs exhibitum deprehenderem, quod ipse promittit in fronte; nempe esse posse nihil, quod Theologicæ censuræ liceat arguere, vbi Theologia, quæ priùs novandi audacia, & antiqua etiam è solitudine, ac situ excitandi prurigine, errabat extra legem, ad lydium iam lapidem eius, qui in Ecclesiæ Petram Petro successit, æquissima lege reformata prodit in lucem, renascitur, aut revirescit. Et non revirescit solùm; sed etiam floret, ac disiectis, quibus premebatur, vitijs, ab omni labe pura in sui decoris fastigium emicat, vt inde videatur exclamare:

Prudent. lib. 6. cõt. Symmachũ in propopœia Romæ.

> ..... *Senium omne renascens*
> *Deposui, vidique meam flavescere rursum*
> *Canitiem.*

Ita factum est, vt mihi seria contemplatione circumspicienti omnia, nihil occurrerit, nisi pulchrum, nisi magnum, & quod Pontificio decreto sapientissimè inhærens, in Auctoris plausum famam provocat, quæ eius nomen, & sapientiam præconio dimittat per totum litterarium Orbem. Est quippe opus sublime, validum, elegans, varium, iudicio, sapientia, acumine plenum, ac latè se aperiente materia, cum magna Auctoris laude fusum. Profectò illud vitio iure verteretur, adstrictiùs, quàm causa postulat, & ita infra rem dicere, vt verius esset transire, quæ, ne à Pontificia sententia, & veritate deflectas, non admovenda solùm, sed etiam affigenda animo erant. Nam vel in alijs curæ levioris, vt rectè Plinius secundus admonet, *prævaricatio est transire dicenda, prævaricatio etiam cursim, & breviter attingere, quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda.* Adijce nunc, vt corpori quandoque ferrum, sic sæpe veritatem animo morâ magis, quàm ictu, imprimi. Nihil mentibus patefacta veritate vtilius; sed vix aliquid tam vtile est, quod cursim properans, & in transitu prosit.

Plini. Secun. lib. 1. epist. 20.

Memini, non paucos, nec postremæ sapientiæ viros, omnibus expetivisse votis, vt Auctor in hoc opus (nam qui illud multiplicis, variæque sapientiæ subtilitatibus egens, nisi subtiles, & multiplici sapiẽtiâ clari aggrederentur?) stylum stringeret, ingenium, & accuratam limam iudicij impenderet. Sperabant enim fore, quod modò successu optatissimo ostenditur; omnis scilicet eruditionis partes, quibus non in Metaphysicis solùm, & Theologicis, sed vtroque etiam humano iure, capacissimam mentem implevit, nullibi posse elucere meliùs, aut eminere, quàm in hoc genere scriptionis: quod nisi plenus his litteris audeas, sub onere laberis. Cur præterea de hoc tanto argumento non scribe-

ſcriberet, qui de omni, quo vegeta ſe produnt ingenia, facultas, & vbertas, diſſerit ſemper pro re nata, & ex tempore, tanquam diu ſcripſerit? Deinde oportebat eum, ad manifeſtum veritatis lumen, hanc viam ingredi, quam fortaſſe minùs erudito animo, nec ſubtilitatum, diſtinctionumve capaci, quibus ad hæc ſtudia opus, aut non videres prorſus, aut viſam, quà eundum erat, timeres calcare. Tenuioribus quippe ingenijs, & infra ſolidæ ſapientiæ faſtigium depreſſis, plerumque accidit, vt, vbi timendum eſt, audeant; & ibi trepident, vbi nihil eſt, præter eorum timorem, terribile. In quos illud Virgilianum haud ineptè aptaveris:

Et me, quem dudum non vlla iniecta movebant
Tela, nec adverſo glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis.

Virg. lib. 2. Æneid.

Ergo agendæ eximio viro ſunt gratiæ quam maximæ, quod expetentium, & efflagitantium votis, ac precibus victus voluerit tandem, (dum alia expedit, dum pluta meditatur, & concipit in lucem edenda) in tam egregij operis editione, vela dare impellentibus ventis. Quantum in illo, Deus bone, publicæ vtilitatis eſt, quantum ſapientiæ! Ab illo, ex præſcripto Sanctiſſimi Innocentij, audies, ſine dubio rerum. Cernes in ſingulis, & omnibus eius partibus Divinam tanti Pontificis ſpirare mentem. Habebis, quo profutura ſcias, nocitura pellas, aut etiam non tangas: & cùm vbique mentis vigorem ac ingenij ſublimitatem inveneris, dices illud Senecæ: *Vivit, viget, liber eſt.* Sed nec interim mirum tibi accidat, quod dubites, ſit ne Auctor in morali Theologia prudentior, an in contemplatrice ſubtilior? Nam quod tam ſubtiliter diſputet, tam graviter decernat, nunc Chryſippæum acumen, nunc Ariſtotelicam profunditatem, & cæteros bonarum artium Antiſtites effingens, è ſcientiarum traxit palæſtris. In quibus, Valliſoleti, & Salmanticæ Theologiæ Magiſter bonam vitæ partem ingenti laude poſuit: *Vates ibi factus Apollo*: ibi eum præclariſſima recentis pollituræ ingenia avidiſſimè audiverunt docentem: ibi iſtorum ſtudiorum Præfectus in noſtris Collegijs etiam docentibus præfuit.

Seneca epiſt. 64.

Luca. lib. 5. Pharſa.

Plurimum in Auctore eminet doctrinarum ex omni ſapientiæ genere vbertas, argumentorum pondus, & ſubtilitas; in detegendis, ac refellendis, quæ damnantur, evidentia, & claritas: in proferendis, vel explicandis Patrum, Doctorumque ſenſis, ac dictis ſolertia, & facilitas: quibus adde dicendi rationem acutam, nervoſam, virilem, quæ virum ſuum vbique loquitur, & qua debent ſapientes loqui. Sed nihil tamen magis laudaverim, quàm diligentiam in indaganda ad mentem Pontificiam veritate. Hinc nihil illa perſpicuitate illuſtrius, qua confuſis Auctorum ſenſibus circumfuſam caliginem adimit, & tumultum, vt videas, quid in quaque re ſit, & ne innoxias mētes in peius detorqueas, vel facias abire in ſententias ab earum cogitationibus longè recedentes. Hinc etiam nihil illa ſynceritate candidius, qua non ſolum damnata prodit, ſed quæ etiam vel Apoſtolica Sede tacente damnares. Tanta ſynceritate opus eſt, ne cæcutias videns, & putes non damnata, quæ amas; damnata, quæ odio proſequeris. Alioquin dubia ibit ſcribentis narratio: quam referta partium affectu! Verius videbitur pro factionibus ſuis, quàm pro veritate narrare.

Nazianz. in laudem sororis suæ.

Sed ne improbes, quod, dum virum laudo ordine sodalem, domesticæ laudi incumbam; ecce tibi Nazianzenus, qui in laudem Gorgoniæ sororis, modestiæ, cui silendo volebam obsequi, verecundas vmbras hoc documento excussit: *Domestica prædicabo: non tamen, quia domestica, ideò falsò; sed quia vera, ideò laudabiliter.* Accedit, quod in virum inciderim ob incrementa eius animi bona notissimum: Te, Illustrissime Domine Antistes, qui mihi huius revidendi operis munus iniunxisti, venerandum testem advoco: nam inter summos homines, qui huius ætatis gloriam exornant, multum etiam emines, nunquam cessans à laude Auctoris, & cum illis existimas, nihil in eius laude esse posse plus iusto magnificum. Cur ergo omitterem, quod tantis hominibus non videbitur nimium? Præcipue, quia periculum esse poterat, ne, si tam egregij viri celebritas in meo calamo muta silerer, videret ego domesticus, domesticæ laudi invidere. Quid plura? Nazianzenum iterum audi pulcherrimè rem absolventem: *Proinde, nec quidquid alienum est laudetur, si iniquum sit: nec quidquid proprium, & domesticum est, contemnatur, si honestum & eximium: Ne alioqui, & illi lucro sit alienum esse, & huic propinquitas detrimento cedat.* Vnde, quia in opere adeò laudabili nihil inveni, quod à recta fide, iustis moribus & sacris Canonibus discrepet; meo quidem calculo in lucem prodeat pro communi vtilitate. Vallisoleti in Collegio S. P. N. Ignatij Societatis Iesu die 26. Augusti 1687.

Salvator de Ribadeo.

LICEN-

LICENCIA.

DOn Diego de la Cueva y Aldana, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apoſtolica, Obiſpo de Valladolid, Prior, y Señor de la Villa de Junquera de Ambia, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c. Por la preſente damos licencia para que ſe imprima el Comentario ſobre las ſeſenta y cinco Proposiciones condenadas por N. M. S. P. Innocencio XI. cuyo titulo es: *Theologia reformata ab Innocentio XI.* por quanto de mandato, y orden nueſtro ha ſido viſto, y examinado, y no contiene coſa contra la Santa Fé Catolica, ni buenas coſtumbres; y para que ſu Autor, que es el R^mo. P. M. Diego de la Fuente Hurtado, de la Compañia de Jeſus, le pueda ſacar a luz en vno, ù dos tomos, ſegun convenga. Dada en la Ciudad de Valladolid, y Palacio de nueſtra habitacion a 26. dias del mes de Agoſto de 1687. años.

Diego, Obiſpo de Valladolid.

Por mandado del Obiſpo mi ſeñor.

D. Juan Victorio.

CEN-

CENSVRA DOCTORIS D. MATTHÆI Delgado.

OPus inſcriptum *Theologia reformata ab Innocentio Vndecimo*, in quo ſexaginta quinque Propoſitiones in materia morali á Summo Pontifice prohibitæ ſunt, à Reverendiſſimo, & Sapientiſſimo P. Magiſtro Didaco de la Fuente Hurtado, Societatis Ieſu elaboratum, & ab omnibus deſideratiſſimum propter materiæ ingentem vtilitatem, & propter eximiã Authoris eruditionem, valde que maturum iudicium, digniſsimum iudico, quod pro vniverſali Chriſtianitatis bono typis mandetur, ſuamque ad id facultatem Regius Supremus Senatus, qui ipſius approbationem ad me remittere dignatus eſt, concedere valeat. Sic ſentio, ſalvo meliori, &c. Datum Matriti die 2. Septembris, anno Domini 1687.

Doct. D. Matthæus Delgado.

EL

EL REY.

POr quanto por parte de vos Diego de la Fuente Hurtado, de la Compañia de Jesus, residente en el Colegio de S. Ignacio de la Ciudad de Valladolid, se Nos ha representado aviades compuesto vn libro intitulado: *Theologia reformata ab Innocentio Vndecimo*, y el assumpto era explicar todas las sesenta y cinco Proposiciones condenadas por su Decreto, el qual os ha costado mucho trabajo, y desvelo, y seria de mucha vtilidad el imprimirle por su buena doctrina, y mucha claridad; y respecto de que teniades licencia de vuestra Religion, y del Ordinario de la dicha Ciudad de Valladolid; que eran las de que se hazia demonstracion, suplicandonos fuessemos servido de concederos licencia, y privilegio, para que por tiempo de diez años pudiesseis imprimir, y vender el dicho tratado en vn tomo, ò dos, como mas conviniere por su mucho volumen, ò como la nuestra merced fuesse. Y visto por los del nuestro Consejo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias, que por la pragmatica hecha sobre la impression de libros se dispone, se acordò dar esta nuestra Cedula: por la qual os damos licencia, y facultad, para que por diez años primeros siguientes, y no mas, podais imprimir, y vender en vn tomo, ò dos, como os pareciere, vos, ò la persona, que vuestro poder tuviere, el dicho libro, que original en el nuestro Consejo se viò, que vá rubricado, y firmado al fin de Diego Guerra de Noriega nuestro Secretario de Camara de los que en èl residen: con que antes que se venda, se traiga ante ellos juntamente con el original, para que se vea si la dicha impression està conforme a èl, ò traigais fé en publica forma como por Corrector por Nos nombrado se viò, y corrigiò la dicha impression por el dicho original, y se tasse el precio a que se ha de vender. Y mandamos al Impressor, que imprimiere el dicho libro, no imprima del dicho libro el principio, y primer pliego, ni entregue mas que vno solo con su original al Autor, ò persona a cuya costa se imprimiere, para efecto de la dicha correccion, hasta que antes, y primero estè corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estandolo, y no de otra manera, puedan imprimir el dicho principio, y primer pliego, y segundo a donde se ponga esta nuestra Cedula, y la aprobacion, que cerca dello se hizo por nuestro mandado, y la tassa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las leyes, y Pragmaticas destos nuestros Reynos, que sobre ello disponen. Y mandamos, que ninguna persona sin vuestra licencia, pueda imprimir el dicho libro, y si lo hiziere, aya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes, y aparejos, que dello tuviere, y mas incurra en pena de cincuenta mil maravedis, la tercia parte para la nuestra Camara, y la otra tercia parte para el Juez, que lo sentenciare, y la otra tercia parte para el denunciador. Y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidente, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra Casa, y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros

Jue-

Juezes, y Juſticias qualeſquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de eſtos nueſtros Reynos, y Señorios, y a cada vno en ſu juriſdicion, que os guarden, y cumplan eſta nueſtra Cedula, y contra lo en ella contenido no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la nueſtra merced, y de diez mil maravedis para la nueſtra Camara. Fecha en Madrid a cinco dias del mes de Setiembre de mil ſeiſcientos y ochenta y ſiete años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro ſeñor.

Antonio de Zupide y Aponte.

Errata ſic corrige.

PAg.9.col.2.lin.30. *Aretum*, lege *Aretinum.*
Pag.10.col.1.lin.8. *penicioſæ*, lege *pernicioſæ.*
Pag.25.col.1.lin.45. *fœnerativus*, lege *fœneratitius.* col.2.lin.vltimâ *illum*, lege *illam.*
Pag.27.col.2.lin.37. *recenſitio*, lege *recenſio.*
Pag.43.col.1.lin 14. *eius*, lege *Innocentij.* lin.17.*can.*3.lege *can.*5.
Pag.87.col.2.lin.8. *num.*65 lege *num.*66.
Pag.117.col.2.lin.41. *tom.*14. lege *tom.*16.
Pag.126. col.1.lin.18. *quĩ*, lege *quæ.*
Pag.158.col.1.lin.7. *Diſputat*, lege *Diſputant.*
Pag.160.col.1.lin.25. *propoſito*, lege *propoſitio.*
Pag.164.col.2.lin.2. *nequid*, lege *nequit.*
Pag.174.col.2.lin.vlt. *conſpicui*, lege *conſpicuis.*
Pag.176.col.2.lin.20. *adbibendi*, lege *adhibendi.*
Pag.227.col.1.lin.5. *beneficiat*, lege *benefaciat.*
Pag.228.col.2.lin.12. *docet*, lege *decet.*
Pag.236.col.2.lin.36. *debemur*, lege *debemus.*
Pag.240.col.2.lin.46. *lib.*2. lege *lib.*22.
Pag.242.col.2.lin.21. *impractibile*, lege *impracticabile.*
Pag.257.col.2.lin.17. *fugere*, lege *optare.*
Pag.283.col.2.lin.30. *intrinſica ipſemet*, lege *intrinſeca ipſimet.*
Pag.301.col.2.lin.38. *demotui*, lege *demortui.*
Pag.313.col.2.lin.40. *ſive parva*, lege *ſive magna.*
Pag 381.col.2.lin.4. *ex longè*, lege *eſt longè.*
Pag.401.col.1.lin.44. *reſtrictionem*, lege *reſtrictionum.*
Pag 402.col.1.lin.37. *offertive*, lege *offertive.*

Pag.

Pag 404.col.2.lin.38. *idem*,lege *eidem.*
Pag.408.col.2.lin.3. *mentienda*,lege *metienda.*
Pag 410.col.2.lin.34. *habibilis*,lege *habilis.* lin.38. *Præſidis*,lege *Prætorum.*
Pag.414.col.1.lin.31. *ipſemet*,lege *ipſimet.*
Pag.417.col.2.lin.11. *electiones*,lege *electionis.*
Pag.419.col.1.lin.1. *rationi*,lege *ratione.*
Pag.421.col.1.lin.19. *quivis*,lege *cuivis.* lin.24. *damnatas*,lege *damnatus.*
Pag.422.col.2.lin.30. *mormem*,lege *mortem.*
Pag.434.col.1.lin.26. *vbi*,lege *vti.*
Pag.426.col.2.lin.39 *falſa potiùs obijciẽda*,lege *falſa potiùs abijciẽda.*
Pag.448.col.1.lin.32. *vſui*,lege *vſus.*
Pag.491.col.1.lin.19. *detonaverant*,lege *detonuerant.*
Pag.504.col.1.lin.45. *merito*,lege *marito.*
Pag.549.col.2.lin.15. *domino*,lege *dominio.*
Pag.554.col.2.lin.11. *aufere*,lege *auferre.*
Pag.564.col.2.lin.5. *cælibi*,lege *cælebs.*
Pag.572.col.1.lin.9. *vt quod*,lege *& quod.*
Pag.573.col.2.lin.26. *in vim*,lege *in vi.*
Pag.581.col.2.lin.vlt. *aliquaò*,lege *aliqua.*
Pag.582.col.2.lin.20. *orat*,lege *erat.*
Pag.586.col.1.lin.6. *compenſationes*,lege *compenſationis.*
Pag.588.col.1.lin.39. *cum creditor*,lege *cum debitor.*
Pag.596.col.1.lin.47. *comprobabimus*,lege *comprobavimus.*
Pag.597.col.1.lin.35. *ſic duobus*, lege *ſi è duobus.*
Pag.599.col.2.lin.23. *ad iudicitur*,lege *adiudicetur.*
Pag.601.col.1.lin.9. *opinionem*,lege *opinionum.*
Pag.606.col.1.lin.45. *damo*.lege *damno.*
Pag.610.col.2.lin.3. *illis*,lege *illi.*
Pag.611.col.2.lin.13. *parcet*,lege *pariet.*

Eſte libro intitulado *Theologia reformatá ab Innocentio XI.* advirtiendo eſtas erratas, concuerda con ſu original. Madrid a 11. de Setiembre de 1689.

D. Martin de Aſcarça,
Correct.Gen.por ſu Mag.

YO Manuel de Moxica, Secretario de Camara del Rey nueſtro ſeñor de los que en ſu Conſejo reſiden,certifico,que aviendoſe viſto por los Señores dèl el libro intitulado *El Padre Fuente Hurtado, de la Compañia de Jeſus, ſobre las Proposiciones condenadas*,taſſaron cada pliego dèl,ſin principios,ni tablas, a ſeis maravedis, y a lo que importare a dicho precio mandaron ſe venda,y no mas, ſin dichos principios, ni tablas, como conſta de dicha taſſa original, que por aora queda en mi oficio,a que me remito;y para que conſte doy la preſente en Madrid a 13.dias del mes de Setiembre de 1689.años.

Manuel de Moxica.

**** EDI-

EDICTVM S. INQVISITIONIS HISPANIÆ, quo intimatur decretum doctrinale SS. Papæ Innocentij XI.

NOS D. Diego Sarmiento de Valladares, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apoſtolica, Obiſpo Inquiſidor General en todos los Reynos, y Señorios de ſu Mageſtad, &c. Por quanto la Santidad de Innocencio XI. en Congregacion General de la Santa, y Vniverſal Inquiſicion de Roma, eſtableciò, y decretò, que debian ſer condenadas, y prohibidas, como con efecto condenava, y prohibia ſeſenta y cinco Proposiciones, por ſer (la que menos) eſcandaloſa, y pernicioſa en la practica, ſegun conſta por el Decreto, que ſe publicò en Roma en dos de Março deſte preſente año de mil ſeiſcientos y ſetenta y nueve, que ſu tenor es como ſe ſigue:

Feria V. die II. Martij M. DC. LXXIX.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium ſibi à Deo creditarum ſalutiſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxijs doctrinarum paſcuis ab innoxijs à fel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones partim ex diverſis, vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim nóviter adinventas Theologorum plurium examini & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſæpius diſcuſſis, eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem ſuam auditis, idem Sanctiſſimus D.N. re poſtea maturè conſiderata, ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicut iacent, vt minimum tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas vllatenus approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. niſi id vetet lex, cõventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

Proba-

2. Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus.

8. Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Precepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum Patris, sed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate cõsecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur fidem ingenuè confiteri, vt Deo & fidei gloriosum consulo, tacere, vt peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, vt assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentiũ.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus.

22. Non nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè motivo ad iuſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacij levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram alijs, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus.

27. Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Vrgens metus gravis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione vnius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis furripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatū eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

Qui

39. Qui alium movet, aut induxit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari.

42. Vsura non est, dum vltra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solùm, si exigatur tanquam ex iustitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis cõmunicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, vt contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non est. Vnde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquãdo obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adultc rium adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor, simul à diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinũ, & Laudes, potest autẽ reliquas

quas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionẽ naturalem, modò honestã.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicuius festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis nulla spes appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua vtilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cuiusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationẽ latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, vt ab iniuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alij quicumque in posterum se abstineant, & vt paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, vt tàm in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, necnon à quibuscumque convitijs contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ super ijsdem propositionibus iudicium proferatur.

Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ, & vniversalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ sigilli.

Anno

Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecũda, die verò, 4. menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentij Divina providentia Papæ XI. anno tertio, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Franciſcum Perinum eiuſdem Sanctiſſ. D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

¶ Por tanto por las preſentes mandamos a todas, y qualeſquier perſonas, aſſi Eccleſiaſticas, como Seculares, de qualquier eſtado, dignidad, y condicion que ſean, no ſigan, practiquen, ni enſeñen las dichas Propoſiciones, y cumplan el dicho Decreto ſegun, y como en el ſe contiene: con apercibimiento, que procederémos con todo rigor, y como mejor aya lugar de derecho contra los que remiſſos, è inobedientes fueredes. Y os encargamos, y mandamos, como quiera que entendais ſe contraviene al dicho Decreto en qualquier manera, lo denuncieis, y delateis ante Nos, ò ante qualquier Inquiſidor de eſtos Reynos, a quien privativamente toca, y pertenecé ſu conocimiento, ò ante qualquier Comiſſario del Santo Oficio dento de diez dias, que comiencen a correr deſde el dia de la publicacion de eſte Edicto, lo qual aſſi hazed, y cumplid, pena de excomunion maior latæ ſententiæ trina canonica monitione præmiſſa, y de docientos ducados para gaſtos del Santo Oficio, lo contrario haziendo. Y mandamos, que eſte nueſtro Edicto ſe publique en todas las Igleſias Metropolitanas, Cathedrales, y Colegiales de los Reynos de ſu Mageſtad, y en los lugares Cabezas de Partido; y que de ſu lectura ſe fixe traslado, ò teſtimonio autentico en vna de las puertas de dichas Igleſias, de donde no ſe quite à ſin licencia de los Inquiſidores de cada diſtrito, ſo la dicha pena de excomunion, y de cincuenta ducados. En teſtimonio de lo qual mandamos dar, y dimos la preſente firmada de nueſtro nombre, y ſellada con nueſtro ſello, y refrendada de Secretario del Conſejo de la Santa Inquiſicion infraeſcrito. Dada en Madrid a veinte y quatro dias del mes de Julio de mil ſeiſcientos y ſetenta y nueve años. El Obiſpo Inquiſidor General. Por mandado de ſu Excelencia. D. Fernando Gallego Calderon.

DECRETVM ALEXANDRI VII.
die 24. Septembris 1665.

SAnctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore complures opiniones Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licẽtiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet

eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare ne vllo vnquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilarari, ſeu verius perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. vt oves ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro paſtorali ſolicitudine in rectam ſemitam evocaret, earũdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit. Qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

Hoc eſt Decreti proœmium neceſſarium ad ſequentia. Omittitur autem ſeries theſium damnatarum, donec Deo dante explicentur.

JHS

PROOEMIALES QVÆSTIONES CIRCA DECRETA MORALIA ALEXANDRI VIJ. ET INNOCENTIJ XJ.

QVÆSTIO PRIMA

Dividens decreta in ſuas partes.

1. IN decreto Alexandri 24. Septembris 1665. quatuor partes continentur. Prima eſt clamoroſa inſinuatio, quæ vim delationis, ſeu accuſationis obtinuit, adverſus quaſdam opiniones de rebus ad conſcientiam ſpectantibus *partim ab antiquo ſuſcitatas*, *partim noviter inventas*, vbi plura contra illas dicuntur, quæ ex eo præciſè, quod inibi dicantur, nullam fidem faciunt, ſicut neque aliæ delationes, aut accuſationes; ſed ſolùm ſunt, fueruntque huic Pontifici occaſio examinandi, ac inquirendi. Incipit hæc pars ab illis verbis *Sanctiſsimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore*, & in illis includivè terminatur: *Quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela.*

2. Secunda pars incipit ab illis: *Quare ne vllo vnquam tempore*, & terminatur in illis, *ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt*: vbi Pontifex proponit ſufficienter opus, quod aggrediebatur, illudque clarioribus verbis exprimitur iuxta eius mentem in decreto Innocentij XI. 2. Martij 1679 ibi: *Salubre opus in ſegregandis noxijs doctrinarum paſcuis ab innoxijs à fœlicis recordationis Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, &c.* Vterque autem exprimit quantam diligentiam adhibuerit ad eiuſmodi diſcretionem faciendam, & quàm accuratè examinaverit vnamquamque ex propoſitionibus ſibi delatis, committendo

earum examen pluribus in Theologia Magistris, & deinde Cardinalibus Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, audiendo singillatim eorum suffragia circa vnamquamque ipsarū. Addit que Alexander, se id fecisse, *vt oves sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataque per quam itur ad perditionem, via pro pastorali solicitudine in rectam semitam evocaret.* De Innocentio verò initio sui decreti idem dicitur, ibi: *Sanctissimus D.N. Innocentius Papa XI. ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxijs doctrinarum pascuis ab innoxijs, &c.*

3. Tertia pars, relatis propositionibus, earum condemnationem continet. Alexander priori suo decreto 28. recensuit. Postea addidit alias 17. decreto edito *die* 18. *Martij* 1666. vt tota earum summa 45. contineat. Innocentius verò in præcitato decreto alias 65. adiecit idem institutum prosequens, vt tota ab ipsis damnatarum summa 110. nullam minus complectatur. Porrò forma condemnationis sic se habet in illius decreto. *Idem Sanctissimus D.N. re postea maturè considerata, statuit, & decrevit: pro nunc sequentes propositiones, & vnamquamque ipsarum, sicut iacent, vt minimùm tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet.* Similiter condemnationes suas Alexãder proposuit. Nisi quod in secundo decreto tria illa verba omisit *Pro nunc. Vt iacent. Et in praxi perniciosas.* In priori verò etiam duo postrema; vocem autem illam *Pro nunc* vtcumque supplevit, cùm ibi dixit, eas esse damnatas *Interea dum similium propositionum examini cura, & studium impenditur.* Quo studio impenso, adiectisque de novo alijs propositionibus decem, & septem ijs, quæ priùs condemnatæ fuerant, non fuit cur deinceps adijceret, se *interea* id determinare.

4. Cæterùm vox illa *vt iacent*, etiam non expressa, sufficienter intelligitur, quia non aliter, nec alio modo hæreticæ propositiones, aut aliæ noxiæ doctrinæ condemnantur. Censura etiam illa propositionis *Perniciosæ in praxi* solùm videtur maior explicatio causæ, seu motivi, cuius gratia tales propositiones scandalosæ dicuntur, nimirum, quia deducunt ad viam latam, *per quam itur ad perditionem*, vt Alexander in priori decreto expressit verbis allatis *num.* 2. quibus ista immediatè præcesserant: *Quare ne vllo vnquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cuius verba in æternum stant, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem Sanctissimus D.N. &c.* Satisque ostendit, illas esse in praxi perniciosas, dum ea de causa prohibuit earum praxim.

5. Quarta pars est præceptiva, & duas diversas involvit. Alteram, qua vbilibet ijsdem verbis Alexander, & Innocentius districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini iudicij prohibent omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. Alterā verò, qua fulminant excommunicationem latæ sententiæ ipso facto incurrendam, sibique reservatam adversus quemcumque, qui illas, vel aliquam illarum coniunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando. Ita Innocentius. Alexander verò in suis decretis adiecit verbum *docuerit*, & omisit verbum

bum *prædicaverit*. Quas autē actiones istiusmodi prohibitio comprehendat, legi potest apud P. Salas *disp.* 21. *de legib. sect.* 11. circa expositionem illius vocis *Ediderit*, quæ pariter est adhibita in prohibitione interpretandi Concilium Tridentinum.

QVÆSTIO II.

Quid significetur, cùm propositiones istæ, vt scandalosæ, damnantur?

6. IN genere, vt propositio scandalosa dicatur, non oportet, vt hæretica sit, temeraria, vel in fide erronea; sed sufficit, quod suismet verbis scandalizet, hoc est, occasionem ruinæ spiritualis præbeat proximis in quavis materia; imò vt gradum propositionis damnabilis condistinctum ab illis gravioribus constituat, oportet, vt nullus ipsorum ei conveniat, sed hoc præcisè titulo, qui de se sufficiens est, condemnetur, quòd alijs in via salutis offendiculum, ruendique occasionem ponat. Quò spectat definitio illius apud Cordubam *in quæst. lib.* 1. *q.* 17. §. 20. ibi: *Propositio scandalosa est, quæ etiam si vera sit, scandalum, sive occasionem ruinæ præstat auditoribus, & maximè simplicibus, & infirmis.* Alij notam hanc in proposito coarctant ad peculiarem aliquam materiam, vt Baldellus *tom.* 2. *lib.* 1. *disp.* 34. *n.* 11. & Puente Hurtado *disp.* 81. *de fide. sect.* 8. qui cum Suario *disp.* 19. *de fide. sect.* 2. *n.* 19. *in fin.* eam propositionem specialiter scandalosam definit: *Quæ in materia doctrinæ ad fidem pertinentis occasionem errandi, vel malè sentiendi præbet fidelibus.*

7. Alij cum Saura *de examine doctrin. cap.* 6. *fol. mihi* 16. aliquanto amplius hoc extendunt, ibi: *Propositio scandalosa est illa, quæ sive vera, sive falsa sit, pusillis præsertim pijs præbet occasionem ruendi in aliquem errorem, vel peccatum spectans ad iudicium Inquisitionis.* Sed longè meliùs, & exactiùs ipse *ibidem, præludio* 6. hisce verbis rem exponit: *Scandalosa propositio Theologicè est, quæ sive verè, sive probabiliter, sive improbabiliter dicta, præbet occasionem ruinæ in materia morali, & ducit, aut movet ad executionem peccati, per modum dictaminis, & securæ doctrinæ.* Atque in hoc sensu condemnari puto à præfatis Pontificibus prædictas propositiones tanquam scandalosas. Tradebantur enim tanquam tutæ, atque securæ in praxi, & absque vllo incommodo animarum, aut Reipublicæ Christianæ exequibiles; è contrario autem Pontifices eas laxas, noxiasque putarunt, earumque praxim prohibuerunt tanquam Christianæ vitæ corruptelam, illasque indignas censuerunt, vt pro recta morum regula assumantur.

8. Vt res exactè explicetur, cùm ex notione terminorum supponatur, nullam propositionem esse scandalosam, nisi præbeat occasionem ruinæ spiritualis, diligenter inspiciendum est, de qua ruina sermo sit, & quomodo illam præbeant eiusmodi opiniones, vt earum confixio iusta censeatur. Ruina quidem spiritualis tunc contingit, cùm inde aliqui occasionem sumunt errandi, malève sentiendi, aut opinandi in rebus fidei, aut morum, seu ad vitam æternam conducentibus, ad pietatemve, seu mores Christianæ religionis spectantibus, vel etiam pravè agendi, aut desistendi ab officijs, & exercitijs virtutum: & quidquid eiusmodi est, iure optimo scandalosum vocatur. Modus autem præbendi hanc occasionem, aut est per modum exempli, quia videlicet

ex eiusmodi doctrinis publicè traditis propter auctoritatem docentium sumebant alij occasionem similiter opinandi, acquiescendique eiusmodi opinionibus, vel de novo inveniendi, aut suscitandi alias antiquas eisdem similes in laxitate, defectuque securitatis, & periculo inducendi in ruinam aliquo modo ex suprà enumeratis: vel prescindendo ab exemplo similiter opinandi in eisdem, alijsve materijs ad Christianam fidem, moresve spectantibus, scandalosæ esse possunt, aperiendo ostium viæ latæ, ac parum tutæ, nam cùm multi sint, qui intrant per eam, etiam in rebus districtè prohibitis, merito timendum est, longè plures intraturos, sublata prohibitionis clave, per huiusmodi opiniones ostendentes viam latam, ac promittentes ambulantibus per illam conscientiæ securitatem.

9. Et hoc interdum contingit, quia propositio ipsa, vt iacet, atque in suo proprio, & vero sensu intellecta, eiusmodi est; interdum verò quia diversos sensus admittit, servata proprietate verborum, & ratione suæ ambiguitatis, confusionis, aut obscuritatis, si publicè, vt iacet, tradatur, potest audientes implanare, ac decipere, vt eam intelligant in sensu absurdo, illaque licere putent, quæ illicita certò sunt, & pernicioſa in praxi. Nam eiusmodi doctrinæ, dum clariùs non exponuntur, & iusta æquivocatio imminens ab ipsis removetur, magnam mali speciem habent, atque id sufficit, vt tanquam scandalosæ improbentur. Vnde opiniones, quæ isto modo scandalosæ sunt, dicuntur scandalosæ ostensivè, seu per modum regulæ securique dictaminis, cùm verè tales non sint, sed parum tutæ, & nullatenus securæ in praxi: neque enim hìc habet locum scandalum per modum suasionis, positivæquè inductionis, cùm eæ opiniones non suadeant sui praxim, aut vsum, sed solùm eam facilitent hominibus ad ea, quę favent proprio commodo, de se nimis propensis, & metum auferant amittendi æternam vitam, asserendo id esse tutum, quod in praxi securitatem non habet.

10. Porrò hic modus scandali ex aliqua doctrina imminentis ex eo oriri primò potest, quòd mala sit eius praxis, & iure Divino, naturali, aut positivo prohibita, præscindendo ab alijs circumstantijs: & tunc opinio ipsa falsa erit, & alicui ex dictis iuribus positivè contraria. Vel secundò ex eo quòd, licet secundum se mala non sit, ob circumstantias tamen, quę in exequutione illam ordinariè comitantur, sine peccato exerceri non solet, vt de parvitate materiæ in re venerea, alijsque quamplurimis doctrinis nonnulli philosophantur, quas proinde practicè improbabiles, falsas, atque pernicioſas solent appellare, quamvis speculativè probabiles, & fortasse veræ videantur. Vel tertiò ex eo quòd, licet praxis ipsa, atque exequtio in se mala non sit, neque ob circumstantias directè pertinentes ad ipsum operantem, speciem tamen mali, atque saporem habent, ratione cuius proximos præsertim ignorantes, ac infirmos possint implanare, & in peccati ruinam trahere solent: & sicut hoc sufficit, vt actio ipsa scandalosa, nociva, alijsque pernicioſa censeatur, sic satis est, vt opinio, quæ omnibus inspectis eam licere tradit, per modum regulæ practicæ scandalosa dicatur, nisi periculum scandali præcavendum esse deceat, & re ipsa sit in potestate agentis illud præcavere, & separare à sua actione. Vel quartò, ex eo quòd, licet actio neque mala sit, neque mali speciem habeat, nihilominus sumpta occasione ab eo quod liceat, est ipsi operanti, aut alijs prætextus, ratioque

pallian-

palliandi vera alia peccata, v.g. simonias, aut vsuras, quarum detectio, aut punitio Reipublicę Christianę magni refert.

11. Vel quintò ex eo quòd inde plures occasionem sumant committendi alia peccata, tumultusque, aut contentiones, rixæ, ebrietates, relaxatio disciplinæ, aliaque id genus eveniant, aut prudenter eventura credantur. Nam licet potiùs spectent ad scandalum passivum, cùm opinio, aut actio ex natura sua id non ferunt, facilè ad activum reducuntur, si antecedenter prænoscantur, & ratione huiusce prævisionis à multis operibus alioqui licitis abstinere coguntur ipsæ privatæ personæ; aut si id dubium sit, & sub opinione positum ratione consuetudinis, devotionis, aut alterius causæ, quæ reddit talem omissionem notabiliter incommodam, & ius conferre videtur ad contrarias actiones exercendas, non obstante tali prævisione, nihilominus Reipublicæ moderatores, ac præsertim Ecclesiastici, ad quos spectat cura evitandi peccata, & sanandi mores populi, iure optimo ratione scandali eiusmodi actiones prohibent, quia hic, & nunc prudenter iudicant esse medium necessarium ad præcavenda peccata, quæ à suis ovibus maximè pusillis, & infirmis frequenter committuntur, sumpto exinde prætextu, & occasione. Huiusmodi opiniones, & actiones dicuntur scandalosæ ab eventu, vel per experientiam cognito, vel præsumpto, si lex in præsumptione fundetur, vel prudēter credito ratione periculi, quod ex agentium, ac videntium circumstantijs omnibus inspectis imminet, etsi sola actio in se spectata licita alioqui esset, ac studiosa. Quomodo prohiberi solent conventus nocturni virorum, ac fœminarum, etiam instituti causa devotionis, ex.g. ad reliquias martyrum; visitatio Ecclesiarum in die Iovis Sancti post decimam horam noctis; ornatus aliqui fœminis consueti iuxta patrium morem, quos experientia monstravit fuisse multis occasionem ruinæ.

12. Vel demum quia licet doctrina, & eius praxis ad peccatum proprium, vel alienum non provocet, soleatque absque illo exerceri; nihilominus avocat ab exercitio virtutum, inducitque negligentiam, ac teporem disciplinæ Ecclesiasticæ, aut regulari contrarium, vt si avertat à suscipiendo statu religionis, aut prætextu incertæ concessionis, vel revalidationis quarumdam indulgentiarum tollat curam adimplendi pœnitentias iniunctas in confessione, aut avocet à frequētia ipsius confessionis, etiam non præceptæ, aut Communionis statui proportionatæ. N. m huiusmodi defectus inter ruinas spirituales computantur, & communiter absque peccatis venialibus non exercentur, nec contingunt absque magna displicentia, metu, ac pudore bonorum, tàm vulgarium, quàm doctrina, ac virtute illustrium, disponuntque communiter ad graviorem ruinam, & ideò quæ ad id inducunt, aut incitant, verè sunt scandalosa, nociva, deducentiaque ad viam latam, & vt talia merito damnari possunt.

13. Nam arcta illa via, quæ ducit ad vitam, quamque ipse Christus nos docuit, tàm præcepta, quàm consilia complectitur, & eius latitudo, ac relaxatio modò his, modò illis opponitur, servata tamen vniuscuiusque mensura, & gradu dilatationis. Ad modum quo, licet via, quæ ducit ad peccata venialia, non ducat immediatè ad infernum, nec sit formaliter illa via lata, quæ ducit ad perditionem; adhuc tamen sufficiens est materia scandali, & tàm opinio, quàm actio inducens ad peccatum veniale

spiri-

spiritualem ruinam inducere dicitur, iuxta illud *septies in die cadit iustus*, & malitiam scandali in se habet, quamvis levem iuxta levitatem suæ prohibitionis. Cadere autem casu opposito consilijs ex obiecto suo nullam malitiam habet, sed solum defectum moralis imperfectionis. De quo Suarez *disp.* 10 *de charit. sect.* 1. *n* 4. *notat.* 2. vbi ait, hoc non esse propriè scandalum, sed in eo posse intervenire levem aliquam malitiam contra charitatem, quæ ex damno, fraude, aut dolo posset esse gravis.

14. Ex dictis igitur patet, quot modis aliqua opinio esse possit scandalosa adversus præcepta, & consilia, quo casu non erit peccatum, sed imperfectio moralis intra genus scandali, sicut actio, ad quam inducit; nisi fortè etiam inducat ad malè sentiendum de consilijs ipsis, aut ad contemptum ipsorum. Patet etiam, quo sensu dicatur eius praxis perniciosa, nam licet perniciosum vulgari acceptatione grave aliquod, & exitiale malum soleat denotare, apud Theologos mitiori sensu accipitur, & ideò quodvis mendacium nocens proximo, etiam leviter, & nocumento insufficienti ad peccatum mortale, dicitur mendacium perniciosum. Patet demum, omnes opiniones ab his Pontificibus damnatas in eo convenire, quòd directivè, & per modum regulæ secuæ, ac tutæ in genere moris ad ruinam disponant, lapsumque oppositum consilijs, ac præceptis levibus, aut gravibus vitæ Christianæ iuxta definitionem datam *sup n.* 6. Quanta autem, & qualis sit ruina in vnaquaque, & cui regulæ virtutive opponatur, ex eius materia, & circumstantijs est diiudicandum: neque enim omnium est vna specifica ratio, neque idem modus, aut sensus.

QVÆSTIO III.

Quidnam propriè sit, hasce doctrinas pernicioſas esse in praxi?

15. PErinde vtique fuit dicere illas esse in praxi pernicioſas, ac asserere pernicioſam esse illarum praxim, hoc est, damnosam, ac nocivam tùm animabus, tùm etiam Ecclesiæ, cuius severa disciplina, & mores ijs doctrinis laxabantur. Vnde (vt iam dicere cœperam) sicut mendacium tunc vocatur pernicioſum, cùm est alteri nocivum, sive leviter, sive graviter, sic doctrina moralis, & spectans ad directionem conscientiæ tunc censenda est pernicioſa, cùm vsus eius nocumentum affert. Atque hoc pacto Honorius III. *in cap. Pernicioſus. 23. de celebrat Missarum, pernicioſum valde abusum* vocat vsum, qui alicubi irrepserat miscendi plus aquæ, quàm vini, in consecratione Calicis. Quia esto probabile sit, in huiusmodi mixtionibus consecrationem esse validam, si aliqua pars vini adhuc conservetur; modus tamen ille consecrandi dissentaneus erat vsui Ecclesiæ, & quandoque expositus consecrationi dubiæ, vel invalidæ.

16. Declarant autem Pontifices satis apertè cui sint pernicioſæ, dum eas damnant, quia *noxiæ sunt*, & ovibus sibi concreditis præbent pabulum nocivum: item cùm aiunt id fieri, ne via salutis, quam Deus dixit esse arctam, in perniciem animarum dilatari, seu veriùs perverti contingat; ac demum cùm huic negotio eo fine se applicant, vt oves sibi concreditas *à via* lata, & spatioſa, quam prefatę opiniones demonstrant, in rectam semitam salutis revocent. Quare

re haud immerito quispiam dixerit, iuxta Alexandri, atque Innocentij mentem ideò has opiniones in praxi pernicioſas cenſeri, quia deducunt ad viã latam, quæ nõ eſt via, aut ſemita recta, ſed obliqua, per quã ad perditionem, & interitum devenitur: ad modum quo Pius IV. Bulla 77. §. 2. dixit, nonnullos *libros, ſcriptaque* prohiberi in Indice Concilij Tridentini, *vt pietati, ac morum honeſtati inutilia.*

17. Quòd ſi non vtcumque inutilia ſint, ſed poſitivè nociva, relaxativaque vitæ, ac diſciplinæ Chriſtianæ, merito earum laxitas damnatur, ac prohibetur: & hoc ſignificatur, cùm dicitur, illas eſſe pernicioſas, quia à recta, & arcta ſemita Chriſtianæ vitæ abducunt fideles, & deducunt in viam latam. De qua cenſura Saura *de examine doctrin. c.* 10 initio, licet Cordubam, Simancas, atque Navarrum parum fideliter ibidem afferat. Porrò ſicuti ob ſcandalum, & animarum perniciem hi Pontifices præfatas opiniones condemnarunt, ac prohibuerunt, ſic iam olim Alexander IV. *Bulla* 7. § 5. has eaſdem cauſas inter alias adduxit, quibus inductus eſt ad condemnandum librum de periculis noviſſimorum temporum tunc publica luce donatum, ibi: *Quodque etiam idem libellus magni ſcandali ſeminarium, & multæ turbationis materia exiſtebat; & inducebat etiam diſpendium animarum, cùm retraheret à devotione ſolita, & conſueta eleëmoſynarum largitate, ac à converſione, & religionis ingreſſu fideles.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Pontifex declaret, has propoſitiones eſſe propriè ſcandaloſas, vel potiùs illas reprobet, ac ſi eſſent tales?

18. RAtio dubitandi eſt, quia non affirmat expreſſè illas eſſe ſcandaloſas, neque formalibus id verbis in earum condemnatione declarat; etſi autem id declaraſſe ſufficeret verbis certò equipollentibus, tamen minimè conſtat verba, quibus eas condemnat, eſſe certò æquipollẽtia prædictæ affirmationi, ſeu declarationi. Solum enim dicit *ſtatuiſſe, ac decreviſſe eas, & vnamquamque ipſarum, vt minimùm tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet.* Non ſunt autem certò, & abſque dubio æquipollentia, damnare aliquam doctrinam affirmando expreſſè illam eſſe ſcandaloſam, ac damnare illam *tanquam* ſcandaloſam. Neque enim otioſè, & abſque fructu adiecta cenſeri debet vox illa *tanquam* in re adeò examinata, ac diſcuſſa, maturèque conſiderata, vt in ſimili ratiocinatur Innocentius III. *in cap. Solitæ. 6. de maior. & obedien. ad illa verba,* 1. *Petr.* 2. 13. *Siue Regi tanquam præcellenti,* vt Imperatori Conſtantinopolitano demonſtraret, non eſſe tantam eius præcellentiam, quantam ijs verbis innixus ſibi arrogabat, ibi: *Licet non ſimpliciter dictum fuerit: Subditi eſtote, ſed additum fuerit, propter Deum: nec purè ſit ſubſcriptum Regi præcellenti, ſed interpoſitum forſan fuit non ſine cauſa: tamquam.* Quo loci notat gloſſa *lit. l.* vocem *tãquam* ideò iure optimo ponderatam fuiſſe

ab

ab Innocentio, quia quandoque similitudinem potiùs, quam veritatem denotat, & inde consequenter elicit, nullam vocem mysterio vacare in rescriptis, ne frustra occupet membranas.

19. Addit Barbosa *tr. de diction. usufreq. dict.* 403. *n.* 1. tale adverbium *regulariter, & de sui natura denotare improprietatem & fictionem*, in eamdemque sententiam quamplurimos ex Iurisperitis adducit. Nec dubium, quin sæpe in iure ita accipiatur. *L. Pecuniam.* 36. *ff si certum petatur. L. Iubemus.* 13 *§ Sane. C. de Sacrosanct. Eccles.* & sæpe alibi. Quæ si vera sunt, dictio illa in sua regulari, & magis naturali significatione in his decretis accipi deberet, & non significaret eas propositiones condemnari, atque prohiberi, quia Pontifex declarat illas esse scandalosas, sed quia ipsas, ac si scandalosæ essent, eo quòd laxæ sint, ac minus tutæ, prohibet, ac damnat: ad modum quo *in* 2. *Philippica* Cicero scribebat: *Vt istum, ac si Consul esset, salutarent.* Cæterùm quia negari nequit, eam dictionem sæpe sæpius veritatem denotare, atque ad eam significandam adhiberi, haud secus quam particula *sicut*, particula *vt*, & aliæ comparativæ, ideò huic expositioni non acquiesco; sed solùm indico, incertum videri posse, quisnam ex his duobus sensibus præferri debeat, inspecto verborum cortice, ne forsitan ob hanc causam interpositum sit adverbium *tanquam*, vt arguebat Pontifex ex illo in capite præcitato.

20. Hoc autem sufficit, vt non sit expressè, aut sub verbis certò æquipollentibus declaratum illas esse scandalosas, cùm satis sit ad finẽ, & iustificationem reliquorum, quæ adiunguntur, illas ob sui laxitatem fuisse in modo prohibitionis, ac condemnationis ijs, quæ verè, ac certò scandalosę sunt, æquiparatas. Et cùm scandalum duplex sit, aliud datum, aliud acceptum, aliud activum, aliud passivum, illudque propriè sit tale, hoc verò minimè, incertum sit propter eam vocem, quo sensu doctrinæ istæ scandalosæ vocentur, quia ad prohibendas illas satis erat, quod multi ex inde sumerent occasionem ruendi, viuendique licenter, quamvis doctrina ipsa illam non daret, cùm sui praxim, aut executionem non suaderet. Eo vel maximè quia adverbium *tanquam* non incongruè construi, atque coniungi potest cum verbo *damnat, ac prohibet*, vt sensus sit, illas damnari, ac prohiberi, sicut scandalosæ damnantur, ac prohibentur. Quo pacto Pontifex nihil positivè decerneret de earum scandalo, ac pernicie, sicut nil declarat, aut decernit de earum veritate, aut falsitate, sed solùm de modo condemnandi, atque prohibendi ipsas; & tota vis comparativa, quam importat dictio *tanquam*, ad modum condemnandi, atque prohibendi referenda esset, vt solùm denotaret, illas damnandas, ac prohibendas esse ad instar, seu ad eum modum, quo scandalosæ damnantur. Sed hæc iudicio potiùs summi Præsulis, quàm tenui meo, decidenda erunt: ac interim satius erit vulgari terminorum apprehensioni stare, ac censere, vt ego censeo, omnibus decreti circumstantijs inspectis, vocem *tanquam* non esse in præsenti notam vllius improprietatis, sed theses damnatas esse verè, ac propriè scandalosas, & hac ratione prohibitas.

QVÆSTIO V.

Vtrùm decretum hoc sit decisivum, vel interlocutorium, & pro nunc duntaxat?

21. DEcisivum esse denotant verba illa *statuit, ac decrevit*, quia *hoc verbũ statuo rem perfectam significat, & cum effectu non verbo tenus accipitur*, ex Cælestino III. *cap. in His* 15. *de verborum significat.* Aliunde verò negotium facessit vocula, *Pro nunc*, condemnationi adiecta, cui in decreto Alexandri æquivalet vox illa *Interea*, perinde namque est dicere *Pro nunc*, ac *Interim*, vt sumitur *ex l. Quidam.* 96 § *Si scriptus. ff de leg.* 1. & vtraque idem significat, quod *Alio non apparente*, vel quod *Rebus sic stantibus*, vt notat Cancerius *p.* 3. *c.* 17. *n.* 570. & Larrea *tom.* 2. *decis. Granat. decis.* 77. *n.* 2. & 13. cum Cevallos, Scacia, & alijs.

22. Quo fit, vt lex, aut sententia *pro nunc* data non habeat perpetuitatem de se, sed mutationi subiaceat, si rerum status notabiliter mutetur, aut aliud quidpiam appareat ab eo, quod tũc apparebat, vt idem dictu sit *pro nunc statuimus*, ac dicere *hoc statuimus interim dum aliud non apparet.* Vnde temporalem causam habet, & in ea tacitè includi denegationem silentij perpetui contendit Larrea *suprà n.* 7. & *n.* 14. Ac propterea quando in decretis causarum, quæ per viam violentiæ deferuntur à Iudice Ecclesiastico ad Regia tribunalia, dicitur: *Que por aora no haze fuerça:* tuetur ex professo Salgado *de Regia protect. p.* 1. *cap.* 8. *à n.* 7. posse iterùm eamdem causam, novis documentis apparentibus, ad idemmet tribunal revocari. Adeòque istiusmodi dispositiones non esse definitivas, sed merè interlocutorias, tradit inter alios Purpuratus *consil.* 151. & faciunt alia plura, quæ pro hac parte congerunt Larrea *sup. n.* 4. & Covarrubias *lib.* 1. *variar. cap.* 1. *n.* 8. Larrea autem *eo num.* 13. cum Cavalcano, Trentacinco, Farinacio, & alijs definitivas esse putat, præsertim cùm ita proferuntur, re discussa, & eius momentis librata, non verò propter ineptitudinem libelli, aut defectum mandati, vel aliam causam similem, ratione cuius interdum reus pro nũc absolvitur ab instantia, seu observatione iudicij.

23. Mihi vtique pro causis forensibus maximè placet distinctio Antonini Thesauri *decis. Pedemõt.* 81. vbi ait num. 1. *Sententiam, per quam absolvitur reus, alio non edocto, vel stantibus actis, prout stant, vel alio non apparente, esse definitivam, & transire in rem iudicatam. Et licet*, inquit, *videatur habere vim interlocutoriæ, quia ex novis iuribus potest revideri, & reparari, etiam ab eodem iudice, tamen in hoc sapit naturam definitivæ, quia nisi aliud de novo producatur, non poterit revocari.* Citat Alciatum, Aretum, & alios. Quanto autem tempore duret illa suspensio, non constat apud omnes. Alciatus *in l. Si calumnietur. ff. de V. S.* ait, prædictam clausulam, lapso biennio, evanescere. Thesaurus autem *suprà* sic ait: *Quod ego non auderem firmare, & crederem requiri saltem decennium, cùm illud tempus videatur tacitè à iudice datum, vt interea quis perquirere possit alia sua iura, in qua re longum tempus concedendum est, quod est decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes.* Hæc ille satis cordatè iuxta exigentiam materiæ, de qua ibi loquebatur.

24. Cæterùm in nostro casu puto sententiam Pontificis non fuisse interlocutoriam, aut quasi suspen-

sam pro vllo tempore, sed statim habuisse suum effectum, transivisseque in rem iudicatã, certò statutam, & sine mora obseruandam; verbum autem *Pro nunc* non respexisse, nisi ad mutationes quasdam, quæ decursu temporis possunt accidere, vnde scãdalosæ, ac pernicioſæ esse desinant aliquæ ex illis doctrinis, quæ his censuris notabantur. Sed difficultas est, quo pacto posset tunc accidere mutatio in his censuris, etiam *pro nunc* latis, cùm sint infallibiles, & à Summo Præsule prolatæ, Spiritu Sancto assistente? Respondeo, licet illæ, prout à Pontifice emanarunt, non fuerint, neque futuræ sint errori expositæ, adhuc tamen in his omnibus, quæ ad ius positivum spectant, decursu temporis mutationem aliquam supervenire posse, quæ illarum scandalum tollat, nam & ius ipsum potest immutari etiam post tempus decem, aut viginti annorum. Ex.g. posset aliquis Pontifex revalidare indulgentias Regularium, quas Paulus V. revocavit, & alij eius prædecessores concesserant. Et tunc non esset scandalosa propositio affirmans, eas esse revalidatas, licet scandalosa sit, quæ id hodie affirmat, & semper sit talis futura, si ly *hodie* referatur ad tempus, quo Alexander VII. illam damnavit *propositione* 37. Idemque dixerim de alijs non paucis, quæ in decreto ipsius invenientur: vt siquis Pontifex de novo concederet mendicantibus privilegium absolvendi à casibus Episcopo reservatis. Ea mutatio superveniens respectu sequentis temporis tolleret omnino scandalum, quod omnino certum erat in ista propositione, rebus sic stantibus, sicuti erant, cùm Alexander illam condemnavit.

25. De his autem, quæ immediatè spectant ad ius naturale, vel divinum, alia longè est ratio, quam acutè obseruat P. Suarez *lib. 4. de legib. cap. 14. n. 7.* quia in his iuribus nequit supervenire mutatio, nisi ratione materiæ. Possent tamen, auditis auctoribus, & re examinata plenius, novæ rationes occurrere, & speciales circumstantiæ offerri, quæ scandalum amoverent. Nam propositio, quæ vno tempore scandalosa est, alio tempore esse poterit non scandalosa, vt de propositionibus malè sonantibus, & *pro nunc* tali censura affectis tradit Corduba *in suo quæst. lib. 1. q. 7. §. 14. ante finem*, & nos dicemus posteà de propositionibus, quas Pontifices vt probabiliores approbant: nam passim evenit, vt ea, quæ anteà fuit minùs probabilis, reddatur probabilior cursu temporis. Interim tamen, ac Pontifex id expressè non declarat, standum est omnino eius sententię, sicut in decreto iacet, neque in dubio aliter licebit agere.

QVÆSTIO VI.

Quæ propositiones condemnatæ sint vt falsæ?

26. EX terminis genericis diversa sunt, aliquam propositionẽ esse scandalosam, & esse falsam: sæpe enim accidit, vt assertio sit scandalosa, & nihilominus vera, vt notat Card. de Lugo *disp 20. de fide. n. 134.* & alij, quos infrà consignabo. Vnde Corduba *ea quæst. 17. §. 20.* in illius definitione hoc ipsum sumit, dicens: *Propositio scandalosa est, quæ etiam si vera sit, scandalum, sive occasionem ruinæ præstat auditoribus, & maximè simplicibus, & infirmis.* Quibus consonant aliæ duæ definitiones, quas produximus ex Saura *sup. n. 7.* & ex his, quæ tota illa quæstione secunda sunt proposita, desumi possunt pro hac doctrina non pauca, nec invalida argumenta.

Nunc

27. Nunc autem ea ſpecialis ratio ſatis efficax videtur, quia ſicut opus non debet eſſe in ſe malum, vt ſit in ſe ſcandaloſum, ſed ſufficit, quòd habeat mali ſpeciem, ita propoſitio, vt ſcandaloſa ſit, non ſemper debet eſſe falſa, ſeu obiecto ſuo difformis, ſed ſatis eſt, quòd habeat falſitatis ſpeciem. Quinimò ſicut opera aliàs bona, & forſan iure humano præcepta, quandoque dimittenda ſunt propter ſcandalum, quod ex ipſis futurum prævidetur, ſic propoſitioni alioqui veræ, & in ſe innocuæ poſſet contingere, & tunc optima ratione velut ſcandaloſa prohiberetur. Non ergo ſe opponeret iudicio horum Pontificum, qui diceret, talem propoſitionem eſſe veram, quia non proinde cogeretur negare, illam eſſe ſcandaloſam, aut pernicioſam audiẽtibus. Puniretur quidem tanquam ſcandaloſus, ſi illam exteriùs defenderet, quia re vera ſcandaloſus eſſet, & hoc ipſum debet ipſe reputare, cùm decreto Pontificio aſſentiatur, & quia violaret præceptum, quo Pontifex iubet, ne vllus talem propoſitionem doceat, aut tractet, niſi fortè ad impugnandum; ſed minimè puniri poſſet tanquam malè ſentiens, aut diſſentiens à cenſura Pontificia, quod gravius peccatum eſſet.

28. Et augetur difficultas. Nam, qui aſſenſu merè interno iudicaret eſſe veram aliquam propoſitionem ex damnatis, etſi aliunde forſitan peccare poſſet, id temerè credendo, aut opinando, ſicut peccare potuerunt, qui eas veras cenſebant priùs quàm Pontifices illas damnarent, nõ propterea ſcandaloſus eſſet, neque adverſus Pontificiam prohibitionem, aut cenſuram quidquam videretur agere. Et ratio aperta eſt, quia propoſitio merè interna non eſt materia prohibitionis, punitioniſve Eccleſiaſticæ. Cenſura autem, quam adiungit Pontifex, in ſolas aſſertiones exteriores cadit: nam propoſitio merè interna neque proximo ponit offendiculum, cùm ſit ipſi ignota penitùs, nec ei præbet occaſionem ruinæ, & quod hinc ſequitur, neque poteſt eſſe ſcandaloſa, nec hac cenſura notari. Etenim quædam cenſuræ communes ſunt propoſitionibus internis, & externis, vt eſſe hæreticã, erroneam, temerariam, falſam, aut errori proximam; aliæ verò in ſolas externas cadunt, vt eſſe malè ſonantem, piarum aurium offenſivam, ſeditioſam, aut denigrativam famæ alienæ, atque ad harum claſſem pertinet opinio ſcandaloſa, vt ratio facta convincit, & notat Arriaga *diſp. 20. de fide. n. 29.* Moya *in ſelect. part. 1. tr. 3. diſp. 6. §. 5. præſertim verſus finem.*

29. Et hæc quidem vera ſunt, ſi de propoſitione falſa, & ſcandaloſa generaliter loquamur; in præſenti autem materia, & terminis decreti Pontificij, quod tractamus, non poteſt facilè intelligi, quomodo ſcandaloſa ſit aſſertio aliqua, vel pernicioſa in praxi, niſi etiam ſimul ſit falſa. Ratio autem eſt, quia iſtiuſmodi aſſertiones non ſunt ſcandaloſæ vt-cumque, vt oſtendi ſuprà, ſed per modum regulæ dirigentis mores noſtros rectè, & ſine vllo periculo aberrandi in via ſalutis, aut declinandi in contrariam. Porrò regula vera, & conformis rectæ rationi eſſe nequit ſcandaloſa, & obliqua, vel pernicioſa animabus. Confirmatur. Quia negari nequit, huiuſmodi propoſitiones eſſe practicè improbabiles, idque ex illarum condemnatione deduci per conſequentiam planè neceſſariam: imò in nonnullis id expreſſè habetur, vt *in* 2. *&* 6. ex damnatis ab Innocentio, aliiſque multis, vbi aſſerta probabilitas nominatim refutatur. Atqui improbabilitas practica practicam etiam falſitatem ſecum

invehit, neque capi potest, doctrinam, quæ est practicè vera, esse practicè improbabilem.

30. Arguo secundò: nam omnes prędictæ propositiones condemnantur tanquam *perniciosæ in praxi.* At praxis opinionis re ipsa verę nunquam potest esse pernicioſa ei, qui secundum ipsam operatur; nec Christianæ vitæ corruptela timeri potest ex eo, quòd fideles veris opinionibus, ac doctrinis se conforment in agendo, neque ex eo, quòd veritatem pro recta regula suarum operationum assumant. Ergo damnando illarum praxim tanquam pernicioſam, eo ipso supponunt illas esse falsas. Imò plures illarum non alio titulo scandaloſæ esse videntur, quàm ob occasionem, quam præbent, deducēdi illas ad praxim, & committendi opera re vera illicita, quæ falsò tanquam licita approbantur.

31. Arguo tertiò: quia Pontifices severissimè vetant, ne aliquis has propositiones doceat, aut defendat, aut edat in lucem, vel de eis disputet, nisi fortè ad impugnandum. Magna autem esset absurditas prohibere cum tanta districtione, & quidem adiecta excommunicatione latæ sententiæ, defensionem, ac propalationem veritatis, tàm publicam, quàm privatam, quin liceat ipsi, vel disputativè, favere, aut se accommodare in praxi, sed duntaxat contradicere, & pugnare pro falsitate contraria. Magna etiam deceptio in tota Ecclesia sequeretur, si fideles, vt par est, acquiescendo præceptis Pontificum, occasionem inde sumerent deferendi eiusmodi opiniones, imò impugnandi ipsas tanquam falsas, tuendique contrarias, quod solum est ipsis permissum. Nam inde fieret, vt occasione data ab ipso Capite Ecclesiæ, & magistro veritatis ipsa veritas deseretur, & in abditis paucarum mentium penetralibus concluſa, sola falsitas in omnium libris, concionibus, disputationibus, ac vocibus insonaret, & loco veritatis traderetur, ac defenderetur, noviſque sophismatibus confirmaretur, quin liceret veritatem defendere, sed solummodò impugnare.

32. Arguo quartò ex ijs, quæ auctores tradunt in ea quæstione, vtrùm Pontifex interdum possit favere doctrinis re ipsa falsis, non quidem declarando, eas esse veras, sed solùm proponendo illas toti Ecclesiæ tanquam *probabiliores?* Vt in *Clemēt. 1. de summa Trinit.* declaravit *probabiliorem* esse illam sententiam, quæ tradebat, habitus virtutum infundi infantibus simul cum gratia in Baptismo. Nam propter maximam auctoritatem, quam prędicta declaratio conciliat tali sententiæ, & occasionem, quam præbet sequendi illam tanquam veram, censent plerique Pontificem non posse declarare, aut amplecti tanquam *probabiliorem, seu veriorem* vllam doctrinam, quæ sit à parte rei falsa, & nominatim Turrianus 2. 2. *disp.* 5. *dub.* 5. Salazar *disp.* 43. *de Conceptione.* § 4. vers. *Ergo ex præmissa,* Diana *p.* 11. *tr. de infallib. Romani Pontificis, resol.* 10. *ante finem.* Ergo à fortiori errare nequibit tradendo opinionem re ipsa veram esse conscientiæ regulam obliquam, exitialem, atque pernicioſam, improbādoque tàm praxim eius, quàm defensionem, ac evulgationem, relicta solùm facultate demonstrandi falsitatem, ac perniciem eius per publicam, privatamque impugnationem.

33. Arguo quinto: quia esto demus oppositum contingere posse, cùm multa falsa sint probabiliora veris, & nulla exhiberi valeat Divina promissio, vnde efficaciter suaderi possit, Pontificem ita esse ab Spiritu Sancto gubernandum, vt abstineat à de-

declaratione maioris probabilitatis, quam re ipsa,& de facto habet aliqua doctrina falsa. Esto, inquam, id demus, quod rectè tradit, & observat Card. de Lugo *ea disp.* 20. *de fide. n.* 123. adhuc tamen ea doctrina adaptari nequit casui nostro: tùm quia ipse Lugo concedit, piè credendum esse, id nunquam eventurum: tùm præsertim quia Pontifex asserendo aliquam opinionem esse scandalosam,pernicioſam,& indignam,vt pro recta regula assumatur intra genus moris, & permittendo duntaxat impugnationem eius, nullum præbet fundamentum formidandi de eius veritate,aut falsitate, sicut id præbet, cùm dicit, eam manere intra limites probabilitatis,& terminos opinionis. Neque item ex censura illius colligi potest, contradictoriam talis doctrinæ esse probabilem,& quod hinc sequitur,fortasse veram,sicut potest inferri ex eo, quòd dicat, doctrinam aliquam non esse adhuc certam, sed solùm probabiliorem. Quinimò potiùs proponit optimum fundamentum colligendi,eam esse falsam, tàm ex præceptis,quæ adiungit, quàm ex censura eidem inusta: neque enim istis satisfieri potest asserendo propositiones, quas afficiunt, esse minùs probabiles, vt potest satisfieri decreto asseveranti, opinionem aliquam esse probabiliorem.

34. Sed obijcies. Quando Pontifex declarat, aliquam propositionem esse erroneam, aut temerariam temeritate theologica, non ideò declarat,illam esse falsam,vt ex professo contendit Card. de Lugo *vbi sup. à n.* 113. Ergo longè minùs id declaratum censebitur,dum solùm dicitur esse scandalosam,atque pernicioſam, quia censuræ istæ longè minorem cognationem habent cum principijs fidei, quàm censura temeritatis, vel erroneæ. Respondeo primò, nobis satis esse, quòd per bonam consequẽtiam inferatur, esse falsas eas doctrinas,quas condemnat in præsenti Põtifex tanquam scandalosas, atque pernicioſas, quin attentis circumstãtijs locum habeat,quod interdum dicitur posse contingere, vt propositio non sit falsa, quamvis sit scandalosa. Porrò in hoc sensu non negat Card. de Lugo, reputandas esse falsas eas doctrinas,quas Pontifex declarat esse erroneas; imò id expressè affirmat, solùmque contendit earum falsitatem non declarari expressè,& immediatè,sed solùm implicitè, ac mediatè, vt ea ratione concludat, non esse formaliter hæreticos,sed præsumptivè duntaxat eos, qui affirmant tanquam veras illarum contradictorias, neque enim directè, ac formaliter se se opponunt definitioni Pontificis, sed solùm mediatè; quatenus asserunt, id esse verum, quod sequitur esse falsum ex eadem definitione.

35. Pariter discurrit hic auctor de reliquis censuris minoribus *num.* 114. atque in eo duntaxat sensu virtuali,seu mediato existimo in his decretis importari falsitatem propositionum,quas prohibent.Sed doctrina Cardinalis, qua parte ad propositiones spectat, quæ damnantur vt erroneæ, mihi nequaquã probatur existimanti ex adverso,Pontificem,eo ipso quòd definit aliquam propositionem esse in fide erroneã,declarare immediatè, ac formaliter eam esse falsam, non verò mediatè duntaxat, & per consequẽtias remotas. Quippe error, & falsitas,si termini debita cum proportione sumantur, solùm differunt vt species, & genus, quatenus error non est quævis falsitas,sed magna, & valde notabilis, vt accuratè explicat Corduba *lib.* 1. *q.* 17. §. 9. vers. *Pro quo nota*,& alijs relatis,Saura *de examine doctrinarum prælud.* 5. Porrò qui definit, rem aliquam esse formaliter in

certa

certa specie, eo ipso definit formaliter illi competere genus, ex quo ipsa species componitur: ita enim formaliter, & immediatè definitur Christũ esse animal definiendo illum esse hominem: & qui affirmat aliquam propositionem esse omnino certam, eo ipso affirmat esse veram veritate aliqua insigniore. Neque aliud quid apprehendimus, aut significamus, cùm dicimus aliquam propositionem esse in fide erroneam, quàm esse adeò falsam, vt immediatè opponatur alicui veritati certæ theologicæ, hoc est, conclusioni legitimè deductę ex vna præmissa de fide, & ex altera per naturalem evidentiam cognita.

36. Confirmatur. Nam ex Augustino *in Enchiridio cap* 17. *& lib. contra Academicos cap* 4. errare in genere nihil est aliud, *quàm approbare falsa pro veris, aut vera pro falsis.* Ergo errare in hac materia, nempe fidei, erit in eâdem materia approbare falsa pro veris, aut vera pro falsis. Et casu quo approbentur falsa pro veris veritate certa certitudine theologica, suis propriis notis, ac conceptibus designatus erit gradus ille deceptionis, quem errorem in fide specialiter vocamus. Atqui in eo ipso, aut alio quovis formaliter inveniri debet approbatio falsitatis, vt error esse, vel vocari possit. Igitur in conceptu ipso formalissimo erroris formaliter includitur falsitas, ad summumque penes explicitum & implicitum differre possunt, sicut definitio, & definitum, vel sicut differt homo ab animali.

QVÆSTIO VII.

Conferuntur inter se harum thesium damnatio, atque prohibitio.

37. CVm decreta ista Pontificum respectu opinionum, quas recensent, condemnatoria sint; respectu verò hominum præceptiva, seu prohibitiva plurium actionum, nunc de damnatione ipsa propositionum inquirimus, quænam sit, & quonam modo sit facta? Videri namque potest, eam esse sententiam quamdam merè declaratoriam noxiæ qualitatis, seu criminis, non quidem commissi ab ipsis propositionibus (quæ illius capaces non sunt) neque ab illarum auctoribus, quorum in decretis nulla mentio fit, nedum damnatio; sed criminis, ac peccati, seu malitiæ in eis repertæ contra ius divinum, naturale, aut positivum: nam ex eis quædam iuri divino oppositæ videntur, & præbentes occasionem delinquendi adversus illud, aliæ iuri naturali, aliæ soli iuri positivo Ecclesiastico. Damnantur ergo scandali, ac perniciei declarando illas esse scandalosas, ac perniciosas in praxi, noxiasque, & contrarias bonis moribus Ecclesiæ, disciplinæque Ecclesiasticæ.

38. Vnde iuxta hunc modum dicendi decretum Pontificis, quatenus condemnativum est talis doctrinæ, nihil horum efficacia sua primitus facit, aut præstat; sed præcisè declarat noxiam qualitatem, quæ prædictis opinionibus antecedenter inerat, & postea per novas prohibitiones, ac præcepta suam declarationem corroborat præcipiendo, ne quis illas doceat, aut in praxim deducat, &c. vt à via lata, quæ ducit ad perditionem,

nem, revocet dominici gregis oves, & eas in rectam, ac arctam semitam, quæ ducit ad vitam, ea severitate revocet, ac per illam ambulare faciat. Ad modum, quo in rebus fidei condemnat propositiones declarando eas esse hæreticas, seu oppositas doctrinæ revelatæ per Sacram Scripturam, traditiones, aut Concilia legitimè approbata, & posteà anathemate percellit, aliisque præceptis, & condemnationibus coërcet contrarium asserentes.

39. Hæc doctrina, modusque explicandi condemnationem prædictarum opinionum satis probabilis est, eumque tradit, ac defendit P. Cardenas *in select.* 1. *p. disp* 9. *à n.* 343. nec dubium, quin ita fieri potuerit. Sed si diligenter expendatur primum decretum Alexandri, cuius reliqua sunt veluti appendix, prosequutio & continuatio, probabilius videri potest, longè aliter esse factam, ita scilicet, vt prohibitio, & condemnatio non sint duo diversi actus, alter per modum sententiæ, seu declarationis authenticæ, & alius per modum legis, ac præcepti, nec diversas materias, aut actiones comprehendant; sed vnus, & idem, qui respectu ipsarum damnatio, ac prohibitio dicitur, easque non aliter damnatas, quàm prohibitas reddit, nec alios effectus habet, licet respectu fidelium, eorum- ,ad quos spectat exequutio, solùm catur prohibitio; non verò proscriptio, aut condemnatio.

40. Ratio autem est. Quia Alexander ipse manifestè declaravit, quo sensu, ac modo accipienda, atque exponenda esset, & quousque se extendat talium propositionum prohibitio, atque damnatio, eosdemque terminos vtrique præscripsit. Nam postquam *statuit, ac decrevit illas, vt minimùm tanquam scandalosas esse damnandas, ac prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet*, statim modum damnationis, atque prohibitionis tradit, inquiens: *Ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut divisim docuerit, &c. ipso facto incidat in excommunicationem, &c.* & posteà sine excommunicatione *prohibet omnibus Christi fidelibus in virtute sanctæ obedientiæ, ne illas deducant ad praxim.* Similis modus damnandi, etsi ex eo capite mitior, quia specialem notam non designat, legi potest in decreto edito à SS. Innocentio XI. auditis votis Emin. Card. *die* 26. *Iunij* 1681. & in locis consuetis Romæ publicato, vbi non solùm prohibet, sed etiam *damnat* libros vitæ B. Virginis scriptos à Sorore Maria de Iesu: *Ita vt nemini cuiusvis conditionis, ac status illos legere, vel retinere liceat, vel imprimere, vel imprimi facere sub pœnis in Sac. Conc. Tridentino, & indice librorum prohibitorum contentis.* Et tamen ista damnatio non fuit prævius actus à prohibitione distinctus, quasi priùs Pontifex prædictos libros absolutè damnaverit, & quia damnati erant, eos prohibuerit; sed vno, eodemque actu eos prohibuit, ac damnavit, & prohibitioni, ac damnationi eumdem terminum, ac modum præfixit.

41. Expendenda itaque vtrobique est particula *ita vt* immediatè adiecta prohibitioni, ac damnationi, nam illius vis est declarare præcedētia, regulareque dispositionem inibi contentam, retentis eisdem terminis, ac qualitatibus, ad tradita per Barbosam *suprà dict.* 184. æquivalet enim dictioni *ita quod*, eiusdemque omnino significationis est, vt ibi traditur *num.* 1. vtraque autem declarativa est, modumque exponit, quo anteà expressa intelligenda sunt, ac observanda. Cùm ergo Pontifex per eam particulam sensum, ac modum declaret, quo damnatas reddit, ac prohibitas

hibitas

hibitas eiusmodi propositiones, isque vnus, ac idem sit, & sub vno, eodemque contextu verborum proponatur, frustra, & contra mentem eius alio sensu, aut modo damnatas, quàm prohibitas, censebimus; vt aliud quidquam sit condemnatio, quàm prohibitio in odium ipsarum facta. Et licet vox damnationis, aut condemnationis seorsim sumpta in aliũ sensum trahi posset, atque ampliari, particula *ita vt*, vel *ita quod* illam restringit, ac limitat, ne vlteriùs, quàm ad modum ibi expressum, extendatur. Limitativa namque est, ac restrictiva dispositionis præcedẽtis, & vim taxationis habet, raròque ad augendum, seu ampliandum adhibetur, cùm frequenter ad minuendum, restringendumque adijciatur.

42. Sed obijcies primò: aliud est damnare aliquam doctrinam, & aliud prohibere, & alterutrum ab alio separari valet. Damnare namque est qualificare, ac reprobare ipsam & aliquam ei notam inurere, hæresis ex.g. temeritatis, aut scandali, quod totum absque nova lege prohibente alijs, vt eam doceant, aut defendant, fieri potest: sicut vice versa prohiberi potest quoad nonnullos exteriores actus, quin damnetur etiam peccati mortalis, vt opinioni minùs piæ circa immaculatam Conceptionem accidit. Non ergo idem egit Pontifex damnando has opiniones, quod prohibendo nec prohibendo, quod damnando; sed damnationi suus modus, suusque effectus peculiaris assignari debet, & alius diversus prohibitioni. Nam alioqui satis fuisset, has opiniones tanquam scandalosas prohibere, superfluereteque in decreto vox illa *damnare*.

43. Respondeo, ex terminis genericis non esse idem damnare, ac prohibere aliquam doctrinam; sed neque esse ita distincta, vt in vnum convenire nequeant, ita vt aliqua condemnatio nihil aliud sit, quàm certa quædam, & specialis prohibitio, ac vice versa. Ad modum, quo sensitivum, & intellectivum ex genere suo separabilia sunt, & de facto distincta, & separata reperiuntur in equo, & Angelo; sed quia ijdem conceptus sic sumpti sibi mutuò non repugnant, & præscindunt ab exigentia distinctionis, aut identitatis, ideò in vno homine conveniunt sentiendi, intelligendique capace, & perinde est, sive de eo dicas, esse animal intellectivum, sive intellectivum animale. Ita igitur in præsenti contingit, postquam Pontifex ipse declaravit, se condemnare prohibendo, & prohibere condemnando, eumdemque modum, ac terminum vtrique voci præfixit, excludendo alios modos condemnandi, atque prohibendi ab invicem separabiles. Idemque ergo est damnare opinionem aliquam tãquam scandalosam, ita vt nemini liceat eam defendere, aut in praxim deducere, &c. ac prohibere ipsam eodem modo, & è cõverso eam prohibere eodem prorsus modo, nihil aliud est, quàm eam pariformiter damnare. Neque inde sequitur, alteram ex his vocibus esse superfluam, quia se mutuò fovent, ac explicant, deserviuntque ad maiorem claritatem, plenioremque intelligentiam mentis, atque voluntatis Pontificiæ eas prohibentis, ac damnantis.

44. Obijcies secundò, hæc non convenire decreto Innocentij XI. quia in illo desideratur vox *ita vt*, vnde assertio nostra vtcumque colligebatur; imò cùm initio subijciendas opiniones tanquam scandalosas prohibuerit, ac damnaverit, postquam eas omnes recensuit, prohibitiones suas adiungit verbis omnino absolutis, & de illarum damnatione tacet. Respondeo primò, hoc decretum

eodem

eodem modo esse exponendum, quo decreta Alexandri: quia, vt Innocentius ipse initio profitetur, nihil aliud est, quàm quædam continuatio, aut prosequutio operis ab Alexandro inchoati. Respondeo secundò, sicut prohibitio talium opinionum initio decreti absolutè posita, per clausulam longè distantem exponitur, & recensitis ad longum in medio decreti propositionibus prohibitis, prohibitio ipsa ad certas actiones restringitur, quæ ibidem enumerantur, & propositio ipsa eatenus prohibita censetur, quatenus eæ actiones hominibus prohibentur, & nō alio modo, aut aliter: sic damnatio pariter cum prohibitione in eodem initio scripta, per eamdem clausulam, etsi distantem, exponi, ac limitari debet, vt precisè ad modum ibi expressum, atque ad easdem actiones extendatur.

45. Obijcies tertiò, hunc modum damnationis imitari potiùs damnationem ad pœnam, quàm damnationem, qua aliquis reus culpæ declaratur: aliud namque est damnare aliquem furti, aut homicidij, quod propriè denotat hæc crimina ab illo fuisse commissa; aliud verò condemnare illum ad pœnam furum, vel homicidarum: & ideò sæpe accidit, vt aliquis damnetur alicuius criminis à Judice ordinario, v. g. declarando eum manus violentas in Clericum [illegible]olo suadente iniecisse, quin ad pœnam talis criminis ab eodem iudice damnetur. Nam pœna propria talis criminis est excommunicatio reservata Pontifici, quæ non imponitur ab homine, sed à Canone: ac vice versa cùm sententia talis excommunicationis non ab homine, sed à iure proveniat; nihilominùs ab homine talis percussor criminis, ac culpæ cōdemnatur. Ita igitur in præsenti contingeret iuxta modum suprà traditum, quia propositiones damnatæ à Pontifice non essent damnatæ scandali, perniciei, aut alterius noxæ, sed solùm ad pœnam, aut quasi pœnam exilij à libris, tractatibus, disputationibus, aut assertionibus omnium fidelium, privarēturque iure defensionis, sola relicta facultate eas impugnandi, necnon iure associationis cum doctrinis alijs salutaribus.

46. Porrò condemnatio ad pœnam, vt iusta sit, necessariò præsupponit condemnationem declarativam culpæ, & nunquam legitimè indicitur, nisi reus culpæ deprehendatur. Et quidem sicut vox condemnationis ad doctrinas, & alias res inanimas per quamdam accommodationem transfertur, ita etiam vox anathematis, & excommunicationis ad ipsas transferri solet, adeòque in Concilijs antiquis, & alijs occasionibus hæreses, & alia verba, aut scripta anathematizantur, vt rectè Suarez obiervat *disp. 5 de censuris, sect. 1. n. 2.* Sicut ergo ille anathematismus, qui excommunicationem propriè non significat, sed actum detestandi, reprobandi, & separandi à nobis eam doctrinam tanquam pravam, nocivam, & execrabilem, necessariò præsupponit eam esse damnatam hæresis, aut erroris, & in se ipsa condemnatam talium criminum, sic prohibitio, ac separatio harum opinionum à doctrinis, quarum licet defensio, & affirmatio, necessariò præsupponit inventas esse à Summis Pontificibus reas alicuius culpæ, & in se ipsis detestabiles, ac pœna dignas.

47. Hæc obiectio rectè probat, aliquid mali præinventum fuisse à Pontificibus in istis propositionibus, ratione cuius dignæ erant prohibitione, seu damnatione prohibitiva, & quasi punitiva: neque enim ideò præcisè scandalosæ sunt, ac pernicioſæ in praxi, quia sunt damnatæ, aut prohi-

bi æ ; sed potiùs sunt prohibitæ , & damnatæ , atque indefensabiles , ac impracticabiles redditæ , quia in se ipsis noxiæ erant, scandalosæ, ac nocivæ , saltem scandalo , nocumentoque imminenti ex praxi, seu vsu ipsarum. Et hoc est, quod post examen Theologicum , & consultationem adeò seriam cum Magistris & Sanctæ Ecclesiæ Cardinalibus, & post maturam considerationem Pontificum liquidò apparuit, adeòque compertum, vt inspecta sola auctoritate merè humana huius grauissimi cœtus, & summa cura, ac puritate affectũ, qua huic negotio inuigilauit, moraliter certum fieret, eum non aberrasse à recta morum doctrina; sed dignam protulisse sententiam, reddidisseque improbabilem quamcumque aliter decentem. Crevit autem certitudo, & ad longè altiorem ordinem ascendit, cùm Pontifex, non iam vt priuatus , neque vt vnus ex eo cœtu , sed Pontificia auctoritate approbauit hoc iudicium, & suo decreto necessarium reddidit omnibus Christi fidelibus cauere in praxi , & doctrina ab vnaquaque ex his thesibus, vt scandalosis, ac perniciosis in praxi, easque vt tales reprobauit, ac prohibuit, sola relicta facultate impugnandi ipsas , si liberet. Cœterùm inde nõ sequitur, damnationem, & prohibitionem illarum, sicut fuit facta in præsenti , diuersum habuisse effectum , aut obligationis modum ; sed idem fuisse prohibere ipsas, non vtcumque, sed determinatè tanquam scandalosas vt minimùm & perniciosas in praxi, ac eas damnare, seu reprobare eodem modo , ac vice versa.

48. Scio, rationes, quibus Pontifex moueretur ad aliquid statuendum, non habere vim condemnationis, aut sententiæ , neque eadem auctoritate gaudere , qua condemnatio , atque sententia ipsa, vt videre est apud Suarium *disp. 44. de Incarn. sect. 1. § Atque hinc tandem.* Theophilum Raynaudum *in discipl. morali, dist. 4. n. 289.* Ioannem Antonium Saura *de examine propos. cap. 2. ante finem*, & *cap. 4. § Similiter.* Baldellum *tom. 1. lib. 4 disp. 8. n. 13* Granadum *controv. 1. de fide, tr. 7. disp. 2. n. 3.* Basilium *p. 1. variar. q. 3. expositiva*, etsi sibi cõtrarius appareat *lib. 7. de matrim. c. 7. n. 2. in fin. & n. 12. & 13.* Diana *p. 11. tr. vlt. resol. 9.* Cano *de locis lib. 5. cap. vlt. & lib. 6. cap. 8. § Hæc quidem.*

49. Sed hæc doctrina in præsenti locum habere non valet, quia propositiones censuratas esse scandalosas, & perniciosas in praxi non fuit ratio merè extrinseca ; sed materia proxima decisionis principalis , & operis potissimè intenti, quod fuit segregare noxia ab innoxijs doctrinarum pascuis, & ouile Christi ab eis arcere, vnde periclitabatur salus eius.

QVÆSTIO VIII.

Qua potestate , seu auctoritate vtantur Summi Præsules in his decretis?

50. CErtum planè est, eos vsos fuisse auctoritate Apostolica ; non verò sua peculiari , atque priuata. Præcipiunt enim toti Ecclesiæ, quæ agenda sunt , & docenda, & sua decreta promulgant ad valvas Sancti Petri , & alijs locis consuetis, vbi publicari solent constitutiones, & cœtera , quorum obligatio est generalis. Constat insuper , istiusmodi decreta ab illis emanasse , vt à supremis pastoribus gregis dominici , vt ijdem ipsi expresserunt. Nam pastoris est non solum regere, atque gubernare oues sibi concreditas ; sed etiam pabulum congruum eis subministra-

re,

re, tollendo eis herbas nocivas, & disponendo pascua salutaria: & vtrũque hoc munus in Scripturis Sacris significari solet per verbum *pascendi*, cùm ad Dei ministros applicatur, & vtrumque pertinere dicitur ad solicitudinem, & curam pastoralem. Vnde vno verbo dici potest, ista decreta emanasse à Pontifice tanquam à iudice legitimo controversiarum spectantium ad turpitudinem, aut honestatem morum Catholicæ Ecclesiæ sibi à Christo commendatæ. Nam sicut relinquere oportuit in terris regulam aliquam visibilem rerum credendarum, à qua ne latum vnguem discrepare licet, ita etiam oportuit relinquere similem regulam rerum agendarum, ne in via salutis aberrare contingat exercendo prava opera pro bonis, aut relinquendo bona tanquam prava, & ad omnia ista se se extendit providentia pastoralis.

51. Quocirca nullus titulus aptior est ad explicandum, quanam potestate vsi fuerint in hoc negotio Pontifices, quàm titulus, & munus pascendi per doctrinam morum salutarium. Tùm quia id ipsi disertissimè expresserunt, & Alexander testatur, se talium propositionum examen instituisse: *Vt OVES sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataque via, per quam itur ad perditionem, PRO PASTORALI SOLICITVDINE in rectam semitam evocaret.* Innocentius verò *OVIVM sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxijs doctrinarum pascuis ab innoxijs ab Alexandro inchoatum prosequi voluit.* Tùm præterea, quia pastoris est rectum iter suo gregi præscribere, & curare, ne aliquæ oves in viam perditionis abeant, cùm rationem vniuscuiusque ex eis reddere debeat: est etiam munus illius, salubre pabulum illis ministrare, & exitiale, ac noxium eis auferre: debet vtrumque dignoscere, ac vigilare, vt officiũ suum rectè exequatur, & non aliud per iniuriam, aut errorem, præterquam salutare, illis concedat. Cùm igitur grex Dominicus recta doctrina tanquam pabulo sibi salutari vtatur, & non aliam viam tenere possit, nisi arctam illam, quæ ducit ad vitam, absque gravi perditionis suæ periculo, ac metu, apertè constat, Pontifices Pastoralem potestatem, ac munera propriè exercuisse, & se gessisse vt Pastores vniversalis Ecclesiæ.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm decreta ista orta fuerint ex sola legislativa potestate?

52. AFfirmativè respondẽdum videtur, quia huius potestatis vsus est, statuere, decernere, prohibere, præcipere, damnare, aut absolvere, & reliqua munia, quæ Põtifex in his decretis exercet. Atque inde optimè colligitur, eum non loqui tanquam personam privatam, sed tanquam publicam supremi Principis, aut Capitis auctoritate fulgẽtem. Nam capitis est, præesse omnibus membris, eaque gubernare, ac regere, sicut Pontifex hîc facit respectu totius Ecclesiæ, cui loquitur absque discretione vlla personarum; Principis verò, leges condere, ac præscribere, & suos subditos per eas dirigere, vt ad suum finem perveniant. Atque in prædictis prærogativis fundatur potestas ferendi leges, vt optimè exponit post Suarium, Bellarminum, aliosque complures P. Theophilus Raynaudus *tom.* 10. *in Corona aurea, verit.* 8. *per totam.*

53. Aliunde autem hîc occurrit difficultas, neque levis, neque parva. Nam licet officium legis sit præcipe-

re, prohibere, pœnas comminari, & alia huiusmodi; damnare tamen doctrinas, innoxiasque à noxijs secernere, non est officium legis, aut legislatoris; sed iudicis controversiarum, sive ad fidem, sive ad mores attinentium: neque enim id fit formaliter præcipiendo, vel prohibendo; sed docendo, declarando, aut definiendo, quidnam boni, aut mali in vnaquaque doctrina reperiatur. Et alioqui dum Pontifex condemnat aliquam doctrinam tanquam hæresim, procederet vt legislator, & non vt iudex, ac regula, mensuraque visibilis veritatis revelatæ, quod nemo prudens concedet. Vnde licet leges ferens procedat etiam vt Pastor, quia altera pars curæ pastoralis est cura ferendi leges etiam circa doctrinas, sicut circa pabulum, prohibendo noxias, & præcipiendo, vt omnes teneantur eas, quæ ad salutem necessariæ, aut conducentes putantur; è contrario verò, qui procedit vt Pastor declarando, aut definiendo, quæ sit recta fides, aut recta doctrina morum, non ideò vt legislator procedit, quia munus Pastoris latiùs patet, aliaque distincta officia præter legislationem exequitur. Eademque est, servata proportione, ratio de dignitate Principis, aut Capitis, si cum munere legislatoris comparetur.

54. Respondeo admittendo, condemnationem absolutam merè declaratoriam alicuius malitiæ, pravitatis, aut noxiæ qualitatis in actu aliquo, vel doctrina antecedenter repertæ non pertinere ad officium legislatoris, quia vt sic non est dispositiva, nec practica, nec novam legem constituit; sed rerum merita insinuat: & hoc modo se se habet, dum aliquã doctrinam condemnat vt Sacræ Scripturæ, traditioni, aut divinæ revelationi contrariam, licet posticà exinde subsequatur obligatio illam credendi. At verò condemnatio limitata ad certum modum obligandi, ac præcipiendi, prohibendique certos actus, executionesque externas per legem directè fit, & à legislatore vt tali formaliter proficiscitur, vt est evidens ex terminis. Ostendimus autem suprà, condemnationem prædictarum opinionum isto modo factam esse. Neque enim fuit prior prohibitione, aut ab ea omnino independens; neque omnino absoluta, sed modalis, sicut ipsamet prohibitio; nec merè declaratoria, sed dispositiva: & in summa non fuit à prohibitione reprobativa distincta, sed eiusdem qualitatis, & energiæ. Porrò modus iste condemnandi non excedit legislatoris officium, sed per legem propriè talem potest fieri: quia non est extra rationem legis esse legem doctrinalem, aut directivam conscientiæ, nec declarare naturam, & proprietates materiæ, circa quam versatur. Quare Pontifices ipsi expressè in præsenti affirmãt, se statuendo, ac decernendo procedere, quin damnationem à prohibitione secernant, aut insinuent, diversa potestate f ctas esse.

55. Respondeo secundò, condemnationem istam, quamvis foret merè declarativa, adhuc esse posse exercitium legislativæ potestatis, & vsum atque actum eius. Agitur enim de doctrinis moralibus, quæ eatenus vt scandalosæ, aut perniciosæ in praxi merè declarativè damnantur, quatenus declarat Pontifex, ipsas & illarum praxim perniciosas esse, & oppositas iuri Divino, aut naturali, aut positivo, seu disciplinæ Ecclesiasticæ. Esse namque aliquam doctrinam scandalosam est esse contrariam legi charitatis: & præbere occasionem ruinæ spiritualis, est præbere occasionem delinquendi, seu, quod idem est, peccandi & agendi contra legem aliquam. Nullaque ex propositionibus nunc damnatis invenietur, cuius tota

mali

mali labes in eo non consistat, quòd ipsa, seu praxis eius alicui ex dictis legibus opponatur. Neque enim singulæ iuri Diuino opponuntur, & iuri merè naturali, & merè Pontificio, sed aliæ vni opponuntur, aliæ alteri, vt ex lectione ipsarum manifestè deprehenditur. Iam verò si solùm opponãtur iuri merè Pontificio, vt 3. 4. 8. 9. 20 32. 36. 37 Alexandri, & 47 52. & 53. Innocentij, certum est, per aliam legem merè declaratoriam condemnari potuisse, quia eius est interpretari legem, cuius fuit eam condere: & sæpe lex vna positiva per aliã legem non constitutivam noui iuris, sed merè declarativam, à legislatore ipso authenticam interpretationem accipit: neque aliam ob causam plures ex prædictis opinionibus moralibus condemnantur, nisi quia illarum auctores siniſtrè, laxèque interpretabantur leges antiquas per Concilium, aut Pontificem statutas, & ideò per aliam legem verus earum sensus declaratur & contrarius, quem opiniones illæ præferebant, tanquam noxius, & exitialis reprobatur. Quo modo Vrbanus VIII. declaravit, non solum *fore*, sed etiam *fuisse* invalidas absolutiones religiosis cõcessas, cùm Prælati illorum sunt inviti, virtute Bullæ Cruciatæ.

56. Si verò iuri Diuino, aut iuri naturali opponantur, quales sunt illę, quæ spectant ad Sacramenta, Simoniã restitutionem, alioſve contractus, etiam Pontifici tanquam Vicario Dei, & Christi, qui est vtriusque legis auctor, Pontifici, inquam, vt mensuræ, ac regulæ visibili, nõ solùm credendorum, sed etiam agendorum, competit talium legum declaratio: Sic declaravit Leo X. montes pietatis non esse vsurarios. Sic è converso Sixtus V. alia pleraque circa Simoniam, & vsuram. Et sic demum inter leges iuris communis Canonici plures Decretales inveniuntur nihil aliud continentes, quàm Pontificum responsa ad casus particulares, vbi non consulebatur circa novas leges imponendas; sed de ijs, quæ debebant fieri spectato iure antiquo.

57. Nec solùm de rebus faciendis, sed de præteritis, atque iam factis interrogabatur, an licuerit illa facere? ipsæque eius responsiones præterita, ac futura ex æquo complectebantur, decernentes fuisse illicita, ac peccaminosa. Quod vtique ratione illius responsi, esto vim legis habere crederetur, non fiebat; sed respectu habito ad antecedentia iura diuina, naturalia, aut positiva iuxta exigentiam materiæ, de qua erat consultatio. Et tunc ea responsio comparatione factorum præcedentium mera declaratio erat oppositionis, aut conformitatis ipsorum cum prædictis iuribus, licet vim legis haberet, quatenus obligationem inducebat ad illam interpretationem tenendam, & ad ius antiquum iuxta ipsam obseruãdum, vt optimè Suarius exponit *tib.* 4. *de legib c.* 14 *n.* 6 *&* 7.

58. Igitur hoc modo rectè potest à Pontifice per legem declaratoriam iuris naturalis, aut Diuini, nedum positiui, aliqua doctrina, & praxis eius condemnari, & induci obligatio accipiendi talia iura in eo sensu, quem lex declarat; imò declarari, eum sensum iam antea sufficienter constitisse & malè, ac sine fundamẽto sufficienti fuisse per eam novam doctrinam, aut negatum, aut in dubiũ vocatum. Nam si quis animadvertat ad eiusmodi condemnationes, non est necessarium declarare ius ipsum naturale, vel Diuinum; sed supposito legitimo eius sensu aliàs sufficienter noto, & Ecclesiæ ipsi, eiusque Magistris, ac Doctoribus communiter probato, decernere eiusmodi opiniones nequaquam ei esse conformes,

sed

sed potiùs dissonas, & exorbitantes. Lex namque naturalis, ac divina nil est aliud, quàm mensura quædam nostrarum operationum, aut opinionum moralium. Is autem, qui aliquid damnat, vt defectuosum, ac mensuræ suæ disconveniens, optimè potest id facere, quin de mensura ipsa examen novum instituat, aut circa illam aliquid dubium declaret; sed solùm circa defectum, & disconvenientiam cũ illa se tenentem ex parte rei mensuratæ.

59. Quæ autem diximus de iurè Divino, naturali, aut Pontificio, pariter intelligenda sunt de iure Apostolico. Nam præcepta Apostolorum, si nomine Christi promulgata sunt ab ipsis eo modo, quo aiebat Paulus: *Præcipio autem non ego, sed Christus:* cum omni rigore sunt præcepta iuris Divini per Apostolos tanquam per præcones intimata; neque circa ista aliam potestatem habet Pontifex, nisi illam declarativam, quam ei concessimus circa præcepta Sacramentorum, ac fidei immediatè à Christo data. Si autem sunt ab ipsis tanquam à legislatoribus constituta, tunc eiusdem omnino rationis censentur, ac alia præcepta, & leges iuris merè Põtificij, & ideò non solùm declarari possunt; sed vbi materia fert, etiam tolli, & abrogari. De quo plenè Azorius plerisque exemplis adductis 1. *p. lib.* 5 *cap.* 15. *q.* 4 & adhuc plenius 2 *p. lib.* 4 *cap.* 18. *& q* 2. vbi de declaratione iuris Divini obscuri licita Pontificibus pertractat satis exactè.



QVÆSTIO X.

An istiusmodi decreta vt merè declarativa possint esse leges propriè tales?

60. EX hucusque dictis patet, circa huiusmodi decreta Alexandri, & Innocentij duas diversas quæstiones controverti posse. Prima est, vtrùm illa, quatenus prædictas opiniones tãquam scandalosas damnant, sint verè declaratoria perniciei, ac scandali in ipsis, atque in earum praxi ante ipsam condemnationem reperti, ita scilicet, vt per condemnationem declaretur, illas iam anteà fuisse peccaminosas, & illicitas, infectasque malitia perniciei, ac scandali commissi adversus leges alias, quamvis fortè earum auctores, & in praxi sectatores (quorum nulla fit damnatio) ratione ignorantiæ inculpatæ à formali Dei offensa, ac peccato excusarentur, quia leges illas, circa quas peccabant, licet verè iam existerent, aliter intelligebant etiam viri docti, peritique eorum malorum, easque in alio sensu declarabant, oppositio ei sensui, ac praxi, quem condemnatio declarat fuisse præferendum. Secunda quæstio est, an casu quo condemnatio reperta in istis decretis sit merè declarativa malitiæ, quæ inveniebatur in prædictis opinionibus antequàm condemnarentur, id factum sit per legem propriè talem; an verò per alium actum, & cuius potestatis fuerit exercitium? Nam si talia decreta, quatenus declarativa sunt, & actus præteritos damnant, non sunt verè, ac propriè leges, frustra dicitur, talem declarationem esse actum legislativæ potestatis, & à Pontificibus tanquam à legislatoribus proficisci.

61. Proposui priùs hanc quæstionem,

ſtionem, quia facilior eſt, & quia ex dictis *à num.* 55. parvo impendio poteſt enodari. Ibi namque contendebam, eiuſmodi condemnationem, quamvis merè declarativa putetur, quatenus diſtincta eſt à prohibitionibus, præceptiſque denuo adiunctis, adhuc eſſe verè, ac propriè legem, & proinde vſum, exercitiumque actualè poteſtatis legislativæ. Non quia vt ſic novum ius afferat, quia id potiùs ſpectat ad pœnas, & prohibitiones adiunctas; nec quia nullius iuris cõſtitutiva ſit, quia ſine dubio, ſi vera lex eſt, ſecum importat aliquam obligationem, & ratione ſui formaliter illã ponit, ac conſtituit; ſed quia declarando tales opiniones eſſe ſcandalosas, & pernicioſam earum praxim, priores leges, quibus anteà opponebantur, illarumque obligationem corroborat, renovat, atque confirmat, verum ſenſum ipſarum aperiendo, & declarando expreſſiùs oppoſitionem cum ipſis, quam habebant tales opiniones, ac doctrinæ. Quo facto, etſi nullam aliam prohibitionem, præceptumve adiungeret, eo ipſo obligabat ad iudicandum, operandumque deinceps ſecundum ſenſum, quem ipſa præſcribebat, atque ad cẽſendum de pravitate, ac malitia earumdem doctrinarum, & actionum, ſicut ipſa cenſet, ac conſtituit. Hoc autem pluſquam ſatis eſt ad veram rationem legis, quia lex non ſemper conſtituit novum ius anteà non datum; ſed ſæpe antiquum declarat, aut innovat, aut confirmat.

62. Sed adverſus iſta opponi poteſt, leges declarativas abſolutè, proprièque loquendo, vt præterita reſpiciunt, non eſſe leges; ſed ſolùm doctrinas quaſdam merè ſpeculativas, vt ſic loquar, inſinuativaſque illarum qualitatum, quæ in rebus, aut opinionibus ſecundum ſe inſpectis reperiuntur. Quippe illarum obligatio non imponitur ad aliquid agendum, aut ſentiendum in tempore præterito, cùm id iam ſit impoſſibile; ſed præciſè reſpicit actus futuros, qui duntaxat noſtræ poteſtati ſubſunt. Et quando conſideratur, vt lex, aut præceptum obligans ad tenendum, atque recipiendum eius declarationem vt authenticam, haudquaquam obligat, aut mandat, ne aliquid fuerit factum, aut opinatum; ſed ne deinceps fiat, & ad ſummum obligare poteſt ad ferendum iudicium de præteritis actibus ſibi conforme, & iuxta ſenſum, quem declarat eſſe verum, ac proprium talium legum. Porrò hoc iudicium, quamvis ſit de re præterita, præteritum in ſe non eſt; ſed futurum. Ita diſcurrit de efficacia, improprietateque legum declaratoriarum P. Suarez *lib. 3 de legib. c. 14. n. 4 & 8.* Palaus *tom. 1. tr. 3. diſp 5. punct. 3 §. 5. num. 1.*

63. Et ſanè de re ipſa conſtat, nullam eſſe propriè legem, quæ non habeat effectum obligandi: conſtat etiam, nullam legem obligare ad aliquid agendum, aut non agendum in tempore præterito: conſtat præterea, neque his decretis, neque aliis legibus declaratorijs deeſſe vim obligandi ad aliquid in tempore futuro, quãvis id, quod eſt agendum, aut ſentiendum, reſpiciat etiam præterita. Vnde non mirum, ſi propriè, & in rigore leges dicantur, nam ſicut ſententia, quatenus declaratoria criminis, vera ſententia eſt, ſic lex generalis, quatenus declaratoria peccati, lex vera, ac propria debet reputari: nam lex, & ſententia eo ſolùm differunt, quòd ſententia ſit quædam lex, aut ius privatum; lex verò quædam generalis ſententia. Vnde iure optimo dicitur, huiuſmodi decreta à Pontifice tanquam à legislatore emanaſſe, niſi forte hæreamus verbis, de quibus contentioſè non oportet diſputare: tunc enim

enim commodius erit dicere, emanasse ab illo tanquam à iudice controversiarum moralium pertinētium ad Ecclesiam, vt quæstione præcedenti declaravimus, quidquid sit, an istud spectet ad legislativam potestatem, vel aliquando sit extra eius terminos.

QVÆSTIO XI.

An, & quomodo condemnatio istarum thesium ad præterita extendatur?

64. REvoco ad hos terminos sensum quæstionis latiùs propositum *sup. n.* 60. eiusque solutio sumi potest ex dictis tum *quæstione* 5. vnde constare videtur, prædictam condemnationem non fuisse datam pro semper, sed solùm *pro nunc*, seu, quod idem est, rebus sic stantibus. Tum ex dictis *à num.* 40. vnde depromitur, eiusdem fuisse extensionis damnationem, atque prohibitionem harum thesium; prohibitio autem ad præterita propriè referri non valet. Tum præterea, quia magna expressione est opus, vt aliqua constitutio ad præterita extendatur; in præsenti autem nullum verbum denotat expressè, & immediatè hanc extensionem, quasi eadem certitudine tenendum sit vi istius decreti, illas semper fuisse scandalosas, sicut tenendum est ratione ipsius, illas nunc esse propriè, & in rigore tales. Videri ergo potest, damnationem potiùs esse directivam, prohibitivam, discontinuativam, & quasi prætervativam à malis, quæ disciplinæ, vitæque Christianæ imminebant, si continuaretur publicatio, atque defensio ipsarum, & apud fideles invalesceret earum praxis. Neque ob id contendo, nullam ex eis fuisse antecedenter scandalosam activè, & propriè; sed duntaxat aio, id non fuisse authenticè, & expressè, ac immediatè declaratum à Summis Pontificibus in his decretis, quæ omnes, & singulas ex æquo respiciunt, nec de his potiùs, quàm de alijs, aliquid gravius decernunt. Ad modum, quo plures ex ipsis optimo iure potuissent reprobari, ac condemnari, declarando eas esse, ac fuisse falsas, temerarias, vel errori proximas; & tamen nihil horum ibi declaratur, licet prohibitio adiuncta, & eius modus sit planè similis ei, quo solent interdici doctrinæ hisce censuris subiectæ.

65. Simile valde exemplum sumi potest ex constitutione *detestabilis* 45. edita à Sixto V. *die prima Novembris* 1586. vbi *damnavit*, ac *reprobavit*, nec solum prohibuit tanquam vsurarium contractum societatis cum certis pactionibus iniri solitum in quibusdam Provincijs. Et quamvis clamorosa insinuatio, quæ vim delationis habuit, eum contractum vt vsurarium, & valde perniciosum proposuerit, idque Pontifex (vt evenit in nostro casu) *cum magno dolore audiverit*, mensque, ac finis illius fuerit *pro pastorali solicitudine gregem Dominicum suæ fidei creditum ab omni offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum in viam salutis dirigere*; adhuc tamen condemnationem, ac reprobationem eiusmodi contractuū, ac pactionum omnino absolutam non fecit, neque declaravit, eos fuisse vsurarios, antequàm condemnarentur; sed satis ei fuit interdicere, ac discontinuare illorum praxim, ac doctrinam, *& de Apostolicæ potestatis plenitudine damnare, ac prohibere omnes contractus cum prædictis pactionibus POSTHAC ineundos, & huiusmodi morbi contagionem tollere, antequā in COMMVNEM FIDELIVM*

PER-

PERNICIEM LATIVS SERPERET. Verba sunt ipsius, etsi paulò aliter brevitatis, ac claritatis gratia collocentur. Vnde neque obligavit sua condemnatione, ac reprobatione ad iudicandum, seu censendum eiusmodi contractus, quos *morbosos, contagiosos, ac pernicios os, sapientesque vsurariam pravitatem* appellat, atque ea propter illos damnat, prohibetque in posterum, fuisse tales secũdum se, & antecedenter; sed solùm *statuit, illos vsurarios, & illicitos POSTHAC CENSERI debere, ac in posterum non licere, &c. Ac ne de cætero societates ineantur cum eiusmodi pactis, ac conditionibus, quæ vsurariam pravitatem sapiunt, districtè interdicit, ac prohibet, decernitque nullã oriri actionem, naturalem, aut civilem, ex eis tanquam damnatis, ac reprobatis, &c.*

66. Non disputo modò, quis contractus societatis cum pacto assecurationis, tum ipsius capitalis, tum minoris lucri certi pro maiori incerto, quod ex societate meritò speratur, à Sixto in præsenti condemnetur, reprobetur, atque prohibeatur, de quo videri possunt Azor 3 *part. lib.* 9. *c.* 4. *q.* 5. & præsertim *difficult* 4. Lessius *lib.* 2. *c.* 25. *dub.* 3. Giballinus *lib.* 6. *de vsur. c.* 5. *art.* 3. *à n.* 5. Sed solùm contendo, contractum illum, qui cũ suis pactionibus, quæcumque illæ sint, damnatus, & reprobatus fuerit ab illo tanquam illicitus, & vsurarius, & nuper districtè prohibitus, imò invalidus, eisdem de causis, ac motivis, imò eisdem ferè verbis, quibus præfatæ doctrinæ, & earum praxis, adhuc non obstante tali expressa condemnatione, atque reprobatione, non censeri ita damnatum, vt declaretur fœnerativus, ac illicitus ex se, vel ante condemnationem oppositus iuri naturali, ac Divino vsuras improbanti, Pontifice ipso exprimente condemnationis, ac reprobationis effectum ab ipsa sua constitutione condemnativa inchoari, exprimenteque similiter, ex tunc esse censendum illicitum, quin condemnatio, aut reprobatio se se extendat ad condemnandum, tanquam ex se pravam, illicitam, atque pernicios am opinionem illam; quæ plurimorum Doctorum erat, & attento iure naturali, vel Divino, præsciissaque nova cõstitutione Pontificis; quæ non erat edita, cùm illi scribebant, talem modum contrahendi planè licitum esse iudicabat, & ita similem omnino ruinæ, ac scandali occasionem præbebat, quam præbebant modò opiniones damnatæ. Ergo à fortiori idem dicendum est in nostro casu.

67. Tum propter omnimodam similitudinem motivorum, ac verborum, quibus Pontifices vtrobique vtuntur: tum quia vtrobique etiam dici potest, Pontifices illas, earumque praxim abstuliisse, non quia singulæ ante suam condemnationem scandalosæ, ac pernicios æ fuisse declarẽtur, & iuri alicui Divino, naturali, aut positivo legitimè intellecto, & antecedenti oppositæ; sed quia laxæ erant, periculosæ, ac minùs tutæ, atque ideò voluerunt earum defensionem, doctrinam, praximque intercidere, *ne in communem fidelium perniciem latiùs serperent, atque vt ea ratione gregem Dominicum ab omni offensione* (offensio hîc idem est, ac scandalum, & Theologicè pro eodem sumuntur ponere offendiculum, ac dare scandalum) *& æternæ vitæ discrimine tutum in viam salutis dirigerent, seu revocarent*: tum quia, licet Alexander, & Innocentius vsi non fuerint voce illa *posthac*, sive ad statuendum, quomodo de illo contractu opinandum, ac censendum esset, sive ad illum condemnandum, sufficienter illum expressisse videntur, dum per

vocem *ita vt* modum condemnationis, ac prohibitionis à se latæ exposuerunt, & condemnationi non diversum modum, aut tempus; sed illud ipsum, quod prohibitioni, assignarunt: tum demum, quia, vt lex aliqua, constitutio, seu decretum ad præterita trahatur, magna expressione opus est, qua deficiente, de futuris solummodò loqui censetur, vt notant Suarez, & Palaus relati *sup. n.* 62. estque doctrina communis omnium, valdeque legalis.

68. Loquamur de hac sola propositione, quę est 42. Innocentij, & ad vsuram eius praxis, ac doctrina pertinet, sicut illa Sixtiana: *Vsura non est, dum vltra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur tanquam ex iustitia debitum.* Et de eius condemnatione eædem omnino quæstiones moveri possunt, quas de condemnatione Sixtiana movent auctores, videndę apud Azorium ea *difficult.* 4. An scilicet condemnet illam tanquam regulam contrariam de se iuri naturali prohibenti vsuras; vel solùm tanquam adinventam in fraudem antiquorum Canonum, quibus eædem vsuræ proscribuntur, vel solùm tanquam approbantem, præbentemque occasionem agendi id, quod habet speciem, ac saporem vsurariæ pravitatis? Nam quovis ex his modis condemnatio facta fuerit, sufficit, vt tanquam scandalosa, & in praxi perniciosa reijciatur. Cæterùm illi inter se valde distant. Nam iuxta primum condemnatio erit declarativa iuris naturalis, aut oppositionis, quam habet cum ipso prædicta propositio, & eius praxis, nec iam disputare licebit, an illa sit licita, solo iure naturali attento, & præscisso quovis iure Pontificio reijcienti, atque prohibenti vtramque, sicut disputatur in vtramque partem de contractu illo Sixtiano; & videre est apud Azorium *in dicta q.* 5. *difficult.* 1. Iuxta secundum verò condemnatio declarativa etiam erit, comprehensivaque præteritorũ; sed illi non contradiceret, qui affirmaret, talem modum paciscendi per se loquendo esse licitum, & nullatenus oppositum iuri naturali. Iuxta tertium verò decreta Pontificia non erunt declaratoria peccati, aut oppositionis præteritæ cum lege aliqua naturali, aut positiva, etiam quatenus condemnatoria sunt; sed constitutiva novi iuris, quo deinceps propositio illa, & eius praxis pro scandalosa, ac perniciosa haberi debet, atque vt talis censeri, ac reputari.

69. Putari igitur potest, condemnationem hoc modo factam esse. Tum quia condemnatio vt à prohibitione condistincta non plus exigit; sed satis est ei, si *posthac*, aut *deinceps* suum habeat effectum, vt Sixtus ipse declarabat. Tum quia modus ipse condemnandi per decretum, & statutum potiùs pertinet ad legem, & cõstitutionem iuris, quàm ad declarationem doctrinalem comprehendentem omnia tempora: *statuere* quippe, atque *decernere* est officium voluntatis; declarare verò, atque docere, munus proprium intellectus proferentis suum iudicium, præscisso quovis imperio. Reprobare autem, aut damnare, tàm intellectui, quàm voluntati tribuitur. Nam is actus, quo voluntas vnum reijcit, & aliud præponit; sicut dicitur huius electio, & approbatio, sic est alterius reprobatio, & reiectio, vt ex Isaia sumi potest *cap.* 7. 15. ibi: *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Parique ratione, sicut dicimur approbare aliquam rem, aut doctrinam per eum actum, quo de veritate, dignitate, aut bonitate illius rectè iudicamus, sic censemur illam reprobare, improbare, seu reijcere, cùm oppositum iudicium ferimus: quo-

quomodo Psalmo 32. 10. de Deo scribitur: *Reprobat cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum.*

70. Tum præterea, quia condemnatio ipsa Innocentij, cùm solùm sit *pro nunc* facta, tempus præteritum satis excludit; ea verò, quæ ab Alexandro primùm lata est contra viginti octo propositiones, voce æquipollenti vtitur: ait enim: *DVM similium propositionum examini cura, & studium impenditur, INTEREA idem Sanctissimus, re maturè considerata, statuit, & decrevit, &c.* Quæ autem prolata est deinceps, licet prædictis adverbijs non vtatur, ea implicitè subintelligit, sicut etiam implicitè roborat, innovatque priorem condemnationem, ne alioqui dicamus, illam iam cessasse pariter cum studio, ac cura examinandi alias similes propositiones, cùm non sit verbis definitivis, & vltimam sententiam indicantibus prolata; sed *interea*, & dum aliarum similium propositionum examini, seu ab ipso Alexandro, seu ab alijs eius successoribus incumbitur, eademque cura, & studium continuatur, vt continuatum est ab Innocentio disertis verbis attestante, se opus ab Alexandro inchoatum prosequi voluisse. Tum demum ob alia, quæ in hanc rem expendi *num.* 64. & alibi.

QVÆSTIO XII.

Quid tandem sit istiusmodi condemnatio, & quomodo comparetur ad eam, qua Clemens VIII. Confessionem in absentia factam reprobavit?

71. COndemnatio itaque ista nihil aliud esse videtur, quàm reprobatio, ac reiectio eiusmodi doctrinarum propter occasionē ruinæ spiritualis, quam iam anteà dederant, aut daturæ putabantur, si impunè continuaretur ipsarum defensio, aut divulgatio, indeque fideles ansam sumerent deducendi illas ad praxim. Vnde iudicium, quod determinatè præcessit voluntatem condemnandi ipsas tanquam scandalosas, ac pernicioſas in praxi, non debuit esse iudicium de oppositione, quam iam anteà habebant cum lege naturali, aut Divina prohibente scandalum; sed satis ei fuit iudicium, quo sibi persuaderet, illas aut iam anteà fuisse scandalosas, suscitatasque, aut denuò adinventas contra legem charitatis, vel certè scandalo futuras, si in posterū continuaretur earum traditio, defensio, aut evulgatio. Nam scandalum, ac pernicies, quod ex eiusmodi continuatione prudenter timebatur, sufficiens motivum fuit damnandi ipsas, ac iubendi, vt in posterum scandalosæ iudicentur, aut pro scandalosis habeantur, atque vt tales evitentur tàm earum defensio, ac traditio, quàm ipsarum vsus, atque praxis. Et sanè, cùm reprobatio sit approbationi opposita, & oppositorum eadem sit ratio, ex iudicijs, quæ in Pontifice similem approbationem præcedunt, facilè dignosci potest, quæ illius contraria iudicia in hac reprobatione includantur. Et exemplum sumi potest ex iudicijs, quę interveniunt, cùm approbatur aliqua religio, seu modus vivendi, quorum recensitio potest videri apud Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 17. à n. 18.* necnon ex ijs, quæ traduntur circa approbationem libri exercitiorum Sancti parentis Ignatij.

72. Iam verò quæ hîc possent vrgeri ex litteris Clementis VIII. cōdemnantibus hanc propositionem: *Licere per litteras, aut internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*: quæ, inquam,

inde vrgeri possent, nullo negotio elevantur. Primò namque evidens est, hoc decretum esse declaratorium, & condemnationem in eo latam etiam extendi ad præterita, cùm talem propositionem condemnet, nõ solùm vt scandalosam; sed vt falsam, atque temerariam. Nam temeritas cum ipsa damnatione non potuit incipere, siquidem in eo consistit, quòd SS. PP. aut Theologorum probæ, sanæque doctrinæ opposita inveniatur. Falsitas etiam de præterito illi conveniebat per comparationem ad institutionem Sacramenti, & eius naturam, ac leges in Ecclesia receptas, & à Christo traditas, nec quidquam de novo occurrit, quod ipsam falsificare posset, nisi antecedenter falsa fuisset, neque ex continuatione, ac propagatione ipsius falsitas timeri posset, quę iam antèà non esset contracta. Et hoc est diligenter inspiciendum, vt leges declarativæ, comprehensivæque prę-teritorum à merè constitutivis secernantur, an scilicet rationem reddant antiquam, vel an ratione materiæ referantur ad præteritum, vt necessariò hîc referuntur temeritas, atque falsitas. Videndus Suarez *lib. 3. de legib. cap. 14 num. 4.*

73. Sunt præterea inter vtrumque decretum alia quamplura discrimina præ oculis habenda, quia nonnulli de vno, ac altero promiscuè loquuntur, quasi pares vires habeant. Sit ergo secunda disparitas ex eo desumpta, quia Clementina damnatio, vt ex dictis constat, fuit sententia declaratoria falsitatis, ac temeritatis repertæ in propositione damnata, & propterea reprobatio in ea contenta non potest referri ad voluntatem; sed in se, ac formaliter ad intellectum spectat, cuius est officium declarare, & vera à falsis secernere, ac de temeritate opinionum iudicare, conferendo illas cum Sanctorum, aut Doctorum mente, ad eum modum, quo de hæresibus diiudicatur. Sit tertia, quia Clemens non exposuit suæ condemnationis modum per vocem *ita vt*, aut aliam æquipollentem, & suapte natura restrictivam; sed damnavit, prohibuit, ac præcepit, quin vnum cum alio coniungeret, aut certè quin vnum pariter cum alio explicaret, cuius oppositum egere hi Pontifices ex dictis *sup. n. 41. & n. 54.* Sit quarta, quia condemnatio Clementis fuit penitus immutabilis, perpetuumque silentium imposuit contradictoribus, cùm non vtatur ea voce *pro nunc*, quæ in istis decretis posita involvit denegationem silentij perpetui, locũque relinquit ex dictis *quæst. 5.* audientiæ, & maiori examini, maximè quia Clemens etiam præcipit, ne ea propositio *vnquam defendatur vt probabilis.*

74. Sit quinta, quia Clementis reprobatio per verbum *Posthac*, aut aliud simile limitari nequit, vt solùm condemnetur illa propositio, quatenus deinceps proferenda, falsitatis, temeritatis, aut scandali. Nam semper falsa fuit, aut deinceps falsa non erit, & nisi ante condemnationem temeraria fuisset, ex vi illius minimè inciperet esse temeraria. Falsitas enim, aut temeritas ex tunc incipere nequit; sed solùm incipit nova obligatio assentiendi quoad specificationem declarationi Pontificis, hoc est, non dissentiendi, aut repugnandi; tolliturque excusatio, aut prætextus, qui desumi posset ex auctoritate aliter sentientium, priusquàm Pontifex eorum opinionem condemnaret. At verò quanto fundamento possit vox illa *Posthac* suppleri in istis condemnationibus, ex dictis *à n. 65.* potest liquidò constare.

75. Sit sexta, & valde notanda, quia decretis Innocentij, & Alexandri non imponitur directè obligatio cohi-

cohibendi assensum internum damnatæ propositionis, neque censura scandalosi in illum cadit, vt prænonui *sup. n* 28. at verò qui interiori iudicio affirmaret *licere per litteras cõfessionem, & absolutionem absentis*, eo ipso se directè opponeret definitioni Pontificis. Nam qui aliquam propositionem affirmat, dicit illam esse veram, & hoc est in qualibet affirmatione necessariò inclusum, cùm ly *est* sit nota veritatis. Pontifex autem è contrario dicit, illam esse *falsam*. Ergo, &c. Quocirca siquis sciens, & advertens ad decretum Clementis, eam propositionem interiùs conciperet, necessariò conuinceretur credere, ac putare, Pontificem in sua censura erraſſe: negat enim, saltem implicitè, & in actu exercito, esse falsum, quod Pontifex falsum asseruit. Neque hoc vllo discursu, aut novo examine indiget, quia per se notum est cuilibet, duas contradictorias non posse simul esse falsas, aut veras. Vnde qui putaret, declarationem Pontificis esse veram, non posset in eodem instanti affirmare, licitam esse confessionem, & absolutionem in absentia, quia putando declarationem Pontificis esse veram, formaliter iudicaret, esse falsam propositionem, quæ affirmat, licitam esse confessionem, & absolutionem in absentia; nemo autem potest sibi persuadere, aut affirmare in vno instanti, quod in eodem instanti falsum esse credit.

76. Evidensque apparet ex terminis vnicuique per se notis, non minùs, imò magis inter se pugnare respectu eiusdem intellectus duas propositiones, quarum altera affirmat Petrum currere, & altera ait, hoc ipsum esse falsum in actu signato, quàm duas, vnam affirmativã, aliam negativam eiusdem dicti, v.g. *Petrus currit: Petrus non currit*: quarum singulæ in actu exercito duntaxat negant veritatem alterius. Quocirca *differt. 18. Metaphysicæ à n. 18.* dubium mihi fuit, an istiusmodi actus in eodem intellectu divinitùs coëxistere possint, quia neuter, neque ambo simul, reflexionem facit in actu signato supra repugnantiam suæ verificationis simultaneæ, aut supra falsitatem alterius; sed ad id necessarius est alius tertius actus, etsi per se notus, quo iudicet, simultaneam verificationem vtriusque esse evidenter impossibilem. At verò cùm vnus ex ipsis in actu signato affirmat, alium esse falsum, eo ipso reddit metaphysicè impossibilem assensum illius, quia falso existimato tali nequit assentiri intellectus, nisi affirmatio (quod est prorsus impossibile) extra suum proprium obiectum feratur.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm Pontifex errare possit in his censuris ferendis, approbandò tanquam licitum aliquid iuri Diuino, vel naturali contrarium?

77. CErtissimũ mihi est, Pontificem non posse errare in istiusmodi censuris ferendis, nisi fortè sua solummodò priuata auctoritate vtatur, vel sola auctoritate merè humana Ecclesiæ, qua vtitur in condemnationibus iudicialibus, quæ ad peculiaria facta, vel personas spectãt. Sed difficultatem ingerit M. Soto *lib. 6. de iust. & iur. art. 6. q. 1. vers. Institutum hoc*, vbi opinatur aduersus quoddam decretum Leonis X. in Concilio Lateranensi prolatum, improbatque vt vsurarios Montes pietatis, quos ibidem Pontifex tanquam licitos, ac meritorios approbauerat. Verba illius hæc sunt: *Papa, & Concilium, in quibus au-*

auctoritas residet summa condendi tum fidei articulos, tum morum leges, non curant falcem suam mittere ad definiendas tanquam de fide Philosophiæ disputationes, quæ non ex Sacra Scriptura, sed ex nuda Philosophia eliciuntur, qualis illa est, quæ instituitur ad examinandum, quisnam contractus sit vsurarius, quis verò ab hoc discrimine liber. Hoc enim non ex Sacra Scriptura colligitur, vnde suas veritates Sancta Sedes elicit; sed ex media, meraque natura rerum. Hactenus ibi. Attamen si Sotus velit, Pontificem non posse definire tanquam de fide, an aliquis contractus sit licitus, vel illicitus, toleranda non est eius doctrina. Quia esto id frequenter dependeat ex morali Philosophia, & convincatur ex principijs eius; adhuc potest sub Divina revelatione comprehendi, & ad obiectum Divinæ Fidei spectare. Vnde vsuras, adulteria, atque mendacia esse illicita, procul dubio est revelatum, & Fide Divina creditur, licet ex morali Philosophia etiam possit probari convincenter. Quare hanc evasionem *periculosam* vocat, *ne amplius*, inquit, *dicam*, Dicastillo *tom* 2. *de iust. & iur. lib.* 2 *tr.* 10. *disp.* 2. *n.* 384. Palaus etiam *tom.* 7. *disp* 4. *de iust. commutativa* § 24. ait: *Temerè negari Pontifici auctoritatem definiendi hanc disputationem, cùm ad mores fidelium, rectamque Ecclesiæ gubernationem pertineat*: atque similia inveniētur apud Azor 3. *part. cap.* 8. vers. *Quarto*, & Torres *de iust. & iur. disp* 61. *dub.* 12. *n.* 6.

78. Si autem Sotus solùm velit, Leonem nō declarasse de facto eum contractum esse licitum innitendo Divinæ revelationi, sed principijs Philosophiæ moralis, atque ideò propositionem illam non esse de fide, rem vtique possibilem dixit; sed non ideò potuit, aut debuit Pontificiæ doctrinæ contradicere, & montes illos tanquam vsurarios damnare, nō obstante Pontificio, & Conciliari decreto. Quia esto demus, rem inibi traditam non esse de fide, cuius oppositum videtur Lessio *lib.* 2. *de iust. cap.* 20. *n.* 199 adhuc tamen eius veritas adeò certa debet reputari, vt oppositum asserere valde gravem censuram mereatur. Quare Sotum hac de causa severè reprehendunt Salon *de iust. & iur. q.* 78. *art.* 2. *controv.* 27. vbi sententiam illius *temerariam*, *ac periculosam* appellat, estque videndus omnino *colum.* 1030. *& deinceps*, nam rem istam nimis accuratè versat. Filliucius *tom.* 2. *tr.* 34. *p.* 2. *n.* 168. dicens, id *non esse tutum*, & *num.* 169. ait, Sotum & Caietanum, qui ei præiverat, communiter notari tanquam nimis audaces in interpretanda mente Concilij, ac Pontificis. Vtriusque censuram refert, & in suæ sententiæ comprobationem affert Cardin. de Lugo *disp.* 25. *de iust num.* 188. *cum sequent. in fin.* Torres item vbi *suprà num.* 7. tradit, *nulli integrum esse defendere* sententiam Soti contra apertam definitionem Concilij, & qui ex eo transcripsit Dicastillo *sup. n.* 386. pariaque lector inveniet apud Azor *eo cap.* 8. vers. *Deinde*. Gibalinus præterea *tom.* 2 *de vsur lib.* 4 *cap.* 7. *art.* 2. *num.* 3. eamdem doctrinam *temerariam*, *& erroneam* censet. Molina *de iust. & iur. tr.* 2. *disp.* 325 *num* 5. pronuntiat, Sotum, atque Caietanum *parum reverenter*, *nimisque audacter circa Summi Pontificis*, *ac Generalis Concilij definitionem loqui*, *& plus iusto potestatem, quæ in Ecclesia est ad definiendum, & declarandum quæ ad fidem, & mores spectant, coarctare, nec esse tutam eorum opinionem*, quamvis aliàs sint doctissimi, & de Theologia, ac Christiana religione benemeriti. Multus essem, si omnia persequi vellem, quæ apud Scriptores inveniuntur contra prædictam doctrinam;

nam; legi autem possunt Malderus *tr. 5. de iust. cap. 3 dub. 17. in assertione.* Rebellus *de obligationib. iust. 2. part. lib. 8. q. 13. num. 3.* Diana *tr. de infallib. Summi Pontificis. part. 11. resol. 26. per totam.*

79 Duo itaque contra Sotum sunt firmissimè statuenda. Primum est, Summum Pontificem iure optimo definire posse in quæstionibus liciti, aut illiciti aliquid tanquam Divina Fide credendum, ex.g. moralem aliquam doctrinam esse scandalosam, aut improbabilem, licet id pendeat ex aliquibus veritatibus Philosophicis, & lumine naturali cognoscibilibus. Alterum verò, quamvis ista non proponat tanquam credenda per fidem, neque vt revelata à Deo, atque, vt sic loquar, ex cathedra rerum credendarum, adhuc posse illa proponere tãquam infallibiliter certa, loquendo scilicet ex cathedra rerum agendarum, quatenus ad doctrinam Christianam non solùm spectat credenda per fidem tradere; sed etiã, quæ sunt agenda. Vnde Pontificem in rebus moralibus ad Ecclesiæ sanctitatem pertinentibus suam habere certitudinem, à qua non licet recedere, apertè constat ex dictis & Doctoribus relatis, quibus addi possunt plures de hac ipsa infallibilitate generaliùs tractantes, quos refert copiosè Miñano *in Basi Pontificiæ iurisdict. tr. 2. fundam. 2. q. 10 n. 156.*

80. Ratio prioris dicti est, quia fieri potest, vt eædem ipiæ veritates Philosophicę, vnde sumitur honestas, aut turpitudo rerum agendarum, revelatæ sint, aut proximè revelatis cõnexæ, vel sub eis contentæ tanquam particulares sub vniversali, & tunc nil potest obstare, quominùs explicitè Pontifex declaret, illas pertinere ad fidem, vt sæpius declarat alias etiã ad factum spectantes, cùm in anteà revelatis implicitè continentur. Maximè, quia esto id deficiat, infallibilitas eius ad has etiam veritates indirectè extenditur, quándo illarum cognitio vtilis est ad avertendos fideles à peccatis impedientibus, aut retardantibus consequutionẽ vitę æternæ, & ad præservãdos illos ab erroribus, præsertim practicis, vnde eorum salus periclitari posset. Nam sicut Pontifex dicitur habere potestatem directam circa res spirituales; indirectam verò circa temporales, quatenus scilicet ad finem spiritualem deserviunt, eidemque subordinantur, sic circa doctrinas existimari debet, vt directè possit Pontifex circa revelatas, aut cum eis connexas decernere; circa alias verò non revelatas, indirectè, & quatenus necessarium est, aut vtile ad præservandam Ecclesiam ab erroribus, aut doctrinis deducentibus in viam latam, perniciosis in praxi, & corrumpentibus Christianos mores.

81. Malè enim provisum esset Ecclesiæ, si infallibilitas doctrinæ ipsius ad hæc etiam non se extenderet, sed coarctaretur ad ea solùm, quę absque subsidio luminis naturalis, & veritatum per ipsum cognoscibilium definiri possunt. Inde enim fieret, vt fideles non possent esse omnino certi de securitate doctrinæ traditæ ab ipso Pontifice, etiam si vellet eos omnino securos reddere. Et sicut talibus definitionibus maiorem certitudinẽ auctoritate sua præstat, quàm haberent ex præmissa naturalis Philosophię, vnde earum veritas pendet, sic posset eis tribuere fidei certitudinem, casu quo proponeret, vt Divina Fide credendum, aliquam doctrinam esse scandalosam, perniciosamque eius praxim. Ad modum quo, iuxta plures, reddit de fide esse in cœlis Sãctos canonizatos, etsi id pendeat ex historijs, & factis cognitis per attestationes humanas, quibus secundum se sumptis, atque separatis ab Spiritus San-

Sancti suggestione, absolutè posset falsitas immiscerì. Et sicut in approbatione religionum, quamvis honestas constitutionum, & regularum, quas approbat, sæpe ex naturalibus principijs dependeat, de fide videtur errare non posse quoad iudicium de illarum honestate, si Suario credimus id cum alijs asserenti *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 17. n. 19.* ne alioqui mala pro bonis confirmet, & auctoritate sua vniversam Ecclesiam inducat in errorem bonis moribus contrarium.

82. Quod si dicas, neque approbationem religionum, neque beatitudinem illorum, quos canonizatione solemni Ecclesia inscrit Sanctorum fastis, esse de fide, non ideò tutum erit asserere liberè, ac licitè detrectari posse, aut beatitatem istorum, aut illatum probitatem: neque enim id iam manet in ambiguo, sicuti manebat anteà; sed certum omnino sit, licet minori certitudine, quàm sit certitudo fidei, neminique deinceps est integrum adversus illa opinari. Ita igitur doctrinis evenit, cùm non declarantur hæreticæ, sed auctoritate Pontificis mitiori aliqua censura dãnantur, vt erroris, temeritatis, aut scandali. Nam alioqui ex istiusmodi decretis non constaret certò hisce notis eas subijci; sed probabiles manerent, sicut anteà, neque auctoritati Ecclesiæ opponeretur, qui eas defenderet; sed impunè foret vnicuique licitum eas amplecti, ac propagare. Quo pacto se gessit Sotus, & ante ipsum Caietanus, cùm Montes pietatis vt vsurarios reiecit, non obstante decreto Conciliari quod illos declaravit innocuos, etsi ab alijs fuerint improbati. Vnde hac de causa optimo iure reprehenditur ab auctoribus *num* 78. appellatis, nosque alia plurima adijciemus infrà ad hoc ipsum instituturn generaliter spectantia.

QVÆSTIO XIV.

Quanta certitudine tenendum sit, Pontificem non errare in his censuris, neque in prohibitionibus, præceptisque adiunctis?

83. REspondeo, eâdem certitudine tenendũ esse, qua tenemus, Spiritum Sanctum, qui est spiritus veritatis, in illis ferẽdis Summo Pontifici assistere, ne suis erroribus Ecclesiam implanet, obligando illam ad malum exequendum, tanquam si esset bonum, aut abstinendum à bono, tanquam per se malo. Vnde multi putant, id esse de fide, vt Lessius *lib. 2 de iust & iur. cap. 20. n. 191. in fin.* Verricelli *1. part. tr. 8. q. 24. n 9.* cũ Nauarro *in comment. de vsur. n. 59* M. Sancto Thoma *2. 2. q. 1 disp. 9 fol. mihi. 779* Et colligitur ex generali doctrina Dianæ *p. 11. tr. de infall. lib. lit. Summi Pontificis, resol. 13.* & aliorum, quos refert, affirmantium, de fide esse nil posse proponi à Pontifice toti Ecclesiæ Catholicæ observandum, quod iuri naturali, vel Diuino contrarium sit, consentitque Palaus *tom. 1 tr. 4 disp. 1. punct. 5 §. 3. n. 4.* Coninc. *disp. 18. de Fide à num 134.* Trullenc. *lib. 1. in Decalog. cap. 2. dub. 4 n 18.*

84. Nihilominùs Malderus *de iust & iur. tr. 5. dub. 17.* vers. *Quæres*, putat, eiusmodi definitiones propriè nõ esse de fide; sed hactenus ad fidem proximè accedere, quòd certitudinẽ, ac testimonium accipiant à certitudine supernaturalis assistentiæ Spiritus Sancti, quam etiam in naturalibus veritatibus ad legem Divinam, seu naturalem pertinentibus Pontifex habet. Vnde non video, qua consequentia iste auctor *2. 2. q. 11. de fide, art. 2.*

art. 2. memb. 5. circa fin. dixerit, *eum, qui sustineret pertinaciter, Ecclesiam errare in censura alicuius propositionis, fore hæreticum*, quia à Deo revelatum est, Ecclesiam non posse errare in definitionibus circa doctrinam. Etenim cùm ipse affirmet, definitionem Leonis, de qua suprà, & alias eiusmodi pendentes ex veritatibus Philosophicis nondum revelatis non esse propriè de fide, consequenter debuit affirmare, qui id negaret, ad hæresim proximè accedere; sed non esse hæreticum propriè, & in rigore talem.

85. Alij mitiùs sentientes affirmant, illum, qui diceret, Pontificem in his censuris erasse, vel, quod eòdē recidit, eum, qui negaret cum scientia, & advertentia decreti esse scandalosam, aut in praxi pernicioſam aliquam ex propositionibus ea nota inustis, non fore hæreticum; sed eius propositionem fore erroneam, aut errori proximam. Ita Bañez 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *in fin.* Card. de Lugo *disp.* 20. *de fide. à n.* 109. Torres *in select.* 1. *p. disp.* 30. *dub.* 3. Alij, vt Saura *in examin. doctrin. cap.* 19. *princip.* 10. putant fore hæreticum, vel de hæresi vehementer suspectum. Alij cum Layman *in summa lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 7 *n.* 2. tenent, qui eiusmodi decretis se opponeret, aut ea falsitatis argueret, fore quidem de hæresi, aut schismate suspectum; sed nō esse adeò certum, Pontificem extra Concilium in his errare non posse, vt oppositum sit hæreticum, aut erroneum. Alias censuras ex varijs Doctoribus contra Sotum specialiter agentibus produxi *sup. n.* 78. Et demum alios adijcio, qui rem distinctione componunt. Aiunt enim, cum, qui pertinaciter assereret, Ecclesiam posse errare in his censuris hæresi minoribus, ea de causa fore hæreticum formaliter; qui verò propositiones ipsas tali censura inustas affirmaret, solùm esse hæresi proximum. Ita Malderus 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *memb.* 5. Conine *disp.* 8 *de fide. n.* 134. & 135. cui videtur accedere Oviedo *controv.* 4. *de fide. punct.* 9. *n.* 124. & eorum verba referens Diana *p.* 11. *tr. de infallib. Summi Pontificis. resol.* 10.

86. Mihi ante omnia supponendum videtur, vt omnino certum, Pōtifici Spiritum Sanctum assistere in his legibus, decretisque morum, ac doctrinæ pro tota Ecclesia condendis, ne erret quoad substantiam præcipiendo, aut approbando alioqui illicita, vel prohibendo, aut condemnando tanquam alioqui iniqua, quæ sunt honesta, & innocua. Quod profectò apud Auctores proximè relatos constat quoad doctrinæ censuras infra hæresim, & quoad cœtera decreta morum ex ijs, quæ adversus Sotum expendimus quæstione præcedenti, & nominatim traditur à P. Suarez *disp.* 5. *de fide. sect.* 8. *n.* 7. Bellarmino *lib.* 4. *de Romano Pontifice. cap.* 5. Molina *de iust. & iur. tr.* 2. *disp.* 325. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *toto* §. 41. Maldero *q.* 1. *de fide. art.* 10. *disp.* 6. *proposit.* 2. *&* 5. Rebello *de obligationib. iust.* 2. *p. lib.* 8. *q.* 13. *n.* 3. vers. *Multo minus.* Azor 3. *p. lib.* 5 *cap.* 8. *de vsur.* vers. *Quarto obijcies.* Torres *ea disp.* 61. *de iust. dub.* 12. *n.* 6. ex quo pleraque Dicastillus transcribit, & quę ad propositum spectant, *tom.* 2. *de iust. lib.* 2 *tr.* 10. *disp.* 2. *n.* 384. Baldello *tom.* 1. *Theologiæ moral. lib.* 5. *disp.* 5. *n.* 2. Arriaga *disp.* 9 *de fide. n.* 26. Moya *in select. p.* 1. *tr.* 3. *disp.* 6. *à n.* 44. *& disp.* 8. *à n.* 22. Diana *sup. resol.* 13. Palao *tom.* 1. *tr.* 4 *disp.* 1 *punct.* 5 § 3. qui *num.* 5. id extendit cum Diana ad particulares leges, quæ pro vna Provincia, seu Diœcesi feruntur. Miñano *in Basi Pontificiæ iurisdictionis. tr.* 2. *fundam.* 2 *q.* 10. *n.* 156. & locupletissimè Cardenas *in select.* 1. *p. disp.* 9 *præsertim. cap.* 6.

87. Vnde etiam oritur, vt huiusmodi decreta doctrinalia circa institutionem morum, aut præservationẽ à peccatis ex hominum acceptatione non pendeant; sed vi sua obligare incipiant, quamvis alia externam politiam concernentia, imò & eadem ipsa, quatenus Ecclesiasticas censuras, aut alias pœnas imponunt, tàm acceptatione, quàm debita promulgatione indigeant, & per contrariam consuetudinem, aut non vsum possint abrogari. Notant hoc discrimen Auctores agentes de decreto illo Leonis definiente, ac declarante, Montes pietatis institutos cum conditionibus, quas ibi recenset, non esse malos, nec habere speciẽ mali; sed potiùs licitos esse, atque laudabiles. Et severè Sotũ reprehendunt, quem posteà secutus est Aragon *de iust. & iur. q.* 78. *art.* 4. *fol. mihi* 714. *ad* 2. eo quòd opinari ausus fuerit contra decretum Leonis prætextu non acceptationis eius. Ita Torres *sup. n.* 6. Dicastillo *num.* 383. addens, oppositum in viro docto vix esse tolerabile. Bañez *de iust. non longè à fine totius libri.* Giballinus *sup. n.* 3 Molina, & Palaus, Azorius, & Rèbellus locis citatis. Salon *vbi sup. colum.* 1032. Malderus *dicto dub.* 17. vers. *Quod denique.* Card. de Lugo *ea disp.* 25 *n.* 189. probans, definitionem Leonis non pendere ab acceptatione, & vsu. *Cùm illa*, inquit, *non sit lex; sed declaratio doctrinalis pertinens ad mores totius Ecclesiæ, quæ quidem ad sui valorem, & infallibilitatem non pendet ab acceptatione, sed obligat omnes fideles, etiam Summos Pontifices successores.*

88. Scio, Tabienam, & Bartholomæum de Medina docere, quòd *sine hæresi, & sine peccato* teneri possit cõtra determinationem Ecclesiæ, antequàm sit ab illa declaratum aliquam doctrinam esse hæreticam, idipsumque ex Caietano, Soto, & Aragon deducitur, dum agunt de Monte pietatis. Sed eos acriter perstringunt Auctores suprà laudati, & latè, ac optimè Corduba *in quæstionario lib.* 4. *q.* 3. *ante fin.* nec in hoc puncto, iuxta dicta, ambigendum est de certitudine; sed duntaxat de illius gradu. In qua quæstione mihi nõ videtur adeò certum, infallibilem assistentiam Spiritus Sancti summis Ecclesiæ Pastoribus in Petro promissam ad has cẽsuras extendi, vt hæreticus censeri debeat, qui id negaverit; satis tamen certum puto, eam extendi ad omnia, quæ ex præcepto vniversali Pontificis tanquam per se bona sunt tenenda, aut cavenda tanquam per se mala, atque ideò illum, qui talem assistẽtiam negaret, erroneam, aut errori proximam doctrinam censerem tradere. Imò consilium, & adhortatio sufficiunt, qualis est in Exercitijs Sancti Ignatij.

89. Prior pars assertionis sumitur ex Doctoribus allatis *num.* 85. *& num.* 78. & inde constat, quia nullibi ea assistentia expressè promissa apparer, nisi ad definiendum aliquid esse de fide, aut ad condemnandum assertionem contrariam tanquam hæresim; hîc autem Pontifex mitiori censura vtitur, cùm solum dicat, eas propositiones esse scandalosas, & pernicioſas in praxi. Quòd si dicas, propositiones ipsas, vt iacent, solùm damnari vt scandalosas; at verò propositionem, quæ affirmat, illas esse scandalosas, aut pernicioſas, declarari tãquam ex fide tenendam, & oppositam damnari, vt hæreticam, quia vt Pontifex id faciat, non est necessarium, vt expressè, & in actu signato dicat, id esse credendum ex fide, & contrarium habendum tanquam hæresim, vt constat ex praxi Tridentini, & aliorum Conciliorum: nec dubiũ, quin sæpe Pontifices per decreta, aut per epistolas plura tradiderint, quæ

certa

certa fide creduntur, licet inibi expressè non dicatur.

90. Si, inquam, id dicas, contrà est primò. Quia dum Pontifex determinat, aliquam propositionem esse de fide, eo ipso proponit eam tanquã Divina Fide credendam, atque ideò, vt à Deo revelatam, quia obiectum formale Fidei Divinæ est Divina revelatio. Si ergo Alexander, & Innocentius proponerent censuras istas tanquam Divina Fide credendas, proponerent, vt à Deo revelatum, tales propositiones esse scandalosas, atque ideò credendo ipsas, non tàm Pontifici crederemus, quàm Deo loquenti per ipsum, sicut vice versa dissentiendo illis, Dei vocibus, & assertis dissentiremus, eidemque nollemus credere, & non solùm Pontifici eas prohibenti, atque damnanti. Atqui Pontifex eas censuras non proponit tanquam sibi revelatas denuo, neque vt contentas in antiquis revelationibus Ecclesiæ factis, neque in hisce decretis vllum verbum est id indicans, aut ita sentire cogens, neque ipsarum accusatio id cõtinebat; quinimò pleræque ipsarum nituntur factis particularibus, & ad iuris positivi interpretationẽ spectant, ad aliasve materias à Divinis revelationibus longissimè dissitas. Non ergo eas proponit Pontifex vt à Deo revelatas. Et quis dicat, revelatum esse à Deo, scandalosam esse hanc propositionem, quæ est 37. Alexandri: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ*: cùm luce meridiana clarius videatur, id præcisè dictum esse propter evidẽtiam facti, qua Pontifici constabat, non esse revalidatas? Idem dixerim de illa 45. *Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, vsque dum adhibita diligentia corrigantur*: & de alijs plerisque facilè obseruandis.

91. Iam verò altera pars nostræ assertionis ex eo deprehenditur, quia in his, quæ ad mores pertinent, Pontifex vniuersam Ecclesiam decipere nequit in rebus tanti momenti, vnde necessariò pendet eius bonitas, ac sanctitas, cùm illi tanquam Pastori commissum sit subministrare fidelibus vtilis doctrinæ pabulum. Neque sufficienter Christus Ecclesiæ suæ prouidisset, quam sine ruga, & macula esse voluit, si Vicarij sui doctrinam ad ea sola, quæ sunt fidei, coarctasset, vt quæstione præcedenti retigimus, & præsefert communis persuasio Theologorum, indicantque sine dubio generales promissiones, quæ ei sunt factæ. Vnde sicut fideles omnino cauere debent à factis, quæ Pontifex velut illicita damnat, v. g. à contractibus, quos vsurarios, aut Simoniacos esse declarat: ita etiam cauere debent à doctrinis, quas reprobat tanquam noxias, & contrarias fidei, seu pietati, ac bonis moribus, nec aliter posset esse verus fidelium Pastor, Magisterque vniuersalis Ecclesiæ, quæ columna est, & firmamentum veritatis, nisi pabulum doctrinæ, secernẽdo noxias ab innoxijs, eis posset communicare, Spiritu Sancto assistente. Atqui censuræ illæ doctrinales sunt, ac morales, quia Pontifex doctrinas illas scãdali condemnans, & in praxi perniciosas declarans, eo ipso declarat, ac iudicat, esse peccatum scandali eas tradere, & absque magna pernicie animarum, & corruptela vitæ Christianæ tradi non posse. Ergo si Ecclesiam sic condemnando, atque prohibendo deciperet, re vera circa mores Ecclesiæ, eorumque doctrinam erraret.

92. Certissimum itaque esse debet, & de fide esse videtur, Pontifici esse promissam infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, ne erret, cùm in re vtrimque agitata, vtrùm pertineat ad fidem, ipse suam sententiam vlti-

mam, ac definitivam profert, declarando explicitè, aut implicitè eiusmodi doctrinam Divina Fide esse credendam, & condemnando vt hæreticos eos, qui dixerint, illicitum esse, & naturali, vel Divino iuri repugnare, quod ipse tanquam licitum præcipit, aut vice versa. Cæterùm, cùm id non declarat explicitè, vel implicitè, sed solùm aliquam propositionem damnat mitiori censura, & prohibet eius defensionem, evulgationem, ac praxim tanquam scandalosam, pernicioſam, aut illicitam, quamvis certissimum sit, in huiusmodi decretis non errare, sed Spiritum Sanctum illi assistere, & eo assistente, ac dirigente præcipere; adhuc tamen non est adeò certum, Spiritus Sancti assistentiam esse illi quoad hunc effectum promissam, vt hæreticus censeri debeat, qui hoc negaverit, aut censuræ ipsius dicto modo latæ contradixerit.

93. Erraret tamen, essetque hæresi, aut Theologico errori valde proximus, quicumque scienter, ac protervè id faceret, seu (quod eòdem recidit) quisquis cum scientia, & advertentia censuræ Pontificiæ contumaciter negaret, esse scandalosam, aut pernicioſam in praxi aliquam ex propositionibus ea nota inustis Pontificia auctoritate. Nec quidquã est, quod ad graviorem nos censuram compellat vi istarum condemnationum, quæ morales sunt, ac doctrinales, & immediatè feruntur ad licitum, seu illicitum, & circa agenda præcipuè, non verò circa credenda versantur. Cuius rei optimum exemplum præbet, vt suprà dicere cœperam, Cœlitum canonizatio, quæ iuxta plerosque ad fidem non spectat, sed mediam quamdam infallibilitatem sortitur ratione factorũ, attestationumque humanarum de heroica virtute, miraculis, finalique perseverantia eorum, qui Sanctorum numero associantur. De quo Theophilus Raynaudus mitissimè loquitur *tom.* 10. *in Coron. aurea. verit.* 8. vers. *Quæ vero*, & pleniùs *tom.* 15. *in Heteroclitis Cœlestium. sect.* 3. *punct.* 1. vers. *Certitudinem omnimodam. fol. mihi.* 251. vbi plures refert, necnon Granado *in dicta controv.* 1. *de fide. tr.* 7. *disp.* 4. præsertim verò *num.* 24. Diana *p.* 11. *tr. vltimo. resol.* 15. *&* 16. vbi ab hæresi eos excusant, qui dicerent, Pontificem in ijs errasse. Atque de approbatione religionum pariter discurrunt M. S. Thoma 2.2. *disp.* 9. *art.* 2. *resol.* 776. Granado ibi *disp.* 5. Diana *ibidē resol.* 23. *cum sequent.* & Suarez omnium accuratissimè *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 17. *à n.* 17. *& disp.* 5 *de fide. sect.* 8. *num* 9.

94. Sed obijcies ex Layman *lib.* 2. *tr.* 1 *cap.* 2 *n.* 4. Omnis sermo ex infallibili assistẽtia Spiritus Sancti procedens est verbum Dei revelatum, atque ideò obiectum materiale Fidei Divinæ. Sed huiusmodi censura, sicut & alia quævis definitio Ecclesiæ ad fidem, aut mores spectans, vt nos fatemur, ex Spiritus Sancti assistentia docente, ac dirigente procedit. Ergo, &c. Respondeo negando maiorem. Quia longè aliud est, Spiritum Sanctum immediatè loqui, revelareque aliquam veritatem, quod necessarium est, vt illa sit obiectum fidei; aliud verò, loqui ipsum Pontificem, non quidem proponendo aliquid vt immediatè à Deo revelatum, sed præcipiẽdo, aut obligando Ecclesiam vniversalem cum regimine, & assistentia merè extrinseca spiritus veritatis: tunc enim Spiritus Sanctus non loquitur; sed solùm Pontifex: & ideò Pontifici credimus; non verò Deo voce ipsius suam loquutionem Ecclesiæ manifestanti. Propterea Auctores, ac disertè P. Vasquez *disp* 154. *de legib. n.* 17. hoc discrimen inter leges,

&

& doctrinam fidei constituunt, quod Pontifex, vt caput, Principesque Ecclesiæ leges ferre potest, quæ neque sint traditæ à Deo, neque ex lege naturali, vel Divina necessariò colligantur. At verò vt Divina Fide credendum, neque in Concilio, nec extra, aliquid tradere potest, quod non contineatur in principijs, & articulis revelatis, aut ex ipsis certissimè colligatur: quod itidem circa doctrinam fidei ex professo tuetur P. Theophilus *ea veritate* 8. P. Coninc. *disp.* 12. *de fide dub.* 6. præcipuè *num.* 68. Lorca, Malderus, & alij, quos dabit Miñano *dicta q.* 10. *n.* 137.

95. Objicies secundò: quamvis certum sit, Pontificem errare non posse, sive in præcipiendo, sive in prohibendo, sive in docendo Ecclesiam vniversalem, cùm error esset illi perniciosus, aut iuri naturali, vel Divino contrarius; at verò, cùm error talis non est, nil cogit asserere, tantam esse infallibilitatem ipsius, quantàm suprà diximus, nec adeò certam in his, quæ sunt eiusmodi, assistentiam Spiritus Sancti eum à tali errore præservantis. Nam sicut in huiusmodi legibus creditur errare posse quoad aliquas circumstantias, imprudentiæ, nimiæve severitatis, aut nimietatis, &c. vt Auctores communiter observant, extendunque ad approbationem religionum, quę interdum extinguuntur, cùm priùs fuerint approbatę, sic pariter dici potest de alijs erroribus minimè perniciosis; sed potiùs iuvantibus ad disciplinam, moresque Ecclesiasticos in sua severitate, ac districtione conservandos. Iam verò decreta ista, quatenus præceptiva sunt, aut prohibitiva, nullum practicum errorem continent: præcipiunt enim, ne tales opiniones deducantur in praxim, quod honestissimum est, & valde conferens ad animarum salutem, & nulli Divinæ legi, aut naturali repugnat: idque pariter censeri debet de prohibitione docendi, defendendive easdem doctrinas, nam cùm laxæ sint, ac minùs tutæ, & in praxi, atque vsu ipsarum non leviter errari possit, vtique non docere eas, nec defendere opus est valde laudabile, ac conducens toti Christianæ reipublicæ, cuius sanæ doctrinæ, ac sanctitati optimè providetur occludendo viam illam latam, minùs tutam, atque periculosam, & revocando illam ad arctam, quæ ducit securè ad vitam. Quatenus verò condemnativa sunt earumdem doctrinarum, etsi supponant iudicium, quo Pontifex censuit, esse scandalosas, ac perniciosas in praxi, cùm nil inde contra bonos mores damni, aut periculi sequatur, parum referre videbitur, quòd in eo quasi speculativè erraverit, severiùs fortè de illis iudicando, quàm par erat: quia cùm certum sit, eas esse *laxas, minùs tutas, in praxi periculosas, avocativasque ab exercitio virtutum*, sufficiens motivum eas prohibendi remanet, & parum refert, quamvis aliud non subsistat.

96. Cæterum his minimè acquiesco, & potiùs iudico, verissimum fuisse iudicium, quo Pontifex ductus est ad illas reprobandas: iudicavit enim, esse laxas, ac minùs tutas, &c. quod verissimum est, & sufficit, vt verè scandalosæ, ac perniciosæ dicãtur, saltem scandalo imminente, nisi tempestivè occurratur, declareturque periculum, ac gratiâ præcavendi illud earum defensio, & praxis prohibeatur. Vel certè sufficit; vt tanquam scandalosæ damnentur, servata rigorosa proprietate adverbij *Tanquam*, quod similia, & æquiparata comprehendit, vt fusè ostensum est *quæst.* 4.

QVÆS-

QVÆSTIO XV.

Vtrùm prædicta decreta ab alijs saltem Pontificibus retractari valeant?

97. LEges suas, suorumvè prædecessorũ sæpe retractant Pontifices, etiã si sint editæ de consilio Cardinalium, quia experientia ostendit, eas esse minùs vtiles, aut fortè noxias: & quamvis eas proferãt vt personæ publicæ, & non privata, sed Apostolica auctoritate; adhuc contingit, vt aliter, ac aliter sentiant, & vnus iudicet, alium errasse. Qua in re illustre exemplum profertur ab *Extravaganti Inter cunctas. de privilegijs, lib 5. inter comm.* vbi Benedictus XI. revocat Extravagantem aliam Bonifacij VIII etiam editam de consilio Cardinalium ad componenda dissidia inter Episcopos, & Regulares, quæ incipit: *Super cathedram*: & habetur inibi *titulo de Sepulturis, lib. 3.* & de illa sic profatur. *Sed pro ea, quam intendebat, quiete turbatio nata est, pro concordia sunt suborta dissidia, & pullulatæ inquietudines pro tranquillitate nascuntur: sicque dum ansam solvisse se credidit, nodum ligasse videtur, & septem, vno hydræ amputato capite, suscitasse. Nec mirum, quia plerumque pariunt novitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam constitutionem receditur: nec quare recedatur, vtilitas evidens, vel alia causa subest. Idcòque cupientes, vt ipsi gregi cura nostra eò plenior impendatur, quò amplior in agro Domini operariorum numerus operetur, super egenum intendentes, & pauperem, ac novitatem removentes per eamdem constitutionem inductam statuimus, &c.* Hucusque Bonifacius, cui posteà vicem reposuit, sacro instante, & approbante Concilio, Clemens V. *in Clement. Dudum. de Sepult.* vbi Bonifacij constitutionem, revocata Benedictina, restituit, & de illa sic inibi censuit: *Illa (vt probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipsius speratæ fructum non attulit; quinimò discordiæ, pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum ministravit* Hæc ibi, quibus affinia comperies, & forsan graviora *Clement. vnic. de immunit. Ecclesiar.*

98. Negari itaque non potest, sæpius in istis decretis, etiam auctoritate Conciliari promulgatis, effectum non respondere sanæ intentioni Pontificum, qui illa constituerunt ad Ecclesiæ damna propulsanda; quinimò effectum contrarium resultare, atque ea de causa illa esse retractabilia, & retractari quàm sæpius. Quæri ergo potest, num decreta ista Alexandri, & Innocentij simili retractationi subiaceant, si experientia deprehendatur, ea præbere occasionem magnis scrupulis, atque laqueis conscientiarum, & plus incommodi, quàm commodi, afferre? Eo vel maximè, quia (vt non pauci conqueruntur) valde abstrusus est illorum sensus, & in plerisque valde difficulter deprehendatur, quis sit ambitus illius præcepti, quo toti Ecclesiæ præcipitur, ne quis ad praxim deducat vllam ex propositionibus damnatione comprehensis. Nec mihi dubium, quin Pontifex possit revocare, si velit, tàm præcepta, quàm censuras Ecclesiasticas inibi impositas, earumve reservationem, & relevare fideles ab eo onere, sicut plerumque relevat ab alijs similibus, quæ imposita sunt pro tempore, & relevavit de facto ab illis, quæ iniuncta erant in Extravagantibus anteà memoratis. Sed præcipua quæstio est de condemnatione ipsa, quæ cùm pertineat ad totius Ecclesiæ sanctitatem, moresque

que

que innoxios fidelium, non videtur subiecta deceptioni; sed certa potiùs, prorsusque infallibilis, & à Pontifice facta, Spiritu Sancto gubernante, & assistente.

99. Ratio autem dubitandi in contrarium ea est, quia in istiusmodi decretis non semper vtitur Pontifex tota plenitudine suæ potestatis, nec dogmaticè procedit; sed merè iudicialiter: nec vtitur suprema sua auctoritate; sed auctoritate merè humana Ecclesiæ. Se enim potest gerere, si placet, sicut se gerunt Episcopi, aut Synodi, vel Sanctæ Inquisitionis Tribunalia, dum nonnullas propositiones condemnant. Neque enim illorũ est definire fidei dogmata, aut reprobare doctrinas Spiritu Sancto assistente; sed rem suis momentis librare, & discursu merè humano, prudentissimo tamen, atque nimis accurato, in rebus istis procedere. Quòd verò Pontifex valeat vtrovis modo damnare doctrinas sibi propositas, ostendit quidem, si velit, congruenti præmisso examine, illas reprobare posse; sed non convincit de facto se se ita gerere semper. Nam pro suo libito potest vti modò hac potestate, modò alia, sicut non semper definit, aliquid esse de fide, quamvis materia sit capax; sed mitiori censura condemnat, & consultò abstinet ab alijs gravioribus. Quare & in istis decretis ab ipsis consultò abstinuit, & solùm dixit, *vt minimum scandalosas, & in praxi perniciosas esse* doctrinas, prout ibi iacent, licet fortè aliquæ ex ipsis hæreticæ sint, aut erroneæ. & his notis configendæ sint decursu temporis.

100. Proposuit hanc distinctionem damnationum merè iudicialiũ à dogmaticis Saura *de examine propositionum cap. 23. fol. mihi. 76.* illamque necessariam iudicavit ad conciliandum legitimè nonnullas contradictiones, quæ in decretis Pontificijs circa mores publicos Ecclesiæ, seu circa ea, quæ licent, aut non licent, reperiri videntur. Nonnulla exempla ibi subijcit, quorum vim posteà expendemus. Sed sicubi ea doctrina locum habet, maximè in decretis istis videtur locũ habere. Nam ad discernendum, qua Pontifex auctoritate vti malit, cùm non exprimit vti plenitudine suæ potestatis verbis formalibus, vel clarè æquipollentibus, signis, & coniecturis agere oportet, sicut signis, & coniecturis deprehenditur, dum id clarè non proponitur, num leges in conscientia obligent, & quàm graviter, vel an sint merè pœnales, esto à potestate Pontificia, aut Regia proficiscantur, quæ vtrovis ex his modis potest subditos vrgere.

101. Quòd si coniecturis, ac signis in nostro casu est agendum, profectò non levia apparent, quæ persuadere videntur, Pontificem processisse merè iudicialiter, atque auctoritate merè humana; non verò de plenitudine potestatis, nec dogmaticè, aut authenticè. Primò, quia vsus est adverbio illo *Pro nunc*, quod ex conceptu suo importat denegationem perpetui silentij, vt propositum fuit *quæst. 5.* & dispositionem ostendit nõ esse immutabilem; sed præcisè duraturam, rebus sic stantibus, seu alio nõ apparente. Secundò, quia condemnatio non est facta vniversaliter; sed sub modo limitante vires eius, vt planè indicat illa particula *ita vt*, qua Pontifex vtitur, & quam nos expendebamus *sup. num 41. & 54.* Tertiò, quia condemnatio, & prohibitio simul coniunguntur, & modificatio adiuncta vtramque afficit ex æquo, ne sit maior extensio vnius, quàm alterius, atque adeò sicut prohibitio revocabilis est, si aliud appareat, ita & damnatio revocabilis videtur, vel certè non ab alia potestate; sed ab

vna,

vna, eâdemque profecta.

102. Quartò, quia Pontifex non est vsus alio examine; sed neque alio modo procedendi, nisi illo, qui in Sancta Inquisitione fieri consuevit: ibi enim tota consultatio est facta, & ibi Pontifex promulgavit suum decretum. Quare potiùs id videtur effeciſſe, tanquam Præses illius Sancti Tribunalis, & confirmãdo censuram, ac iudicium merè humanum eius, quàm elevando illud ad altiorem gradum certitudinis, diverſęque prorſus rationis ab ea, quam ex ſe haberet. Neque huic coniecturæ obſtat paritas ſumpta ex decreto Clementis VIII. circa abſolutionem abſentis, quod ab illo eſt conſtitutum in Tribunali Sanctę Inquiſitionis; & nihilominùs Pontifex in eo non ſe geſſit præciſè vt Inquiſitor Generalis, neque attemperavit ſuam cenſuram, ac ſuffragium auctoritati merè humanæ illius. Quia id ſic contigiſſe, alijs indiciis manifeſtis deprehenditur, vt *tota quæſt.* 12. oſtendebatur.

103. Quintò, quia licet certiſſimum ſit, Pontificem errare non poſſe, ſive docendo, ſive præcipiendo toti Eccleſiæ contra ius naturale, vel Divinum, præcipiendo ſcilicet, vt fiat aliquid iſtis iuribus contrarium, aut declarando ex vi ipſorum aliquid licere, quod eis attentis non licet, & hoc in decretis iſtis, de quibus nunc loquimur, abſque vlla dubitatione procedat; id tamen non obſtat, quominùs illa revocari valeant, vt ſumi poteſt ex dictis *num.* 95. & exemplo religionum, quę extinguuntur, quamvis anteà fuerint approbatæ, liquidò comprobatur. Neque enim ideò extinguuntur, quia Pontifices erraverint contra ius naturale, vel Divinum in approbatione illarum; ſed quia relaxatæ ſunt abſque probabili ſpe futuræ emendationis, vel quia pro ſtatu præſenti minùs vtiles, aut forſitan noxiæ apparent. Ita igitur contingere poterit propoſitionibus modò damnatis: fieri enim poteſt, vt ſucceſſu tẽporis de ſcandaloſis, atque pernicioſis in non ſcandaloſas, neque pernicioſas tranſeant, ſicut vice verſa interdum evenit, vt quæ anteà non erant ſcandaloſæ, neque pernicioſæ, in ſcandaloſas, ac pernicioſas vertantur.

104. Notavi *ſup. n.* 25. hoc ipſum accidere propoſitionibus malè ſonãtibus, & frequentiſſimè evenit circa probabiles, aut improbabiles. Nam quæ modò improbabiles videntur, affulgente nova luce Doctoribus ſuccedentibus, reddi ſolent maximè probabiles, & quæ minùs probabiles anteà apparebant, decurſu temporis longè probabiliores oppoſitis interdum evadunt: & vice verſa, quæ vno tempore probabiles erant, improbabiles reddũtur, detecta pleniùs poſteà veritate, ſæpeque ex probabilioribus in minùs probabiles mutantur. Atque in præſenti materia id ipſum contigiſſe comperiet, qui animadverterit, Leonem X. in Bulla, quę incipit: *Dum intra mentis:* quæ non iam in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis fuit concepta; ſed ſacro approbante Concilio Romæ in publica ſeſſione promulgata *die* 19. *Decembris* 1516. inter alia edixiſſe, confitentes Regularibus preſentatis, & admiſſis ab Epiſcopo, *vel etiam indebitè recuſatis, Conſtitutioni, quæ incipit: Omnis vtriuſque ſexus,* ſatisfacere. Et cùm eo tempore prędicta ſanctio non potuerit ſcandaloſa, aut pernicioſa cenſeri, etiam quoad illos, qui indebitè recuſantur; hoc ipſum noſtris temporibus inter pernicioſas, & ſcandaloſas propoſitiones recenſetur in ſuo priori decreto ab Alexandro VII. ita enim habet *propoſit.* 13. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato; ſed ab eo iniuſtè repro-*

reprobato. Quo autem pacto hæc cõponantur, tradetur *num.* 117.

105. In illis etiam, quæ ſpectant ad ius naturale, vel Diuinum, quamvis ipſis iuribus in ſe, ac ſecundum ſe conſideratis nulla penitus mutatio accidere poſſit, vt *num.* 25. prænotabam cum Suario, ſæpe ad mutationẽ materiæ, aut circumſtantiarum eius mutatio ſupervenit, vt illa liceant, quæ anteà erant prorſus illicita. Ex.g. accedere ad hanc mulierem ante matrimonium, lethale peccatũ erat, quia tunc erat accedere ad non ſuam. At verò poſt matrimonium, potiùs eſt actus honeſtus, non quia ius naturale in ſe mutetur; ſed quia mulier de non ſua in ſuam tranſijt. Quo pacto etiam evenire poterit, vt illo in ſe invariato, quoad nos, atque in intellectu noſtro magnam ſubeat varietatẽ: nam ſæpe aliter, & aliter iudicare contingit de his, quæ licent, aut non licent ſecundum ius naturale (eadem eſt ratio de Diuino) atque inde oritur tanta opinionum varietas, etiam apud Auctores ſanctiſſimos, & doctiſſimos. Nec ſolùm varietas, ſed mutatio etiam de probabilibus in improbabiles, ac vice verſa, vt notabam. Sed de his dubitandi rationibus noſtrum iudicium poſteà proferetur, præſertim *quæſt.* 19. vbi oſtendemus, quàm magna infallibilitate à Pontificibus iſta decreta emanaverint.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm Pontifices circa decreta morum aliquando diſſenſerint, vel aliorum reſponſa revocaverint?

106. SIquando hic diſſenſus contigit, à poſteriori colligitur, decreta non fuiſſe definitiva, & dogmatica; ſed iudicialia, & concepta per auctoritatem Eccleſiæ merè humanam, atque in hoc ſenſu Saura *vbi ſuprà* contendit, ſic contigiſſe de facto. Putatque, ſe ſe geſſiſſe hoc modo Benedictum II. cùm Sancto Iuliano iuſſit quatuor propoſitiones retractare, quas ille poſteà defendit, & Pontifex, eius defenſione audita, iuſſionem ſuam revocavit. Quod probat ex Concilio Toletano 15. & ex Roderico Ximenio. Sed certè ex Concilio ipſo planè conſtat, iuſſionẽ Pontificis non litteris, ſed per internuntium ad S. Iulianum Archiepiſcopum Toletanum perveniſſe, & Pontificem non tàm retractationem, quàm maiorem explicationem à Iuliano poſtulaſſe, vt probat ex profeſſo Baronius *tom. 7. annal. ad annum* 685. *ex num* 4. *& ad annum* 688. *ex num.* 3. laudato in eamdem rem P. Mariana tanquam viro valde docto, & digno noſtræ Societatis filio.

107. Aliud adhibet exemplum, tum ibi, tum *cap.* 20. *fol.* 66. ex Mariana *ad finem lib.* 21. *cap.* 18. referente, Eugenium IV. edito diplomate, condemnaſſe quaſdam propoſitiones Abulenſis, quarum condemnationẽ, viſo defenſorio ipſius, poſteà retractavit; nimirùm, quia merè iudicialis erat; non verò definitiva, & ex cathedra. Iam monui, vocem illam *ex cathedra* eſſe obſcuram, & non contraponi ſententiæ iudiciali, quia etiam poteſtas iudicativa ad cathedram ſpectat, & cathedram iudiciariam multis probat Raynaudus *quæſt.* 18. appellandus. Et quidquid de hoc ſit, diploma illud, atque verba ipſius non liquent, vti neceſſarium erat ad exẽpli firmitatem. Neque Abulenſis ipſe in ſuo defenſorio talis diplomatis, aut condemnationis meminit, ſive cùm *in fine* 1. *partis* loquitur ad Eugenium, & doctrinæ ſuæ rationem reddit, ſive cùm *cap.* 7. *in fine* tradit, eam rem examinatam fuiſſe, ſeque

ad tempus tres iudices habuisse adversarios.

108. Melius in hanc rem adduci posset textus *in cap. licet. 3. de sponsa duorum.* vbi Alexander III. tradit, *non licere* mulieri post matrimonium ratum, & nondum consummatum alij nubere, &, si nupserit, quamvis carnalis copula intercesserit, ab eo separandam esse, & compellendam, vt ad primum redeat. *Quamvis*, inquit, *aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum.* Quo loci, vt vides, iudicia Pontificum declarativa iuris Divini circa licitum, aut illicitum, se mutuò colliduntur, & quod aliqui licere censuerunt, Alexander illicitum declaravit. Cœterùm minimè constat, qui fuerint illi Pontifices, & quomodo aliter iudicasse dicantur, opinativè scilicet, & vt privati Doctores; an verò vt iudices per sententiam in causa aliqua particulari, vel potiùs dispensando in matrimonio rato, vt alterum, non solùm ratum, sed etiam cõsummatum, sustinerent. Nam quovis modo ex istis id contigerit, sufficere potest, vt verificetur, eos aliter, quàm Alexandrum, iudicasse, & nihil obstat ijs, quę modò intendimus, dummodò id non iudicaverint declarando ius Divinum definitivè, & authenticè, proponendoque vniversæ Ecclesiæ tanquam licitum infallibiliter, quod ipsa postmodùm non licere declaravit. De quo Suarius optimè *lib. 4. de leg. cap. 14. n. 10. & 11.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 14. n. 4.* Barbosa *in collect. ad dictum cap. Licet. n. 5.*

109. Quinimò satis probabile est, quod tradit Valentia 2. 2. *disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 41.* vers. *Item cùm Alexander*, Pontificem ibi per exaggerationem loquutum, non quia aliqui sui prædecessores id licere iudicaverint; sed quia non licere tradit tanquã adeò certum, vt quamvis alij Pontifices oppositum dixisse putarentur, illis credendum non esset: ad modum, quo dixit Apostolus Paulus *ad Galat. 1. 8. Etsi Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus, anathema sit.* Cuius doctrinæ argumento est, quod Innocentius *in. cap. vltimo eiusdem tituli* ad Episcopum Mutinensem rescripsit hoc ipsum, quod Alexander disposuit, non obstante contraria consuetudine, ab Ecclesia Mutinensi esse servandum, *quia id debebat tenere humiliter, & servare, quod B. Petri Sedem, & suam Metropolim sequi voluerit, & docere.* Quamquam huic expositioni non parum obstet, quòd Pontifex potiùs videatur in sua epistola *quid ipse sentiat* privatim aperire, quàm novam iuris Divini declarationem inducere, vt constat ex ipsa epistola, quæ habetur in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. *p. 6. cap. 8.* vt notavit Suarez *eo num. 11.* qui proinde putat, non ab initio certam fidem fecisse hanc epistolam; sed postquàm iuri Canonico est inserta, & pro generali lege vniversæ Ecclesiæ tradita.

110. Adduci etiam posset *textus in cap. Quanto. 7. de divortijs*, vbi tradit Innocentius III. matrimonium inter Catholicos ritè contractum non dissolvi per hæresim, vel apostasiam à fide alterius ex ipsis, *licet*, inquit, *quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur.* Prædecessor, de quo loquitur, est Cœlestinus III. qui oppositum de hoc casu interrogatus respõdit his verbis, quæ habentur apud Antonium Augustinum *2. p. antiquæ collect. Decretal. lib. 3. tit. 20. cap. 2. Nõ enim videtur nobis, quòd si prior maritus redeat ad vnitatem Ecclesiasticam, eadem à secundo debeat recedere, & resignari priori, maximè cùm ab eo visa fuerit Ecclesiæ iudicio discessisse* (id dicit, quia mulier à primo marito

per

per apoſtaſiam relicta, eoque cum muliere pagana per novum matrimonium copulato, relicta ipſa, non propria auctoritate, ſed cum licentia ſui Archidiaconi ad novas etiam nuptias convolaverat) *& teſte Gregorio contumelia creatoris ſolvat ius matrimonij circa eum, qui relinquitur odio fidei Chriſtianæ.* Reſpondetur tamen cum Suario *ſup n.* 12. vtrumque Pontificem opinativè, & cum formidine eſſe loquutum: Innocentius enim dixit, *Non credimus*; Cœleſtinus verò, *Non videtur nobis*, licet poſteà eius ſententia canonizata ſit ab Eccleſia, & definita in Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. *can.* 3. Eo tamen tempore res incomperta erat, & ideò Pontifices contrariè opinabantur. Nec ſolùm Innocentius opinatus eſt adverſus Cœleſtinum; verùm etiam Cœleſtinus contra Alexandrum III. cuius mentionẽ facit in prædicto loco, quia iam anteà Alexander prædocuerat, *non licere* mulieri in dicto caſu *alteri nubere, quia licet ſeparentur, ſemper tamen coniuges erunt*, & refertur *in cap.* 2. *eodem tit. de divortijs.*

111. Atque ex his, quæ Pontificibus iſtis acciderunt reſpondendo per epiſtolam ad conſultationes particulares, necnon Nicolao I. dum *in cap. A quodam Iudæo. de conſecrat. diſt.* 4. reſcripſit validum eſſe Baptiſmum in nomine Chriſti collatum, quod iuri, inſtitutionique Divinę cõtrarium reputatur, planè colligitur, iure optimo Card. Bellarminũ *epiſt.* 120. vt Nicolaum defenderet, generaliter dixiſſe: *Pontifices in epiſtolis ſuis, quibus ad conſultationes reſpondent, non ſemper contendunt decreta fidei condere; ſed ſolùm dicere, quid ipſi ſentiant, ac præſertim cùm teſtimonium alicuius Doctoris allegant.* Eiſdemque exemplis Baldellus *tom.* 1. *Theolog. moral. lib.* 4. *diſp.* 8. *num.* 13. profitetur, ſæpe accidere, vt quod *incidenter* dicitur à Pontifice reſpondendo ad aliquam quæſtionem ſibi propoſitam, ſolùm vt à privato Doctore dicatur. Alij Nicolaum excuſant, & cum eis Cardenas *in ſelect. moralib. tr.* 1. *diſp.* 9. *n.* 333. aſſerendo, illam doctrinam fuiſſe falſam; ſed quia non ſpectabat ad deciſionem principalem, ad infallibilitatem Cathedræ Apoſtolicæ non pertinuiſſe.

QVÆSTIO XVII.

Quibus ſignis colligatur, quæ decreta ſint de fide, quæ autem minùs certa, & quouſque nonnulla falſitas in eis poſſit inveniri?

112. STatui *quæſt.* 13. in quæſtionibus liciti, & illiciti Pontificem definire poſſe, ac proponere tanquam de fide credendum, & à Deo revelatum, quidnam liceat, aut non liceat, & cùm ſpeciali cenſura aliquã propoſitionem afficit, aſſerẽdo illam eſſe ſcandaloſam, pernicioſam, aut quid ſimile, poſſe obligare ad credẽdum Divina fide theologica eſſe veram ſuam cenſuram, ita vt hæretici ſint, qui pertinaciter illi contradixerint, aut de eius veritate dubitaverint. Oſtendi rurſus, non ſemper in his quæſtionibus eiuſmodi poteſtate vti de facto; ſed alia minori, qua etiam pollet, declarando quidpiam eſſe illicitum, ſcandaloſum, aut temerarium, &c. non tanquam à Deo revelatum, aut iam anteà contentum in Divinis Scripturis; ſed tanquam infallibile, ac certum, & credendum, non Deo immediatè, ſed ſibi, qui pro tunc vtitur ſupernaturali poteſtate ſibi à Deo conceſſa, ne ſuam Eccleſiam decipiat, atque pernicioſè errare faciat, amplectendo illicita pro licitis, aut

vice versa : & insuper addebam, nil obstare, quòd interdum pendeant ista ex factis particularibus, quæ non sunt revelata, aut ex alijs veritatibus Philosophiæ moralis naturali ratione deprehensis. Statui denique, in decretis istis nonnullas falsitates interdum immisceri incidenter, quæ perniciosæ non sunt, neque Ecclesiæ sanctitatem corrumpunt. Quocirca in quacumque lege, seu decreto Pontificio, vel epistola, qua vni respondet quod ab omnibus debeat observari, maximè discernere oportet, quid de fide esse definiat, quid tanquam omnino certum, & infallibile suæ Ecclesiæ proponat, vel quid demum ita tradat, vt aliter opinari, atque dissentire liceat?

113. Est autem in hoc negotio ante omnia supponenda, & explorãda capacitas materiæ, & aptitudo ipsius, præsertim iuxta opinionem satis communem, quæ affirmat, Pontificem novas revelationes fide credendas non accipere ab Spiritu Sancto, neque id sibi esse promissum; sed solùm posse declarare antiquas in sacris libris contentas: inde enim plurimi eliciunt, neque canonizationem Sanctorum, neque approbationem Religionum de facto spectare ad fidem, quamvis certissimæ sint, & illis refragari absque errore, & maxima temeritate non liceat. Posita autem capacitate materiæ in re dubia, & à Pontifice in decretis suis non declarata expressè, nec virtualiter, monui, agendum esse coniecturis, ac signis, sicut in obligatione legum haud infrequenter contingit: neque enim consequens est, vt ille ipse, qui potest obligare plus, & minus, semper plus obligasse censeatur: & ideò passim contingit, vt Auctores inter se contendant circa modum obligationis ipsarum, vt an sint purè pœnales, vel ad culpam obligent, & in quo gradu, reputantibus nonnullis, obligare graviter; alijs verò leviter; alijs verò leviter solummodò.

114. Signa autem nostro instituto peculiariter accommoda satis accuratè tradunt Ioannes Antonius de Saura *de exam. propositi on. cap.* 23. vers. *Dices. fol mihi.* 76. Canus *de locis Theolog. lib.* 5. *cap.* 5. *q.* 4. §. *Deinde igitur.* Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7 §. 40. Corduba *in quæstionario lib.* 4. *q* 3 *dub.* 2. *fol mihi.* 270. P. Granado *controv.* 1. *de fide. tr.* 7. *disp.* 2. *sect.* 2. quo loci valde dilucidè tractat de infallibilitate Pontificis in doctrina fidei, aut morum, & *ex num.* illius 10. observare oportet hanc laciniam, *Advertendum est*, ait. *posse à Pontifice aliquid definiri tanquam de fide; interdum verò tanquam conclusionem Theologicam, aut tanquam ita receptũ, vt contrarium sit scandalosum, vel temerarium. Et quidem quando in definitione dicit, illud dogma esse apertè in Divinis litteris, esse perpetuam Ecclesiæ traditionem Divinitus acceptã, oppositum sentientes hæretico falli spiritu, aut anathematis notam illis inurit, sine dubio id definit, vt de fide. Quando verò excommunicaret oppositum sentientes, aut illos tanquam nimis audaces reprehenderet, non videretur id definire de fide, quamvis nec tunc errare posset Pontifex ullo modo.*

115. Notant autem communiter Auctores, in his rebus præcipuè attendendam esse determinationem principalem, seu institutum Pontificis, nam quoad alia non putant extendi infallibilitatem illius. Id obiter attigi *sup. num.* 111. appellatis nonnullis Doctoribus, quibus modò adijcio Diana cum relatis *p.* 11. *tr. vlt. resol.* 9 vbi contendit, non omnia, quę continentur in decretis Pontificum, etiam loquentium ex cathedra, esse infallibilia; sed solam determinationem principalem. Videndusque breviter, sed accuratè, rem tractans Lay-

man

man *in ſumma lib. 2. tr. 1. cap. 2. fin.* ibi: *In decretis Eccleſiæ ſolùm ſententia abſolutè definitiva alicuius dogmatis, tanquam ad fidem, vel mores generatim ſpectantis infallibilem veritatem habet. Non item diſputationes, ſive inquiſitiones præmitti ſolitæ, neque rationes, quibus definitio probatur, nec verba ſingula, quibus definitio exprimitur, ad fidem ſpectant. Præterquam, ſi decretum de ipſo verbo directè fiat, vt in Concilio Nicæno de voce HOMOVSION, & in Epheſino de voce THEOTOCOS.* Suarium lege *lib. 1. contra Regem Angliæ cap. 6. n. 15. & 16.* & inſuper relege, quæ ſcripſi anteà *num. 48.* circa efficaciam rationum, quibus vtuntur Pontifices.

116. Quod verò tradunt nonnulli, Pontificem non poſſe errare in rebus *neceſſarijs ad ſalutem*, veriſſimũ eſt, niſi per eam limitationem tacitè innuant, errare poſſe in reliquis alijs. Tunc enim vox illa indiget explicatione, quam adhibet opportunè Valentia *dicta diſp. 1. q. 1. punct. 7. § 41. verſ. Quanto poſſet.* Nam ſi neceſſarium ad ſalutem vocent id, cuius expreſſa cognitio, actualiſve exequutio neceſſaria eſt per ſe loquendo ad vitam æternam conſequendam, immeritò ad hæc præciſè eius auctoritatem coarctant: conſtat enim, pleraque in Concilijs definita fuiſſe, quæ illo modo neceſſaria non ſunt. Ex. g. quod per inhærentem gratiam iuſtificemur; imò, ſi hoc ita eſſet, nil iam poſſet Pontifex definire infallibiliter, cùm omnia, quæ illo modo cunctis neceſſaria ſunt, planiſſimè iam olim fuerint tradita, vt rectè arguit Granadus *ſup. num. 10.* Si verò neceſſaria ad ſalutem ea vocentur, quæ nemini negare licet abſque ſaluris diſpendio, cùm ipſi fuerint propoſita, tunc quæ vniverſæ Eccleſiæ, vt eius Paſtor credenda, vel honeſtè agenda, aut omittenda proponit, ad eius infallibilitatem pertinebunt, & eorum fides, aut firma credulitas, ſaltem quoad ſpecificationem, licet non quoad exercitium, ad ſalutem neceſſaria reputabitur.

117. Breviùs proinde, atque cõmodiùs dici poteſt generaliter, Pontificem in rebus moralibus examinatis, ac perpenſis quoad determinationem principalem errare non poſſe, ſive docendo, ſive præcipiendo vniverſali Eccleſiæ errore pernicioſo, atque cõtrario bonis moribus illius, vt expoſui *num. 95.* Erit autem pernicioſus, ſi erraverit in rebus neceſſarijs ad ſalutem præcipiendo, ex. g. vt fiat aliquid illicitum, vel prohibendo, ne fiant illa, quæ ad ſalutem deſiderantur, & vniverſim docendo, vel præcipiendo, vt fiat aliquid iuri Divino, vel naturali contrarium, aut prohibendo, ne fiat illud, quod iure naturali, vel Divino debetur. Nec quoad iſta admitti poteſt error in illo invincibilis: quia ab Spiritu Sancto dirigitur, ne in iſtis, ſive legibus, ſive doctrinis, invincibiliter erret, vt plenè oſtendit Suarius *lib. 1. contra Regem Angliæ. cap. 4 & diſp. 5 de fide. ſect. 6.* In his autem, quæ directè ſpectant ad ius poſitivum, rectè notat idem Auctor *lib. 4. de legib. cap. 14. n. 7.* licet prout à Pontifice emanarunt, error in moribus contingere nequeat; decurſu tamen temporis contingere poſſe, vt, variato ipſomet iure, etiam ipſa varientur. Atque ita accidit doctrinæ illi de Regularibus indebitè recuſatis, cuius memini *num. 104.* ideò enim modò ſcandaloſa dicitur, quia variatum eſt ius poſitivum, & poſteriori iure Concilij Tridentini approbatio re ipſa obtenta ab Epiſcopis deſideratur, & indebita recuſatio iam inſufficiens cenſetur, & privilegium Leoninæ iam ampliùs vigere nequit.

QVÆS-

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm hæc decreta facta sint ex Cathedra?

118. NEgotium in hoc pũcto faceſſit terminus ille *loqui ex Cathedra*, qui obſcurus eſt, & apud Auctores certam definitionem non habet. Sunt enim, qui ſolùm cenſeant Pontificem loqui ex cathedra, *dum proponit aliquid tanquam fide credendum, ad idque obligat vniverſam Eccleſiam, ac contrariam ſententiam tanquam errorem & hæreſim damnat.* Ita Gibalinus *tom. 2. de ſcient. canon. lib 5. cap. 3 n. 17.* refereus Valentiã 2.2. *diſp. 1. q. 1. punct. 7. §* 10. Sed Valentia eo loci id non tradit; traditur autem ab antiquiori Auctore Petro Cuneri *lib. de perpetua cathedræ Petri firmitate*, vbi ex profeſſo contendit, notionem huius vocis reſtringendam eſſe ad ſolum actũ definiẽdi infallibiliter, quæ ad fidem, & mores ſpectant. Vt ſcilicet vox illa *cathedra* ad actum docendi præciſè referatur, & ad functiones proprias Magiſtri in ſua Eccleſia conſtituti à Deo tanquam regula viſibilis, qua mediante ab eo dirigitur, vt neque in fide, neque in moribus, erret quoad doctrinam, vel approbationem eius, aut reprobationẽ; alios autem actus, licet à Pontifice, prout Pontifex eſt, proficiſcantur, ad cathedram pertinere non reputat. Sedes quippe Magiſtrorum, ſeu Doctorum *cathedra* vocari ſolet, & ea voce condiſtingui à Sede Concionatorum, Legislatorum, ſeu iudicum, quæ cathedra non ſolet appellari; ſed alijs nominibus, vt *Tribunal*, aut *Suggeſtum*.

119. Quam ſententiam latè, & eruditè refellit Theophilus Raynaudus *tom. 10. in Corona aur. Roman. Pontific. ex fol. 15.* contendens, nomine *Cathedræ*, ſive *Apoſtolicæ Sedis* ſupremam Pontificis auctoritatem denotari, ſive ad docendum, ſive ad præcipiendum, ſive ad iudicandum de dubijs fidei, ac peccatis, ſive denique ad plectendum: vt cathedra Pontificia ſedem ipſam Pontificiam denoret, & vniverſam poteſtatem, & auctoritatem Pontificis, ſeu Epiſcopi Romani: ſicut cathedra Epiſcopalis totam Epiſcopalem poteſtatem denotat, & ſedere in cathedra alicuius Eccleſiæ, idem eſt, ac eſſe eius Epiſcopum. Vnde & Eccleſia ipſa materialis loci, vbi Epiſcopus præſidet, eatenus Eccleſia Cathedralis dicitur, quatenus eſt Epiſcopalis Eccleſia. Atque ea propter verba illa Matthei 23. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi*: non ſolum Magiſterium Moyſis ſignificant; ſed vniverſam eius poteſtatem, etiam legislativam, legeſque ipſas, etiam cœremoniales, ideòque non ſolùm iubet Chriſtus, ne ab eius doctrina, & magiſterio per intellectum diſſentiant; ſed etiam, vt ea, quæ per illos dixerint lex ipſa, & Moyſes, reliqui *obſervent, & faciant*: vt cathedra Moyſis ſignificet poteſtatem docendi, regendi, ac gubernandi Hebræos ſibi commendatam. De auctoritate autem illius cathedræ Valentia *in Analyſi lib 8. cap 6.* verſ. *Quod autem attinet.* Bccanus *in Analogia cap. 2.* vbi ait, Pontifices habuiſſe infallibilitatem in docendo ex ipſa. Theophilus *vbi ſuprà* verſ. *Quare intolerabiliter.* Miñano *in Baſi Pontif. iuriſdict. tr. 2. fundament. 2. q. 10. n. 150.* & ibi Ioannes à S. Thoma, Caietanus, & Bzovius.

120. Iuxta hunc modum dicendi, *loqui ex cathedra* non reſtringitur præciſè ad ea, quę proponit Pontifex tanquam revelata à Deo, & credenda à nobis per virtutem fidei Theologicæ.

logicæ (quod vtique præstat, quoties aliquam doctrinam velut hæreticam damnat, sive illa speculativa sit, vt personarum quaternitas; sive moralis, vt assertio dictans, Simoniam, aut vsuram esse licitam, sive etiam merè historica, spectansque ad factum, vt negare Tobiam habuisse canem) sed vlteriùs extenditur ad omnia, quæ Ecclesiæ proponit, seu tenenda, seu servanda, non tanquam homo privatus, & vnus è multis, sed vt Pontifex, vtendo scilicet auctoritate, quam habet tanquam Petri successor, & Vicarius Christi, Sedisque Apostolicæ Præses, & Pastor Christiani ovilis. Nam cathedra Pontificia, Sedesque Apostolica, & Pontificalis idem penitus significant, vt nihil aliud sit *loqui ex cathedra*, quàm loqui ex Sede Apostolica, seu auctoritate illius.

121. Quocirca cathedram Episcopalem nil aliud denotare, quàm dignitatem Episcopi, apertè sumitur ex Sancto Leone Papa *epist.* 84. *ad Anastasium cap.* 8. & refertur *in cap. Siquis Episcopus.* 31. 7. *quæst.* 1. ibi: *Non solùm à cathedra quidem pellatur aliena; sed earebit & propria:* necnon ex Concilio Carthaginensi 5. relato ibidem *in cap. Placuit.* 21. & ex S. Paulino, cuius verba inibi habentur *cap. Non autem.* 12. notantque Lãglæus, Pareja, & alij, quos refert, sequiturque Gonçalez *in cap. Ecclesijs.* 9. *n.* 2. *de censib.* Neque plus mysterij ea vox importat: Græca enim est, & nihil aliud in eo idiomate, quàm *Sedem*, significat, vt notat Dominicus Macrus *in Hierolexico* verbo *Cathedra*: atque ideò *Cathedraticum*, cuius frequens mentio fit in iure, solùm denotat pensitationem illam, quæ Episcopo tribuitur ob honorem cathedræ, ex Gonçalez *dict. n.* 2. aut, quod idem est, in recognitionem ei debitam ob Episcopale munus, teste Macro verb. *Cathedraticum* cũ alijs communiter. Ipsa itidem vrbs Roma *nutrix Pontificiæ cathedræ* appellatur, & vltimo sedili contraponitur à S. Ennodio Ticinensi *in suo Apologetico*, quia Pontifex est eius Episcopus, sicut propter eandem causam Ecclesia etiam Cathedralis dicitur, & fortasse *Cathedraticum* non Episcopo, sed ipsi Ecclesiæ, quia Ecclesia Episcopalis, sive Cathedralis erat, solvebatur, vt contendit cum alijs Gonçalez *in cap. Conquerente.* 16. *num.* 2. *de offic. iudic. ordinar.*

122. Concinit isti doctrinæ, quod proponit ex communi Miñano *loco citato num.* 159 nimirùm, tunc constitutionem, seu decretum Pontificiũ ex cathedra emanare esse censendũ, cùm Pontifex, quæ in illo continentur, iubet observari auctoritate Omnipotentis Dei sibi in Beato Petro concessa, aut Vicariatus Iesu Christi, aliisve clausulis æquipollentibus, quibus discernitur, eum non iubere vt privatum; sed vt Dei Vicarium, ac Ministrum publicum. Quæ, vt vides, nulla ratione coarctantur ad definitiones fidei, neque ad doctrinam eorum, quæ credenda sunt per fidem; sed ad alia omnia pertinere valent, ad quæ extenditur potestas Pontificia; referrque in hanc rem plures Auctores, nempe Corduba, Valentia, Bañez, Cano, Caietano, Covarrubias, Simancas, Verricelli, & Enriquez.

123. Quocirca minimè est audiendus Combefis, aliàs scriptor non ignobilis ex Ordine S. Dominici, quatenus in suo tractatu *pro actis sext. Synodi cap.* 2. *§.* 3. contendit, loqui ex cathedra Pontificem, esse loqui cum consilio fratrum, & ex communi Ecclesiæ sensu. Primò enim obstat, quod rectè observat Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 14 *n.* 7 sæpe epistolas Pontificum, quibus respondent ad particulares interrogationes sibi factas, vim legis habere, & ex Sede Sancti Petri profi-

ciscì,

ciſci. Interrogantur enim vt Magiſtri Eccleſiæ, ad illoſque recurritur tanquam ad regulam, cui debent conformari tàm mores noſtri, quàm fides. Vnde & ipſi in eodem ſenſu reſpondent dubijs propoſitis, atque ita cenſentur facere, quando oſtendunt, ſe loqui ad docendum, inſtruendumque totam Eccleſiam proferēdo illa, quæ in ea debent obſervari, etiam in quæſtionibus denuo excitatis, vbi nō præceſſit ſenſus Eccleſiæ communis. Secundò obſtat, quia promiſſio directionis, ac aſſiſtentiæ ſpecialis non eſt facta Collegio Apoſtolorum, ac Petro tanquam præcipuo in eo cœtu; ſed ſoli Petro inter ipſos, ac longè minor eſt ratio, vt in his rebus depēdeat à conſilio Cardinalium, quam à Synodali, Provinciali, aut Generali Concilio. Sed de his plura latè, & optimè Miñano *in dicta q.* 10. §. 5. *ſect.* 6. *per totam.*

124. Aliud igitur eſt, Pontificem loqui ex cathedra; aliud verò, loqui vt iudicem controverſiarum pertinētium ad Catholicam Fidem: illud enim generalius eſt, & latiùs patet; iſtud verò ad vnum modum loquendi ex cathedra duntaxat reſtringitur. Et alioqui, cùm plerique dubirent, vtrùm canonizatio Sanctorum, approbatio Religionum, cenſuræ minores hæreſi, legeſque ſpectantes ad doctrinam morum pertineant ad Fidem, necne? ita etiam deberet dubitari, vtrùm fiant ex cathedra, aut non fiant? Et, quod peius eſt, cùm ſupponatur, Pontificem errare poſſe, dum non loquitur ex cathedra, impunè liceret dicere, Pontificem in prædictis poſſe errare, cādem ſcilicet impunitate, qua dicitur, illa non ſpectare ad fidem. Diſtinguenduſque eſſet neceſſariò in Pontifice triplex modus agēdi cum Eccleſia: vnus, vt perſona privata: alius, ex cathedra: alter, ex Sede Apoſtolica, & non ex cathedra: ad quem ſpectarent illa, quæ prædiximus; imò & leges concernentes gubernationem Eccleſiæ externam, atque politicam. Nam hæc omnia neque ad fidem ſpectant, ſicuti opus erat, iuxta Auctores iſtos, vt è cathedra prolata cenſeantur, neque à quolibet privato proficiſci poſſunt; ſed ex conceptu ſuo poſtulant Sedem, & auctoritatem Pontificiam.

125. Confirmatur. Nam quæ Pontifex facit, ſtatuit, aut indulget de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, nō fiunt ab ipſo tanquam perſona privata; ſed tanquam perſona prædita eiuſmodi poteſtate, eamque exercente, ideòque ex cathedra, Sedeque Apoſtolica proficiſcūtur. Ridendus enim eſſet, qui diceret, ſe loqui de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, qui cathedram Divi Petri, Epiſcopatumve Romanum nullatenus obtinuiſſet. Atqui plura fiunt ab ipſo de plenitudine huius poteſtatis, quæ illius quidem fidem præſupponunt; ſed ipſa per ſe ad Divinam Fidem non ſpectant, neque aliquid vt hæreticum damnant, aut explicitè credendum proponunt: cuiuſmodi ſunt Religioſorum exemptio à poteſtate Ordinarij, diſpenſationes, privilegia, iubilæi alicuius, ſeu indulgentiæ conceſſio, voti, aut iuramenti relaxatio, commutatio vltimarum voluntatum, vel confirmatio alicuius decreti, ſeu ſtatuti editi ab inferioribus Prælatis, quam ſæpius teſtatur ſe facere, vt ipſi *Apoſtolicæ firmitatis robur adijciat.*

126. Ex dictis apertè concluditur, in decretis, quorum vires nunc ſpecialiter expendimus, Pontifices fuiſſe loquutos ex cathedra Divi Petri, & decreta illorum eſſe Sedis Apoſtolicæ, ac Pontificis, quatenus eſt Pontifex, & talis cathedræ moderator, ac Præſes. Neque enim vel apparenter dici poteſt, eos loqui, quatenus ſunt homines privati, cùm doceant,

ceant,iubeant,& prohibeant auctoritate legitima, quæ ad totam Ecclesiam spectant. Attamen quia loqui ex Cathedra in hoc verissimo sensu multos actus comprehendit, & non omnes pertinent ad fidem, neque eumdem gradum certitudinis sibi vendicant, vt ex præmissis exemplis compertum fit, ideò oporter, quæ in generali sunt tradita, applicare peculiariter hisce decretis, & exponere, quousque,& quomodo pertineant ad functiones Sanctæ Cathedræ, seu Sedis.

QVÆSTIO XIX.

Quo titulo, quantaque infallibilitate emanaverint ex Cathedra Apostolica hæc decreta?

127. COnstat ex superiùs dictis, præsertim *quæst.* 8.decreta ista processisse ex Cathedra Theologiæ moralis,quia emanarunt ab Apostolica Sede, & ab illius moderatoribus tanquam à Iudicibus rerum agendarum in Ecclesia, vt saluti ipsius,ac pietati consulatur. Constat insuper ex dictis *quæst.* 14. non emanasse ex Cathedra Fidei Theologicæ, quia doctrina ipsorum non proponitur tãquam credenda per Fidem Deo revelanti,neque à Summis Pręsulibus emanat tanquam à Iudicibus eorum,quæ sunt Fidei,aut ex Cathedra eorum, quæ credenda sunt Deo revelanti ab vniversa Ecclesia. Constat insuper ex ipso cõtextu illorum, quæ inibi traduntur, non esse dicta incidenter,nec sine magno examine, nec sine consilio Eminentissimorum Cardinalium, neque iuncta vni particulari populo, aut provinciæ; sed generaliter vniversali Ecclesiæ,& omnibus, ac singulis membris illius, vt proinde non pateant effugia illa, vnde suam certitudinem interdum amittunt (salva semper determinatione principali) quæ in decretis Põtificijs continentur, vt pertractavimus *quæst.*17.

128. Quibus positis,adhuc oportet secernere maioris claritatis gratia in his decretis condemnationes ipsas doctrinarum,& censuras perniciei,ac scandali, quibus afficiuntur, à præceptis ibi adiunctis. Præcepta autem nõ sunt vnius generis;sed duplicis. Alia enim spectant ad defensionem, impressionem, aut evulgationem eiusmodi doctrinarum, eaque prohibent sub pœna excommunicationis maioris reservatæ Summo Præsuli. Aliud verò absque vlla Ecclesiastica censura imponitur per modum nudi præcepti, eoque omnibus, nullo prorsus dempto,iniungitur sub interminatione Divini iudicij, ne quis in praxi doctrinis condemnatis vtatur, vel eas vllo modo exerceat. Et quidem præcepta ista à potestate legislativa emanasse,indubitatum videtur: sunt enim propriè, atque in rigore leges Ecclesiam vniversam obligantes. De condẽnatione maior posset esse difficultas,de quo latè egimus *suprà quæst.*9. *& deinceps.* Cœterùm, quia magna ex parte ad quæstionem de nomine id revocari videbitur, alijs vocibus nunc vtimur, quamquam proculdubio etiam præcepta moralia in his decretis contenta censeri debeant statuta, atque prolata ex Cathedra. Docent enim ijs mediantibus Pontifices, quæ sint tenenda, aut cavenda, & quæ liceant,aut non liceant, quod Cathedræ officium est. Nec refert, quòd legibus, aut præceptis propriè talibus id præstent : nam regulæ, atque dictamina cuiuscumque facultatis,eius leges,seu præcepta dicuntur, & legibus,ac præceptis vniversa illius doctrina traditur.

129. Pergendo igitur vlterius, tenendum est proculdubio Pontifices in nullo istorum errasse; sed sanissimam, & sanctissimam doctrinam vniversæ Ecclesiæ proposuisse. Nam si præcepta ipsa spectes, in eis nihil prorsus continetur Fidei, aut pietati contrarium; sed omnia sunt vtilissima ad viam salutis securè obtinendam, & ad viam perditionis declinãdam, amovendamque ab Ecclesia relaxationem, quæ imminebat, si progredi sineretur praxis, defensio, aut editio opinionum contrariarum. Si verò condemnationem inspicias, aut censuras, quibus eædem propositiones inuruntur, compertum profectò est, in ijs neque per excessum, neque per defectum errari. Non per defectum, quia etsi plures graviorem fortè notam mereantur, Pontifices id non negant; sed sibi reservant in posterum huius rei iudicium, ac examẽ, & de præsenti determinant *illas, vt minimùm, esse scandalosas, & perniciosas in praxi.* Quòd verò nec per excessum in his censuris erraverint, toto decursu huius operis ex professo convincetur, & monstrabitur, nihil ibi gestum fuisse contra communem sensum Ecclesiæ, ac Doctorum eius, eas doctrinas tanquam tutas, & in praxi securas approbantium; sed solum fuisse proscriptas, quæ iam anteà in Ecclesia malè audiebant, & propterea erant antiquatæ, vel alias noviter adinventas nimis laxas, & oppositas Evangelicæ simplicitati, deducentesque ad viam latam.

130. Iam verò quòd neque in istis possit Pontifex errare, sive contra Fidem, sive contra bonos mores, ac pietatem, fusè ostensum est in superioribus *quæst.* 14. & vlteriùs confirmatur. Quia id planè spectat ad officium Pastoris, cuius est gregem Dominicum pabulo sanæ doctrinæ reficere, & noxia quæque amputare, ducere per viam salutis, & avertere à periculosa illa, quę ad perditionem deducit & incursibus luporum patet. Neque credendum est, ei solùm fuisse commissam, promissamve auctoritatem docendi Ecclesiam ea, quæ sunt Fidei, & præservandi illam duntaxat à maximis erroribus, quales sunt hæreses speculativę, aut practicæ; sed etiam ab alijs minoribus, quæ saluti ipsius possent obstare, & esse in causa, ne tandem perveniret ad optatum finem æternæ beatitudinis, ad quẽ dirigitur tota œconomia supernaturalis. Quare hoc etiam iure optimo comprehensum creditur in Divinis illis promissionibus, quæ factæ sunt Petro, & in Petro omnibus alijs verè successoribus ipsius in Pontificali dignitate, cuiusmodi sunt illæ: *Pasce oves meas: Confirma fratres tuos: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Vbi non solùm auctoritas in alios committitur; sed etiam promittitur Divina assistẽtia, ne circa ista decipiatur, & deceptione sua Christi oves decipiat, avertatque à recto tramite.

131. Atque ex speciali ista directio, & assistentia oritur, vt vniversam Ecclesiam possit obligare ad assentiendum, vel certè ad non dissentiendum determinationi, seu definitioni illius. Nam cùm ipsa sit *columna, & firmamentum veritatis*, ea tota errare non potest circa Fidem, mores, aut pietatem, etiam errore invincibili, vt fusè ostendit Suarez *lib.* 1. *contra Regem Angliæ. cap.* 4 *& disp.* 5. *de Fide. sect.* 6. Errare autem posset, si deberet conformari, saltem quoad specificationem, iudicio fallibili cuiuscumque hominis privati, vt neque interioti assensu posset ab eo discrepare licitè: & ideò solùm potest obligari

gari ad credendum, atque recipiendum tanquam in se verum, ac rectũ, vel ad cavendum tanquam falsum, aut iniquum id, quod superiori ista assistentia, atque directione præmunitur. Profectò obedientia cœca, quæ est obedientia iudicij, licet in subditis laudetur quàm maximè; adhuc tamẽ non est adeò necessaria, vt eam possint sua propria auctoritate, vel superiores præcipere, vel subditi ad illam obligari, quoties præceptum, aut censura alicuius propositionis emanat ab aliquo Tribunali, vel Superiore fallibili. Ergo vt istiusmodi obligatio locum habeat, necesse est, vt à Prælato infallibilis auctoritatis proficiscatur, atque vt ea vti velit in censura ipsa.

132. Dices primò, Pontifices in his decretis non præcipere, vt censuris, ac iudicio ipsorum acquiescamus; sed solùm, ne deducamus ad praxim propositiones damnatas, & ne eas defendamus, &c. Ergo adhuc liberũ nobis relinquunt à iudicio suo discrepare, ac putare, non esse scandalosas, neque pernicioſas, quamvis eas defendere docere, aut practicare non liceat. Confirmatur. Nam quoad nos tunc solùm Pontifex in decretis Fidei, aut morum hac infallibili docendi auctoritate vsus, aut locutus reputatur, cùm in rebus dubijs, & vtrimque controversis sic suam sententiam, iudiciumque interponit, vt ad illud recipiendum, ac non dissentiendum sibi Ecclesiam vniversam vult obligare, vt accuratè explicant inter alios Valentia *in Analyſi Fidei lib. 8. & q. ac diſp. 1. de Fide. punct. 7 §.* 40. *&* 41. Granado *controv. 1. de Fide. tr. 7. diſp. 2. ſect. 1.* Gibalinus *tom. 2 de ſcient. Canon. lib. 5. cap. 3. n.* 17. Theophilus Raynaudus *in Coron. aurea fol. mihi* 148. *colum* 2. verſ. *Itaque.* Igitur talis voluntas prorsus necessaria erat in his decretis, vt Pontifex obligaret ad assentiendum interiùs, vel certè ad non dissentiendum censuræ, ac iudicio suo. Sed huiusce voluntatis, atque obligationis nullum signum in istis decretis extat. Ergo nulla est obligatio assentiendi, seu non dissentiendi ab illis.

133. Respondeo, huius difficultatis solutionem ex illis sumendam esse, quæ *num.* 56. 57. *&* 61. premisimus. Atque ex ibi dictis constat, ad inducendam præcisam obligationem acquiescendi iudicio Pontificis non esse necessarium vllum præceptum positivum ipsius; imò nec esse sufficiens, quia positiva præcepta Pontificis virtute sua ad actus merè internos nequeunt obligare, quales sunt assentiri, aut dissentiri. Vnde obligatio, quæ hîc datur, supposita censura Pontificis, non est iuris humani, sed Divini, quod ad interiores etiã actus potest obligare, & intellectum constringere, vt discursus suos postponat, & in obsequium supremæ auctoritatis captivet. Resultat autem necessariò hæc obligatio ex ipso facto Pontificis, quoties Pontificia auctoritate notam aliquam inurit doctrinæ alicui morali, aut cùm eius praxim prohibet tãquam noxiam, & oppositam honestis moribus, vel disciplinæ Christianæ. Certò enim constat aliũde ex Divinis promissionibus eum in his non posse errare contra Fidem, bonos mores, aut pietatem. Vnde, qui putaret non esse scandalosas, aut pernicioſas in praxi eas propositiones, quas fatetur fuisse ab illo prædictis notis inustas, apertè convinceretur sentire contra infallibilitatem illius, iurique Divino sese opponeret præcipienti, vt ipsum habeamus tanquam regulam visibilem Spiritus Sancti regimine præmunitam, ne in his possit Ecclesiam decipere, & deviare à recto veritatis tramite.

134. Vt autem planiora hæc

fiant, diligenter oportet obſervare, cenſuras Pontificias illorum, quæ pertinent ad mores, & pietatem, alias eſſe approbativas; alias verò reprobativas, ſeu condemnativas doctrinarum. Approbativa erat Conciliaris illa Leonis X. docentis, montes pietatis non eſſe vſurarios; ſed meritorios, ac licitos, vt *quæſt.* 13. expendebatur. Quanto autem impendio ei ſeſe oppoſuerint Caietanus, Sotus, & Aragon, & quàm malè audierint apud reliquos ob hanc cauſam, eodem loco plenè demonſtratur. Perinde autem eſt, vt conſtat, eiſdemque prætextibus palliari poteſt aſſertio contradicens reprobationi ab eo factæ. Quare eiuſdem eſt incommodi, ſive Pontifici reprobanti diſſentias, ſive potiùs approbanti. Approbativa etiam eſt Cœlitum canonizatio, & præceptum colendi illos tanquam Sanctos, & quamvis non contra Fidem, Theologicè tamen erraret, & contra ius Divinum delinqueret, qui ſeſe opponeret etiam interiùs iſti certæ veritati, negando ex. g. eſſe in Cœlo Sanctum Franciſcum, aut putando ſuperſtitioſè ei deferri cultum, & honorem Sancti. In approbatione Religionum pariformiter contingit, & propterea exceſſit valde Melchior Canus, cui inſedit, Pontificem poſſe in his labi, vt refert Azor *tom.* 1. *inſtitut. lib.* 2. *cap.* 16. *in fin.* etſi in novis editionibus id fuerit meritò ablatum.

135. Dices 2. Iuxta dicta eamdem vim habet in decretis doctrinalibus cenſura approbativa, atque reprobativa. Sed cenſuræ approbativæ doctrinarum non ſunt vſque adeò certæ, quin ab illis diſſentiri liceat, quamvis à Pontifice emanaverint. Ergo id ipſum cenſuris reprobativis eveniet. Confirmatur primò. Quia tantumdem obligat cenſura Pontificis approbantis aliquam doctrinam vt ſanam, ac reprobantis illam vt noxiam. Sed ſæpe approbarunt Pontifices vt ſanam, atque ſecuram doctrinam quorumdam Patrum, quin propterea obligent ad acquieſcendum his cenſuris, vel ad non ſentiendum aliter, quàm illæ doctrinæ ferunt, maximè cùm ſæpe ſæpius contingat, vt inter ſe ſint oppoſitæ, vt in doctrina Sancti Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum, ſi inter ſe mutuò conferantur, experiri licet. Ergo idem eveniet illis, quæ reprobantur vt noxiæ à Pontifice, vel ab ijs ipſis, quorum doctrina tanquam ſana, & ſalubris approbatur, nam eo ipſo approbatur, quod affirmant, nimirùm quaſdam doctrinas eſſe nocivas, & pernicioſas. Confirmatur ſecundò. Quia Pontifices in quæſtionibus liciti, & illiciti quandoque inter ſe diſſentiunt, vt varijs exemplis oſtendimus *à num.* 108 & quod vnus licere exiſtimavit, alius illicitum reputat. Non ergo cenſuræ iſtæ ſunt neceſſariò tenendæ.

136. Reſpondeo, de his latè, & ex profeſſo differere P. Valentia *dicto lib.* 8. *Analyſis Fidei toto cap.* 3. ex quo plura huic inſtituto nimis opportuna depromentur, eſtque inſpiciendus ante omnia modus ipſe approbationis, ac verba, ne vltra terminos illius extendatur obligatio cõſentiendi. Nam quædam ſolùm in generali approbantur, quædam in ſpeciali, quædam vt probabilia, alia vt certa: nec circa hæc omnia eſt æqualis obligatio, aut par certitudo, quod itidem pariformiter in cenſuris reprobativis eveniet. Et in vtriſque peculiariter conſiderari debet principalis determinatio Pontificis, & ſecerni ab ijs, quæ obiter dicuntur, aut pro ratione adhibentur, cum alijs, quæ *à num.* 114. obſervavimus ex communi Auctorum ſenſu. Ad primam confirmationem reſpondeo, approbationes illas generales nihil aliud præſeferre, niſi

Pa-

Patres illos piè, & vtiliter de Religione ſcripſiſſe; ſed nullatenus intendere approbare tanquam vera quæcumque ab ipſis dicuntur, ſed ſolùm tanquam dicta hominum fallibili auctoritate præditorum; tametſi magna, & mutationi in ſuis aſſertis obnoxia, ſi veritas inclareſcat ampliùs ſucceſſu futuri temporis: nam hoc modo, & ſub iſta perſuaſione ab illis tradita fuerunt. Vnde aliquando contingit, vt Pontifex duas contradictorias tãquam probabiles approbet, quod per ſpecialem Bullam factum invenitur circa controverſiam celebrem de adventu Chriſti, Adamo non peccante; & videri poteſt apud Saura *de examin. propoſit. cap.* 12. *fol. mihi* 35. vbi refert Bullam Sixti IV. dicẽtis, vtramque opinionem eſſe *pietati, fidei, auctoritatibus, & rationibus conſonam.* Neque omittendum eſt, in hoc genere maximi momenti eſſe approbationem libri exercitiorum Sancti Parentis Ignatij: facta namque eſt à Paulo III. auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia poſt accuratum examen, diuturnumque experimentum fructus, quem Eccleſiæ attulerant, & *omnia, & ſingula in eis contenta approbantur, collaudantur*, & Apoſtolico præſidio, ac defenſione muniuntur, adhortante Pontifice plurimum in Domino omnes, & ſingulos Chriſti fideles vbilibet conſtitutos, vt tam pijs documentis, & exercitijs vti, & illis inſtrui devotè velint. Ad ſecundam conſtat ex dictis *quæſt.* 16. aliaque adducit Valentia *in dicto cap.* 3. *ad vltim.*

137. Dices 3. Iſtiuſmodi decreta non eſſe dogmatica; ſed merè iudicialia, neque proceſſiſſe *ex Cathedra*; ſed *ex Tribunali Sanctæ Inquiſitionis*, neque prodiiſſe à Pontifice, vt Pontifex eſt; ſed ab illo, vt Præſide illius Sancti Tribunalis attemperante auctoritatem ſuam ſenſui, ac examini, quod in illo factum reperit. Diſtinctionem cenſurarum merè iudicialium à dogmaticis plenè expoſitam invenies *ſup. num.* 99. atque aliorum terminorum vim iam anteà oſtendimus, & hanc eamdem obiectionem propoſuimus *num.* 102. inter alia ſigna, quæ probate videbantur, decreta iſta, atque cenſuras doctrinarum inibi contentas plus roboris nõ habere, quàm decreta Sanctæ Inquiſitionis Romanæ, aut Hiſpanæ edita, Inquiſitore ipſo generali ſuffragante, & aſſentiente.

138. Reſpondeo 1. Hæc decreta immediate facta fuiſſe, non ab ipſo Tribunali Sanctæ Inquiſitionis, ſed à Summis Pontificibus Alexandro, & Innocentio, adeò clarum eſt, ſi contextus illorum inſpiciatur, vt in dubium revocari nequeat. Neque enim ab aliqua particulari Congregatione, aut Tribunali emanarunt, cui ipſe deciſionem commiſerit: neque *eo cõſulto* prodierunt, aut *facto verbo cum Sanctiſſimo*, vt aliàs ſcribi ſolet in pleriſque declarationibus, aut decretis Sacrarum Congregationum; ſed Pontifex ipſe eſt, qui loquitur: ipſe, qui examen inſtituit: ipſe, qui ſuffragia Theologorum, & Cardinalium accepit: ipſe *ſtatuit, ac decrevit*, eas propoſitiones tanquam ſcandaloſas, ac pernicioſas in praxi damnandas eſſe, ac prohibendas. Ipſe denique eas prohibuit, & damnavit, & ipſe vlteriùs præcepit toti Eccleſiæ, ne deinceps deducerentur ad praxim, & ne ederentur in lucem, aut defenderentur publicè, aut privatim, & ne de illis tractaretur, etiam diſputativè, niſi fortè ad impugnandum. Et quia hæc fieri non potuerunt ab eo immediatè, vt eſt perſona privata, planè conſtat, facta fuiſſe ab illo, quatenus eſt Pontifex, & Paſtor Eccleſiæ, iudexque controverſiarum moralium, quæ in ipſa quotidie emergunt, idque in de-

decretis ipsis clarissimè exprimitur, *vt quæst.* 8. ostendebatur. Quocirca, sive dicantur facta ex Cathedra, sive ex Tribunali, sive è suggestu, aut pro concione, in aperto est, ea esse Sedis Apostolicæ sua propria auctoritate vtentis, habereque proinde eam infallibilitatem, quæ ex peculiari assistentia, directioneque Spiritus Sancti eiusmodi legibus, ac censuris confertur.

139. Respondeo 2. Nil obstare, quòd eiusmodi decreta primùm tradita, atque promulgata fuerint inter privatos parietes Inquisitionis Romanæ, & in Congregatione inibi facta. Tum quia idem contigit decreto Clementis VIII. circa absolutionem, aut confessionem *absentis*, vt in eo videre licet; & tamen nemo est, qui dubiret, tàm censuras, quibus ea doctrina inuritur, quàm præcepta posteà adiuncta, esse veritatis infallibilis, & Apostolicæ Sedis. Et quamvis in hoc decreto censuræ graviores sint, & valde diversæ ab illis, quæ in decretis Alexandri & Innocentij cõtinentur, vt fusè expendimus *quæst.* 12. modus tamen eas tradendi, necnon & locus, fuit omnino idem: nunc autem de ipsis censuris non agitur; sed de modo, ac loco illas tradendi. Tum præterea, quia istiusmodi decreta primùm tradita, ac concepta fuisse in Tribunali Inquisitionis Romanæ, ad summũ probat, ea non habuisse vim generalem obligandi ex tunc; sed ab illo die, quo promulgata sunt per modum legis, ac decreti vniversalis in acie campi Floræ, & alijs locis consuetis, vbi posteà publicata sunt decreta ista. Neque enim aliter, quàm post huiusmodi solemnẽ promulgationem, è Sede Petri, seu ex Cathedra loqui censentur Pontifices, etiamsi decreta, aut leges suas anteà imprimi faciant, & suam voluntatem alijs privatim communicent, vt notat Pater Vasquez 1. 2. *disp.* 155 *num.* 14 *&* 15.

140. Tum vlteriùs, quia ad loquendum ex Sede Sancti Petri, & cum infallibilitate propria illius parum refert locus privatus, aut publicus, vbi Pontifex primùm mentem suam manifestat: nam, sive sit Cathedra, sive Tribunal, sive suggestum, sive thronus, seu sellare, sive privatum cubiculum, cùm legitimè posteà publicantur, idem sequitur effectus. Quamobrem plures epistolæ, responsaque privata Pontificum ad casus particulares vim legis vniversalis habent, postquàm redacta sunt in corpus iuris Canonici, vel (quamvis extra ipsum inveniantur) si communi vsu, & acceptatione sint tanquam tales receptæ. De quo Suarez *in dicto lib* 4. *de legib. cap.* 14. Vasquez 1. 2. *disp.* 157. *n* 37. ex quorum doctrina, quæ vera est, ac recepta communissimè, valde efficax argumentum sumitur ad improbandam obiectionem, cui modò respondemus. Atque pariter nobiscum sentiunt, qui in terminis, vt aiunt, terminantibus differunt de istis decretis, & nominatim circa decretum Alexandri P. Moya *in select.* 1. *p. tr.* 3. *disp.* 8. *dub.* 6. *n.* 23. & P. Cardenas 1. *p. Crisis Theologicæ, disp.* 9. *cap.* 20. *& num.* 329. & circa decretum Innocentij idem Cardenas 3. *p. disp.* 77. *cap.* 2.

141. Dices 4. Esto hæc ita sint, cùm censuræ doctrinarum sunt perpetuæ, & immutabiles; contrarium esse dicendum, cùm ex modo ipso statuendi, atque condemnandi constat, illas esse temporales, & mutationi subiectas. Huiusmodi autem esse censuras ab istis Pontificibus inustas, constat ex illa particula *pro nunc*, cuius vim expendimus *quæst.* 5. illa enim perpetuum silentium non imponit, & tantumdem valet, ac si diceretur, *rebus sic stantibus*, vel, *alio non appa-*

apparente. Respondeo, decreta ista, quatenus à Pontifice emanarunt, & pro tempore, quo ab ipso emanarunt, semper esse immutabiliter vera, & irretractabilia; quamvis ratione materiæ, circa quam censura Pontificia versatur, pro alio tempore contingere possit, vt aliud sentire oporteat, & fateri, nō quidem errasse Pontificem; sed, mutatis circumstantijs, & spectata priùs illius iussione, censurā ipsam immutandam esse. Notabam hoc ipsum *suprà num* 25. cum Suario *lib. 4. de legibus. cap.* 14. *num.* 7. qui id disertè tradit circa ea, quę ex iure positivo dependent, *& num.* 117. expendebam, propter mutationem iuris positivi contigisse, vt propositio quędam Pontificia, & Conciliaris circa regulares indebitè recusatos, de non scandalosa, & sana in scandalosam, & pernicioſam transierit. Sunt autem inter propositiones condemnatas quamplurimæ, quarum censura dependet ex iure positivo, quod nunc viget, licet anteà non vigeret, & tàm veritas, quàm sanitas ipsarum rediret, si istud ius revocaretur.

142. Respondeo 2. ex dictis *num.* 105. etiamsi loquamur de his, quæ spectant ad ius naturale, vel Divinū, contingere posse, vt pro tempore censura Pontificia varietur. Non quia ista iura in se ipsis vlli mutationi subiaceant; sed quia intelligentia ipsorum decursu temporis variari potest, novis rationibus hinc inde affulgentibus. Exemplo sint quamplures propositiones, quas Pontifices condemnant, eo quòd dicant, aliquid esse probabile: quia ex terminis non repugnat, vt propositio, quæ pro nunc est improbabilis, posteà succedente tempore valde probabilis fiat, vt suaderi potest mille exemplis: sicut vice versa eæ, quæ anteà erant probabiles, in improbabilitatem degenerant, & ita nunc degenerarunt plures vi decreti Pontificij, quas multi graves Auctores probabiles esse credebant. Sic probabiliores vno tempore, postea fiunt minùs probabiles; imò antiquatæ, & extra numerum opinionum certò probabilium, vt sententiæ defendenti maculatam Conceptionem B. V. plurimi contigisse pronuntiant, & alijs doctrinis evenit, quæ olim in Ecclesia ferebantur, & quorumdam PP. auctoritate subsistebant, & sunt posteà in Concilijs damnatæ. Neque Pontificiæ auctoritati apertè contrairet, qui assereret, illum approbasse tanquam probabiliorem aliquā opinionem speculativam, aut moralem, quæ posteà probabilior esse desijt, & fortasse falsa evasit. De quo videnda, quæ scripsimus *à num.* 32. Sic Religiones, quæ suæ fundationis, & approbationis tempore vtiles Ecclesiæ censebantur, mutatis circumstantijs, extinguuntur, quia tunc temporis minùs vtiles apparent, vt attigi *num.* 103. Et sic demum propositio, quæ vt malè sonans damnatur, vel tanquam offensiva piarum aurium, deinde assuetis auribus, & vero sensu illius intellecto, malè sonans esse desinit, vt notat Corduba *in quæstionar. lib.* 1. *q.* 7 §. 14. *ante fin.* & breviter Ioannes Gisbert. *in quæstionib. Theologicis iuris, & facti. q.* 8. *de Fide. ar.* 3. *fol. mihi* 288.

143. Dices 5. Istiusmodi decreta non esse declaratoria malitiæ repertæ in doctrinis, quæ prohibentur; sed solùm reprobativa, & prohibitiva defensionis, evulgationisque illarum, & actionis deducentis eas ad praxim. Atqui leges, & præcepta Pōtificia, etiam spectantia ad mores, infallibilia non sunt, atque ideò sæpe sæpius revocantur, vt *num.* 97. speciali exemplo monstrabatur, passimque evenit, vt reformationis decreta, etiā edita in Concilijs, re melius inspecta, posteà revocentur. Et confirmatur, quia

quia licet ratio prohibendi, ne propositæ doctrinæ ad praxim deducantur,& ne publicè,aut privatim tradãtur, aut evulgentur, fuerint scandala, & damna, quæ indè timebantur, non ideò illæ ex se,& antecedenter ad decreta Pontificia scandalosæ, aut pernicioſæ existimari debent. Nam rationes,quibus vruntur Pontifices, ſolent non esse infallibiles, vt *num* 48. constabat. Confirmatur 2.quia nunquam affirmant Pontifices, has doctrinas esse scandalosas,aut perniciosas; sed solùm dicunt, *tanquam* tales damnandas esse,ac prohibendas. Ly autem *tanquam* solet esse nota improprietatis ex dictis *quæst* 4. Confirmatur 3.quia nõ damnant illas absolutè;sed cum limitatione,& sub modo, qui indicatur per particulam *ita vt*, quæ nullam declarationem importat; sed ad præcepta, & prohibitiones posteà subiunctas refertur.

144. Respondeo ex dictis *quæst.* 9 & sequentibus,in his decretis re vera declarari, prædictas doctrinas esse scandalosas,ac pernicioſas in praxi,& hanc esse determinationem principalem Pontificum, sive id dicatur spectare propriè ad legislativam potestatem, sive ad officium Pastoris, & iudicis controversiarum,quæ ad mores Ecclesiæ pertinent. Præcepta autem,& prohibitiones subiunctę subsidiariæ sunt ad roborandam declarationem adiectæ. Neque enim propositiones damnatæ ideò scandalosæ sunt,& pernicioſæ in praxi,quia prohibitæ; sed potiùs prohibitæ, quia scandalosæ, & pernicioſæ erant, saltem scandalo, pernicieque imminentibus, ni Pontifex tempestivè occurreret,eas condemnando, ac prohibẽdo praxim, ac defensionem illarum. Et plurimæ, quæ ad vsuram,simoniã, & alia id genus spectant, ratione materiæ sic se habent, vt eodem titulo, quo scandalosæ, ac pernicioſæ sunt; deinceps futuræ, olim etiam scandalosæ ac pernicioſæ fuerint. Iuri enim Divino, aut naturali ex se ipsis opponebantur, & prohibitio, ac condemnatio solùm præstitit, vt certò id nobis constaret, licet anteà minùs certum esset. Quo pacto Pontifices sæpe declarant, propositionem aliquam esse de fide, & eius contradictoriam hæreticam, quia ex Sacris Scripturis depromitur, & in eis continebatur, licet ante definitionem Pontificis legentibus esset incertum.

145. Ad primam confirmationem respondeo, prædictas propositiones ideò prohiberi quoad defensionem, evulgationem, aut praxim, quia scandalosæ sunt, ac pernicioſæ, sed hoc ipsum etiam declaratum esse in his decretis, & ipsas propositiones reprobatas, & condemnatas vt tales: ad modum, quo doctrinæ hæreticæ, earumque defensio, ac praxis prohibẽtur,& anathematismis,alijsque cẽsuris Ecclesiasticis percelluntur, qui illas tradunt, aut defendunt, vel ad praxim revocant (si spectant ad mores) quin propterea liceat dicere, eas non mereri certissimè censurã illam, quæ posteà fuit ratio Pontifici anathemata,præceptaque adijciendi. Ad secundam confirmationem respondeo, l *tanquam* in nostro casu non significare improprietatem, vt in plerisque alijs evenit; sed potiùs exponere sententiam,quę intenditur. Et sanè, cùm Pontifex iubeat abstinere ab ijs docendis, aut practicandis tanquam ab scandalosis,& pernicioſis in praxi, Ecclesiam scandalosè deciperet, magnamque errandi occasionem circa doctrinam morum ei præberet, nisi re vera scandalosæ,ac pernicioſæ essent, vt in simili expendebam *ex num.* 30.& 31. Ad tertiam habeto ex ijs,quæ modò diximus,sola præcepta imposita in his decretis sufficere, vel se solis ad excipiendum pro omnino certis,

certis,& infallibilibus cenſuras, quibus propoſitiones inuruntur. Quia Pontifex, iuxta toties propoſita, nequit decipi, aut decipere Eccleſiam iubendo,vt fideles caveant ab aliqua doctrina tanquam ab ſcandaloſa,aut pernicioſa, ſi verè talis non ſit, ſed proficua,& ſalutaris:ad modum,quo vice verſa præcipere nequit, vel hortari,vt tanquam vtilem,& ſalutarem ſectentur,quæ ſcandaloſa eſt,aut pernicioſa in praxi.

146. Denique quòd aſſertiones iſtæ non ſint condemnatæ damnatione illimitata, & abſoluta, ſed limitata,ac modali, quamvis verum ſit, nil obſtaret noſtræ doctrinæ : ideò enim diximus ante omnia inſpiciendum eſſe modum condemnationis,& cenſuræ inuſtæ qualitatem,vt infallibilitas ex æquo reſpondeat condemnationi, & modo illius; non verò alijs, quæ à Pontifice nec ſunt intenta, nec tradita. Vnde quia propoſitio purè interna, atque mentalis ſcandaloſa eſſe nequit,aut præbere alijs occaſionem ruinæ,*vt num* 28.propoſui cum Arriaga,Moya,& alijs, ideò Pontificia cenſura propoſitiones merè externas ſcandaloſas declarat abſolutè; internas verò ſub conditione damnat, quòd alijs exteriùs tradantur: ſicut etiam illas pernicioſas vocat ſub conditione,quòd deducantur ad praxim. Nec ſolùm modus cenſuræ, & eius qualitas attendi debet in decretis reprobativis doctrinarum; verùm etiam in approbativis: quia,vt notavi *ſuprà num.*136.longè maior efficacia ineſt approbationi ſpeciali, quàm generali. Hæc enim, vt rectè obſervat Toſtatus *in defenſorio* 2.*p.cap.*89. & ex eo Gisbertus *vbi ſuprà quæſt.* 5. *art.*1.*fol.mihi* 264.ad quatuor præcipua capita extenditur, neque maiorem vim habet. Primum eſt,conferre eo ipſo facultatem legendi,habendique libros eo modo approbatos. Secundum, addere commendationem fructus, & vtilitatis. Tertium, amovere ab auctore ſuſpicionem hæreſis,aut erroris voluntarij.Quartum, concedere auctori eum gradum auctoritatis, vt allegatus pro aliqua ſententia, etiam ſecluſa ratione, probabilitatem faciat.

QVÆSTIO XX.

Quo genere peccati delinquat, qui tradit, aut docet propoſitiones ab his Pontificibus damnatas?

147. NOn iam loquor de eo,qui ſcienter ſe ſe opponit condemnationi ipſi, negando ſcienter, illas eſſe ſcandaloſas, atque pernicioſas in ſenſu à Pontificibus intento : nam de malitia, & gravitate huius peccati ſatis,ſuperque in ſuperioribus egimus; ſed de eo loquor, qui propoſitiones ipſas docet, vt iacent, quem longè minùs peccare,quàm illum, qui veritatẽ cenſurarum denegat,meritò Malderus tradit cum Bañez 2. 2. *q.*11. *art.*2. *memb.*5. *poſt medium*.P.Suarez *diſp.*19 *de Fide ſect.*6.*num.*3. ſupponit, quamvis hoc fiat ſcienter, atque pertinaciter, non involvere malitiam hæreſis, & hoc certum vocat, eique infrà referendi ſubſcribunt, conſtarque planè ex ſuprà dictis *num.* 90. *&* 94. quia hæc materia vel non à Deo revelata, vel certè per hæc decreta non proponitur vt talis, neque id fuit examinatum, vocatumve in controverſiam; quinimò cenſura ſcandali immediatè ſolùm cadit ſupra propoſitionem externam, & eius veritati non opponitur ex dictis *ſuprà num* 146. Addit Suarez *num.*5.malitiam quaſi intrinſecam, quam ex obiecto ſuo habet

hoc peccatum, & per quam in sua specie constituitur, abstrahendo ab aliis circumstantijs, pertinere ad vitium curiositatis in materia supernaturali. Sed hoc non placet Card. de Lugo *disp.* 20. *de Fide. à num.* 131. Arriaga *disp.* 20. *de Fide num.* 28. qui *num.* 25. ait, errare circa has propositiones ex ignorantia censuræ, sive ea crassa sit, sive affectata, non esse peccatum mortale. Moya *in select.* 1. *par. tr.* 3. *disp.* 6. *q.* 5. *num.* 48. à Suario non dissentit, indicatque, eiusmodi peccatum, vt est præcisè curiositas, terminos veniales non excedere. Mihi in hac causa videtur non aliud peccatum committi, quàm scandali aduersus illam virtutem, in cuius materia vnaquæque propositio præbet occasionem delinquendi. Nec plus postulat eiusmodi prohibitio, aut condemnatio.

DISSERTATIO IJ.

CIRCA PRIMAM PROPOSITIONEM ab Innocentio damnatam.

Hæc sunt verba illius, vt in decreto Pontificio iacet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilitantùm tenendum non est in collatione Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

CAPVT PRIMVM.

Legitimus propositionis sensus.

1. ILla excerpta fuit, vt iacet, ex thesibus Antuerpiæ defensis *anno* 1673. ab Ignatio Maillot moralis Theologiæ Professore, indeque delata ad Sanctam Sedem: neque scio, an in aliquo alio auctore reperiatur integrè, aut in illo sensu, qui ex eius verbis depromitur. Tribuitur Escobario. Sed immeritò, quia ille expressissimè cõtrarium docet *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 2. *num.* 18. Melius adscribi potuisset, verborum cortice inspecto, Ludovico Scildere *tr.* 2. *de consc. cap.* 9. *num.* 109. Cæterùm neque eam integram tradit; sed solùm partem priorem: nec conferenti permittit agere iuxta probabilem opinionem alienam de valore Sacramenti; sed duntaxat iuxta propriam: neque admittit generalem illum sensum, quem verba præferunt, sicuti in decreto iacent, nempe à suo contextu auulsa; sed mentem suam deinceps exponit, supplens, temperans, modificans plurima, quæ in illo asserto præcisè desiderantur, vt aliqualiter defendi possit:

ſit: adeòque ex eiſdem principijs iam anteà præmiſerat *num.* 22. *&* 24. in illis, vnde pendet Sacramenti valor, *frequentiſsimè* procedendum eſſe via tutiore.

2. Theſis igitur duas partes continet, ſeu potiùs duas enuntiationes diverſas. Alteram exceptivam, quæ per particulam *niſi* declaratur. Alteram excluſivam, ſeu taxativam per adverbium *tantùm* in ea incluſum: & vtraque exponi debet in eo ſenſu, quem præſcribunt receptæ ab omnibus Dialecticorum regulæ circa propoſitiones exponibiles, vt, quæ in ſe ipſis inſpectæ, obſcuræ apparent, per exponentes ſuas luce donentur. Exceptiva itaque his vocibus conſtat: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Excluſiva autem, quæ propter adverbium *hinc* etiam eſt illativa, ſeu cauſalis, his ſequentibus: *Hinc ſententia probabili tantùm vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

3. Exceptiva in tres diverſas propoſitiones reſolvitur, quarum prima generalem regulam proponit, quę ex conceptu ſuo *plerumque*, & vt plurimùm debet verificari: ſecunda exceptiones tradit: tertia regulam diſtinctiùs exponit. Prima ſic ſe habet: *Regulariter non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Secunda ita: *Hoc eſt illicitum, cùm lex id vetat, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Tertia hoc modo: *Id ipſum licet, quoties nec lex obſtat, nec conventio, nec gravis damni periculum.* Vbi (vt ex terminis patet) ſecunda aſſertio evidentiſſima eſt, & ne in dubium quidem revocari valet; prima autem ex eo difficilis, quia oppoſita potiùs doctrina, tanquam generalior, & frequentior per modum regulæ tradenda videbatur: tertia in quodam ſenſu vera; ſed ſtultè, & extra rem tradita. Vniverſim namque verum eſt, omnia eſſe licita, quæ nulla lege vetantur: ſicut vice verſa, quidquid eſt illicitum, aliqua lege prohibetur; aliàs nõ eſſet peccatum. Dicere ergo, collationem Sacramenti tunc eſſe licitam, cùm nulla lex illam prohibet; illicitam verò, ſi lex aliqua illam vetet, verum quidem eſt; ſed in propoſito inutile, quia nil penitus conducit ad exponendum regulam iam anteà traditam, ſive ad diſcernendum, quando in praxi liceat, aut non liceat miniſtrare Sacramenta ex opinione probabili.

4. Attamen contextus ipſe propoſitionis demonſtrat, longè alium eſſe eius ſenſum, atque in ea exceptione: *Niſi lex id vetet:* non eſſe ſermonem de lege vniverſim ſumpta, prout cõprehendit quamvis legem, ſive æternam, ſive poſitivam, ſive naturalem; ſed ſolùm de lege poſitiva Eccleſiæ, quæ id vetat in multis caſibus, eòſque reddit certò illicitos, quamvis fortaſſe licerent, inſpecta ſolùm lege naturali. Subaudiri igitur debet ex contextu propoſitionis, vt iacet, vox illa *Eccleſiæ*, ac ſuppleri, quaſi expreſſim diceret, non eſſe illicitum talem modum conferendi Sacramenta, niſi lex Eccleſiæ id vetet, vel conventio, vel periculum incurrendi grave damnum. Ratio evidens eſt, quia in priori ſenſu nihil aliud ibi diceretur, niſi talem vſum eſſe licitum, cùm non eſt peccatum, quandoquidem idem omnino ſunt non eſſe peccatum, & non eſſe contra legem, ſicut idem eſt eſſe peccatum, & eſſe contra legem. Quis autem non videat, hanc non eſſe exceptionem regulæ generalis dicentis talem vſum eſſe licitum; ſed affirma-

tionem cuiusdam prædicati convertibilis cum licito in hac materia, & in quacumque alia? Nam opus aliquod non esse peccatum, non esse illicitum, & non esse contra legem (vt ex Augustiniana illius definitione patet) termini sunt convertibiles, & reciprocè connexi.

5. Augeo difficultatem, quia illæ voces: *Nisi lex id vetet:* ponuntur tãquam exceptio condistincta à duabus alijs, nimirùm à conventione, & periculo incurrendi grave damnum. Atqui, nisi lex sumatur pro lege positiva, eæ omnes inter se confunderẽtur, & ineptissima quadam divisione propositio constaret. Nam agere cõtra conventionem ideò est illicitum, quia lege iustitiæ prohibetur; inducere in gravis damni periculum, quia vetatur lege charitatis. Ergo eo præcisè, quòd sub illa vniversalitate dicatur, vsum probabilium illicitum esse, cùm lege aliqua prohibetur; licitum verò, cùm nullâ, comprehensa erant sufficienter omnia, quę per illas exceptiones importantur. Confirmatur. Quia ineptè diceretur, nil esse peccatum, nisi sit contra legem, conventionem, aut indemnitatem alterius: nam sola prior exceptio est plus quàm satis, & ideò ea sola proponitur in definitione peccati, duabus alijs prætermissis. Ergo nulli verosimile esse potest, in hoc sensu traditam fuisse eam doctrinam.

6. Vrgeo insuper, quia nemo dubitat, in hac propositione plus iusto extendi facultatem licitam conferendi Sacramenta ex opinione probabili circa valorem ipsorum: omnesque vt certum supponunt, attento contextu illius, hac de causa esse reiectam, & à Sede Apostolica confixam. Atqui extensio ista nulla foret, nisi vox illa *Ecclesiæ* subaudiatur: nam alioqui, vt ex anteà dictis constat, scìùm ibi exprimerentur duæ veritates clarissimæ, quibus nemo refragatur, sive neget, sive afirmet, licitum esse aliquando ministrare Sacramenta ex opinione probabili, tutiore relicta ad libitum. Explicatur. Nam, qui docent, esse illicitum regulariter loquendo ministrare Sacramenta incerti valoris, non negant, id esse licitum, cùm nulla lege vetatur, vt in casu necessitatis contingit: neque inficiantur, esse illicitum, cùm prohibetur lege aliqua. Sed totum discrimen est, quia ipsi subsumunt, incertum illum modum ministrandi Sacramenta ex opinione probabili esse generaliter prohibitum lege naturali religionis consulentis summæ reverentiæ, quæ rebus adeò sacris debetur; propositio verò, vt iacet, talem legem non admittit; imò supponit, nõ dari, vt contrariæ regulæ locum relinquat, adstruatque, neque semper, neque vt plurimum talem modum esse illicitum; sed præcisè in casibus specialibus, quos peccaminosos reddit alia lex minùs communis.

7. Arguo præterea. Quia exceptio non debet exponi ita, vt regula generalis destruatur: neque enim eam tollit; sed limitat. Sed hoc contingeret, si exceptio illa: *Nisi lex id vetet:* tàm legem communem Sacramentis omnibus, quàm specialem alicuius Sacramenti, aut opinionis comprehendat. Ergo ad solam hanc debet restringi. Suadetur minor. Nam, qui dicit, modum illum ministrandi Sacramenta non esse illicitum, nisi lege generali, aut speciali prohibeatur, vtrique prohibitioni locum præstat, vtramque admittit, & cum sua doctrina quamlibet componi tradit. Sed cum generali lege naturaliter prohibente desertionem voluntariam sententiæ tutioris ijs, qui Sacramenta conferunt, non componitur vniversalis regula tradens, id non esse illicitum, nisi in quibusdam casibus peculiariter

iariter exceptis, qui, vel ex eo solùm, quòd excepti sunt, non possunt esse vniversaliores, quàm sua regula, nec contingere frequentiùs; sed in paucis. Ergo, omnibus inspectis, ea exceptio non tàm esset limitatio, quàm suæ regulæ destructio.

8. Hisce positis circa priorem illam propositionis partem, quæ exceptiva est, supereſt altera, quæ est exclusiva, & per adverbium *hinc* cum exceptiva continuatur, ac continenti filo ex ea deducitur; sed longè difficiliùs exponitur, quia incertum est, an ly *tantùm* positum in medio illius referatur ad ea, quæ præcesserant, vel ad illa, quæ sequuntur. Præcesserant verba ista: *Hinc sententia probabili*, quibus si ly *tantùm* adiungatur, eaque afficiat, ac modificet, sententia tantùm probabilis circa valorem Sacramenti illa appellabitur, cuius executio incertũ reddit valorem ipsius, & certitudinem ipsi contrariam dictio excludet. Vnde hic erit eius sensus: *Hinc sententiâ, quæ est probabilis circa valorem Sacramenti, non verò secura, & certa, vti non licet in collatione Baptismi, aut ordinis Sacerdotalis, vel Episcopalis.* Si verò particula exclusiva coniungatur cum verbis proximè sequentibus, nempe cum illis: *Vtendum non est:* & alijs, quæ adijciuntur, longè alius erit sensus, quia inter licitum vsum, & non vsum opinionis probabilis circa valorem Sacramenti immediatè versabitur, determinabitque, cum exclusione positiva omnium aliorum, Sacramenta illa specialia, quæ ex opinione probabili non sunt conferenda.

9. Quocirca expositio illius hæc erit: *Propterea probabili sententiâ vti non licet in collatione Baptismi, & ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis; secus verò in alijs Sacramentis*: nimirùm, quia in alijs nec lex obstat, nec conventio, nec gravis damni periculum, sicut manifestè obstare cernitur in Sacerdotio, Episcopatu, aut Baptismo. Et hic sensus proculdubio est aptior, & longè conformior contextui totius propositionis: quia iuxta primum ly *tantùm* inutiliter adijceretur, nec serviret, nisi fortè ad obscurandum quod, eo ablato, clarum erat. Eo enim ipso, quòd dicatur, doctrinam aliquam esse probabilem, nulla taxatione, aut ampliatione adiecta, dicitur, non esse certam; sed fallibili motivo innixam, & deceptioni, aut falsitati subiectam, idque per se notum est, ac valde clarum cuilibet intelligenti terminos. Ergo ad istud declarandum inutiliter adijceretur dictio exclusiva; imò adiectio rem potiùs obscuraret: quia nemo prudens suspicari posset, eam dictionem duntaxat adhiberi ad exclusionem rei iam exclusæ patenter.

10. Confirmatur. Quia præcisè ad concludendum, non licere in illis tribus vsum opinionis probabilis circa valorem, præscindendo à quovis alio, prorsus inutilis erat regula generalis immediatè anteà præmissa, & duæ exceptiones sequentes. Nam ea sola, quę desumitur ex periculo damni gravis imminentis ex eo, quòd Sacramentum fortè sit invalidum, evidentissimè ostendit per se loquendo, non conferri licitè Baptismum, Sacerdotium, aut Episcopatum modo incerto, ac opinabili, cùm certus potest haberi. Notum enim est, quot damna incurrat, qui caret Baptismo vero, & quàm gravia detrimenta propria, & aliena sequantur ex eo, quòd non Episcopus, aut non Sacerdos horum Ordinum officia exerceat. Ne ergo illatio manca relinquatur, & ne ineptè, & sine fructu ea omnia præmissa fuerint, necesse est, vt consequens ex inde deductum eis adæquatè respondeat, & sicut ex vna antecedentis parte infert, quid non

licear

liceat in hoc puncto, ex altera similiter colligat, quid putandum sit in eo licere, & nullam ex exceptionibus anteà præmissis obstare.

CAPVT II.

Propositionem exhibitam iure optimo esse damnatam propter diminutam exceptionem, quæ in priori parte illius continetur.

11. VIsum est in illa tradi tanquam generalem regulam cōtraria exceptione firmatam, licitū esse in Sacramentis conferendis sequi opinionē probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, quoties id non vetat lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: neque enim alij casus excipiuntur. Modò addimus, exceptionem fuisse valde diminutam, & alia pleraque fuisse excipienda certò, ac indubitanter illicita in hoc genere ijs, qui Sacramenta conferunt, & licita esse traduntur regula illa vniversali. Vnde fit, vt iure optimo tanquam scandalosa damnetur, & perniciosa animabus eiusmodi propositio: quia, si applicetur ad praxim, sæpe operantem decipiet, inducetque ad malè agendum, proponendo tanquam licitum, ac legi Divinæ consonum, quod ei dissonat quàm maximè.

12. Assumptum facilè constat: quia, vt aliquis certissimè peccet conferendo Sacramentum Eucharistiæ, aut pœnitentiæ ex opinione probabili, relicta tutiore, ac certa, satis superque est, vt relinquendo istam, exponat suscipientem ignorantem, aut invitum periculo amittendi fructum Sacramenti, aut periculo incurrendi leve damnum, vel quòd agat contra morem, praximque receptam in Ecclesia, & inveterata consuetudine, aut traditione firmatam, vel contra peculiare, ac temporale præceptum sibi à Superiore impositum, vel contra votum suum, aut iuramentum, vel contra simplicem, ac merè liberalem promissionem ex sola veracitate, aut fidelitate obligantem. Atqui in his casibus nec lex positiva obstat, nec conventio, nec periculum incurrendi grave damnum. Ergo evidenter falsum est, ac planè absurdum, & pernicioſum in praxi, approbare tanquam licitum conferenti Sacramenta voluntariam desertionem sententiæ tutioris, nisi obstet aliquid illorum trium, quæ in propositione recensentur nominatim. Hæc quasi in brevi tabella conglobata sunt. Singula persequor.

13. Atque in primis necessarium fuisse omnino, excipere casum illum, quo ignoranti, vel invito quodvis Sacramentum conferatur incerti valoris, relicto ad libitum illo, quod securè, ac certò est validum, satis perspicuum videtur. Quia is casus non comprehenditur in prædictis exceptionibus; sed, seclusa lege Ecclesiæ, conventione, vel periculo cuiuscumque alterius damni, ex natura rei est planè illicitum decipere suscipiētem in re tanti momenti, eumque repugnantem, aut ignarum defraudare lucro, ac bono Sacramenti, quod certò adquirere posset, & certò adquirere satagit. Quam esse *communem omnium opinionem dicentium, ministrum tunc peccare saltem contra charitatem*, meritò dixit P. Ludovicus Scildere *tr. 2. de consc. num.* 112. atque *omnes convenire* in hoc puncto, iam anteà tradiderat P. Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *tr* 8. *num.* 93. Idque (nemine refragante, quem legerim) expressè habetur etiam apud illos, qui affirmant, ministrum adhuc in eo eventu non pecca-

peccare contra reverentiam Sacramentis debitam ex virtute religionis: docent enim, nihilominùs peccare contra misericordiam, aut proximi charitatem.

14. Ita P. Vasquez 1. 2. *disp* 63. *cap.* 3. M. Antonius Perez *in laurea Salmant. certam.* 10. *scholast. num.* 63. *&* 64. P. Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap* 9. *n* 34. P. Mascareñas *tr.* 1. *de Sacram. disp.* 2. *n.* 73. Angelus Maria Verricelli 1. *p. quæstion. moral. & legal. tr.* 2. *q.* 26. *n.* 4. Basilius Pontius *lib.* 4. *de matrim. cap.* 25. *n.* 9. Et is ipse, cui assertio condemnata imputabatur, P. Antonius de Escobar *dicto lib.* 2. *n.* 17. Vnde quamvis permittatur, eam doctrinam vtcumque tolerari potuisse, si solùm diceret, Sacramentum probabiliter invalidum licitè ministrari consentienti, cùm aliæ exceptiones non obstant; intolerabile prorsus est, & temerè affirmatur contra commune placitum Ecclesiæ, ac Theologorum, id non esse illicitum ex genere, ac natura sua, cùm ille positivè dissentit, vel non consentit periculo amittendi lucrum certum gratiæ actualis, & habitualis, aliorumque bonorum, quod alioqui posset reportare iuxta institutionem Christi.

15. Et sanè, cùm ex Sacramentis quædam sint necessaria ad salutem necessitate medij, alia necessitate præcepti, alia ad ipsam comparandam facilius longè, ac securius, ex terminis ipsis apparet valde contrarium paci, ac charitati Christianæ supponere incerta pro certis à suscipiente quæsitis, & dubia remedia conferre postulanti indubitata, quibus tantopere indiget. Et quis non videat, illicitum esse Sacerdoti habenti duas hostias ad manum, aliam certò consecratam, aliam solùm probabiliter, nolle ministrare certam, sed suscipienti porrigere illam, de qua dubium est, an in ipsa lateat Christus, vel potiùs communis panis? Idemque videre licet in Episcopo, qui Sacramentum Confirmationis adeò vtile, & irreiterabile latenter conferret cum solo oleo sine balsamo, relinquendo Chrisma certum ex balsamo, & oleo confectum, quo vti posset æquè facilè: necnon in Confessario, qui opinabili, & vtrimque incerta forma absolutionis vteretur, etiam in sola confessione venialium, erga pœnitentem, qui ex sua parte certam prorsus materiam ipsi exhibet, & virtute Sacramenti certam eorum remissionem intendit comparare, & augmentum gratiæ, ac gloriæ adquirere, quod, elapsa hac occasione, postea nõ recuperabitur, licet aliæ confessiones, aut communiones voluntariæ repetantur: nam huiusmodi repetitione novos alios gratiæ, ac gloriæ gradus compararet diversos ab illis, quos amisit.

16. Et sanè in istis eventibus mihi satis evidens apparet intervenire peccatum contra virtutem iustitiæ. Ratio autem est, quia Sacramenta sunt præcipuè à Deo instituta in vtilitatem omnium, non quatenus omnes sunt, & simul sumpti vnam Ecclesiam, aut communitatem faciunt; sed potiùs, quatenus singuli, & ideò vnusquisque habet ex vi institutionis Christi ius proprium, ac peculiare exigendi à legitimis ministris, & dispensatoribus tanti thesauri totam eam vtilitatem, ac securitatem, quam Christus intendit, voluitque conferri afferenti ex parte sua qualitates necessarias: nihilo secius, quàm illi, in quorum favorem instituuntur montes pietatis, æratia communia, aut alia opera misericordiæ, ex. g. panis, aut pecuniæ quotannis distribuendæ inter pauperes, vel orphanos alicuius loci. Atqui in his casibus ministri, ac distributores, sive necessarij, sive voluntarij, verum panem, veramque pecu-

pecuniam, si possunt, cõferre debent, & contra iustitiam delinquunt, si loco securæ, ac certæ invitis conferant aliam, quam probabile est nihil valere. Idem ergo à fortiori dici debet de hac pientissima Sacramentorum fundatione facta à Christo, cuius summa charitas erga genus hominum non patitur, vt deteriori modo, minùsque proficuo interpretemur voluntatem eius, quàm interpretamur alias.

17. Confirmatur. Quia esto scienti, atque volenti non fiat iniuria, & sæpe homines possint iuri suo, tuisque lucris renuntiare, quin peccent, etiam contra propriã charitatem, id ipsumque locum habeat in bonis spiritualibus, vt si quis nolit fieri religiosus, aut audire Missam, nisi in diebus festis, aut confiteri, vel communicare frequenter; nihilominus, si invitus impediatur ab his bonis prosequendis, & minis, fraudibus, aut mendacijs fructu illorum defraudetur, ratione lucri spiritualis cessantis iniuria ei fit, sicut iniuria ei fieret, si pari arte impeditetur cõtra voluntatem suam à consequendis lucris temporalibus. Nam licet ea ipse procurare non debeat, ius tamen habet procurandi illa, si velit, & huic iustæ voluntati per iniuriam contradicit, qui eum impedit dolo, aut fraude.

18. Eadem autem ratio est de illo, qui huiusmodi rebus ab eo tollit lucrum certum, & tolùm relinquit opinabile, ac fortasse nullum: siquidem iste lucri certi procurandi, atque exigendi à ministris fundatoris ius habebat illudque de facto procurabat, estque valde rationabiliter invitus etiam quoad periculum lucri amittendi, cùm ad rem indubitati fructus, ac valoris ius illius extendatur ex institutione Christi. Vtique in hoc genere non licet amplius ministris Sacramentorum, sive voluntarijs, sive necessarijs, quàm cæteris, qui non sunt ministri. At cæteri, qui malis his artibus essent in causa, ne Petrus ex. g. susciperet Sacramentum certi valoris, ac fructus, sed solùm incerti, ac dubij, sive immediatè decipiendo Petrum ipsum, sive ministrũ, à quo intendit certò validum Sacramentum recipere, iniuriam ipsi proculdubio facerent, atque ad restitutionem tenerentur pro qualitate materiæ, multo potiori ratione, quàm dolosè impediens alium ab ingressu religionis, vel à consequutione alterius boni, seu debiti, seu indebiti, sive necessarij, sive superabundantis, v. g. hæreditatis, quam ab alio, si non supplantaretur, iustis de causis accipere sperabat. Ergo à fortiori idem dici debet de his, qui Sacramenta conferunt tanquam ministri, atque dispensatores bonorum, quæ intendit donare Christus. Nocent enim, lęduntque quàm maximè circa hæreditatem gloriæ, & augmentum eius, aliarumque gratiarum, & quamvis bona quęsita non auferant, circa adquirenda perniciosè decipiunt.

19. Quæ autem diximus de suscipiente, qui positivè dissentit, & ius suum ad Sacramentum valoris indubitati prosequitur, pariformiter procedunt circa ignorantem, amentem, infantem, & alios, qui non consentiunt, nec renuntiant iuri suo. Nam & hi iniuriam patiuntur, & inviti reputantur, cùm ipsis præiudicium infertur circa bona, seu quæsita, seu quærenda, maximè si ad illa comparanda (vt in Sacramentis evenit) habeant ius absolutum. *Nam invitum accipere debemus non eum tantùm, qui contradicit; verùm eum quoque, qui consensisse non probatur* ex textu *in l. Filius familias.* 8. § *Invitus. ff. de procurat. l. Qui vas.* 49. § *Vetare. ff. de furtis*, ibi: *Vetare autem dominum accipimus etiam eum, qui ignorat, hoc est, eum, qui*

non

non consentit. Atque ea propter, vt præmonebat Consultus *in l. Invitum. 5. ff. de servitut. vrban. præd. Pomponius, & infantem, & furiosum invitos rectè dici ait, non enim ad factum, sed ad ius servitutis hæc verba referuntur:* imò ignorantem, aut amentem *rectiùs invitum dici, quàm, qui dissensit*, totidem verbis habetur *l. In eo iure. 45. §. Deinde. ff. de ritu nuptiar.*

20. Sit ergo regula fixa, præscindendo à quavis lege Ecclesiæ, convẽtione, aut damno extrinseco, prorsus illicitum esse ministris Sacramentorum vti opinione probabili de valore Sacramenti contra voluntatem suscipientis, relicta tutiore ad libitum. Imò, quamvis suscipiens consentiat, sæpe ministranti erit peccatum certis incerta præponere, & relicta via tutiore, non conferre nisi Sacramentum probabiliter invalidum. Nam, vt modò omittam, ita accidere, quoties sponte derelinquitur via trita, & vsitata ab Ecclesia, cuius legi, aut consuetudini vt pote respiciẽti principaliter bonum publicum, ac religionis, nequeunt suscipientes renuntiare, id ipsum evenit, quoties incertitudo Sacramenti præiudicat iuri, ac bono aliorum, vt præiudicat incertitudo Sacerdotij, vel Episcopatus ijs, qui sunt ab istis absolvendi, aut ordinandi. Atque dum suscipiens peccat contra propriam charitatem consentiendo, seu cedendo iuri suo, esto demus, ei nõ fieri iniuriam, quia ea non fit scienti, ac volenti; adhuc negari non potest, etiam ministrum peccare contra charitatem eius, vtẽdo tali cessione, & præbendo ex parte sua vltimum complementum ei peccato.

21. Cuius rei appositum exemplum suppeditant Sacramenta necessaria necessitate medij ad salutem, necnon & Sacramentum iustificans in mortis articulo conscios peccati mortalis. Nam, sicut temerè agit, & æternam suam salutem prodigit, qui se se sponte destituit medijs adeò necessarijs, ita & ille temerarius est, & prodigus suæ salutis, qui in hoc negotio incertis certa postponit, & potiùs amat periculum, in quò forsitan peribit, quàm plenam securitatem. Propterea in his casibus nihil prodesse consensum suscipientis ad excusandum à peccato contra charitatem eum ministrum, qui conferret Sacramentum probabiliter invalidum, meritò animadverterunt Mascarenas *dicto num. 73. concl. 3.* Scildere *eo tr. 2. num. 113.* Verricelli *1. p tr. 2 q. 27.* præsertim *num. 5.* qui id etiam iure optimo extendunt ad ordinem Sacerdotalem, & Episcopalem. Neque reijciendus esset, qui diceret id genus peccati esse contra misericordiam, vt contra illam esset non exhibere cibum, aut remedium certum aliàs perituro, quamvis voluntati ipsius satisfieri posset incertum subministrando.

22. Quando autem suscepturus Sacramentum absque peccato contra propriam, aut alienam charitatem iuri, ac lucro suo cedere potest, ex. g. quia ei licitum erat non confiteri hodie, aut non communicare, non putant hi Auctores illicitum, si iuri suo re ipsa cedat, & Sacramento probabiliter valido contentus sit, illud ipsi ministrare. Et huius sententiæ sunt, quotquot affirmant, attenta solùm virtute religionis, & obligatione naturali ipsius, non esse peccatum vti opinione probabili in hac materia potiùs, quàm in alijs, vbi id reputatur licitum. Quod vtique inter classicos Auctores controvertitur, & quidquid de eo sit, in vtravis opinione iustissima condemnatio propositionis subsistet, vt ex dictis iam cœpit constare, & constabit pleniùs ex dicendis.

CAPVT III.

Proponuntur alij casus certò illiciti ob periculum, & nullatenus excepti in assertione prohibita.

23. ALtera ratio prohibitionis, & satis iusta, esse potuit, quòd in propositione solummodò excipiatur periculum incurrendi damnum grave; non verò leve, etiam si sit gravi proximum. Porrò id falsissimum est, ac planè scandalosum, & præiudiciale suscipienti. Quia exinde evidenter sequitur, periculum inferendi eidem ipsi leve damnum, quantumvis grave sit in suo genere, ratione sui nunquam reddere illicitam administrationem Sacramenti ex opinione probabili, relicta secura, ac certa: cuius oppositum receptum est apud omnes, veniale saltem peccatum contra charitatem proximi ibi sæpe sæpius agnoscentes. Et meritò, quia eadem prorsus est proportio periculi damni gravis ad peccatum grave, quæ damni levis ad peccatum leve: & sicut parvitas periculi verè probabilis non tollit, sed minuit peccatum in ordine ad damnum grave: ita parvitas damni, cùm valde grave est, seu longè probabilius, periculum incurrendi ipsum, non potest peccatum tollere, sed duntaxat imminuere.

24. Explicatur. Nam vbi ratio peccati ex damno sumitur, aut ex periculo damni, non tollit rationem culpæ, quòd damnum sit minùs grave, vt constat ex furto, detractione, ac reliquis id genus operibus, quæ fiunt illicita ratione nocumenti temporalis, aut spiritualis: & ideò audiendus non esset, qui diceret, in materia iustitiæ, furti v.g. aut contumeliæ, nihil esse illicitum, nisi proximus passurus sit damnum grave honoris, aut divitiarum: nec qui in materia temperantiæ asserere auderet, licitum esse edere cibos nocentes, nisi ab eis immineat periculum gravis infirmitatis, aut vitæ. Atque, vt propiùs accedamus ad spiritualia damna, atque pericula, evidentissimum est, non solùm peccata gravia, sed etiam levia, & exigua esse materiam charitatis, seu misericordiæ spiritualis, quæ per fraternam correptionẽ exhibetur, peccaturumque contra has virtutes, si reliquæ conditiones non desint, qui proximum non corriperet, eo solo prætextu, quòd damna eiusmodi levia sint, vel qui eum graviter tentatum ad mendacia, iuramenta, aut detractiones veniales non subtraheret ab eo periculo, cùm id potest facilè præstare ex parte sua.

25. Quod vtique in peccato scandali, cuius malitia pensatur ex periculo cadendi, in quod proximus conijcitur, adhuc evidentius cernitur. Nemo enim dubitat, scandalum activum etiam dari in ordine ad lapsus leves, esseque prorsus illicitum præbere occasionem alijs incidendi in ea delicta: sicut illicitum est ponere eisdem offendiculum impingendi in lapidem, quo leviter vulnerentur, etsi non sit grave damnum, quod ea propter sunt passuri. Vnde sicut scandalosus esset, & in via morum pernicioſè erraret, qui diceret, non esse illicitum præbere alijs occasionem ruinæ levis, sed gravis duntaxat, ita etiam scandalosus est, ac pernicioſus, quisquis asserit, non esse illicitum conferre Sacramenta cum periculo damni levis incurrendi à suscipiente, sed dũtaxat damni gravis. Et, quod hinc sequitur, cùm peccatum veniale damnum leve sit suapte natura, illicitum non foret ministranti Sacramentum Pœnitentiæ v. g. negare absolutionem

nem

nem certò validam ijs, qui huiuſmodi peccata ſolùm confitentur, & conferendo ex parte ſua probabiliter invalidam eos exponere abſque cauſa periculo retinendi maculas illorum, & carendi tàm gratia remittente iam commiſſa, quàm præſervante à committendis alijs. Et, ſi hoc licitum eſt, etiam licebit negare certam cum periculo manendi adhuc ſub peccato gravi. Nam damni magni, ac parvi conſpicua differentia eſt ſecundum magis, & minus; in ratione autem liciti, & illiciti non apparet, quomodo differre valeant.

26. Ad hæc. Vel periculum carendi augmento gratiæ, ac virtutum, & aliorum auxiliorum, quæ mediante Sacramento conferenda fuiſſent, computatur ſemper inter damna gravia, vel non computatur? Si computatur, inferendum erat, nunquam eſſe licitum miniſtris conferre Sacramentum probabiliter invalidum quærenti certum, quod ab eis poteſt præſtari. Nam eiuſmodi periculum neceſſariò annexum eſt periculo nullitatis: neque enim dona gratiæ conferuntur ex vi Sacramenti nullius, ſed duntaxat ex vi validi. Si verò non computatur, ſed ſermo eſt de damnis alijs ſuperadditis, atque, vt ſic loquar, extrinſecis, quæ ex nullitate Sacramenti ſolent reſultare, v. g. ex nullitate Baptiſmi, aut ordinis Sacerdotalis, vel Epiſcopalis, ex alio capite cernitur, aliam exceptionem adhibendam fuiſſe, vt regula generalis, quæ in propoſitione continetur, ſuſtineri poſſet ſine ſcandalo. Excipiendum enim erat periculum amittendi magni lucri, cui ſuſcipiens ignorans, aut invitus exponitur, ſi contingat, Sacramẽtum, quod confertur, re ipſa, & de facto eſſe invalidum.

27. Magnum enim lucrum eſt gratiæ, ac virtutum, peculiariumque auxiliorum, quæ per Sacramenta cõferuntur: & ſicut peccatum eſt illud auferre, negando ſine cauſa abſolutionem v. g. illi, qui rectè diſpoſitus confeſſus eſt ſua peccata, quæcumque illa ſint, ita ſimiliter peccatum erit negare abſolutionem certam, & loco illius ſubſtituere periculoſam, & fortaſſe invalidam. Mitto periculum deficiendi à Fide, vel patiendi graves tentationes, ac difficultates in conſervatione illius, quæ ex Confirmationis nullitate reſultarent, & periculum peccandi ſæpius in vſu matrimonij, deficientibus ijs gratiæ ſubſidijs, quæ ratione illius darentur, niſi contigiſſet, eſſe invalidum, & alia id genus, quæ circa ſingula quæque Sacramenta, ſi fortè nulla ſint, conſiderari poſſunt: & cùm magni momenti bonum ſit illis carere, nihili habendum à cõferente proponitur, vt licita facultas vtendi ſententijs dubijs extra Bãptiſmum, & duos illos ordines integra ipſi relinquatur.

28. In Sacramento etiam Euchariſtiæ valde ponderandũ erat periculum auferendi ſuſcipientibus ſaluberrimum viaticum, pignus gloriæ, & nutrimentum vitæ ſpiritualis, quo prima gratia interdum compararí creditur, ſed maximè omniũ periculũ materialis idololatrię, quod incurritur conficiendo, aut conferendo Sacramentum invalidum probabiliter. Nam eiuſmodi periculum, præſcindendo à quovis damno, aut lucro ſuſcipientis, vel aliorum, ex virtute religionis præcaveri debet, ne huic Sacramento ſupremus cultus auferatur, & puris creaturis detur honor nõ ſuus. Id autem conferenti tanquam danti cauſam meritò imputabitur, v. g. ſi loco hoſtiæ certò conſecratæ aliam pro libito porrigat, cuius conſecratio eſt dubia; conficienti verò, ſi ex pane amyli, aut ſecalis Corpus Chriſti conficere intendat, aut ſi in Calicis conſecratione intentionem

suum restringat ad ea sola verba: *Hic est enim Calix sanguinis mei.* Neque enim certum est, sed probabile duntaxat, in his casibus verum Sacramẽtum confici: &, si fortasse contingat, non confici, ac non subesse ijs speciebus verum Corpus Christi, & verum Sanguinem, totus ille sacer cultus, ac religiosa adoratio latriæ supremæ, quæ huic Sacramento defertur tanquam continenti Deum, non dabitur, nisi amylo, ac vino ibi latitantibus, & pura creatura tanquam Deus suscipietur, ac tractabitur, dante ex parte sua occasionem occulto facto ministri.

29. Nec refert, quòd fideles id facientes non peccent coram Deo imputabiliter, excusante ipsos periculi ignorantia, erroreque invincibili, quo existimant, Christum ibi certò adesse, & ministrum vsum fuisse tàm forma, quàm materia omnino turis. Non, inquam, refert, quia esto cultus absolutus, & supremus, quem in eo eventu fideles præberent puris creaturis, sit comparatione illorum idololatria externa merè materialis, ac penitus inculpata; respectu tamen ministri, qui eos exponit sciens, ac volens ei periculo, nequit non esse culpabilis, vt culpabile foret eisdem ipsis, si factum ministri agnoscerent, & probabiliter de valore Sacramenti dubitarent, se se exponere simili periculo exhibendi absque vlla conditione vino, aut pani cultum supremæ latriæ, ac dicendi illis: *Deus meus es tu:* vel orandi, & sperandi ab ipsis suã salutem. Nec bona fides aliorum ministrum excusare valet: nam bona fides in errore fundata etiam locum habet, quamvis ipsis detur, & vt verum Sacramentum adoranda proponatur Hostia, quam novit minister ne probabiliter quidem esse consecratam; & tamen nemo est, qui dubiter, in eo casu ipsum peccare gravissimè contra religionem. Passimque evenit, vt quod alijs non est culpa, ob amentiam v. g. ei ad culpam imputetur, qui inducit ipsos ad externos actus materialiter illicitos, vt ad fornicationem, occisionem, aut conculcationem Eucharistiæ.

30. Denique expendi etiam debet irreverentiæ periculum, quod ex nullitate Sacramenti potest resultare. Nam si verè irreverentia est in rebus istis non minùs serijs, quàm sacris, exponere se periculo nihil agendi, aut nihil conferendi spectans ad salutem, absque dubio contra religionem peccat, qui, relicta via tutiore, se se exponit huic discrimini. Putant autem valde plures, & gravissimi scriptores, re vera esse irreverentiam, & propterea generaliter concludunt, illicitum esse quodvis Sacramentum conficere, aut ministrare, sponte relinquendo viam tutiorem, sub probabili nullitatis periculo. Quæ doctrina valde probabilis est; sed non vsque adeò certa, vt desint alij quamplurimi optimæ notæ Doctores, qui ei apertè contradicant, & optimis argumentis assertionem suam stabiliant. Quocirca haud immeritò censeri potest in hoc puncto hinc inde stare communem contra communem. Et, cùm aliæ causæ longè evidentiores pro iusta confixione propositionis, quam exponimus, exhibeantur, necessarium non est ob eam causam vni ex istis opinionibus determinatè inhærere; sed vtraque, sicut anteà, examini Theologorum, ac discussioni relinquitur.

CAPVT IV.

De Ecclesiæ consuetudine, & alijs exceptionibus in propositione damnata immeritò prætermissis.

31. EXcipiebat propositio leges speciales Ecclesiæ his verbis: *Nisi id lex vetet*; sed dicere debuisset: *Nisi id vetet lex, aut consuetudo*, quæ, cùm lex deficit, pro lege habetur, & æquipollet ipsi quoad effectum reddendi collationem Sacramenti illicitam, cùm praxis, vsusque Ecclesiæ à consilio deseritur, & alius inusitatus, ac fortasse invalidus præeligitur. Formæ, aut materiæ vsitatæ, atque receptæ in Ecclesia per inveteratam consuetudinem tutissimæ sunt, & qui illas sequitur, absque vllo prorsus periculo nullitatis quodvis Sacramentum administrat; ille verò, qui probabili opinioni circa valorem se accommodat, relinquendo viam tutiorem, plerumque relinquit tritam, ac firmatam praxi, & vsu. Peccat ergo proculdubio quisquis contra Ecclesiæ morem, seu receptam consuetudinem administrat Sacramenta ex opinione probabili circa valorem, relicta secura, & trita. Sed tunc lex non obstat, imò deficit, & pro lege consuetudo subrogatur, quæ, secluſa conventione, & quovis alio periculo, sua virtute, & efficacia actum illicitum reddit. Rectè ergo potest esse certò, ac manifestè illicita collatio Sacramenti ex opinione probabili circa valorem, quamvis neque lex eam vetet, nec conventio, nec gravis damni periculum.

32. Propterea meritò potuit tanquam scandalosa, & pernicioſa damnari eiusmodi propositio. Scandalosa enim est per modum regulæ practicæ, qua attenta, Sacramentorum ministri sibi licitum putarent, quod est patenter illicitum, scilicet deserere ritus substantiales, & omnino necessarios ad securitatem valoris, quos sola consuetudo præscripsit, & loco ipsorum subrogare alios inusitatos, ac dubios. Pernicioſa verò, quia ex eo solùm, quòd modus ille administrandi opponatur laudabili consuetudini iam diu in Ecclesia receptæ, vsus eius est pernicioſus abusus. Cuius rei præclarum monumentum nobis exhibet Honorius III. *in cap. Pernicioſus. 13. de celebrat. Missarum*, in hæc scribens Vpsalensi Archiepiscopo: *Pernicioſus valde, sicut audivimus, in tuis partibus inolevit abusus, videlicet, quòd in maiori quantitate aqua ponatur in Sacrificio, quàm de vino: cùm secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis plus in ipso sit de vino, quàm de aqua, ponendum. Ideòque fraternitati tuæ mandamus, hoc ne de cætero facias, nec in Ecclesia tua fieri patiaris.*

33. Vbi adverte, Sacramentum sic confectum fore certissimè nullũ, si exceſſus aquę esset tantus, vt vinum corrumperetur priùs quàm verba cõsecrationis essent prolata; nullum verò probabiliter, si aliquid vini nihilominùs conservaretur: quia ęsto probabile sit, in eo casu consecrationem esse validam, probabile etiam est, esse invalidam: & huic discrimini Sacramẽtum exponebant infundentes plus aquæ, quàm vini. Et propterea neque licet æqualem, aut fere æqualem vini, & aquæ mensuram apponere; sed aqua necessariò modica esse debet, habito respectu ad vini quantitatem, & sufficit modicissima. Sicut ergo pernicioſè errabant ob contrariam consuetudinem, qui id faciebant priùs quàm lege prohiberetur; imò ideò fuit lege prohibitũ, quia abusus ille

ille iam anteà pernicioſus erat ob contrariam conſuetudinem: ſic modò pernicioſè erraret, qui in hoc Sacramento, aut quovis alio ab Eccleſiæ conſuetudine circa eſſentialia recederet, & viam inuſitatam cum periculo nullitatis iniret.

34. Nec ſolùm in eſſentialibus eſt certa, ac paſſim recepta virtus iſta conſuetudinis independenter a lege; verùm etiam in accidentalibus, vbi valor Sacramenti non periclitatur, vt ſumitur apertè ex Tridentino *ſeſſ. 7. can. 13. de Sacrament. in gene.* Et ideò ratum eſt apud omnes, neque in Eccleſia Latina licitum eſſe baptizare ſub forma, qua vtuntur Græci, neque in Græca ſub ijs verbis, quibus vtuntur Latini; ſed vnumquemque debere moribus Eccleſiæ ſuæ in iſtis miniſterijs ſe ſe conformare. Idemque dicitur de modo conſecrandi in pane azymo, vel fermentato, in quo etiam vtriuſque Eccleſiæ conſuetudo differt. Vnde & qui Auctores perlegerit in particulari tractantes de Sacramentis, & illorum ritibus, nihil frequentius inveniet ad illorum mutationes peccati damnandas, quàm recurſum ad contrariam praxim cõfirmatam more, ac vſu. Nam de vſu, ac moribus patenter conſtat; lex verò, quæ idem præcipiat, ſæpe non datur, & ſæpe vſum ipſum, moremque ſupponit anteriorem lege ipſa, vt cõtingebat in caſu, quem ex Honorio produximus. Vbi autem concurrunt pariter circa eiuſdem ritus obſervantiam conſuetudo, & lex, perinde habetur quoad effectum obligandi, ac ſi duæ leges diſtinctæ, v.g. poſitiva, & naturalis, aut duæ leges poſitivæ mutuò inter ſe ſeparabiles eamdem actionem præciperent.

35. Negari itaque non poteſt propoſita doctrina ſine ſcandalo, ac temeritate quadam (ne amplius dicam) *certa namque eſt, ac communis, & ab omnibus ſuppoſita*, vt Breſſerus inter alios annotavit *lib. 3. de conſc. n. 106.* & *à nemine negari poſſe*, Gibalinus *tom. 1. de ſcient. Canon. lib. 3. cap. 7. q. 5. conſect. 4. n. 6. fol. mihi 329.* nilque frequentius legitur apud Auctores, quàm receptæ conſuetudini in hac materia deferre. Quos inter Ioãnes à S. Thoma *1. 2. diſp. 12. art. 6. fol. mihi 771.* id latè, ac doctè proſequitur, dicens in præſenti ſemper pro tuto vſu, & opinione quaſi pro regula accipiendum eſſe vſum Eccleſiæ, & ex eo metiendam practicam probabilitatem, aut improbabilitatem cuiuslibet opinionis, licet ipſa alioqui ſit probabiliſſima ſpeculativè. Neque, vt opinor, auderet is, qui theſim condemnatam concinnavit, huic certiſſimæ doctrinæ palam refragari; ſed forſan diceret, ſe excipiendo legem, conſuetudinem quoque excipere voluiſſe, & vno legis nomine vtrãque ſignificaſſe. Hæc autem evaſio deſtruit eiuſdem theſis doctrinam. Theſis enim contendebat, regulariter non eſſe illicitum incertum illum modum conferendi Sacramenta; imò ſemper eſſe licitum, Baptiſmo, Sacerdotio, vel Epiſcopatu exceptis. Ex evaſione autem ſequitur, illum plerumque eſſe illicitum, quia recepta conſuetudo, etiam deficiente lege, innumeras opiniones tanquam inuſitatas excludit, praximque, & vſum illarum apertè illicitam reddit.

36. Rurſus, ſi nomine *legis* ſignificabatur etiam conſuetudo, oportuiſſet vtique id exprimere, aut ſaltem denotare verbo aliquo, ne propoſitio nudè accepta, vt iacet, legentes deciperet, & adminiſtrantes Sacramenta falleret, præberetque vtriſque occaſionem errandi in re maximi momenti. Vnde enim poſſent colligere, ritus, ac vſus in Eccleſia conſuetos circa modum conferendi Sacramenti validè vno *legis* nomine ſignificatos

ficatos esse, dum constat, in hac materia, & multis alijs legem, atque consuetudinem tanquam duo membra distincta simul recensèri, & suis proprijs notis designari? Certumque sit, quamvis demus ius consuetudinis propriè esse *legem*, hoc nomine communiter non significari nisi scriptam, vt constat ex vsu, & tradit opportunè Suarez *lib.* 8 *de legibus. cap.* 7. *num.* 10. Quare potiùs credere deberent consuetudinis obstaculum ideò fuisse prætermissum, quia consuetudo in hoc puncto non credebatur obstare; sed esse potiùs devotionis, quàm obligationis, sicut acceptio cineris in initio Quadragesimæ, aut mos salutandi B. Virginem vesperi ad pulsum campanæ. Id autem sentire de consuetis ritibus ad valorem Sacramenti spectantibus, absurdissimum foret, & contra communem sensum Ecclesiæ, ac Doctorum eius, qui vnanimiter affirmant, illos frequentatos fuisse animo se se obligandi, & ius ex facto ortum esse propter bonum religionis, vtilitatem fidelium, vniformitatem operum, & materiæ gravitatem.

37. Addiderim, sicut consuetudo propriè non est *constitutio*, nec *decretum*, nec *statutum*, neque ijs vocibus solitariè acceptis communi vsu denotatur, quamvis ius ex ea resultans constitutioni, decreto, aut statuto æquivaleat, ita nec videri propriè, & absolutè legem, quamvis pro lege habeatur. Lex enim expressa Principis voluntate, ac iussione constituitur scripto, aut verbo declarata; consuetudo autem vsu, ac moribus à populo frequentatis animo inducendi obligationem sine iussione speciali, solo tacito consensu, atque approbatione illius, qui legem condere valet. Quocirca ius consuetudinis tunc maximè locum habet, *& pro lege habetur, cum lex deficit*, vt in ipsa illius definitione exprimitur passim recepta à Theologis, & ab Isidoro tradita *lib.* 5. *Originum. cap.* 3. præeunte Tertulliano *de Corona milit. cap.* 4. Tantum abest, vt sit lex propriè, aut absolutè, si in rigore suo verba accipiantur. Nec pro lege haberi est esse legem, nam pro constitutione, aut decreto, vel pro statuto (si municipalis sit) etiam habetur, quin sit constitutio, statutum, aut decretum. Conventio itidem pro lege recipitur, & lex privata vocatur; imò & consuetudo ipsa appellatur *tacita civium conventio*, *in l. Sed & ea.* 35 *ff. de legib.* quin proinde asserere liceat, aut conventiones esse propriè leges, aut consuetudines in thesi, quam discutimus, conventionis nomine fuisse sufficienter declaratas.

38. Vel, quidquid de hoc sit, quod ad quæstionem de nomine spectare videbitur, saltem certum est, nomine *legis* ius consuetudinis non denotari, cùm lex in sua tota latitudine non sumitur, neque comprehendit omnes leges propriè tales. Porrò in thesi, quæ prohibetur, ita contingit, quia illa exceptio: *Nisi lex id vetet*: necessariò restringenda est ad leges positivas, & speciales, excluſa lege æterna, aut naturali, nec aliter congruum sensum, aut praxi conducens potest habere, vt ostendimus iam anteà *à num.* 4. Si ergo inibi excludendæ sunt etiam eæ leges, quæ sunt strictè, ac propriè tales, qua ratione divinari posset, consuetudines includi, quæ defectu obligationis, vel ex suo speciali modo inter non leges solent cõputari? Vtique Bartolus, Baldus, Jason, Rochus de Curte, Gratianus, & alij non pauci affirmant, consuetudinem vim suam amittere ex eo præcisè, quòd per legem scriptam id quod ipsa iubebat, constituatur, transireque in aliud genus iuris non consuetudinarij; sed legalis. Iuxta quam sententiam satis manifestè cernitur, consuetudinem, ac legem esse iura non diversa

versa vtcumque, sed incompossibilia, & quodammodo contraria secundum rationem suam. Estque valde simile, quod multi dicunt hoc tempore de vivæ vocis oraculis, nempe talia esse desinere, cùm per Bullam postea confirmantur, & in aliud ius transire, quod revocatione oraculorum nullatenus revocatur.

39. Et, quamvis demus ea propter consuetudinem non destrui; sed in vigore suo perseverare simul cum lege (vt frequentius censent alij,) adhuc vtriusque distinctio constabit ex alio effectu. Nam, si consuetudo sit specialis, & lex superacceden s ius cõmune, quamvis lex nominatim derogetur aliquo privilegio, non ideò cõsuetudo derogabitur, nisi etiam ipsa cum lege nominatim exprimatur. Videndus P. Suarez *lib. 7. de legib. cap. 21. n. 3. & 4.* Qui subinde optimè infert, quæstionem istam non esse de solo modo loquendi; sed de re, quæ maximè conferre potest ad effectus, casusque morales. Neque absimiliter in privilegiis contingit. Nam licet controversum sit inter Auctores, vtrùm ius consuetudine adquisitum contra, aut præter legem, sit propriè privilegium, vel solùm iuris fictione, aut præsumptione? Adhuc tamen inter omnes convenit, illud, revocatis absolutè privilegijs, nullatenus revocari, neque nomine privilegij comprehendi, ni fortè in favorabilibus, vbi omnia ampliantur, & interdum fit extensio ad casus fictos, & impropriè tales. De quo ex professo idem Auctor *lib. 8. cap. 7.*

40. Vltimò prætermittendæ non sunt aliæ exceptiones, quas *num. 12.* præmonebam in ea thesi proponendas fuisse, vt subsistere posset sine scandalo: neque enim suppleri possunt ex contextu, aut mente auctoris aliàs cognita, vt in libris accidit; sed de doctrina illius censendum est, si cui ibidem iacet. Certum est autem, reddi illicitam desertionem voluntariam sententiæ tutioris de valore Sacramenti, si minister voto, aut iuramento, vel præcepto personali, aut temporali, ac proinde deficiente à vera ratione legis, ad tutiora constringatur; & tamen nihil istorum in propositione excipitur. Neque valet dicere, ea fuisse omissa, quia specialia non sunt in hac materia; sed transcẽdentia omnes alias. Obstat enim, quia hac ratione neque exceptio conventionis fuisset declaranda: generale quippe est, vt in quacumque materia debeant observari pacta conventa, sicut vota, & iuramenta servantur. Excepta autem conventione nominatim, non apparet, cur alia debuerint supprimi, nisi vt generalis regula iam præmissa firmaretur in contrarium; & proclive erit deducere ex verbis propositionis, vt iacet, nec iuramentum, nec votum satis esse, vt sit illicitus conferenti Sacramenta liber vsus earum opinionum, vnde ipsorum valor nutat. Idemque, servata proportione, dixerim de promissione merè liberali, quæ solius veracitatis, aut fidelitatis obligationem importat, & neque ex iustitia obligat, neque contractus est, neque conventio, si inhærendum est definitioni conventionis traditę à Iurisconsulto *l. 1. ff. de pactis.*

CAPVT V.

De vsu opinionis probabilis circa valorem Baptismi, Sacerdotij, vel Episcopatus.

41. POsterior pars thesis damnatæ ex exceptionibus in altera sui parte præmissis inferebat, sententia probabili vtendum non esse in collatione horum trium, & iure optimo,

mo, niſi abſolutè,& abſque vlla prorſus exceptione proponeret negativã adeò vniverſalem. Nam regulariter veriſſimum eſt, id eſſe illicitum in vnoquoque ex iſtis Sacramentis ex lege,aut conſuetudine, vel ſaltem ob periculum inferendi ſuſcipienti, aut alijs grave damnum, quod ex facto conferentis proculdubio patientur, ſi contingat, falſam eſſe eam opinionẽ, cui ſe accommodat in praxi. Attãmen quod iſti regulæ nulla exceptio adhibeatur,ſicut priori erant adhibitæ ſuæ exceptiones; nullo pacto debuit tolerari: certum quippe eſt,illam non habere locum in caſu neceſſitatis,nec minùs certum,quàm quòd alteri, cùm lex obſtat, aut periculum, nullus locus relinquatur. Sicut ergo expreſſè limitari debuit, & limitata fuit ab hoc Auctore regula, qua dicebatur,non eſſe illicitum vſum opinionis probabilis de valore Sacramenti, ne abſurdiſſimè vera putaretur ſemper, & in omni caſu, ita pariter abſque ſua limitatione tradenda non fuit illa,quæ dictat,in Baptiſmo, & duobus alijs probabili opinione vtendum non eſſe:nam alioqui in tota ſua vniverſalitate relinquitur, & perinde foret, ac ſi diceretur (quod eſt pluſquàm ſcandaloſum) id non eſſe licitum vnquam, neque in vllo caſu. Proprium namque eſt negativę, & præcipuè in doctrinalibus, nullo dempto,omnia deſtruere, atque ideò dicitur malignantis naturæ apud Dialecticos, & apud Iuriſperitos inter axiomata habetur, negativam plus negare, quàm affirmativa affirmat, ſeu plus tollere, quàm illa ponit, vt videre eſt apud Barboſa *axiomate* 158.*num.*3.

42. Ponendum ergo eſt tanquam omnino certum (quamvis inconſideratè prætermiſſum ab Auctore propoſitionis damnatæ) licitum eſſe miniſtrare Sacramenta, etiam Baptiſmum, ex opinione probabili circa valorem in caſu extremæ, vel gravis neceſſitatis. Caſus obvij ſunt apud Auctores paſſim docentes, infantem iam iam moriturum, deficiente aqua elementari, baptizandum eſſe cum lixivio, luto, aut iuſculo non valde ſpiſſis,vel in digito, aut capillis,ſi alia eius pars non compareat. Neque enim relinquendus eſt abſque remedio profuturo probabiliter, licet probabile etiam ſit non profuturum, quatenus Baptiſmus ſic confectus eſt etiam probabiliter invalidus. Ratio evidens eſt. Quia niſi infans eo modo baptizetur, proculdubio æterna beatitudine privabitur, & cum peccato originali non remiſſo in Limbum detrudetur; ſi autem ipſi Baptiſmus ille incertus conferatur, quamvis metus ſit, ne eadem contingant, quia probabile eſt,eum eſſe nullum;aliunde tamen, quia etiam eſt probabile, eſſe validum,prudenter ſperari poteſt ſalus eius: illam enim proculdubio adipiſcetur, ſi fortè accidat, re ipſa eſſe veram opinionem, quæ valori favet.

43. Deplorata igitur erit beatitudo huiuſce miſelli infantis, ni miniſter probabili Baptiſmo vtatur; ſi autem eo vtatur, forſan erit in ſe ſecura,& collocata in tuto, licet ſit nobis incerta, & inter ſpem, ac metum collocata. Porrò in re tanti momenti, qualis eſt æterna ſalus,tunc certiſſimè amittenda, & omnino deſperata, magni facienda eſt qualiſcumque ſpes remedij, & longè optabilior ſtatus dubij, ſeu incertitudinis, quàm ſtatus deſperationis, derelictioniſque totalis. Quapropter prudentiæ erit,& debitum iuſtitiæ, aut charitatis non deſiſtere; ſed remedium applicare proximo ſic indigenti quod multum fortaſſe proderit, ac nunquam nocere valet Et cùm in Medicis corporalibus hęc certa ſint,à fortiori transfe-

renda sunt ad spirituales. Neque enim eis obstat lex, aut consuetudo Ecclesiæ, quæ contraria potiùs est in istis casibus. Nec gravis damni periculum, nam ex oppositò instat non tàm periculum, quàm certum, atque gravissimum damnum, à quo infans probabiliter eripitur, & quod potest resultare ex incertitudine Baptismi, si ille vivat, conditionata Sacramenti repetitione curabitur. Nec demum tunc propriè relinquitur à consilio ministri opinio tutior, quia supponimus, deficere materiam certam, & vsum eius non esse in illius potestate.

44. Quocirca in tanto discrimine non solùm licebit vti probabiliore opinione de valore Sacramenti, sed etiam minùs probabili; imò & alia quavis certò tali, quamvis minima sit intra suum ordinem. si minima verè talis discerni potest ab illis, quæ proximè ad eam accedunt, sed non sunt verè probabiles. Num quælibet probabilitas certò talis de valore Sacramenti fundat spem prudentem, ac probabilem de fructuoso, ac valido exercitio sui, maiorem, vel minorem prò mensura probabilitatis, cui innitatur. Vbi autem affulget spes remedij, quo sublato, omnimoda desperatio succedit, illud omitti non potest, nec præpedi i eo prætextu, quòd parva sit spes fructus, & metus contrarij eventus longè maior; sed tentandum adhuc est, & insistendum, vt passim fieri videmus in alijs magnis periculis vitæ, aut honoris, aut famæ. Et cùm Sacramenta fuerint instituta nõ tàm sui gratia, quàm in favorem fidelium, recta ratio exigere videtur, vt in conflictu opinionum illa potius in praxi seligatur, quæ favet suscipienti, etiam cum periculo nullitatis Sacramenti, quàm quæ suscipientem defetit, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur. Quæ est sententia cõmunissima tradita a Sanchez, Suarez, Valentia, Henriquez, Montesinos, Lugo, Giballino, Filliucio, cum alijs, quos dabunt Verricelli *sup. q* 27. *n.* 3. & Diana *p.* 2. *tr.* & *resol.* 13. & *p.* 3. *tr.* 3. *resol.* 9.

45. Addunt plures, etiam opiniones parum tutas, parumque probabiles, quibus citra necessitatem non liceret vti, in hoc casu esse exercendas; ne quidquam intentatum relinquatur, dum agitur de vitando gravi malo, seu periculo, ac præsertim animæ. Hæc enim sæpe faciunt in moralibus, vt sola formido præponderet opinioni, atque vt satius sit secundum illam operari in favorem animarum, cùm speciem aliquam probabilitatis retinent, quàm opinioni contrariæ deferre, licet sit multum probabilis. Ita Petrus de Soto *de tegendo secret. memb.* 3. *p. q.* 2. *conc.* 2. Navarrus *in cap. Inter verba. corol.* 53. *num.* 135. *fin.* Baldellus *tom* 1. *Theolog. moral. lib.* 4. *disp* 11. *n* 15. & *disp.* 12. *n* 4. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim disp.* 36. *n.* 8. Lessius *lib.* 2. *de iust & iur. cap.* 17. *n.* 77. *in fin.* Ioannes Præpositus *in* 3. *p. q.* 4. *de confes. n* 88. Villalobos *in summa tr* 1. *difficul.* 8. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol* 59. Castro Palao *p.* 1. *tr.* 1. *disp.* 2. *p* 2 *n.* 5. Reginaldus *in praxi. lib.* 13. *n.* 89. Pellizzarius *tr. de monial. cap.* 10 *n.* 184. Verricelli *dicto tr.* 2. *q.* 36. *n.* 5. Franciscus de Lugo *tr. de Sacramentis. cap.* 1. *n.* 54. Sarasa *de cons. p.* 2. *tr.* 5 *n* 45.

46. Qui omnes sic discurrunt in plerisque eventibus, vbi non aliter declinari potest periculum magni damni, nominatimque circa Baptismum in sola digiti extremitate exteriùs patente conferendum infanti latenti in vtero, & forsan morituro, quin nascatur: nec non circa absolutionem moribundi sensibus destituti, qui præsente Confessario neque vlla edidit doloris signa, neque pœnitentiæ Sacramentum postulavit: item cir-

circa revalidationē matrimonij nulliter contracti ob impedimentum occultum faciendam, quin alter coniux conscius fiat nullitatis, cùm ex ea notitia gravia incommoda timentur honoris, vitæ, vel famæ. Esto enim speculativa opinio de valore Sacramenti parum probabilis sit in his evēntibus, & ratione periculi, aut necessitatis neque fiat probabilior, nec securior quoad effectum conficiendi Sacramentum validum; adhuc tamē satius creditur, cùm angustiæ premunt vndique, tenui isti probabilitati confidere, tenuemque remedij spem ex eius vsu concipere, quàm deijci, & omnino desperare.

47. Quare tunc licitus erit vsus cuiusque opinionis de valore Sacramenti, sive sit certò probabilis, sive solùm probabiliter; imò quamvis dubium conferenti sit, num opinio, cuius vsu indiget, sit probabilis, aut improbabilis, vt specialiter notavit Verricelli *suprà*, & facilè potest contingere in casibus repentinis, quibus sine mora est occurrendum, ne occasio præterlabatur. Et proinde Card. de Lugo *disp.* 8. *de Sacram. num.* 140. docebat, in extremo isto discrimine posse conferri Baptismum cum liquore aliquo, de quo dubium est, vtrùm sit materia apta, vel omnino inepta, cùm neque ex visu, neque ex gustu, vel odore potest id discerni, & res non patitur moram, qua alijs modis possit eius aptitudo, vel ineptitudo examinari. Videndus Diana cum relatis *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 49. & Giballinus *tom.* 1. *de scient. Canon. lib.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 5. *conclus.* 4. & 5. Tamburinus *lib.* 2. *de Sacram. cap.* 1. § 1. & 2. qui plures casus singillatim examinant, & rectè advertunt in hoc dubio Sacramentum ministrādum, addita ista conditione: *Si materia est apta*; repetendum verò, si posteà adsit opportunitas, sub hac: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

48. Quæ autem diximus de necessitate gravi spectante ad suscipientem, servata proportione, extendi solent ad parem necessitatem se tenentem ex parte ministrantis. Nam ad ministrantes spectat, nempe ad ipsos contrahentes per signa externa consensus, & acceptationis mutuæ, casus ille matrimonij invalidi, quod Sanchez, Lessius, & alij ex nuper appellatis affirmabant revalidari posse per consensum mutuum, inscio prioris nullitatis altero ex coniugibus, obtēta dispensatione impedimenti, quod ei manifestari non valet absque maximo periculo mortis, scandali, aut infamiæ. Vnde si mors intentetur, vel alterum grave malum ex his, quorum iustus metus ab obligatione aliorum præceptorum solet excusare, licitum erit ministro non aliter evasuro aliquod ex istis malis baptizare puerum *in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque*, licet ea forma sit solùm probabilis, vt notant cum alijs pluribus Bresterus *lib.* 3. *de consc. n.* 105. Giballinus *eo consect.* 4. *n.* 9. Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *tr.* 8. *n.* 96. Baldellus *dicta disp.* 12. *n.* 17. Verriceli *sup. q.* 27. *n.* 7.

49. Denique sub istis etiam moderationibus est accipiendum, quod de Sacerdotio dicitur, nisi quod rarissimè occurret talis, tantaque necessitas conferendi illud ex opinione probabili circa valorem, vt meritò præponderare censeatur malis, quæ ex adverso imminent. Nam si fortasse contingat opinionem, quam sequutus est minister in ordinatione illius, esse falsam, & proinde eum nō esse verum Sacerdotem, neque sacrificium offeret, nec conficiet, aut communicabit in Missa, neque fructum eius adstantes reportabunt, aut animæ Purgatorij, vel alij, pro quibus ea offertur, nec Corpus Christi susci-

pient sumentes formulas ab ipso cõsecratas, nec à peccatis suis erunt absoluti, qui cum illo Sacramentalem confessionem instituerunt. Quippe omnia ista, & alia pleraque nocumẽta permaxima ex invaliditate Sacerdotij necessariò consequuntur, vt hæc necessariò sequitur ex Baptismi nullitate. Porrò in collatione Sacerdotij probabiliter invalidi omnia hęc mala radicantur, & in suo quasi semine inveniuntur, & propterea satius est, imò debitum omnino, abstinere ab illa, quoties vsus eius non videtur necessarius ad evitanda probabiliter alia damna præponderantia his periculis. Necessitas autem ista vix vnquã ad suscipientem spectabit; sed ad alios, quia Sacerdotium non est ipsi necessarium necessitate medij, sicut est Baptismus; imò neque necessitate præcepti, sed voluntariè suscipitur.

50. De Episcopali ordine eadem est ratio, atque eo maior necessitas exigitur, quo longiùs, latiùsque possunt diffundi spiritualia nocumenta, quæ proveniunt ex incerta illius validitate. Nam qui verè Episcopus nõ est, quamvis id tentet, nulli fidelium Sacramentum Confirmationis impertiet, nulli Sacerdotium conferet, nullum verè Episcopum sacrabit. Vnde neque consecrati ab isto alios Episcopos re ipsa consecrabunt, nec veros Sacerdotes constituent, qui possint validè sacrificium offerre, aut Eucharistiam conficere, vel à peccatis solvere, aut ligare. Nec mali labes finietur cum vita prioris Episcopi; sed nati natorum, & qui nascentur ab illis (vt sic loquar) eâdem tabe conficientur, & tamdiu durabit, quamdiu cõtinuabitur illorum series, quorum vera Consecratio, & Ordinatio pendet ex eo, quòd fuerit re ipsa consecratus primus ille Episcopus, à quo originem traxerunt. Neque item vno in loco morabitur; sed ad omnes orbis plagas extendetur, quò sparsim pervenire contigerit putativos istos Sacerdotes, aut Episcopos. Putabunt enim, se esse verè tales, & ingerendo se officijs suorum, Ordinũ nihil efficient, si falsa fuit illa opinio de valore Sacramenti, iuxta quam sunt ordinati; sed meras cœremonias exercebunt, apparenter quidem validas; sed fructu vacuas, ac rebus.

CAPVT VI.

Quando liceat conferenti Sacramenta sequi opinionem probabilem circa valorem ipsorum, & tutiorem relinquere?

51. Asfero 1. Vt hoc liceat conferenti, non est satis, quòd nec lex Ecclesię id vetet, nec conventio, nec periculum incurrendi grave damnum. Contradictoria istius satis apertè continetur in propositione damnata, quæ id toties licere affirmat, quoties fieri potest, nullo illorũ trium refragante; sive fiat ad libitum conferentis, sive ex causa; sive contra, sive iuxta voluntatem suscipientis; sive iuxta, sive contra vsum, ac praxim Ecclesiæ; sive nullitas Sacramenti timeatur ex defectu formæ, vel aliorum, quæ præstanda sunt à conferente, sive aliunde; sive incertitudo ex ijs oriatur, quæ Ecclesia supplere potest, sive ex his, quæ sunt iuris Divini, & nequeunt ab ea suppleri; sive Sacramentum, v.g. Confirmationis, contra suam naturam exponatur periculo reiterationis, sive non item; sive involuntaria amissio magni lucri spiritualis inde possit resultare, aut leve damnum distinctum à iactura gratiæ, sive nullum. Quot verò, & quàm magna absurda inde sequantur

in

in praxi, & quantum dissonent communi sensui Ecclesiæ, anteà fuit abundè ostensum. Et propterea existimo, assertionem nostram, sicut iacet, ab omnibus esse amplectendam, neque oppositum doceri, aut defendi posse, vel in praxim revocari absque cõtraventione decreti damnantis propositionẽ, in cuius expositione versamur.

52. Assero 2. Regulariter non licet conferenti Sacramenta sequi opinionem probabilem de valore ipsorum, derelinquendo tutiorem, & præsertim circa illa, quæ sunt ab ipso ministrante exhibenda. Est certa, & communis omnium, nec iam contradictoria, vti præcedens, sed contraria thesi prædamnatæ. Ratio convincens ex hucusque traditis sua sponte descendit. Quia id vetat conferenti sæpissime lex positiva, aut consuetudo Ecclesiæ, vel peculiaris conventio, aut promissio Deo, aut homini facta: sæpe rationabilis voluntas suscipientis inviti circa periculum amittendi lucrum gratiæ, vel subeundi damnum aliud, sive grave, sive leve: sæpe indispensabilis necessitas recipiendi Sacramentum re ipsa, & cum effectu validum, vt in his accidit, quæ necessaria sunt necessitate medij: sæpe specialis religio, seu natura Sacramenti, v.g. irreiterabilis, vt Confirmatio, vel adorabilis suprema adoratione, vt Eucharistia: sæpe pericula imminentia alijs, si suus valor Sacramento desit, vt in Sacerdotio, vel Episcopatu.

53. Et in summa, comparatione eorum, quæ non licent, pauci casus invenientur percurrendo singula Sacramenta, & eorum praxim, vbi putari possit hoc licere. Sæpe enim aliquis obstat ex titulis præassignatis, quorum singuli per se sufficiunt, & interdum plures coniunguntur, & ex coniunctione ipsorum diversæ speciei malitiæ actum illicitum reddunt. Haud immeritò proinde dici potest etiam ob hanc causam profligatam esse thesim propositam, si opus esse videatur non solùm contradictoriam illius (quod priori assertione est factum) sed etiam contrariam defendere, quia in ea, vt iacet, nihil clarius invenitur, quàm regula generalis cõtraria huic nostræ, nimi ùm ordinariè, & vt plurimum non esse illicitum incertum illum modum ministrandi, & ideò reliqua per exceptionem, vt minùs frequentia, adijciuntur, suppressis alijs non paucis, quæ certò excipienda essent. In rigore autem vnicuique sufficit contradictoriam propugnare: nam duæ contrariæ sæpe solent esse simul falsæ: & qui contradictoriam alicuius enuntiationis propugnat, enuntiationem ipsam non defendit; sed impugnat, atque evertit.

54. Assero tertiò, id esse licitum in casu necessitatis, sive ea spectet ad ministrum, sive ad ipsum suscipientem. Quem casum omnes excipiendum censent, etiam severiores illi, qui putant semper iniuriam Sacramentis irrogari, & tractari irreverenter, quoties suscipiens, conficiens, aut conferens ob opinionem probabilem se se voluntariè exponit periculo nihil suscipiendi, nihil efficiendi, aut nihil dandi. Cedit enim quasi iuri suo religio Sacramenti in dicto eventu, vt fideles beneficio illius vtcumque perfruantur. Neque vllum Sacramẽtum excipitur, quamvis sit irreiterabile, vt Baptismus, & data opportunitate, iterum sub conditione debeat repeti. Vbi etiam thesis damnata aberravit (vt capite præcedenti vrgebam) sive quatenus huius exceptionis non meminit in Baptismo, & duobus alijs, sive quatenus in ipsis nõ distinxit casus, graduque necessitatis, qui in eis etiam habent locum, licet sint valde inæquales.

55. Assero quartò. Secluſa necessitate, aliquando idem licere, valde

de est probabile. Scilicet, cùm suscipiens consentit, quantum est ex se, & favori suo licitè, ac validè renuntiare valet, & aliunde nec lex obstat, neque consuetudo Ecclesiæ, neque præiudicia aliorum, neque peculiaris obligatio ministrantis, neque specialis religio alicuius Sacramenti. Terminos iam anteà exposui, solentque adhiberi exempla ex confessionibus, quæ voluntariè instituuntur, & licitè omitterentur, atque ex iis, etiam præceptis, quæ fiunt licitè cum attritione cognita Confessario, ac pœnitenti. Ratio autem est. Quia, cùm nihil istorum obstat, solùm potest superesse irreverentia ex natura rei imbibita in illo incerto modo ministrandi propter periculum nihil agendi, & naturalis obligatio, qua virtus religionis eam vetat. Atqui ob hanc præcisè causam neque Sacramentum, aut auctorem eius irreverenter tractari, neque virtutem religionis lædi, adeò probabilis opinio est, adeò communis, adeò solidis argumentis comprobata ab innumeris Auctoribus, qui illam sectantur, vt nec possit reprobari, nec debeat, præsertim cùm neque eam improbent, reijciantve vt improbabilem hi, qui oppositam tuentur.

56. Distinxi etiam inter opiniones de valore illorum, quæ exequenda sunt à ministrante, vt prolatio formæ, vel ablutio infantis, & opiniones de valore eorum, quę exhibenda sunt à suscipiente, v.g. dolor de peccatis, quem multi putant ante confessionē eliciendum esse, vt Sacramentum ritè perficiatur, & alij censent debere esse contritionem saltem existimatam, quin ad valorem sufficiat attritio cognita vt talis. Ratio autem distinctionis est, quia propositio damnata non loquitur, nisi de conferente Sacramētum, vt ex illis verbis patet *in Sacramentis conferendis*, & aliunde iste, cùm se accommodat opinioni pœnitentis circa illa, quæ ad eum attinent, non tàm eam sequitur, quàm permittit pœnitenti, vt eam sequatur; neque ipse tunc propriè derelinquit tutiorem; sed supponit, derelictam esse ab alio, cùm ipse omnia ritè, ac validè exequatur, quantum est ex parte sua.

57. Itaque de illis præcipuè, imò vnicè propositio loquebatur, quæ se tenent ex parte conferentis, & spectant ad eius praxim: nam ad illa, quę se tenent ex parte suscipientis, verba ipsius ægerrimè accommodantur. Nec communis vsus, moduśve loquendi istam extensionem patitur, vt iam olim præmonebat doctissimus Antistes Malderus 1.2.*q.*19.*ar.*5.*disp.* 86 *fol mihi.*159. hisce verbis, præter alia: *Quod dicitur ministris opinionem tutiorem in Sacramentorum materia, & forma esse sequendam, non debet extendi ad illam materiam, quæ natura sua suppeditatur non ex parte ministri; sed suscipientis.* Idem monet, traditque *moneri à Doctoribus communiter* P. Bresserus *lib.*3. *de consc. n.* 109. P. Thomas Sanchez *lib.*1.*in Decal.cap* 9 *n* 34. Michaël Salon.*in* 2.2. *q* 63.*ar.*4.*controv.* 2.*ad* 3.*colum.*1193. Basilius Pontius *lib.*4.*de matrim. cap.* 25.*n.*8. Diana 1.*p.tr.*13.*resol.*2. Scildere *tr.*2,*de consc.num.*110. Angelus Bossius *de consc.p.*1.*tit.*1. *à num.*341. Bonacina *tom.*2.*disp.*2.*de peccat. q.*4. *punct.*9.*num.*19. Mascareñas *tr.*1.*de Sacram. disp* 2. *num.*73. Stephanus Bauni *de Sacram. tr.* 1. *q.* 17. *num* 2. Dicastillo *disp.*8. *de Pœnitent n.*220. *cum sequent.* Vasquez 1.2.*disp.*63 *n.* 12. Ioannes Sanchez *in select. disp.*44. *n.*13. Alexander Pesantius *in* 1. 2. *q.* 19.*art.*6.*disp.*3.*de consc.opinat.n.*3.

58. In praxi etiam id sequuntur omnes fere Confessarii, dum extra mortis articulum pœnitentes absolvunt in casu attritionis cognitæ, vel contritionis post peccati cōfessionem habitæ,

habitæ, quamvis probabile reputent, ad valorem pœnitentiæ eam materiam non sufficere. Quare lex, aut consuetudo in his casibus non obstant; sed potiùs favent eisdem. Iustitia etiam non potest obstare, cùm id fiat, sciente, ac volente eo, qui Sacramentum accipit: nec charitas, quia pœnitens ipse, cui charior debet esse sua salus, ordinariè non delinquit contra illam, dum sic se gerit. Nec dubium, quin longè plura obstent conferentibus, quàm suscipientibus, ne ex facto suo exponatur Sacramẽtum periculo nullitatis, quamvis etiam suscipientibus id sæpe sæpius non liceat.

59. Quo loci maximè oportet secernere inter opiniones pœnitentis illas, quarum vsus reddit Sacramentum Pœnitentiæ probabiliter invalidum, ab alijs vnde valor Sacramenti minimè periclitatur: spectant enim ad alias obligationes controversas, quas ille probabiliter detrectare potest, quin proinde desit quidquam Sacramento ipsi essentiale. Huius generis est opinio negans cum Angelico Doctore præceptum confitendi circumstantias notabiliter aggravantes intra eamdem speciem, quia esto pœnitens illam sequatur, non ideò deerit confessio integra formaliter, omnium scilicet, quæ hîc, & nunc debet confiteri pœnitens, esto forsan desit materialis integritas, sine qua validè Sacramentum conficitur, quoties ideſt legitima excusatio. Idem evenit circa propositum evitandi omnia peccata gravia, quod formaliter integrum certò esse potest practica certitudine, indubitanterque sufficiens ad Sacramenti valorem, quamvis vir ex.g. nolit restituere, aut fœmina deponere ornatum ob opinionem practicam certò probabilem, quæ id sibi licere affirmat, & exerceri deinceps posse absque peccato. Quamobrem de his non est quæstio in præsenti, neque opinio de valore Sacramenti; sed de alia re, quæ non spectat ad eius validitatem.

60. Quoties verò circa istam mediatè, vel immediatè versatur opinio pœnitentis, & ex facto illius nullitas Sacramenti potest resultare; non verò ex facto ministri, tunc affirmant præcitati Auctores, longè aliam esse rationem, nec de hoc casu, iuxta dicta, videtur loqui thesis condemnata. Quæ si vera sunt, & nunc licebit, cùm licitum erat anteà, absolvere pœnitẽtem, qui non præmisit confessioni dolorem Sacramento necessarium, aut qui non affert formale propositum emendationis; sed solum virtuale inclusum in detestatione peccati, vel qui accedit cum sola attritione nota tàm sibi, quàm Confessario, atque ita in alijs similibus, vbi tribuendo singula singulis, defectus, si quis est, non se tenet ex parte conferentis; sed ex parte illius, qui Sacramentum accipit. Et sanè, quod de attritione cognita profertur, si articulum mortis excipias, receptissimum est, ac nominatim traditum fere ab omnibus Doctoribus. Non est autem facilè credendum, communissimas, & receptissimas in praxi Ecclesiæ doctrinas in præsentiarum damnari. Eo vel maximè, quia, vt facta omnino, tectaque servetur Pontificia condemnatio, & propositio, vt iacet, absque dubio scandalosa sit, & pernicios in praxi, satis superque sunt alia motiva anteà adducta, quæ id demonstrant, quin propterea oporteat condemnationem ad hos casus extendere, vel imputare, quæ non dixit, Auctori propositionis damnatæ.

61. In fine quæris, an liceat in conficiendis Sacramentis vti opinione probabili de valore ipsorum, relicta tutiore? Est autem casus valde proprius Eucharistiæ, vbi re ipsa sepa-

ran-

rantur *conficere, conferre*, & *suscipere*: nam ea, quæ in vsu consistunt, conferuntur efficiendo, ac conferendo efficiuntur, & propterea sola rationis nostræ præscissione separari valent per ordinem ad officia separabilia ex suo genere, considerando eumdem hominem, modò quatenus est conferens, modò quatenus est conficiens. Ratio dubitandi est, quia thesis damnata solùm loquitur de his, quæ licent, aut non licent Sacramenta conferentibus, & de suscipientibus, aut conficientibus omnino silet; condemnatio autem illius vltra terminos eius nõ extenditur, sed ad ipsam, sicut iacet, restringitur. Neque iuridicum est, vt constitutio pœnalis, etiam lata in favorem animarum, vltra omnem verborum proprietatem amplietur, quamvis eadem, aut fortior ratio militare videatur, præsertim non expressa in lege ipsa.

62. Quapropter censeo, ex vi decreti hoc non esse condemnatum, nec subiectum pœnis eius, neque illicitum ex vi præcepti, quo iniungitur, ne quis propositiones damnatas vnquam ad praxim deducat. Aliunde verò id proculdubio illicitum mihi apparet, cùm conferenti non licet, & pariter condemnari, atque prohiberi potuisse. Sed aliud est gestum esse, & aliud geri potuisse: aliud damnabile esse, & aliud esse damnatum.



CAPVT VII.

Num, stante hoc decreto, liceat vti opinione probabili circa iurisdictionem, & alia, quæ ad valorem Sacramenti ex dispositione Ecclesiæ requiruntur?

63. VIdetur non licere; sed omnino ablatũ esse vsum cuiusque opinionis merè probabilis, etiam in istis, nam se tenent ex parte ministrantis, & ex defectu illorum, si opinio sit falsa, continget, vt Sacramentum invalidè conferatur, sicut evenit, quoties, deserta tutiore, eligitur opinio probabilis circa ea, quæ ad valorem Sacramenti requisita sunt iure Diuino. Quod verò possit Ecclesia ea supplere, & immutare, quæ vnicè dependent ex institutione ipsius; secus verò illa, quæ requisita sunt, & instituta à Christo, nihil referre videtur, quia vi confert, quod supplere possit, nisi illud de facto suppleat. Non est autem, vnde certò constet, Ecclesiam supplere defectum iuri dictionis, aut approbationis ijs, qui probabiliter existimant, se habere illas, & propterea id totum semper intra terminos meræ probabilitatis relinquitur, & si hæc licent, Sacramẽtum ministrari poterit ex opinione probabili, tutiore deserta ad libitum.

64. Nihilominus non desunt, qui affirment vt omnino certum, in eo casu propter bonum publicum Ecclesiam conferre iurisdictionem Sacerdoti absolventi pœnitentem ex opinione quacumque circa suam iurisdictionem, quæ sit re vera probabilis intrinsecè, vel extrinsecè. Quos inter Angelus Maria Verriceli re exactis-

exactiſſimè diſcuſſa 1.*p. queſt. morali. tr.* 2.*qu. eſt.* 25.*n.* 5. ſic ſcribit: *Hoc dico eſſe moraliter certum, & oppoſitum eſſe improbabile, & falſum, quamvis ſummè diſpliceat improbabilem aſſerere opinionem, quam celeberrimi Scriptores defendunt; ſed vi argumentorum opprimor.* Hæc ille, cui lubens ſubſcribit Moya *in ſelect.* 1.*p.tr.* 1.*q* 6. *n.* 22.& Tamburinus *lib.* 5.*de Sacram. cap.* 5.§ 4.*à num.* 44. Ait inſuper, rem eſſe *certiſsimam*, Caſtro Palao *tom.* 1. *diſp.* 2 *de conſc.punct.* 5.*num* 9.*omnino certam* Thomas Hurtado *tom.* 2. *variar.tr.* 12.*num.* 205 5.*certam* Dicaſtillo *tom* 2 *de Sacram diſp.* 10 *de Pœnit. num.* 196. Machado *tom.* 1.*in diſcur. pract. de probabili opinione. art.* 5. *n.* 7. Franciſcus de Lugo *lib.* 1. *de Sacram. cap* 1. *n.* 50. *certam, aut fere certam*, Boſſius *de conſc.p.* 1.*tit.* 1. *à num.* 384. *practicè certam*, Filliucius *tom.* 1.*tr.* 7. *num.* 227 Martinon *diſp.* 71. *de Sacram. n.* 51. *tutiſsimam* extra articulum mortis Card.de Lugo *diſp.* 19.*de Pœnit. num.* 30. *nulli periculo irritationis expoſitam* Diana *p.* 2. *tr.* 15. *reſol* 29.*& p.* 8.*tr.* 1. *reſol* 93. *parvo, aut nulli* Caſpenſis *tom.* 1.*curſus Theolog. diſp.* 3.*de conſc.num.* 28. Vt omittam alios, qui id ipſum tradunt tanquam abſolutè verum, nedum vt probabile, vel probabilius, nempe Thomas Sanchez *lib.* 3.*de matrim.diſp.* 22. *in fine.* Baſilius *lib.* 5. *cap* 19. *num.* 8. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & tur. cap.* 29. *num.* 68. Layman *in ſumma lib.* 1. *tr.* 4.*cap.* 22. *num.* 9. verſ. *Dictum eſt.* Bonacina *tom.* 1.*diſp.* 5.*de Sacram.q.* 7.*punct.* 5.§. 4. *num.* 4. Villalobos *tr.* 1. *diffic.* 13. *num.* 5. Serra *tom.* 2.*in* 1.2.*q.* 19.*art.* 6. *dub.* 4.

65. Quæ ſi vera ſunt, iam ea doctrina extra numerum opinionum probabilium reponetur,& ex ratihabitione actuali Eccleſiæ certitudinem,& ſecuritatem adquirit, quas ex ſe ſola non habet. Vnde & valor Sacramenti ex vſu illius in tuto collocabitur, & qui illam in praxi ſequitur, hiſce principijs inſtructus, contra decretum Pontificis nihil prorſus operabitur: neque enim deſerit ſententiam tutiorem pro probabili, aut certam pro incerta; ſed pro tuta, certaque moraliter. Idipſum extendunt Sanchez, Boſſius, Leſſius, Bonacina, Dicaſtillo, Machado, Franciſcus de Lugo, Villalobos,& multi alij ex nuper laudatis ad alios pleroſque caſus Eccleſiæ diſpoſitioni ſubiectos, vt in ipſis ſupplere cenſeatur, quod deeſt valori, cùm probabili opinioni nititur, qui eos perficit, ſicut id ſupplet, cùm adeſt error communis,& titulus coloratus. Vt ſi probabile ſit, aliquem validè aſſiſtere contractui matrimonij, vel abſolvere à cenſuris, aut peccatis, aut habere facultatem eligendi Confeſſorem, aut non eſſe revocatum privilegium, quo vti intendit, ſupplente ſcilicet Eccleſia defectum, ſi fortè ſubſit, ne tot acta irrita fiant cum maximo detrimento ſingulorum, ac vtilitatis publicæ.

66. Probabilis viſa fuit iſta doctrina, ſed non certa, vti opus erat, P. Suarez *diſp.* 26.*de Pœnit. ſect.* 6.*num.* 7.& ideò *num.* 8. in Sacramento Pœnitentiæ ex alio capite ſecuritatem promittit. Ait enim, illud certiſſimè, & indubitanter perfici, quoties (vt plerumque accidit) proponuntur aliqua venialia, vel mortalia iam confeſſa cum mortalibus denuo commiſſis. Nam quoad illa omnino eſt certa iuriſdictio directa cuiuſcumquè Sacerdotis, niſi ſit ſpecialiter prohibitus, licet quoad iſta ſit ſolùm probabilis. Id autem ſufficit, vt ſit certus Sacramenti valor, atque certa gratiæ infuſio, qua omnia gravia peccata deleantur, ſaltem indirectè, ſicut omnia proculdubio delerentur, caſu quo mortalia forent inculpatè oblita, & ideò pœnitens ſola venialia fateretur

apud Sacerdotem simplicem. Quippe certa iurisdictio absolvendi directè ab aliquibus peccatis in confessione propositis est etiam certa potestas absolvendi, saltem indirectè, à quibuscumque alijs, quæ cum ipsis bona fide proponuntur. Bonam autem fidem præstat pœnitenti probabilis ignorātia obligationis quærendi aliū Confessarium, sicut illam præbet inculpata oblivio. Neque tunc est vlla quæstio probabilis hinc, & inde de valore absolutionis; sed solùm de modo illius. Nam, si vera sit opinio circa suam iurisdictionem, quam Confessarius exequitur, pœnitens ab omnibus peccatis suis etiam mortalibus directè erit absolutus. Sin verò falsa, directè à venialibus, & indirectè ab alijs, vt in casu oblivionis cōtingebat, vbi maior poterat videri difficultas. Quia ibi certum est deficere iurisdictionem directam quoad mortalia, cùm in nostro casu supponatur eam adesse probabiliter.

67. Suario concessit P. Thomas Sanchez *in summa lib. 2. cap. 13. n. 15.* vers. *At existimo.* sic scribens: *Omnes fatentur aliqua venialia simul cum mortalibus, ac proinde respectu venialium est omnino tuta, & certa absolutio simplicis Sacerdotis, & mortalia, deficienti iurisdictione ad illa, remittentur indirectè.* Caspensis *sup. n. 30.* vbi dicit, in hoc casu neque pœnitenti iniuriam irrogari, nec Sacramentum exponi irritationis periculo. Ioannes Sanchez *ea disp. 44. num. 24.* Comine. *p. 2. de Sacram. disp. 8. n. 42. in fin.* Neque hunc modum defendendi respuunt plerique ex Doctoribus, qui anteà proposito insistunt, sed vtrumque simul approbant, vt videre licet apud P. Sanchez *in summa lib. 1. cap. 9. num. 35.* Martinon. *disp. 53. de Sacram. num. 14.* Dicastillo *num. 216.* Layman, Franciscum de Lugo, Filliucium, Villalobos, & alios locis superiùs adductis.

68. Nihilominùs non desunt alij, quibus neuter ex his modis appareat certus, aut tutus; sed, vtrovis posito, Sacramentum adhuc remanere probabiliter expositum periculo nullitatis; atque adeò tàm esse illicitum in istis vti opinione probabili, relicta tutiore, quàm in alijs, quæ immediatè pendent ex institutione Christi. Ita Salas *tom. 1. in 1.2. tr. 8. à n. 99. & à n. 285.* Oviedo *1.2. tr. 5. controv. 3. punct. 4. n. 33.* Bresserus *lib. 3. de conse. n. 114.* Marchantius *in Tribun. Sacramentor. tom. 1. tr. 2. tit. 3. q. 4.* quorum sententiam validis, ac nimis vrgentibus fulciri rationibus, & in praxi non esse deserendam docuit tandem tandem Diana *p. 9 tr. 7. resol. 59. in fin.* Ratio capitalis est, quia illa extrinseca principia, vnde valoris certitudo promittitur Sacramentis sic collatis, nec sunt certa, nec secura; sed probabilia duntaxat, & fortasse falsa. Nam quod primo loco dicitur, nempe operantibus ex opinione probabili certam iurisdictionem conferri, sicut confertur Parochis occultè excommunicatis, vel simoniacè adeptis beneficium, alijsque habentibus titulum Confessarij re ipsa invalidum, qui cōmuni errore populi validus reputatur, ac sufficiens, certum non est, sed probabile, vt Suarius tradebat *suprà.*

69. Vnde quamplurimi negant, Ecclesiam supplere in eo casu defectum iurisdictionis, & ex professo P. Bardi in Bullam *p. 2. tr. 5. cap 1. à n. 185.* Ioannes Sanchez *in select. disp. 44. num. 10.* Scildere *tr. 2. de conse. num. 34.* & alij non pauci oppositum defendunt duntaxat tanquam probabile, vel probabilius, adeò vt Tamburinus dixerit *lib. 4. de Sacram. cap. 4. §. 8. n. 3.* (licet minùs consequenter) Verricelli, cuius verba ex scripsimus *num. 61.* nimis exaggeratè esse loquutum. Iam verò alter modus defendendi

di certum Sacramenti valorem, quem ex Suario produximus, ſuos etiam contradictores habet, & nominatim Palao *in dicto num.* 9. & Verricelli *dicta quæſt.* 25. *n.* 8. Et proculdubio vſus illius non poteſt eſſe adeò frequens, ſicut eſſe dicitur, quia eſto frequenter in confeſſione mortalium exponantur aliqua venialia, ſæpe accidit, vt de venialibus non adſit dolor ſufficiens, nec propoſitum emendationis, & ideò ordinariè illi, qui venialia ſola commiſerunt, ad mortalia iam confeſſa, de quibus eſt certior dolor, in confeſſione recurrunt. In eo autem caſu neceſſarius eſt omnino verus dolor, verumque propoſitum circa venialia, quia abſque illo directè remitti nequeunt, & niſi ea directè remittantur, irremiſſa manebunt omnia alia, quę ad remiſſionem ipſorum non niſi per accidens, & ex conſequenti remittuntur.

CAPVT VIII.

Noſtrum iudicium.

70. IN tanta ſententiarum varietate primum dico, hac obiectione non aliud probari, niſi ad ſummum, quòd hi ipſi, qui opinantur eiuſmodi principia eſſe incerta, & Sacramentum adhuc eſſe probabiliter invalidum, non poſſint licitè illud miniſtrare ex probabili opinione circa ſuam iuriſdictionem, cùm adſunt alij, qui ſine eo periculo illud miniſtrare valeant. Tales tamen interim non prohibent, quominùs alij Doctores vtrumque, aut alterum ex eis pro certo habeant, prudenterque exiſtiment, ſe iuxta id in praxi agentes non ſequi ſentẽtiam probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; ſed omnino certam, quamvis per alteram eidem valori aliquanto certiùs conſulatur: nam certitudo non conſiſtit in indiviſibili; ſed maior, aut minor eſſe poteſt, & maximè in re morali. Idemque iudicium efformare poſſunt ducti auctoritate iſtorum tàm pœnitentes, quàm alij, qui ex proprijs principijs rem ipſam non penetrant, neque ſuis momentis rem librare valent. Quare vtrique meritò cenſebunt, ſe non acquieſcere propoſitioni damnatæ, nec contraire præcepto Pontificio, deducendo illam ad praxim.

71. Rurſum, in his caſibus miniſter certus eſt, ſe non deſerere tutiorem ſibi poſſibilem; ſed ex parte ſua quàm poteſt tutiſſimè Sacramentum miniſtrare, licet alij tutiùs miniſtrare poſſent, qui iuriſdictionẽ ex ſe certam, & approbationem habent. Porrò theſis condemnata in his terminis non loquitur; ſed de eo, qui tutiorem modum conferendi Sacramentum ſibi poſſibilem à conſilio deſerit, & pro libito ſubſtituit alium duntaxat probabilem. Proponuntur enim ibi tanquam duo extrema electionis tutior opinio, & probabilis; electio autem non eſt impoſſibilium, neque vllus niſi valde impropriè dicitur relinquere viam, quam ſequi non potuit; ſed quam liberè noluit amplexari. Diximus ſuprà, & eſt cõmunis omnium, Sacramentum licitè conferri poſſe ex opinione probabili, relicta tutiore, in caſu neceſſitatis propriæ ipſius miniſtri, v. g. ſi illam deſerat ex metu cadente in virum conſtantem, neque hic caſus eſt incluſus in decreto Pontificis; ſed relictus in ſtatu, quo erat anteà. Ergo pariter relictus iudicari debet caſus impoſſibilitatis. Nam impoſſibilitas agendi iuxta opinionem tutiorem penitus involuntariam reddit deſertionem eius, & quoad hunc effectum longè eſt potentior, quàm metus, qui non extinguit omnino; ſed diminuit voluntarium.

72. Negandum præterea est non esse certum, quòd Ecclesia supplcat defectum iurisdictionis ministri in prædicto eventu. Tum quia tale supplementum maximè spectat ad vtilitatem publicam, & commune bonũ animarum, cui Ecclesia nunquam deest. Tum quia immemorialis consuetudo fert, vt Sacerdotes absolvant à peccatis, & censuris, cùm probabiliter iudicant, se habere iurisdictionẽ: &, si paucos scrupulosos excipias, vix est vllus, qui in hoc casu non se accommodet favori, aut opinioni pœnitentis. Porrò consuetudo antiqua, & maximè immemorialis, vel vi sua iurisdictionem confert subiecto alioquin capaci, vel irrefragabiliter probat, illam fuisse anteà concessam. Et quidem de hac consuetudine securissimè attestantur P. Suarez *in dicta sect.* 6. *n* 7. & Card. de Lugo *ea disp.* 19. *n.* 31 *& n.* 34. conteſtanturque deinceps, vt alios prætermittam, Dicastillo, Palao, Verricelli, Tamburinus, Aversa. Neque vllus eius initium, aut originem assignat, nam hominum memoriam transcendit, & proculdubio longè esset facilius protervire denegando consuetudinem, quàm, illa admissa, assignare initium eius. Neque id posteri, vt sine culpa operentur, investigare debent, aut examinare iustitiam causæ, vnde consuetudo est orta, opportunè id adnotante circa impedimenta dirimentia matrimonium ex dispositione Ecclesiæ P. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 4. *num.* 14. *ante finem*, cum Valentia, Gabriele, & Caietano, quamvis non obstaret, primùm incœpisse per confessiones invalidas defectu iurisdictionis ex Coninc *disp.* 8. *de Pœnit. num.* 39.

73. Sufficit autem constans attestatio tot Doctorum magnæ experientiæ, ac doctrinæ, & tàm tempore, quàm loco distantium, vt consuetudo, seu stylus huius Sacri Tribunalis (in qu.) & ipsi fuerunt Iudices) legitimè probatus censeatur. Nam & alia facta solis duobus testibus, aut tribus omni exceptione maioribus plenè comprobari intelliguntur; atque pro interiori foro, vbi sola facti veritas inspicitur, & ad apices iuris positivi non attenditur, vel vnus interdum sufficit, præsertim cùm de alterius præiudicio non agitur. Videndus Suarez *lib.* 7. *de legib. cap.* 11. *n.* 8. vbi inter alia ait, probabilem Doctorum opinionem pro his sufficere, qui per semetipsos nesciunt consuetudinis modum rutinare, Sanchez *eo lib.* 7. *disp.* 17. *num* 8. Granado *in* 1. 2. *controv.* 7. *tr.* 3. *p.* 2. *disp.* 16. *num.* 12. Salas *disp.* 19. *de legib. sect.* 18. Scildere *tr.* 3. *de consc. num. vltimo.* Diana *p.* 6. *tr.* 5. *resol.* 28.

74. Neque post decretum Innocentij promulgatum, & sæpius visum, ac lectum intercisa fuit hæc consuetudo, aut reputatus contrarius ipsi vsus illius, vt vel ex his, quæ in Civitate amplissima, vbi hæc scribo, contigerunt, deprehendetur satis clarè. Sunt namque in illa ex omnibus penè religiosis Ordinibus numerosæ familiæ confertæ viris sapientibus, & Theologiæ Magistris, ac studijs, & omnes fere hisce annis, Confessarijs Societatis nostræ exceptis, confessiones excipiebant absque approbatione Diœcesani (quem experiebantur sibi parum æquum) hac probabili opinioni innixi, quòd Regularis semel approbatus ab aliquo Ordinario, vbicumque est eligibilis virtute Bullæ Cruciatæ. Quare pœnitentes priùs interrogabant, num Bullam haberent, & eos, qui carebant illa, remittebant ad alios Confessarios. Factum non probo; sed narro; nec consulerem, vt in exemplum traheretur: nam ex alio capite facilè peccaminosum esse potuit in tanta publicitate, ac fre-

frequentia, & præsertim erga illos, qui nesciebant, qua de causa fieret illa interrogatio: esse enim poterant rationabiliter inviti, & nolle incedere, nisi via tutissima, etiam quoad iurisdictionem Confessarij. Certò tamẽ scio, in quadam familia magnæ doctrinæ, ac sanctitatis, vbi plus quàm quadraginta huic sacro ministerio vacabant, ad adventum novi Episcopi solos quinque esse repertos ab Ordinario loci anteà approbatos, & non nisi duos in alia satis numerosa, & fortè nullum in aliqua, quod ex licentijs, quas petierunt posteà, patentissimè constitit.

75. Viget itaque, & vigebat olim istiusmodi consuetudo introducta in favorem animarum cum scientia, & patientia Ecclesiæ, quæ illam ignorare nequit, cùm sit adeò antiqua, & frequens, & tot libris pervulgata, nec eam extirpat, quamvis facillimè posset, quod est manifestum signum, vt multi è re nostra obseruant, approbationis, ac consensus taciti. Puto autem, illam deseruire solùm pro foro conscientiæ, ne tot Sacramenta irrita fiant in perniciem conscientiarum; nam pro foro externo necessaria non apparet talis concessio, & ne istæ perturbentur, sæpe vsuvenit, vt facultas absolvendi ad ipsum non extendatur. Censeo insuper, eam non favere, nisi opinionibus certò probabilibus de iurisdictione Confessarij: nam illis, quarum probabilitas ambigua est, & hinc inde controvertitur, vtrùm sint probabiles, vel improbabiles, neque Ecclesia vult favere, sed potiùs extirpare ipsarum vsum, necessitate secluſa, neque eis vnquam rationabilis prudentum, ac timoratorum consuetudo favet. Exemplum autem sumi potest ex ea, quæ docet, posse Parochum committere simplici Sacerdoti facultatem audiendi confessiones suorum subditorum: esto enim de iure probabilior visa fuerit, & tuta in praxi Petro de Ledesma, & Ludovico de S. Juan; adhuc tamen plusquàm falsa, & improbabilis ab alijs censetur, vt legi potest apud Ioannem Sanchez *dicta disp.* 48. *num.* 51.

76. In Sacramento etiam matrimonij similis contentio occurrit. Requiritur enim ad validitatem eius ex dispositione Ecclesiæ assistentia proprij Parochi, & circa illam sæpe sæpius variæ opiniones feruntur vtrimque probabiles, ex. g. an sufficiat assistere in Parochia aliena Parochũ vtriusque contrahentis, vel in Parochia sponsæ sponsi Parochum? Quæstionis ergo est, vtrùm Ecclesia etiam suppleat in his casibus certitudinis defectum, certamque assistendi facultatem conferat, ne incertitudo opinionis in Sacramentum redundet, idque reddat probabiliter invalidum? Supplere affirmant Basilius, Martinon, Lessius, & alij ex relatis *num* 61. & 62. licet non explicent, an id procedat in vtroque foro, vel solùm in foro animæ. Sed profectò cõsuetudine, quæ nobis præcipua fuit pro Sacramento Pœnitentiæ, pro matrimonio nequeũt adiuvari. Nam consuetudo non extenditur de Sacramento ad Sacramentum, vel de casu ad casum; sed intra suos terminos coërceri debet, vt privilegio illius validè vtamur. Matrimonio autem consuetudo sua non assistit, nec de illa Auctores testantur; quinimò sæpe videmus illud declarari clandestinum, & invalidum, permittique contrahentibus convolare ad alias nuptias, quamvis constet in iudicio. Sacerdoti, qui illi interfuit, non defuisse suam opinionem probabilem.

77. Quamobrem prædicti Auctores alijs principijs vtũtur ad suam assertionem confirmandam, & eo præcipuè, quòd acta agentis ex opinione probabili ob vtilitatem publi-

cam

cam firmari debeant, quamvis opinio sit falsa, sicut firmantur pro foro etiam externo, dum intervenit communis error cum titulo colorato, iuxta vulgarem doctrinam sumptam *ex l. Barbarius Philippus. 3 ff. de officio Prætor.* Attamen doctrina ista, pro qua strenuè pugnat Verricelli *in dicta q. 25. n. 9.* non vsque adeò certa apparet, vt valorem Sacramenti ponat omnino extra aleam. Primò, quia sæpe contingit, vt duo iudices in eadem causa se competentes declarent, & vterque probabiliter, quin propterea Princeps, aut Ecclesia vtrique cõferat iurisdictionem certam, aut valorem certum eorum actis: nam alioquì, cùm ea sint inter se opposita, auctoritate sua redderet bellum certò iustum ab vtraque parte. Secundò, quia iuxta plures id ipsum contingit Regi imponenti tributa, aut Episcopo excommunicanti, & cuivis Superiori præcipienti ex opinione probabili circa suam iurisdictionem, vel circa extensionem eius: neque enim aliunde suppletur certitudo, quæ ipsi deerat; sed adhuc subditis reluctari licet ob opinionem contrariam, præsertim probabiliorem, esto ille sit in possessione officij, vt multis contendit Scildere *tract. 2. de cons. à n. 54.* cum Vasquez, Palao, Lessio, & alijs. Qui verò illis id licere negant, non ducuntur eo principio; sed alio longè diverso, scilicet quia ius Superioris dignius est, atque potentius, & ideò in eo eventu prævalere debet contra subditorum libertatem. Videndus P. Suarez *lib. 5. de legib. cap. 18. num. 20.* & *disp. 4 de censuris. sect. 6. num. 6. & 7.*

78. Tertiò, nam quoad hunc effectum est valde aperta disparitas inter errorem communem, & opinionem probabilem. Quippe errori de alicuius potestate non favent leges, & iura, cùm vnius est, aut paucorum; neque item, cùm est vincibilis, aut multis nota eius falsitas; sed solùm, cùm est communis, ac præsertim circa factum, invincibilis, & adeò incognitus, seu larvatus specie veritatis, vt pro veritate certa absque prudenti formidine apud doctos, & indoctos habeatur. Talis profectò erat error circa Barbarij Præturam, de quo textus præallegatus, & talis esse non potest, quem fert opinio probabilis. Barbarius enim officium Prætoris, ac designationem, seu titulum Romæ est adeptus, apparenter quidem validum; sed invalidum re vera, quia erat servus fugitivus, & ideò ad Præturam inhabilis. Cœterùm quia istiusmodi inhabilitas latebat populum, neque vllum suppetebat indicium de ea inquirendi, aut dubitandi, omnes pro comperto habebant, eum esse verum Prætorem, & de valore tituli, aut actorum eius nil omnino formidabant. Nemo enim poterat, tametsi doctissimus (deficientibus indicijs) aut errorem suum corrigere, aut superare ignorantiam. Nam ea, quæ in facto consistunt, quoties est omnino occultum, peræquè doctos, ac indoctos fallunt.

79. De hoc ergo Vlpianus cum Pomponio in textu illo respondit, *humanius esse*, vt nihil eorum, quæ decrevit, aut edixit, reprobetur propter vtilitatem eorum, qui apud eum egerunt, quamdiu eius servitus latuit. Idque vim legis obtinuit, postquàm Vlpiani sententia inserta est iuri Romano. At verò quod illud ipsum vniversim extendatur ad alia omnia, quæ geruntur ex opinione probabili, nec lege, nec iure constat, nec recepta consuetudine; sed intra terminos cõgruentiæ manet. Neque enim ex sola rei natura existimari potest debitum humanitati, aut vtilitati publicæ, cùm sibi imputare debeat, quisquis viam tutiorem sibi possibilem deserit,

quòd

quòd periculosam elegerit, nec meretur, vt auctoritate Superiorum tuta ei fiat, cuius periculum amat. Quare neque id docet, docuisseve Consultus ob rationis paritatem, si apud populum tunc esset probabilis, ac prudens opinio de inhabilitate Barbarij, & alius Prætor occurreret, qui posset securè, ac certò iustitiam administrare. De quo accuratè Scildere *eo tr. 2. num. 38.*

80. Nam probabilis opinio, si falsa est, solùm est error eorum, qui illam confectantur; non verò communis omnium: cùm sæpe habeat plures, gravesque adversarios: sæpe singularis sit, aut paucorum: sæpe ad populi notitiam non perveniat: sæpe in facto non consistat; sed in iure, cuius error, adhibita congruenti diligẽtia, haud infrequenter superari valet. Neque illa causare potest eum errorem, qui apud populum communiter pro certa veritate habeatur, sicuti opus erat, vt prædictæ legis favor ipsi subsidiũ afferret. Nam sicut veritas, ita etiam falsitas cuiuslibet opinionis incerta est, non solum apud illos, qui ipsam sequuntur vt veram, sed cum formidine, ne fortè decipiantur; verùm etiam apud alios, qui reputant esse falsam: nam & hi prudenter timent, ne fortè sit vera, & apud omnes tàm veritas, quàm falsitas est planè incerta. In casu autem illius legis error populi apud ipsum pro certa, & inconcussa veritate apud doctos, & indoctos communiter habebatur absque formidine oppositi, cuius nulla vel levis probabilitas extabat, nec erat, qui illos dedocere posset, cùm inhabilitas Barbarij occulta esset: vnde & omnes in vtroque foro eius mandatis obedire tenebantur, & illius sententijs stare, ac si essent Prætoris veri. Pro certa ergo veritate invincibiliter error iste tenebatur; probabilis autem opinionis falsitas invincibiliter nequit haberi pro certa, atque ideò ei non applicatur vel casus legis, vel textus.

81. Hinc non sine fœnore iterum ad Sacramentum Pœnitentiæ regredimur examinatori modum illum peculiarem defendendi eius valorẽ, qui *suprà num. 65.* ex Suario proponebatur. Difficultatis autem cardo in eo versatur, quia, sublata illius principij certitudine, quod ipse tanquam certum supponit, nempe Sacerdotes simplices nulla censura impeditos posse validè absolvere à venialibus, cœtera, quæ illi inædificat, sua sponte cadunt. Porrò id esse certum inficiantur Salas & alij appellati *num. 67.* & talem facultatem eis competere absolutè negant Philippus Faber *disp. 25. de Penit. à num. 72.* Bordonus *tom. 1. variar. resol. 36. q. 20.* Ludovicus à Cruce *in Bullam Cruciat. disp. 1. cap. 2. dub. 5. num. 13.* Bexa *p. 3. casu 37.* quorum sentẽtiam ex novioribus probabilem putat Thomas Hurtado *tom. 2. variar. tr. 12. num. 2076.* Accedit & ratio. Quia huiusmodi facultas non competit Sacerdotibus simplicibus (his scilicet, qui non sunt approbati ab Episcopo, neque à Superiore deputati) iure Divino, & ex vi suæ ordinationis, cùm ab Ecclesia passim auferatur, & communiter defenditur contra Paludanum, Capreolum, Caietanum, Ledesma, Sotum, Vasquez, & nonnullos alios, quos strenuè oppugnat Diana *p. 8. tr. 1. resol. 55.* Sed neque iure Ecclesiastico scripto: deest enim textus, qui id probet, nec illum reperit diligentissimus Auctor Martinus Navarro, vt attestatur ipse *in cap. Placuit de Pœnit. dist 6. num. 22.* Nec demum consuetudine, nam illam negat Bordonus *in dicta qu. est. 20. num. 57* cum Fabro, & alijs proximè laudatis: & siqua olim fuit, iam revocata esset in Concilio Tridenti-

no

no *sess.* 23. de reformat. *cap.* 15. vbi approbario Ordinarij indistinctè, & vniversim requiritur ad sæcularium confessiones excipiendas, omnisque contraria consuetudo, etiam immemorialis, revocatur.

82. Cœterùm, his non obstantibus, principium illud ab alijs longè pluribus anteà laudatis, & communissimè apud omnes scriptores pro certa veritate habetur, & communi praxi, ac sensu Ecclesiæ solidari traditur. Quòd si is error est, supinus certè, crassus, aut vincibilis esse non poterit, cùm neque Ecclesia id ostendat, neque in toto populo inveniatur, qui possit hos Auctores dedocere, aut eorum deceptionem propalare. Siqui enim essent, hi maximè, qui id non esse certum opinantur. Atqui opinionem illorum non esse certò probabilem, sed potiùs improbabilem, ijsdem ipsis fundamẽtis ostenditur, quibus certitudo oppositæ à reliquis comprobatur. Vnde sic pro valida eius praxi argumentari licebit. Vel verum dicunt, vel errant hi, qui docent, Sacerdotem simplicem habere certam, ac securam potestatem absolvendi validè à venialibus, neque enim inter hæc duo extrema mediũ inveniri valet. Si verum dicunt, Sacramentum sic confectum erit proculdubio validum. Si falsum, etiam valebit propter errorem communem invincibilem, ac iustum de illius certa veritate. Ergo valor Sacramenti certò, planèque subsistet, sive hoc, sive illud dicatur.

83. Nec deerit titulus, si datur error, cùm, omnibus inspectis, non desit publica, & communis causa existimandi, id esse certum, sive ea sit consuetudo, sive Sacerdotium, sive vtrumque. Nam causa, & titulus in iure idem denotare solent, vt multis exornat Olea *de cessione iurium tit.* 1. *q.* 4. *à num.* 2. Quocirca in casu legis præcitatæ designatio Barbarij in Prætorem, quæ ei erat pro titulo, non ideò reddebat valida gesta ipsius, quia in se valida esset: erat enim planè invalida propter inhabilitatem subiecti; sed quia populo præbebat iustam causam errandi circa Prætoram illius, & ad eum effectum necessaria erat: nam, designatione deficiente, non daretur ei vsus officij, neque pro Prætore admitteretur, sicut non admittebantur alij. Idem autem iuris esset, si iusto, ac communi errore ipse, aut alius quivis crederetur certò designatus, quamvis nulla, aut ficta foret eius designatio: nam publica necessitas, aut vtilitas idem pari iure postulabat. Titulus autem coloratus, vel non requiritur, cùm absque illo datur iustus, ac communis error populi, vel in eo casu specialiter requirebatur, vt suppleret defectum possessionis, quia servus non est possidendi capax *ex textu in l. Quod servus.* 24. *l. Possessio.* 49 *ff. de adquiren. possess.*

84. Est autem longè præstantior in hoc puncto causa Sacerdotum simplicium, quàm erat causa Barbarij. Illi enim suum defectum non agnoscunt; sed eâdem bona fide errare possunt circa suam iurisdictionem, qua errant cœteri de populo, cùm habeant eadem motiva reputandi illam pro certa veritate; Barbarius verò neque bona, neque mala fide erravit, cùm certò sciret, se esse servum, & incapacem Præturæ tàm in possessione, quàm in proprietate. Quapropter ille peccabat vsurpatione iudicij, quoties se ingerebat causis; & administrationem iustitiæ contra Reipublicæ, aut Principis voluntatem vsurpabat. Pariterque peccat modò, si vltro excipiat confessiones, qui habetur pro vero Parocho, cùm verè talis non sit, idque ipse agnoscit, v. g. quia per simoniam occultam

titulum

titulum beneficij comparavit. Neque ei prodeſt, quòd ſua geſta, & abſolutiones datæ populo ignoranti defectum validæ ſint, ſupplente iure Eccleſiaſtico in ſingulos actus iuriſdictionem, quæ ei deeſt. Quia id non conceditur in gratiam eius, neque indulgetur, vt ſit ipſi occaſio vſurpandi iuriſdictionem, qua caret habitualiter; ſed in eorum gratiam, qui invincibiliter errant, & favore communis vtilitatis. Ita Conine *diſp. 8. de Pœnit. num. 22.* Dicaſtillo *diſp. 10. num. 187.* Scildere *dicto tr. 2. num. 51.* Sumiturque exemplum valde ſimile ex his, quæ excommunicatis toleratis eveniunt: peccant enim, ſi vltroneè ſe ingerant communicationi fidelium, quamvis fidelibus ipſis ſit ab Eccleſia conceſſum cum illis communicare.

CAPVT IX.

Concluditur, non omnia, quæ in hoc genere putari poſſunt illicita, eſſe prohibita, aut damnata vi Pontificij decreti.

85. IN fine diligenter obſervandum moneo, quod ex hucuſque dictis planè ſequitur, ad ſatisfaciendum præcepto Pontificio non eſſe neceſſariũ abſtinere ab vſu opinionis probabilis de valore Sacramenti, aut ſequi tutiorem ſemper, & in omni caſu, in quo theſis condemnata licitum eſſe affirmabat ſequi probabilem, atque tutiorem deſerere. Nam alioqui, quia illa proculdubio comprehendebat inter licitos caſum neceſſitatis, ac metus, dicendum foret, etiam in his caſibus tutioris deſertionem damnari, & tanquam pernicioſam prohiberi. Et ratio à priori eſt, quia damnationi, ac præcepto non docendi, aut practicandi aliquam doctrinam, vt licet, ſatis eſt eam improbare, & eius contradictoriam tueri. Tuetur autem illam in præſenti, quiſquis aſſerit eſſe aliquando certò illicitum, ac pernicioſum, quod propoſitio damnata licitum ſemper, ac ſalutare tradebat. Ex. g. ſi id fiat, ſuſcipiente rationabiliter invito, aut contra conſuetudinem Eccleſiæ, nec iuridicum eſt præcepta, vel cenſuras Eccleſiaſticas, aut damnationes morales vltra ſuos terminos, ac proprietatem extendere.

86. Quocirca ſicut ſoli conferentes, non verò qui duntaxat conficiunt, aut ſuſcipiunt Sacramenta, huic damnationi, ac eius pœnis, aut præceptis ſubiacent, licet aliàs malè iudicent, & illicitè operentur, vt tradebam *ſuprà num. 55. & 60.* ita pariter ex conficientibus ij ſoli eiſdem obnoxij debent reputari, qui aliquid docent, aut agunt, cum quo componi non valet condemnationis Pontificiæ ſancta veritas. Qui verò tradunt, aut ſequuntur in praxi opinionem aliquã communem de valore Sacramenti, & non inuſitatam in Eccleſia, ſed ſæpius deductam ad praxim, ſive alio titulo peccent, ſive non peccent (quod vtique Theologorum diſcuſsioni relinquitur) contra decretum iſtud non delinquent, dum propoſitionis damnatæ contradictoriam defenderint: vt ſiquis ſimplex Sacerdos, præſente proprio, pœnitentem abſolverit in mortis articulo, aut approbatus, ſed non habens facultatem abſolvendi à reſervatis, coram eam habente, & ita in alijs, quorum vſu ſarta, tectaque ſervatur Pontificiæ damnationis veritas. Videndus Giballinus *dicto conſect. 4. n. 8. & toto conſect. 5. fol. mihi* 330.

DISSERTATIO IIJ.
DE OPINIONE IVDICIS.

Versatur hæc dissertatio circa propositionem secundam, cuius formalia verba sic se habent: *Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem.*

CAPVT PRIMVM.

Status quæstionis ante decretum Innocentij.

1. DOctrina ista litteraliter habetur apud Bonacina *tom.2. disp.2. de peccat. q 4. pun.9. num.* 13. intermixta in sui favorem allegatione Aragonij, Salonij, ac aliorum, quos putat ab ipsa stare. Et quidem, si probabile esse vellent, semper licere iudicibus eligere inter probabiles opinionem, quam maluerint, ac minùs verosimilia in iudicando sectari, iure optimo improbari debuit ea doctrina, tanquam nova, & nimis laxa. Saltem enim secernere oportebat quæstiones iuris, & quæstiones facti, opiniones peculiares à communibus, favorabilia ab odiosis, civilia à criminalibus, reum ab actore, possidentem ab eo, qui nõ possidet, & alia pleraque deinceps insinuanda, circa quæ proclive esset periculosè offendere, atque pernicioſè errare, dum pro generali regula indistinctè traditur, quod passim obvias, ac certas exceptiones apud omnes patitur, & neque semper, neque vt plurimum, servatis iuris, ac iustitiæ regulis, deduci potest ad praxim.

2. Atque in primis iidem ipsi Auctores, quos Martinus Bonacina appellat, dum iudici concedere videntur licitam facultatem pronuntiandi suam sententiam iuxta opinionem minùs probabilem, de illa præcisè loquuntur, quæ minùs probabilis est ex parte iuris, quia videlicet in controversiam vocatur sensus alicuius legis, vel an hunc, aut illum casum comprehendat, & oppositum expressè affirmant, quoties minor probabilitas se tenet ex parte facti. Tunc enim certo certius apparet, illi tanquam digniori adiudicandam esse v.g. hæreditatem, qui per instrumenta, aut testes efficaciùs, aut validiùs probat, se habere qualitates requisitas ad illam obtinendam. *Nec est* (inquit Aragon 2.2.*q* 63. *art.*4. vers. *Ad tertium.*) *aliqua opinio probabilis, quæ dicat, licitum esse contra huiusmodi hominem sententiam proferre.*

3. Quare nullatenus audiendi sunt Mag. Serra. 2.2. *q.* 67. *art.* 3. *dub.* 2. vers. *Dicendum est septimò*, & Leander à Murcia *lib.* 1. *disquis. moral. resol.* 17. *num.* 8. qui nulla nova ratione, vel auctoritate ducti receptissimam istam traditionem oppugnarunt, cuius oppositam cum Aragon *vbi sup.* improbabilem ducit P. Tamburinus *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. §. 4 *n.* 3. *in fin.* P. Baldellus *tom.* 1. *Theolog. moral. lib.* 4 *disp.* 15. *n* 8 Et meritò: tum quia *in l. Ob carmen. § fin. ff. de testibus*, iudici iniungitur, vt in facto controverso *motum animi sui confirmet ex argumentis, & testimonijs*, non quibuslibet, *sed quæ rei aptiora, & vero proximiora*

miora esse compererit, sive ex illis, quibus *potiùs lux veritatis assistit*, vt traditur *in cap. In nostra.* 32. *de testibus:* tum quia nequit iudex tanquam iustitiæ administer ius suum tribuere vnicuique, nisi illi causam adiudicet, cui ius prælationis competit. Porrò hoc ius, cæteris paribus, ei soli competit, quem merita causæ præferunt, & sua maiori dignitate efficiunt favorabili sententia digniorem. Vnde si competitori minùs digno postponatur, ius suum illi non tribuitur, & leges iustitiæ violantur iniqua distributione. Nam iustitia distributiva non sustinet in concursu oppositorum, vt minùs dignus digniori anteponatur; sed merita causæ examinat, illaque in bilance appendit, vt illis, quæ præponderare viderit, iudicium suum, suffragiumque accommodet. Et alioqui iudex non se gereret tanquam merus distributor rei non suæ loco iustitiæ; sed tanquam dominus liberè de alienis iuribus, ac rebus disponeret.

4. Quòd si probabile non est, licere iudici in sola quæstione facti, vnde ius pendet, sententiam probabilem deferere, & rem illi adiudicare pro libito, cui minùs probabilis assistit, idem à fortiori erit dicendum, dum controversia est iuris, ac facti, & vni ex collitigantibus favet ex vtroque capite maior probabilitas; alteri verò vtraque deficit. Quare in hoc casu *certum* absque dubio est, non licere iudici à probabiliore recedere, & pro minùs probabili sententiam pronuntiare, vt rectè animadvertit Palao *tom.* 1. *disp.* 2. *pun.* 12. *num.* 2. & ex mente omnium Doctorum relatis pluribus Angelus Bossius *de consc. p.* 1. *tit.* 1. *num.* 475. & Giballinus *lib.* 6. *de negotiat. cap. & art.* 3. *num.* 8. Dicastillo *lib.* 2. *de iust. tr.* 2. *disp.* 5. *num.* 275.

5. Idipsumque in criminalibus adhuc evidentius cernitur. Quia improbabile est, licere iudici in quæstione facti, ex. g. furti commissi, aut non commissi, declarare reum fuisse furem, eumque ad pœnam ordinariam furti condemnare ob indicia minùs probabilia accusatoris, cùm ille validioribus argumentis contrarias sibi criminationes elidit. Videatur textus expressus *in l. Sciant cūcti.* 25. *C. de probat.* vnde manifestè elicitur, longè deteriorem esse in hoc eventu causam affirmantis, quàm negantis; imò etiam in eventu paris probabilitatis, aut etiam maioris, vt plerique docent. Nam ab affirmante clariores luce probationes exiguntur, vt reus negans absolutè criminosus declaretur, & ordinaria pœna ei imponatur, licet tractari, atque puniri possit, vt suspectus de eodem crimine. Quòd si, supposita furti veritate, adhuc in iure probabilius esset pœnam mortis v. g. illi non correspondere; sed aliam mitiorem: quà, rogo, iustitia ad illam subeundam cogeretur, cùm verosimilius est, & furtum non fuisse commissum, & casu quo esset commissum, non severiore illa pœna; sed mitiore alia esse mulctandum? Probabile vtique non est, in casu æqualis probabilitatis, sive ex parte iuris, sive ex parte criminis, licere iudici, quam maluerit, opinionē sequi, &, benigniore relicta, rigidiorem assectari, vt meritò tradit tanquam sibi indubitatum contra Bonacina Bossius *suprà num.* 500. Ergo id longè minùs poterit, quotiescumque maior probabilitas, & iuris, & innocentiæ, causam accusati promovet.

6. Indidem apertè patet, saltem fuisse restringendam præiactæ propositionis doctrinam ad quæstiones solius iuris, ne sine exceptione, vt iacet, offendiculum præberet iudicibus, & occasionem deducendi ipsam ad praxim, etiam in quæstione facti, aut

iuris,& facti simul. Agendo autem de ijs quæstionibus, quæ versantur immediatè circa intelligentiam iuris opinabilis, ac controversi, negari nequit, plures, magnosque Theologos ab ea stetisse. Quia vltra Bonacina, apud quem, vt iam notavi, litteraliter habetur, eadem ipsa reperitur apud Illustrissimum Mag. Tapia Hispalensem Archiepiscopum, & Primarium Complutensem *in Catena moral. t.* 1. *q.*8. *art.*17. *num.*7. ibi : *Inter opiniones autem inæquales probabile est, quòd iudex potest eligere minùs probabilem*: id ipsumque semel, & iterum tradit Diana *p.*2. *tr.*13. *resol.*3. *& p.*11. *tr.*2. *resol.* 60. vers. *Sed hic obiter*. Ex his etiam, qui contrariam tanquam probabiliorem sequuntur, in transcursu dicunt hanc esse probabilem P. Sanchez *in summa lib.*1. *cap.*9. *num.*47. Filliucius *tr.* 21. *cap.* 4. *num.* 146. & Angelus Bossius *dicto tit.* 1. §.27. *n.* 484. *fin.* Aragon verò *vbi suprà*, non iam vtcumque probabilem, sed *longè probabiliorem* eam reputat. Diana autem *satis probabilem p.* 9. *tr.*8. *resol.* 62. vers. *Sed quia*. Ledesma itidem *in summa. p.*2. *tr.*8. *cap.*22. *diffic.*2. *post concl.*11. *fol. mihi* 729. ait, *esse magis probabilem, quamplurimumque Doctorum, particulariter discipulorum D. Thomæ.*

7. Quos inter eamdem licentiam, facultatemque eligendi pro libito minùs probabiles interpretationes legum tribuunt absolutè iudicibus Bartholomæus de Medina 1. 2. *q.*19. *art.*6. *conc.*2. Gregorius Martinez *ibidem tom.*1. *p.*2. *dub* 6. *concl.*2. Villar *tract. poster. de conf.*4. *p.*§.8. *fol. mihi* 785. Texeda *tom.*1. *controv. lib.* 1. *tr.*2. *controv.*7. *n.*7. Serra 2.2. *q.*67. *art.*3. *dub.*2. Ioannes à S. Thoma *tom.* 1. *in* 1.2. *disp.*12. *art.*6. vers. *Secunda verò pars*. Ioannes Martinez de Prado *in* 1. 2. *tom.* 1. *q.* 29. *art.*6. *dub* 6. *conc.*2. Barnabas Gallego *tr. de conf. dub.*9 *de consc probab.* Cornejo *tom.* 1. *in* 1.2. *tr* 8 *n.*118. Mendo *in statera benign. optn. differt.*13. *q.*15. *à n* 213. Gaspar Hurtado *disp.* 4. *de actibus hum. diffic.*21. Thomas Hurtado 1. *p. resol. moral. tr.*3. *cap.*6. *n.*314. Verricelli *tom.*1. *sing optn. tr.*2. *q.*15. apud quem videri possunt plures alij, & apud Dianam,& Bossium, qui recognoscendi sunt, vt certa fide allegentur, quia ex eis non pauci in contextu varias limitationes admiscent, quibus doctrina ista mitigatur, vt de aliquibus expendam *num.*11. *cum sequentibus.*

8. Contrariam regulam vt absolutè veram, tenendamque in praxi multi tradunt, & alij vt probabiliorem; alij verò tanquam adeò certam, vt aliam improbabilem duxerint, etiam ante Innocentij prohibitionẽ. A primis stant post nobiles Thomistas Dominicum Soto,& Bañez, Suarez *disp.* 13 *de charit. sect.*6. *num.*2. ibi : *Vt verum existimo, in sententijs ferendis sequenda est semper probabilior pars*. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.*7. *punct.*4. *dub.*3. *conc.*2. *&* 3. Granado 1.2. *tr.* 12. *disp.* 4. *num.*39. Conine *tom.*2. *de Sacram. disp.*34. *à n.*91. Lugo *disp.*37. *de iust & iur. à num.*116. Giballinus *loco cit. à num.*11. Theophilus Raynaudus *tom.* 14. *tract. de honore iudicis, punct.*4 §.2. Tannerus 2.2. *disp.*4. *q.*4. *num.*128. Becanus *p.*2. *tr.*1. *cap* 4. *q* 9. *num* 14. Malderus 1.2. *disp.*86. *concl.*9. Hyacinthus Donatus *in praxi regular. tom.*3. *tr.*12. *q.*36. vt omittam alios plures. Ex ijs verò, qui eamdem regulam vt probabiliorem sectantur, paulò anteà appellavi P. Sanchez, Filliucium, & Angelum Bossium,& modò adijcio Baldellum *tom.* 1. *Theologiæ moral. lib.*4. *disp.*15. *num.*21. vbi idipsum tanquam *probabilissimum* tradit.

9. Supersunt illi, qui improbabile censuerunt pro arbitrio licere iudici

dici eligere opinionem, quam maluerit, in quæſtione ſolius iuris, quãvis ſit minùs probabilis. Hi autem, etiam ante decretum Innocentij, neque ignobiles erant, neque pauci: nempe P. Leſſius *in prælect. poſthum. ad 1.2. S. Thomæ q. 19. dub. 7. num. 49. Etſi enim*, inquit, *huius ius ſit probabile; non eſt tamen probabilis opinio iudicem poſſe illi rem adiudicare, quando ius alterius eſt probabilius.* P. Henriquez *in clauſ. Pontificia. cap. 18. n. 4.* vbi id appellat *pernicioſum in praxi.* Mag. Antonius Perez Benedictinus *in laurea Salmant. certam. 10. ſcholaſt. n. 73.* P. Antonius Perez valde ſtrenuè *tr. 1. de iuſt. & iure. cap. 4. n. 80.* P. Eſparça *de vſu licito opin. probab. p. 2. ar. 124. fine.* P. Layman *in ſumma. lib. 1. tr. 1. cap. 5. n. 16.* monens inſuper *cavẽdum eſſe* ab opinione contraria. P. Bardi *de conſc. diſcep. 4. cap. 17. n. 10.* P. Moya *in ſelect. tom. 1. tr. 1. q. 7. n. 13.* Celladei *de recta doctri. morum. p. 1. lib. 1. q. 15. §. 2.* P. Terillus *de conſc. probab. q. 24. à num. 38. & de regula morum. p. 1. q. 20. n. 5.* Caramuel *in Dialexi num. 160. ante fin.* Caſtilento etiam *in Polianthea Seraphica.* verb. *Conſiliarij. diffic. 1.* licet oppoſitam reputet ſpeculativè probabilem, valde dubitat, num in die extremi iudicij veluti practicè tuta admittenda ſit à Deo iudice integerrimo, & aliorũ exemplari. Ac denique P. Thomas Tamburinus *in Decalog. lib. 1. cap. 3. §. 4. num. 9.* & P. Breſſerus *lib. 3. de conſc. num. 145. fin.* ad ſummum ei deferunt probabilitatem extrinſecam ob auctoritatem Doctorum eam tuẽtium; non verò ob principia intrinſeca, aut rationes ex naturis rerum, vel etiam iure deſumptas.

10. Attamen, ſi hucuſque dicta adinvicem conferantur, evidentiſſimum fiet, illam etiam ab auctoritate extrinſeca non fuiſſe certò probabilem: ſemper enim eius veritas, ac probabilitas ſuos contradictores habuit non parvi nominis, nec modicæ auctoritatis. Et cùm ij plures rationes, novaque argumenta adauxerint, præſertim P. Breſſerus, P. Antonius Perez, & P. Terillus pro illius improbabilitate ſtatuenda, nullus hucuſque tentavit eis occurrere, vel ipſam ab eiuſmodi nota vindicare. Quocirca, cùm nunquam fuerit indubitanter probabilis, ſed probabilis ad ſummũ probabiliter, & probabiliùs falſa, ac improbabilis, decurſu temporis ſuam qualem qualem probabilitatem amiſerat, & poſt Innocentij XI. prudentiſſimam ſanctionem iam non poteſt ad eam regredi.

11. Et profectò ne eſſet planè, ac manifeſtè improbabilis, multiplici diſtinctione, atque limitatione indigebat: quia certiſſimum eſt, in multis caſibus praxi illius locum non eſſe, v.g. ad iudicandum contra validitatem matrimonij iam contracti, vel contra aliam cauſam in favorem cauſæ odioſæ. Quapropter Bonacina, qui prædictam regulam generaliter tradidiſſe videbatur *in dicto num. 13.* poſteà *num. 14.* poſtulavit, vt cœtera paria ſint: & iure optimo, quia eiuſmodi condimento plures abſurditates declinantur, quæ neceſſariò ſequuntur ex eadem regula generaliùs accepta. Et quamvis illud ſolum in præſenti non ſufficiat, ſaltem ſubaudiri debuit: ita enim fit, quoties agitur de permittendo in praxi tanquam licitum vſum alicuius ſpeculativæ opinionis minùs tutæ, minùſque probabilis, vt ſapienter admonebat, & optimis exemplis confirmabat P. Suarez *lib. 5. de legib. cap. 18. num. 20.* Alij quoque ex his Doctoribus, qui pro contraria ſententia allegabantur, non docuere illam, vt licet in decreto prohibitivo Innocẽtij; ſed varijs modificationibus additis, quarum prætermiſſio magnum offen-

offendiculum præbebat iudicaturis, & non modicam offensam illis, quibus indistinctè imputabatur contra id, quod ipsi docuerant.

12. Atque in primis Aragon *loco præcitato* non concedit iudicibus licitam facultatem iudicandi secundum minùs probabilem contra probabiliorem *vsu, ac consuetudine* receptam; neque contra communē Thomas Hurtado *num.* 317. & Verricelli *tota q.* 16. neque cōtra certò probabiliorē, seu probabiliorem tàm ipsi iudicanti, quàm reliquis, P. Salas *suprà num.* 120. P. Palao 1. *p. tract.* 1. *disp.* 2. *punct* 10. *n.* 7. *&* 8. P. Escobar *tom.* 1. *Theolog. moral. lib.* 2. *n.* 80. & Verricelli in hæc scribens *ea q.* 16. *n.* 6. *Vt rectè docet Castro Palao, & Salas* (præcitata loca appellat) *si constaret, quæ opinio esset certò probabilior, vtique pro ea esset iudicandum:* atque in idem recidit P. Dicastillo *lib.* 2. *de iust. & iure. tr.* 2 *disp.* 5. *num.* 283. dum postulat ad eius doctrinæ praxim, vt ea opinio, quæ minùs probabilis videtur iudicanti, *alijs doctis, ac fortè Doctoribus, & pluribus vera appareat.* Quocirca cum his Auctoribus potiùs controversia est de licita facultate iudicandi contra propriam opinionem iuxta illam, quæ probabilior est iudicio aliorum, quibus iudex meritò deferre possit, quàm de licita facultate deferendi opinionem certò probabiliorem, aut se se accommodandi illi, quæ tàm proprio iudicio, quàm alieno, minùs verosimilis apparet.

13. Demum Salon. 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *colum.* 1084. *ac deinceps*, subscribente Sayro, ac Nicolao Garcia cum Diana *p.* 9 *tr.* 8. *resol.* 42. vers. *Sed contra*, vt in quæstione iuris liceat iudicanti probabiliora deferere, postulat, vt ipse iudex existimet minùs probabilem non esse falsam; sed veram. Vnde sola probabilis opinio credita vera privilegium illud apud ipsos obtinet, quod in rigore non est minùs probabilem, vt sic præcisè, probabiliori anteponere; sed probabiliori veritatem. Neque id est licitè posse iudicari contra probabiliorem vtcumque; sed solùm contra illam probabiliorem, quæ ab ipso iudice falsa existimatur: æquipollentia enim sunt, illam falsam reputare, & iudicare absolutè eius contradictoriam esse veram.

CAPVT II.

Status quæstionis post decretum Innocentij.

14. Asserendum est omnino præiactam propositionem, vt iacet, meritò proscriptā fuisse. Iacet enim sine vlla limitatione, aut distinctione quæstionum, atque causarum, & sub ea generalitate nunquam fuit probabile, semper licere iudicibus minùs probabilia sectari, & iudicare pro amico, maximè in quæstione solius facti, aut iuris, & facti simul. Vnde, quia potissimè contentio vertebatur in quæstione solius iuris, asserentibus non paucis iam anteà recensitis probabile, vel etiam probabilius, aut verum absolutè, quòd iudicibus liceret ferre sententiam secūdum opinionem iuris minùs probabilem, propterea adijcio, id vt minimùm ita fuisse temperandum, si defendendum erat probabiliter, vt solummodò permitteretur, casu quo minùs probabilis non esset contra probabiliorem forensi vsu, ac consuetudine in praxi receptam, neque contra communem Doctorum aliter interpretantium, atque in iudicando, & consulendo intelligentium legem illam, de cuius vero sensu dubitatur.

Atque

15. Atque inter alios ita exponunt mentem suam Aragon, Thomas Hurtado, & Angelus Maria Verricelli locis paulò anteà appellatis, quorum vltimus sic loquitur *ea q.* 16. *num.* 2. *Ex Theologis, duobus, vel tribus exceptis (qui inadvertenter loquuntur confundentes probabiliorem cum communi) nullus est, qui doceat, non peccare iudicem non iudicantem secundum communem.* Hæc ille, subscribente P. Moya *in select.* 1. *p. tr.* 1. *q.* 7. *num.* 13. suffragantibusque Iurisperitis omnibus, excepto Zasio, qui sibi contrarius est, quorum plerosque refert ibi Verricelli, & multò plures Antonius Maria Coratius *in tr. de commu. opin. lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 16. dicens, *non esse dubitandum, quin hæc sit receptissima, & verissima opinio*, addensque *num.* 17. in foro etiam conscientiæ esse servandam. Quod etiam animadvertit cum Sylvestro, Angelo, Tabiena, Farinacio, Valeto, & alijs Angelus Bossius *suprà num.* 488. & Donatus *ea q.* 36 *num.* 6. & 17. Acceduntque Bobadilla *in Politica. lib.* 2. *cap.* 7. *à num.* 7. Salgado *de Regia protect. p.* 1. *cap.* 2. §. 3. *à num.* 22. vbi cum Rolando adiungit, oppositum esse *fatuum.* Oualdus *in notis ad lib.* 26. Donelli *cap.* 2. *litt. A.* vers. *Quòd si ius certum deficiat.* Fragoso *de regim. Reipub. Christ.* 1. *p. lib.* 4. *disp.* 10. *à num.* 183.

16. Eamdem sententiam multis textibus Civilibus, & Canonicis diligenter perpensis illustrat Coratius *loco citato à num.* 20. quos brevitatis causa prætermitto: & quamvis deessent iura scripta, saltem indubitatum apparet, iudices ad id teneri ex recepta consuetudine omnium tribunalium, & sub hoc onere administrationem iustitiæ eis commẽdari. Nam alioqui nec delinquerent, neque in syndicatu punirentur, neque parti læsæ quidquam restituere deberent, etiam si posthabita communi in iudicando præferrent nõ communem, minùsque probabilem. Porrò hæc planè absurda sunt. Nam illos ista de causa tanquam delinquentes contra munus suum in syndicatu esse puniẽdos, ac facere litem suam, ita vt ad restitutionem teneantur, & praxi receptum est, & nemine contradicente ex Iuristis traditum à Cyno, Bartolo, Baldo, Felino, Alciato, Ripa, Beroio, Rolando, Puteo, Nevizano, Vivio, Aviles, Valero, ac alijs, quorum loca Auctores præcitati consignant, & fusè Coratius examinat *suprà lib.* 3. *tit.* 12. Quare valde immeritò post Ioannem Sanchez, Diana *p.* 2. *tract.* 13. *resol.* 3. *circa fin.* ab hac receptissima, & communissima doctrina discessit, quæ extendenda potiùs foret cum Coratio *in præfat. num* 38. ad eos, qui communiore inter iudices, & classicos Auctores relicta, minùs probabilem, minùsque communem præferunt in iudicando.

17. Nec propterea contendo, semper, & vbique communem esse in iudicijs sectandam: scio enim, non paucas limitationes huic regulæ superaddi, quas Coratius fingillatim evolvit *suprà lib.* 2. *toto tit.* 9. & Angelus Bossius *loco citato à num.* 657. sed loquor præcisè comparãdo illam cum opinione, quæ nec est communis, neque probabilior stando in terminis iuris; sed solùm minùs probabilis. Huic autem, cæteris alioquin paribus (ne de personis, aut causis favorabilibus loquar) iudicem acquiescere non posse, & communem ei oppositam deferere, certo certius est. Nam communis legem aliquam declarans omnium optima est legum interpres, & melior, quàm consuetudo: hanc enim vulgus absque magno examine sæpe sæpius inducit; illam verò multi classici, sapientesque Doctores optimæ vitæ, ac doctrinæ, omnia

nia argumenta expendentes, remque ex professo tractantes. Vnde & legi, & consuetudini interpretativæ æquivalet, vt Iurisperiti observant: & ne dum probabilior; sed vera, iurique conformis præsumitur, cùm opposita novo aliquo textu, recepta consuetudine, aut ratione efficacissima non comprobatur. Si quando autem id contingeret, iam ista minùs probabilis esse desineret, evaderetque probabilior, proindeque essemus extra nostrum casum.

18. Quinimò Auctores, ne iudex contra communem definiens puniatur in syndicatu, atque ad damni reparationem obligetur, postulare solent rationes adeò efficaces pro opinione non communi, vt communem convincant falsitatis, nec solùm minùs probabilem reddant; verùmetiã improbabilem. Ita Verricelli *ea q.* 16. *num.* 8. *&* 9. &, qui plures refert Bossius *suprà à num.* 544. Nobis autem modò est satis, quòd opinio nõ communis, omnibus inspectis, probabilior fiat, aut certè non minùs probabilis, quia tunc iudex secundum eam iudicans iuxta minus probabilem agere non censeretur; imò videretur suo muneri deesse, si, deserta certò probabiliore, eligeret communem minùs probabilem. Quæ autem opinio verè communis dicatur, & quare non ex maiori numero Auctorum rem perfunctoriè tractantium, aut libera opinandi facultate non gaudẽtium, sed ex classica, & probata eorum doctrina, atque ex diligenti, & accurato examine, tàm rationum, quàm auctoritatum peculiariter ad eam materiam attinentium, tractant superiùs laudati, & omnium exactissimè Coratius *lib.* 1. *tit.* 5. *&* 6. Angelus Bossius *à num.* 589.

19. Secernere etiam oportebat causas favorabiles à reliquis. Quia saltem contra causam favorabilem, v. g. contra matrimonium iam contractum, iudicare haudquaquam licet ex opinione probabili persuadente, id esse nullum, cùm opinio probabilior eiusdem valori favet. Et sanè quamplures docent, potiùs esse declarandum validum, atque subsistens, non solùm contra probabiliorem, sed etiam contra communem, quoties probabiliter sustineri valet, persuadente id satis verosimiliter Concilio Lugdunensi sub Innocentio III. relato *in cap. Licet.* 47 *de test. & attest.* & ita affirmantibus P. Thoma Sanchez *l. b.* 1. *de matrim. disp* 18. *num.* 7. Verricelli *dicto tr.* 2. *q.* 17. *num.* 3. & Angelo Bossio *vbi suprà num.* 689. qui *num.* 680 innumeros Auctores affert. Ac quidquid de hoc sit (quod Palao, & nonnulli alij in dubium revocant) in aperto est, matrimonio esse favendum, quoties non constat, vtra opinio sit verosimilior, aut communior, vel praxi, aut stylo probatior: id enim suo iure postulant eius sanctitas, atque indissolubilitas, & ingentia, ac perniciosa incommoda, quæ ex separatione coniugum solent pullulare. Ergo à fortiori idem dicẽdum erit, cùm matrimonij validitas non iam pari, sed maiori probabilitate firmatur. *Tolerabilius enim est, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta Domini separare*, vt totidem verbis legitur in dicto capite.

20. Quæ autem de matrimonio statuimus, extendenda sunt ad dotem, testamentum, libertatem, aliasque causas, aut personas, quibus leges in obscuris favendum esse declarant, vt possidenti contra illum, qui non possidet, & reo, qui est damnum passurus, contra actorem, qui lucratur. Probabile namque non videtur, sive à ratione, sive ab auctoritate, integrũ esse iudici in his casibus sequi opinionem, quam maluerit, & iuxta minùs

nùs probabilem proferre ſententiam contra cauſam, aut perſonã iuris favore protectam, & probabiliore opinione ſibi favẽte vallatam. Neque de hoc puncto vlla legitur controverſia inter Auctores, quãvis hinc inde inter ipſos acerrimè diſputetur, vtrùm iudicandum ſit pro cauſa favorabili contra communem, & non pauci, quos appellat, & ſequitur Verricelli *dicta q.* 17. negativè reſpondeant, maximè ſi matrimonium excipiatur. Pariterque, licet ſimilis contentio vigeat, cùm æqua probabilitas vtrimque apparet, affirmantibus nonnullis ſententiam in dicto eventu licitè proferri poſſe contra cauſam favorabilem, idque tueatur Verricelli poſt accuratum examen *inibi q.* 18. adhuc tamen nullum reperi, qui eamdem doctrinam extenderit ad caſum, de quo tractamus, vbi ſcilicet ſola minor probabilitas cauſæ non favorabili aſſiſtit; maior verò cauſæ favorabili.

21. Notant inſuper Auctores, inter cauſas favorabiles quoad hunc effectum etiam eſſe annumerandas cauſas delinquentium, vt ſicut ex parte facti non ſufficit ad ſententiam declaratoriam criminis opinio minùs probabilis opinione, quæ favet innocentiæ, ita etiam, ſuppoſita delicti veritate, non ſufficiat ad ſententiã condemnatoriam ad pœnam mortis v. g. minùs veroſimilis interpretatio legis præſcribentis ipſam, cùm altera veroſimilior affirmat, vi legis non eſſe imponendam pœnam mortis; ſed mitiorem aliam. Nam quidquid ſit de ſcholis, in iudicijs *interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt, non aſperandæ* ex textu *in l. Penult. ff. de pœnis. Semperque in dubijs benigniora præferenda ſunt. ex reg.* 56. *Digeſt.* Quare, ſi fortè contingeret, vt vice verſa interpretatio probabilior ſeveriorem pœnam poſtularet, *& iuſtius, & tutius eſſet benigniorem interpretationem ſequi*, tametſi minùs probabilem, vt colligitur *ex reg.* 192. *ff. eodem*; quæ de omnibus dubijs loquitur, & cùm dubia pro obſcuris, & incertis frequenter accipiantur, ad ea quoque, quæ in opinione ſunt poſita, ampliandus eſt eius favor, tàm in facto, quàm in iure. Niſi fortè lex aliud diſponat, vt ſæpe facit in odium quorumdam criminum, aut in favorem fidei, vel Reipublicæ, vel Principis, quorum ſalus ſuprema lex eſſe debet, & cauſa favorabilior. Videndus P. Martinus Delrio *lib. 5. diſquiſ. magic. append. 2 q. 1. conc. 2.* Vtrùm autem non ſolùm minùs iuſtè, ſed etiam iniuſtè faciat, qui clementiorem interpretationem non ſequitur, eſto ſit minùs probabilis, *num.* 24. inſinuabitur in ſimili.

22. Denique id eſt longè clarius in ijs negotijs, vbi leges poſtulant ſpecialiter, quòd aliquid ſit in iure expreſſum, vt in irregularitate contingit, vel certum, aut manifeſtum de iure: tunc enim evidens eſt, meliorem eſſe conditionem negãtis, quàm affirmantis, non tantùm in caſu paritatis; verùm etiam in caſu incertitudinis. Quare ad declarandum aliquẽ irregularem ex delicto, aut ex defectu, & inhabilem ad beneficia obtinenda; ſufficere non poteſt ſententia minùs probabiliter affirmans, illam eſſe in iure expreſſam: nam contraria probabilior, omnibus collatis invicem, ſicuti illam reddit dubiam, & obſcuram, ita reddit inexpreſſam. Imò è contrario videtur, ad hunc effectum ſufficere opinionem minùs veroſimilem negativam expreſſionis. Quia expreſſum propriè nihil dicit valet, niſi quod eſt clarum, certum, & indubitatum, cuiuſmodi haudquaquam ſunt, quæ hinc inde probabiliter controvertuntur, & cum formidine, ac periculo errandi ab vtraque

parte sustinentur. Vnde, cùm sit explceratum certa fide esse credenda, quæcumque expressa sunt in Sacra pagina, nemo dicet, id esse extendendum, aut contra fidem errare eos, qui non acquiescunt illis, quæ probabiliùs duntaxat inibi expressa putantur. Videndus Suarez *disp.* 40 *de censur. sect.* 5. *num.* 6. his præter cœtera : *Vt opinor, plus est esse aliquid in iure expressum, quàm sub cõtroversia vtrimque probabili in iure contineri, quantumcumque probabilitas in partem affirmantem inclinet.*

CAPVT III.

An contra decretum Pontificium proposita argumenta retorqueri valeant?

23. VIdetur retorqueri posse, quia indidem planè colligitur, multoties licere iudici litem decidere iuxta sententiam iuri minùs probabilem. Patet consequentia. Primò, quia id modò statuimus circa irregularitatem, & paulò anteà circa matrimonium iam contractum ostendimus in favorem eius esse iudicandum, non solum contra probabiliorem; sed etiam contra cõmunem: atque ad legitimitatem, tanquam causam valde favorabilem, & matrimonij appendicem, eũdem favorem extendunt cum Rota, Merlino, & alijs Bossius *dicto tit.* 1. *à num.* 679 & Bresserus *lib* 4 *de consc. n.* 126. Secundò, quia ad dirimendam litem in favorem Ecclesiæ, dotis, libertatis, testamenti, piarumque causarum, personarumve miserabilium, vt viduæ, pupilli, aut orphani, id ipsum iura concedunt, pronunciantque multi ex scriptoribus, quos Bossius congessit loco anteà citato.

24. Tertio, quia etiam in quæstione facti criminosi iudex debet ex iustitia, aut charitate, cùm opinio minùs verosimilis faveat innocentiæ, secundum eam iudicare, reumque absolvere saltem à pœna ordinaria, esto probabilius sit, crimen fuisse perpetratum. Ita Mald. tus *de iust. & iur. tr.* 9 *cap.* 1. vers. *Dico in civilibus* Salas *eo tract.* 8 *num* 115. Baldellus 1. *part. Theolog. moral. lib.* 4 *disp.* 15. *num.* 9 & 10. Leilius *de iust & iur. l.b.* 2 *cap.* 29. *num* 169 Villalobos *in summa* 1 *par. tr.* 1. *diffic.* 13. *num.* 3. & 4. Diana *in addit* quæ habentur sub *fin. p.* 3. *resol.* 13. vbi etiam refert Moure, Alfonsum de Leone, Merolla & Palao; sed istum prorsùs immeritò, cùm de iudice non differat; sed de advocato. Posse etiam iudicem, & si nõ debeat, in eo casu iudicare pro reo, maximè cum fieri potest absque gravi accusatoris detrimento, tenet Salon. *loco cit. colum* 1089. Fagundez *lib.* 8. *in Decalog cap.* 26. *num* 38. Diana, alijs relatis, *ea resol* 13. Thomas Hurtado *ubi suprà à num* 323 pro exclusione obligationis pugnans satis ex professo, & *num.* 351. concludens, id esse licitum, tametsi non debeatur.

25. Respondeo 1. Nullum ex istis exemplis probari, quod adversarij contendunt, & quod Pontifex damnavit, nimiùm liberè, ac licitè posse iudices litem decidere iuxta sententiam minùs probabilem, aut semper, aut in eo eventu, vbi cætera sũt paria legaliter. Quippe omnia illa desumuntur ex his causis, aut personis, quas leges impares faciunt, & in obscuris, dubijs, aut incertis præferẽdas esse iubent, nulla relicta ad oppositum electione, aut libertate. Sæpe enim iustis de causis ad obtinendam victoriam meliores probationes iuris, aut facti exiguntur ex vno litigãte, quàm ex altero collitiganti ipsius. Et quoties certæ, aut evidentes in

vno

vno deſiderantur, eæ, quæ ſunt minùs probabiles, alij ad vincendum ſufficiunt, quia minor probabilitas tollit certitudinem alterius partis, eamque ambiguam, & formidoloſam reddit, & alioqui non iam minor; ſed nulla eſſet probabilitas contra id, quod ſupponebatur. Quòd ſi iſtiuſmodi inæqualitas orta ex iure non ſit in eo expreſſa, ſed ſub opinione poſita, aſſerentibus quibuſdam, alijſque negantibus (vt ſæpius evenit) eam eſſe lege præſcriptam, tunc iudex tenebitur probabiliorem inquirere, & ſecundum illam iudicare.

26. Reſpondeo 2. Aliud eſt, quod fieri poteſt ex favore perſonali, vel privato affectu iudicis; aliud verò, quod favore, vel diſpoſitione iuris. Quod privato affectu iudicis liberum ſit ipſi eligere inter probabiles opinionem, quam maluerit, & pronuntiare pro amico, cui probabilius eſt leges obſtare, hoc profectò foret abſurdiſſimum, ac decreto Pontificio oppoſitum, & nullo ex his exẽplis comprobatur. At verò quod ex præſcripto, atque directione legum exigentium certitudinem in certis caſibus, aut iubentium, vt clementia ſeveritati præponatur, & æquitas rigori, ipſe debeat iudicare, atque proferre ſententiam favorabilem ei parti, cui minùs probabilis opinio aſſiſtit, nihil incommodi habet. Nam eo modo præcaventur damna, quæ ex inordinato affectu iudicum oriri poterant, & vniforme ius ſtabilitur, cuius adminiculo ſuppletur, augeturque ius illius, cuius cauſa minùs iuſta foret, ſi ſibi relinqueretur, & altera lex reflexa ei auxilium non præſtaret.

27. Reſpondeo 3. proinde, quod notavit optimè Baldellus *ſuprà n.* 6. agens de quæſtione facti, nullam ex adductis eſſe propriè loquendo exceptionem veræ regulæ, ac tenendæ in praxi. Tum quia nulla ex eis permittit iudici ſententiam proferre minus benè, aut minùs iuſte, cùm videt ſe meliùs, ac iuſtiùs poſſe litem terminare. Tum quia nulla ex eis oſtendit, poſſe litem ei adiudicari, qui minus iuris, ſeu iuſtitiæ habet, omnibus expenſis; ſed potiùs eum, qui ex vno, aut alio capite minus iuris habere videretur, ex privilegio poſſeſſionis, aut ex eo, quòd ſit reus criminoſus, vel alio iuris favore iam potentius ius habere, & longè meliorem cauſam. Tum quia propterea in his caſibus non ſolùm poteſt, ſed debet, ac tenetur iudex ferre ſententiam in favorem eius, cui minùs probabilis opinio aſſiſtere videbatur; nemo autem audebit dicere, iudicem obligari ad iudicandum minùs iuſtè, ac minùs probabiliter, cùm poteſt aliter ſentẽtiam proferre, adeòque prædictæ inſtantiæ ab omnibus ſunt ſolvendæ, maximè cùm ex eis plurimę ſpectent ad quæſtiones facti.

28. Reſpondeo quartò, in his evẽtibus diligenti obſervatione opus eſſe, ne apparentijs eludamur. Nam ſæpe evenit, vt iudex iudicare videatur iuxta opinionem minùs probabilem, cùm re vera, omnibus inſpectis, iudicet ſecũdum probabiliorem; imò certam, atque ab illa in ſententijs proferendis immediatè dirigatur. Quæ deluſio haud infrequenter cõtingit ex eo, quòd opiniones interdum conſiderentur ſecundum motiva directa perſuadentia illarum veritatem, attentis naturis rerum, & nulla facta reflexione ſupra ſtatum, quẽ eædem ipſæ per accidens aſſequuntur ex eo, quòd iudici certò non cõſtet, adhuc facta ſufficienti diligentia, veritas, aut falſitas illarum; interdum verò ſub iſta reflexione inſpiciuntur, nec tàm attenditur, quid eſſet faciendum, ſi veritas certò conſtaret, quàm quid factu opus ſit, dum ea non conſtat;

stat; sed in vtramvis partem ignoratur. Esse autem solet valde diversum iudicium sub vna inspectione, quàm sub altera, & sæpe continget, vt opinio, quæ minùs probabilis creditur per se, & ex proprijs, longè probabilior fiat per accidens, & ex præsuppositra invincibili ignorantia certæ veritatis. Res palmari exemplo declarabitur. Opinio dictans, aliquem de iure non esse irregularem, minùs probabilis censeri potest inspiciendo precisè verba textus, vnde alij probabiliùs deducunt opinionem ei contrariam. Cœterùm si veritate ista præsuppositra, ex alijs principijs arguatur, eadem ipsa negativa propositio non iam minùs probabilis; sed longè probabilior; imò certa existimabitur. Ita enim argumētum efformari poterit iuxta prænotata *suprà num.* 22. *Certum est, irregularitatem non incurri, nisi sit in iure expressa. Sed irregularitas hinc inde prudenter, atque sapienter in controversiam vocata expressa non est, sed inexpressa, anceps, contentiosa, ac turbida. Ergo, omnibus inspectis, in eo statu non incurritur eiusmodi irregularitas.* Vide in simili Coninc, *disp.* 18. *de Fide. num.* 109.

29. Qui modus differendi, servata proportione, facilè applicari potest censuris in iure impositis, alijsque pœnis ex dispositione legum expressionem postulantibus, claritatem, certitudinem, aut evidentiam moralem; imò & factis, cùm eædem qualitates probationum exiguntur, vt in ipsis statuta legum locum habeant, ex. g. cùm requiritur ad incurrendam excommunicationem Canonis, vt crimen injiciendi manus violentas in Clericum nulla possit tergiversatione celari, vel cùm ad reservationem postulatur, quòd delictum sit manifestè mortale, vel quòd ex certa sententia committatur. Neque oportet modò altiùs disquirere veritatem singularum doctrinarum, quas adducit argumentum. Nam, si aliquæ falsæ sunt, nihil obstabunt præcipuæ assertioni nostræ; si autem vt veræ admittantur, id vtique non ex personali affectu iudicum, sed ex legum dispositione constabit.

CAPVT IV.

Etsi cœtera sint paria, & quæstio solius iuris, adhuc probabile non est, iudices posse liberè, ac licitè lites decidere secundum opinionem minùs probabilem.

30. IN hoc maximè sensu contrarium affirmabant Auctores appellati *n.* 6. *&* 7. Nam de quæstione facti aliter sentiunt: &, cùm cœtera sunt alioqui imparia ex dispositione iuris exigentis v. g. plus claritatis ad sententiam cōdemnatoriam, quàm absolutoriam, aut præscribentis, vt in casu paritatis, vel obscuritatis, aut incertitudinis vni parti præ alia subveniatur, nemo dubitat, hisce legibus parendum esse, & iudicem malè agere, nisi iuxta ipsas pronuntiet: neque hoc est ipsi relinquere libertatem eligendi opinionem, quam maluerit, tametsi minùs probabilem, minùsque conformem legibus; sed potius est tollere eiusmodi libertatem, ipsumque obligare ad illam præeligendam, quæ sibi à iure præscribitur. Quocirca siquādo potuit probabilis videri præcitata opinio, erat in casu, quo controversia versatur circa intelligentiam legum, & alioqui causæ, seu personæ litigantium non habent inter se ius prælationis, nec sunt dispares iuridicè.

31. Cœterum neque in eo eventu competere probabiliter iudicibus eius-

einſmodi libertatem mihi certum eſt, atque ita ſentiunt locis *num.* 9. conſignatis Leſſius, Henriquez, Layman, vterque Antonius Perez, Eſparça, Celladei, Terillus, Moya, Bardi, Caſtilento, Bretſerus, & Tamburinus, vt omittam alios relatos *num.* 8. quibus prædicta iudicum libertas non placuit, licet contrariæ opinioni improbabilitatis notam non inuſſerint. In hoc etiam ſenſu exiſtimo accipiēdam eſſe proſcriptionē Pontificiam, & hoc maximè intendiſſe Innocentium, cùm prædictam propoſitionem damnavit: nimirum auferre iudicibus pernicioſam libertatem iudicandi pro amico, proferendique ſentētiam minùs rectam, minùs iuſtam, minùſque legalem, deſerendo probabiliorem opinionem, iuxta quam ſententia lata, & iuriſprudentiæ conformior, & rectior foret, ac iuſtior. Id namque eſt, quod tot Auctores eis licere contendebant, ſaltem in quæſtione iuris. Id quod rationes ipſorum perſuadebant ex generali conceptu probabilis opinionis acceptæ, & ex paritate Confeſſarij, alijſque ſimilibus, qui conſcientiæ ſuæ ſatisfacere putantur, quamvis minùs probabili opinioni ſe ſe accommodent, nec ideò peccant, quia interdum minùs iuſtè, minùs rectè, minùſque prudenter agunt.

32. Et hoc tandem eſt, quod implicitè, certò tamen, continetur in propoſitione, vt iacet: nam verba accipienda ſunt, vti accipiuntur communiter in puncto, de quo tractatur, & iuxta ſubiectam materiam ſuam legitimā expoſitionem habent. Porrò verba illa hoc modo ſumuntur in præſenti controverſia, vt idem ſit apud Auctores, iudicem poſſe iudicare ſecundum opinionem minùs probabilem, ac poſſe licitè, ac liberè id facere ſaltem in quæſtione iuris, eligendo opinionem, quam maluerit, tametſi minùs iuſtam, minùs rectam, & prudentiæ iuris minùs conſentaneam. Idcòque adijciebant plurimi, vt in re merè arbitraria, ſi ſcandalum ſeponatur, integrum ei eſſe variare, & pro ſola varietate ſui affectus ſententias contradictorias proferre, & in vna cauſa iuxta minùs probabilem, in alia verò iuxta probabiliorem decidere.

33. Abſit tamen, vt iſtorum quidquam admittatur poſt decretum Pontificium, cuius ratio ſatis ſolida, & convincens ea eſſe videtur. Quia iudices non ſunt inſtituti cum libera, & effrœni facultate deſerendi quod eſt iuſtius, ac rationabilius; ſed potiùs cum obligatione adminiſtrandi iuſtitiam cum pondere, ac menſura ipſius, quæ non pendent ex affectu, ſed eo ſemper inclinant, quod eſt iuri, ac veritati conformius, ſeu, quod idem eſt, rectius, ac iuſtius. Ab hac autem obligatione deſciſcerent, ſi in caſu, de quo loquimur, ſententiam definitivam proferrent ſecundum eam opinionem, quæ in iure eſt minùs probabilis, probabiliore relicta. Quippe, vt adverſarij ipſi fatentur, & ex terminis eſt evidentiſſimum, qui ſic ſe gerit, minùs rectè agit, minùs iuſtè, minùs bene, minùs veroſimiliter, minùſque iuriſprudenter; imò & minùs tutè: nam quo plus eius ſententia à veri ſimilitudine elongatur, eo maius periculum incurritur violandi iuſtitiæ leges, & auferendi ius ſuum ei, cui potiùs conferendum eſſet.

34. Quod verò hac lege, & non aliter munus iudicandi deferatur, latè, ac ſplendidè proſequitur S. Ambroſius, iudex & ipſe in foro ſæculari, & Eccleſiaſtico, qui obligationes ſui officij apprimè cognoſcebat. Diſcurſus longior eſt, duobuſque in locis ab ipſo refricatur. Ex *comment. in Pſalm.* 118. *ſerm.* 20. *verſ.* 4. obſervanda eſt ſententia iſta: *Diſcite, iudices ſæculi,*

saculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Sicut audio, inquit Christus, iudico. Hoc est. Non ex meâ potestate decerno, quod libitum; sed ex iudicandi religione, quod est: & ideò iudicium meum verum, quia non voluntati meæ indulgeo; sed æquitati. Et paulò infrà: *Audite quid verus iudex loquatur: Non quæro voluntatem meã; sed voluntatem eius, qui misit me. Quasi homo loquitur, quasi iudex docet. Quoniam qui iudicat, non voluntati suæ obtemperare debet; sed tenere, quod legum est.*

35. Ex *epistola* etiam 20. similia depromi possunt: vtrobique enim contendit, illud maximè spectare ad officium *boni iudicis*, vt ex arbitrio suo nihil faciat, nec voluntati suæ indulgeat; sed Divinæ cognitionis formam imitetur, & rectissimam illius voluntatem sequatur, *quæ*, inquit, *auctor legis, arbitraque iudicij est*. Accedit S. Chrysostomus *t. 1. hom. in cap. 3. Isaiæ*, vbi comminante Deo iudicibus pœnam mortis, ita inquirit: *Qua igitur causa eos Deus à terra revellit?* Et sic respondet: *Quod ij superstites adhuc, minùs decorè suo functi sunt officio*: hoc enim coram Deo crimen erat, minùs decorè, sive minùs rectè illo defungi. Ac denique S. Augustinus, vel potiùs S. Eligius (vt putant Labbe, & Sirmondus) *tr. de rectitud. Cathol. conversat. tom. 9.* ab eisdem postulat, ne *iniustè agant*; sed quàm *iustissimè iudicent* memores sententiæ Christi Matth. 7. *In quo iudicio iudicaveritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

36. Idipsum ex iuramentis colligitur, quę exiguntur à iudicibus antequam suum munus exercere incipiãt, nam ex eis manifestatur, quæ sit Reipublicæ intentio in hoc negotio, & qua lege illis commendet administrationem iustitiæ. Tradit autem Imperator Iustinianus vt rem omnibus notissimam *in l. Rem non novam. 12. C. de iudicijs: antiquos iudices non aliter iudicialem calculum accepisse, nisi priùs Sacramentum præstitissent omnimodo se cum veritate, & legum observatione iudicium, disposituros.* Ipse autem *Authentic. 16.* quæ eidem legi inseri solet, clariorem iuramenti formam proposuit, expositque, in quo consistat illa omnimoda cum veritate conformitas, in hęc scribens: *Hodie iurant se facturos secundum quod eis visum fuerit iustius, ac melius.* Quare iudices in omni loco, vbi ius Cæsareum viget, & ratione officij, & ratione iuramenti ad iustiora, melioraque adstringuntur; imò ad verosimiliora nominatim, vt addemus paulò infrà.

37. Sed & de iure Hispano idipsum constat *ex l. 6. tit. 5. lib 2. novæ compilat.* vbi similis forma iurisiurãdi præscribitur Regijs Consiliarijs, & Auditoribus Cancellariarum, alijsque Curiæ iudicibus, qua se Regi expressè obligant *ad lites expediendas, quanto citiùs, meliùsque potuerint bene, ac fideliter secundum leges, & iura, quin amore, odio, metu, aut donis devient à iure, vel à veritate.* Atque in eodem sensu sumitur sacramentum, quod Prætores vrbium, & alij minores iudices præstant Deo, ac Regi bene, ac fideliter exercendi suum officium in administratione iustitiæ. Nam fidelitas, quæ ex istis postulatur, eadem ipsa est, quæ exigitur in alijs, & par omniũ obligatio absque vllo prorsus discrimine, vt ijdem ipsi indubitanter intelligunt, & pro omnibus iudicibus apertè traditur *l. 6. tit. 4. part. 3.*

38. Iudices quoque Ecclesiastici, vbi deficit ius certum, non satisfaciunt suo muneri, nisi verosimiliora sequantur: id enim ipsis præscribitur

reg. 45.

reg.45.lib.6.Decretal. his verbis: *Inſpicimus in obſcuris id, quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Idem iniungitur iudicibus ſæcularibus *l.In obſcuris.94.ff.de reg.iuris*, vt ex vtroque iure, tàm Ciuili, quàm Canonico, ſimilis norma accipiatur, & locus à veroſimiliore in omni interpretatione, ſive legum, ſeu contractuum, ſive voluntatum vltimarum, ſeu quorumcumque factorũ prævalere debeat in iudicijs. Qui autem iuramentum præſtant obſervandi leges iſtas, vel, quod idem eſt, iudicandi ſecundum leges, & iura, ſicuti præferre debent interpretationes magis veroſimiles, & praxi, ac vſu frequentiores alijs, ſic etiam magis probabiles minùs probabilibus, nam verba ſunt fere ſynonima, & *nil refert, an pro veriſimili probabilem, credibilemve dicamus*, vt Quintilianus *lib.4.inſtitut.cap.2.* ſcribebat non minùs doctè, quàm Latinè. Sermo eſt autem de illo veriſimili, quod aliunde non conſtat eſſe certò falſum, ſeu oppoſitum alicui principio irrefragabili. Nam alioqui certò falſa, ac improbabilia poſſunt eſſe veriſimiliora omnino veris, & vice verſa omnino vera falſiſimiliora certò falſis.

39. Et huc ſpectant, quæ de loco *à veriſimili*, & ſumma eius dignitate congeſſerunt ex vtroque iure, innumeris relatis, Tiraquellus *in præfat. leg.Si vnquam C.de revocan. donat. à num.37.* Caſtillo *lib.5.quotidian.controv.toto cap.43.* Mantica *de coniect. vltim.volunt.tit.19.* Neque enim ea minùs veroſimili comperunt, ſed veroſimili, ſi cum inveriſimili interpretatione comparetur, & veroſimiliori, ſi concurrant cum minùs veroſimili, vt rectè explicat Caſtillo *ibidem à n.34.* Menochius *lib.2.de præſumpt. q.59.* Mantica *lib.19 tit.17.à num.6.* & reliqui quotquot agunt de contrariarum coniecturarum, atque rationum conflictu. Præcipuèque notãdum eſt, & veroſimiliori adaptãdum, quod ex Mantica, Oldrado, Craveta, Cephalo, Cacherano, Caſanate, & alijs tradit, probatque Caſtillo *n.11.* in obſcuris veriſimilitudinem pro veritate attendi, & pro lege, atque diſpoſitione expreſſa, ita vt is, cui illa favet, dicatur pro ſe habere caſum legis, & allegare textum eius, quandoquidem lex iubet ſervari id, quod eſt veroſimilius.

40. Arguo præterea ab inveriſimili, quod eſt genus potentiſſimum arguendi, vt ijdem Auctores notant, & in vtroque iure frequenter vſurpatum. Quia veroſimile non eſt iudicibus in lege nova datam eſſe facultatem iudicandi cum minori decentia, & æquitate, quam iudicibus, ac Sacerdotibus veteris teſtamenti. At illi probabiliora, & iuſtiora debebant ſequi in iudicijs abſque vlla perſonarum diſtantia, vt ſumitur *in Deuteron. cap.1. 16 & 17. & cap.17 8. & 9* Idipſum in omni Republica bene ordinata conſpicitur. Quia iudices non conſtituuntur, vt de rebus litigioſis diſponant tanquam domini pro libito, ſed tanquam interpretes, & adminiſtri iuſtitiæ, vel potiùs tanquam intellectus Reipublicæ, & iuſtitia quædam animata, cuius eſt non reſpicere perſonam, neque affectionem privatam, ſed rem in bilance appendere, & vtra pars præponderet diiudicare. Et niſi iſto modo, & cum hoc onere facultas iudicandi eis traderetur, in maximam ipſius Reipublicæ perniciem eorum miniſterium redundaret, quia in toto iure controverſo ditiores, ac potentiores prævalerent, & qui interceſſionibus, aut alijs mediis gratiam, & favorem iudicum ſibi conciliare poſſent, reliquam populi partem opprimerent, quamvis iuſtior eſſet eius cauſa. Vnde & advocati fruſtra de meliori iure ſui clientis tanta con-

contentione disputarent, cùm vtrique satis sit ad victoriam bonum ius fauere vtcumque, & reliqua ex mente iudicis non pendeant; sed ex eius affectu, ac voluntate.

41. Propterea meritò potuit, ac debuit condemnari ista licentia tanquam perniciosa in praxi, sicut perniciosa esset similis facultas in quæstione facti. Vnde ratio, quam adduximus pro obligatione sequendi, cùm cætera paria sunt, id quod est in facto probabilius, pariter probat in quæstione iuris, nec ego assequor inter vtramque quæstionem vllam solidam disparitatem. Nam sicut ius potest esse controversum, ita & factum, & vtrimque possunt esse coniecturæ magis, minùsve probabiles. Ac rursus, sicut ille maius ius habere dicitur, qui meliores facti probationes exhibet, cur non pariter eadem prælatio competet ei, qui meliores in iure, & efficaciores probationes habet? An quia probationes facti sunt media, quibus lites terminari debent? Sed profectò idipsum competit probationibus ad ius spectantibus, & nõ seorsim ex singulis; sed ex vtriusque simul sumptis integratur ius vtriusque partis. An quia intelligentia iuris se tenet ex parte iudicis, cui commissa est illius interpretatio? Sed certè intelligentia etiam, & interpretatio factorum in incertis ad eum spectat, & ex illa etiam dirigitur ad proferendam sententiam, quin propterea ei liceat dirigi ex minùs probabili. An quia maior verosimilitudo facti minorem perimit? Sed si hoc est verum, idem dici debet de maiori iuris verisimilitudine, atque ita quæstio cessabit.

42. An quia iudex iudicare debet secundum merita cau æ? Sed merita, seu momenta apud iudicem ius, & factum comprehendunt; & ipse secundum leges, & iura etiam debet iudicare. Vnde hoc est opus, hic labor, quare iudicare nequeat iuxta merita facti minùs probabiliter ostẽsa, si iudicare potest iuxta legem minùs probabili interpretatione declaratam? aut quare non debeat præferre illum, qui est dignior ex iure, si præferre debet illum, qui ob maiorem verosimilitudinem dicitur dignior ex facto? Vterque enim pariformiter dignior est sententia favorabili, & ideò iustiùs vtrique lis adiudicatur. An demum quia iure positivo statutum est istud discrimen? At nullo id iure probatur; sed potiùs absque discrimine iuris, aut facti in vtroque iure habetur id sequendum esse, quod est verosimilius, aut, si hoc desit, consuetudine, & exempli iudicum in similibus causis ius dicẽtium frequentius comprobatum. Nam licet exempla non prosint contra claram decisionem legis *ex text. in l. Nemo. C. de sent. & interloquut.* quæ in hoc sensu est exponenda; attamen ad interpretationem iuris dubij magni momenti esse solent, vt rectè cum Glossa, & Menochio tradit Augustinus Barbosa *in collect. ad cap.* 19. *de sent. & re iudic. num* 4.

CAPVT V.

Refellendo contraria fundamenta censura Pontificia comprobatur: vbi de opinionibus pœnitentis, & Confessarij.

43. HOc argumentum propono, quia valde promovet censuræ Pontificiæ firmam veritatem, quo adversantium rationes, & solidè refutentur, & facillimè diluantur. Potissima namque ex eo accipitur, quòd opinioni probabili prudenter

ter in praxi acquiescimus, atque ideò licitè, ac benè, quando cætera sunt paria, nam alioqui probabilis non esset, sed imprudens potius, ac inverisimilis. Attamen evidentissimum est, probabilitatem merè speculativam, qualis ea est, de qua tractamus, sæpesæpius non esse fundamentum probabilitatis practicæ, nec conscientiæ permittētis praxim eius tanquam licitam. Quare neque minùs probabili opinione vti valent iudices licitè contra communem, etiam in quæstione iuris, neque secundum ipsam lites dirimere possunt, etiam in quæstione facti: & vniversim, quoties vel ratione officij, vel ratione iuramenti, vel vtriusque simul, (vt iudicibus cōtingere ostendimus,) aliquis ad meliora, tutiora, vel vero proximiora tenetur, minùs verosimilia nihil valent, vt de Medicis communiter traditur, aliisque officijs similibus.

44. Afferuntur prætereà nonnullæ paritates ex eo ductæ, quòd plerisque liceat eligere opinionem minùs probabilem, ac minùs tutam, relicta probabiliore, ac tutiore. Sed adhuc ostendendum supererat, quòd omnium sit eadem ratio, quod profectò est valde difficile, cùm id pendeat ex specialibus oneribus, ac regulis annexis vnicuique muneri, vel statui. Quòd si eadem esse vtrobique ratio monstraretur, cùm adeò perspicua sit, quæ circa iudices militat, vtrobique pariformiter statuendum foret, quod est de illis pronuntiatum. Confunditur prætereà frequenter probabilitas speculativa cum practica, & quod circa illam adstruitur, ad alteram applicatur. At res etiam in iudice longè aliter se habet. Nam si opiniones immediatè versentur circa id, quod iudici liceat, vel non liceat in cōscientia, & vtraque sit verè probabilis, perinde iudici, ac reliquis liberū, ac licitum erit secundum quam maluerit operari. Nec in hoc puncto est controversia in præsenti; sed de opinionibus merè speculativis ad iurisprudentiam spectantibus, quæ de licito, ac illicito nihil decernunt, nec immediatè versantur circa iudicis conscientiam, sed circa iustitiam partium. Et cùm illæ sint in se probabiles, adhuc contendimus, improbabile esse penitus, quòd iudici liceat, relicta sibi, ac alijs probabiliore, ac iustiore, secundum aliam iudicare.

45. Melius posset vrgeri difficultas, si circa materiam ipsam, de qua in præsenti disserimus, in hunc modum proponatur. Si iudici non liceret circa ea, quæ spectant ad iustitiam partium, sequi opinionem iudicam minùs iustam, minùsque probabilem, vtique neque esset licitum privatis in simili controversia, neque Confessarijs, vt pote iudicibus in foro pœnitentiali. Atqui privati non peccant se se conformando in praxi minùs probabili opinioni sibi faventi, quamvis sit in præiudicium alterius, cui opinio probabilior, ac iuri conformior favet: pariterque Confessarij opinioni illius acquiescere tenētur, quin possint absolutionem negare, quam is pœnitens nolit restituere rem, quam probabilius putat esse alienam, vel non solvere debitum iustitiæ, cui probabilius scit non esse satisfactum. Ergo non est, cur iudicibus durior conditio imponatur.

46. Cæterum disparitas ab omnibus assignari debet, quia argumentum idem probat in quæstione iuris, ac quæstione facti; imò facti sunt exempla, quæ in eo proponuntur, nimirum, an hæc res sit propria, vel aliena? An huic debito sit, vel non sit satisfactum? Rursus, non desunt, qui affirment circa materiam iustitiæ eandem obligationem incumbere privatis, ac Confessarijs plerumque,

iudicibus, & eorum Confessarijs, & tunc solùm esse locum electioni minùs probabilium speculativè, cùm sine præiudicio alterius meliori iure gaudentis fieri valet: de quo P. Valentia 2. 2. *disp. 5. q. 7. punct 4. dub. 3. conc. 3. vsque ad fin.* Præterea iudicibus ex ipsa institutione sui muneris, & ex legibus ad ipsum spectantibus incumbit obligatio iustitiæ sequendi amussim, & sectandi in suis sententijs, quæ iustiora, atque meliora apparent; privati autem nec ratione officij, cùm iudices non sint, ad id tenẽtur, nec constat, ex qua alia lege naturali, aut positiva in hac materia potiùs, quàm in reliquis, quæ ad alias virtutes spectant, ad meliora, & honestiora adstringantur.

47. Nec plus iuvat, quod de Confessarijs additur. Tum quia alioqui iudices in foro externo non deberent iudicare secundum conscientiam suam, sed secundum conscientiam litigantium, & cùm vterque absque peccato litigat, vtrumque simul deberent absolvere, & condemnare. Tum quia Confessarij solùm debent acquiescere opinioni pœnitentium circa ea, quæ eisdem licent, aut non licent, & hoc absque vllo discrimine inter quæstiones iuris, & quæstiones facti; Iurisperiti autem de his non iudicant, cùm illa ad Theologos morales spectent; sed de speculativis opinionibus ad facti notitiam, vel iurisprudentiam spectantibus: his enim sententiam suam accommodare debent, quidquid sit de opinione litigantium, quæ vt impertinens non examinatur in iudicijs. Neque enim nocere potest foventi iustiorem causam; quòd ipse eam putet iniustam: vt vice versa non prodest ei, qui deteriorem habet, quòd eam reputet iustissimam. Et quamvis de suo iure nihil opinentur, sed dubij, ac perplexi mancant, debet esse idem iudi[illegible]

48. Tum quia Confessarius necessariò debet acquiescere opinioni pœnitentis, tametsi minùs probabili, quoad effectum iudicandi de peccatis eius: nam quòd ille peccet, aut nõ peccet, non pendet ex conscientia Confessarij; sed ex propria illius: & casu, quo probabilis opinio eum excusaverit, dum operaretur, & excusare possit in futurum, iniquissimè damnabitur, vel tanquam malè dispositus, & absolutione indignus dimittetur. Porrò necessitas ista in reliquos iudices minimè cadit, neque id vult sententia opposita, sed præcisè libertatem eligendi sententiam minùs probabilem, supponendo alteram non fore iniquam; imò fore magis iustam.

49. Tum quia iudices in foro externo, permittendo litigantibus suas opiniones, deceptionesve inculpatas, nihil agerent, quia ad ipsos spectat lites dirimere, & sentẽtiam suam manifestare, vt ei pareant hi, qui litigant. At verò Confessarijs satis est in dictis casibus permittere pœnitenti, vt suæ opinioni se accommodet, & in eius vsu perseveret, quoties bona fides eum excusat. Neque enim debent opinionem suam deponere, aut opinari, sicut opinatur pœnitens; sed sufficit, quòd eum ipsum, vt pote inculpatè agentem, in sua credulitate relinquant. Quo pacto sæpius permittunt confitenti deceptiones invincibiles, v. g. circa matrimonij sui valorem, non quia & ipsi decipiantur (pono enim, scire evidenter impedimentum occultum) sed quia nullitatem sibi cognitam non detegunt, eo quòd putent detectionem obfuturã. Et quia ad iudicem externum spectat declarare meritum suam, id est, quod opinionem oppositam reddit valde improbabilem. Nam iuxta illam sententia prælativa vnius, & postpositiva alterius, quatenus prælativa potiùs esset

esset declaratio affectus in iudice prævalentis, quàm iudicij præferentis vt meliorem causam eius, pro quo iudicat. Mentiretur enim, si hoc iudicium per sententiã denotare vellet, cùm oppositum ei insit, quoties data opera eum condemnat, cuius intentio erat iustior. Confessarius autem non mentitur, neque minùs bene agit, cùm declarat, pœnitentem non peccasse, neque deinceps peccaturum perstistendo in vsu suæ opinionis; imò mentiretur, & iniustè ageret, si oppositum declarare vellet, & negare ipsi absolutionem tanquam peccatori indisposito, impœnitenti, ac indigno.

50. Denique, cùm finis iudiciorum externorum sit dare vnicuique ius suum; finis verò iudicij sacramentalis reconciliare homines cum Deo, non est facile adaptare ipsis regulas communes. Vnde neque generaliter est verum, Confessarium obligari ad agendum contra propriam opinionem, vt se se accommodet illis, quæ pœnitentibus placent. Neque enim ad id tenetur, cùm opiniones sunt speculativæ, v.g. circa Sacramenti valorem, circa approbationem, vel iurisdictionem, aut reservationem casuum, vel circa ea, quæ ipsi Confessario licent, aut non licent: nam & hæc speculativa sunt respectu confitentis. Et in summa, regula contraria (a qua vniversim discessit, appellato Sayro, Torreblanca *lib.* 15. *iuris spirit. cap.* 7. *num.* 12. *&* 22.) vix per se loquendo locum habet, nisi in illis, quæ ex conscientia bona, aut mala pœnitentis variantur, & ex ea dijudicari debent tanquam ex propria mensura.



CAPVT VI.

Variæ quæstiones ad vberiorem lucem decreti Pontificij.

51. QVæris primò, an liceat iudici sententiam proferre iuxta sententiam, quæ ab ipso, & communiter ab alijs minùs probabilis creditur, omnibus cõsideratis? Respondeo, per se loquendo id non esse licitum, sicut nec licet in casu, quo sit moraliter certum, illã esse minùs verisimilem, aut quo minor eius probabilitas legitimè præsumatur, aut communiore iudicum, Doctorumque assensu comprobetur, aut quo iudici non constet, eamdem ipsam opinionem probabiliorem reputari ab alijs. Et hoc est, quod decreto Innocentij potissimè continetur, & quod ex nostris rationibus, & Auctoribus allatis satis perspicuè colligitur, subscribente etiam P. Salas, Palao, Escobar, Verricelli, Dicastillo, & alijs, qui ab opposita sententia stare videbantur. Neque enim de hoc casu loquuntur; imò illum expressè excipiunt vt *num.* 12. prænotavi.

52. Et hoc mihi verum est contra Lugo *disp.* 37. *de iust. num.* 116. quamvis contraria opinio probabilior sit ratione parvi excessus, si ille sufficienter discernatur. Nam & ipse facit eum esse digniorem favorabili sententia præ alio, cui talis præeminentia deficit, & vt iustius sit hoc iudicare. Neque in materia iustitiæ parvum pro nihilo reputari debet, quandoquidem parvi, & magni eadem ratio est quoad effectum iudicandi ex affectione, & præferendi ius minùs probabile illi, quod est probabilius.

53. Quæris secundò, an possint iudices etiam superiores sententiam

proferre iuxta opinionem communem omnium, vel plurium Doctorũ, quam ipsi iudicio proprio reputant minùs probabilem? Respondet P. Salas, Palaus, Escobar, & alij eo *num.* 12. appellati, posse, *quia id est populo, & litigantibus convenientius, & magis placet Regi, ac Regno, à quibus potestas iudicandi accipitur.* Quod profectò mihi verissimum apparet, præeunte etiam Arriaga *t.* 1. *in* 1. 2. *disp.* 24 *num.* 40. Nam magna esset stultitia committere decisionem causarum iudicio singulari vnius, vel paucorum hominum, qui in tanta iudicantium multitudine neque omnes esse possunt valde docti, neque valde diligentes, neque omnes iudicij classici, neque liberi à passionibus, vnde intellectus solet obscurari, & velle vt eorum potiùs opinione lites dirimãtur, quàm iudicio communi peritorum, ac sapientium, quorum vitæ probitas, doctrinæ soliditas, solertia ad veritatem indagandam, & dexteritas, atque maturitas in deligendis opinionibus commendata est vniversis per acclamationem publicam. Quo spectant, quæ de opinione communi, & obligatione iudicandi iuxta ipsam contra propriam non communem *à num.* 15. prælibavimus. Necnon lex Angliæ, quæ olim etiam in Hispania viguit, dirimendi lites in civilibus secundum opiniones Bartoli, & in Canonicis secundum Ioannis Andreæ, quamvis displicentes iudici. De quo Aviles *cap.* 1. *de offic. Prætorum. verb. Fiel. num.* 15. *ante fin.*

54. Vnde potiùs est dicendum, iudicibus datam esse potestatem administrandi iustitiam cum onere iudicandi iuxta sentẽtiam communem contra propriam, quam probabiliorem reputant, quàm vice versa. Nec dubium, quin illo modo plerumque rectiùs, ac iustiùs sint proferendæ sententiæ, quàm ex iudicantium cerebro extravagante forsan, aut sophistico. Quippe plures classici Doctores sibi consentientes mutuò, vt communem opinionem faciant, sunt iudices integerrimi, & nullam exceptionem patiuntur; at verò privati iudices, apud quos lites agitantur, nondum sunt doctrinæ classicæ, neque examinatæ, & approbatæ communiter; neque semper omni exceptione maiores, cùm frequenter plurimæ eis opponi possint, tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Ex parte intellectus, scilicet vel ingenio deficientis, vel suo genio paradoxi, vel confusi, & offuscati, vel potiùs arguti, quàm solidi in delectu doctrinarũ. Ex parte voluntatis, quia præoccupata esse solet, aut libidine innovandi, & ostentandi ingenium singularitate iudicij, aut alijs passionibus erga personas litigantium, vnde plurimum rationum pondera, ac rerum apparentiæ apud ipsos variantur, atque vt conspicilia quædam de albo viride, & de nigro rubrum, aut de recto inflexum apparere faciunt.

55. Quæris tertiò, an liceat iudicibus inferioribus iudicare contra opinionem sibi probabiliorem sequẽdo praxim superiorum iudicum, à quibus sciunt suam sententiam vt insipientem, & iniustam fore revocandam? Affirmat P. Vasquez 1. 2. *disp.* 64. *num.* 6. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 47. Card. de Lugo *vbi suprà num.* 117. Bresserus *lib.* 3. *de consc. num.* 149. Gibalinus *lib.* 6. *de negotiat. cap & art.* 3. *num.* 12. Baldellus *lib.* 3. *Theolog. moral. disp.* 15. *num.* 22. & alij plurimi, quibus ego assentior. Ratio autem est. Quia licet iste non iudicet secundum id, quod sibi est verosimilius à ratione, adhuc iudicat iuxta id, quod est probabilius ab auctoritate tribunalis sibi superioris, & secundum id, quod semper, aut plerumque in eo fieri consuevit,

&

& ideò legi ſatisfacit, necnon iuſtitiæ, ac prudentiæ, dum iuriſprudentię ſuæ peculiari minùs fidit, quàm iuriſprudentiæ tot aliorum, quos ſibi ſuperiores agnoſcit, quæ eam praxim vt iuſtiorem communi aſſenſu ſæpius geminato induxit. Atque huc ſpectant, quæ de ſtylo Curiæ, & de ſententijs, quas Rota ſolet probare, cõmuniter ab Auctoribus traduntur, necnon de Conſilio Regio, aut alijs ſupremis Senatibus, quorum auctoritati tantum plures deferunt plena manu congeſti à Barboſa *in collect. ad cap. 19. de ſent. & re iudic num. 3.* vt certum ius faciat, vel ſaltem adeò vehemẽtem aſſequutæ veritatis præſumptionem inducat, vt ei prævalere nequeat inferioris iudicis privata opinio.

56. Confirmatur efficaciter. Quia obligatio iudicandi iuxta peculiarem opinionem, ſi qua datur, nunquam vrget cum tanto detrimento iudicantis, maximè cùm id ſit certum; incertum verò eidem ipſi, vtra ſit melior, ac iuſtior, quam ipſe probat, vel quã probant alij, qui vt plurimum ſolent eſſe doctiores, & rem ſæpius diſcuſſerunt? Profectò nec leges, nec pacta ſimilium officiorum, quamvis ſint iurata, in caſu tanti diſpendij cenſentur obligare. Neque vllus infirmus vellet ſe committere ei Medico, quem certò ſciret deferere communes ſententias Protomedicatus, aut aliorum opinantium aliquod remedium eſſe minùs tutum, eo prætextu, quòd ipſe contrarium ſentiat, & teneatur ad curandum prout ſibi tutius videtur. Et circa ipſam rem, de qua tractamus, *num.* 18. notavi, iudicem legitimè excuſari ab obligatione iudicandi iuxta opinionem ſibi probabiliorem, cùm in ſyndicatu eſt puniendus, & tractandus tanquam temerarius, aut iniuſtus, eo quòd, communi poſthabita, prætulerit opinionem ſuam. Et vniverſim iudici licet ſententiam dicere iuxta minùs probabilem, cùm ex oppoſita, tametſi probabiliore, imminent ſcandala, vel alia graviora incommoda, quæ vitarentur ſectando illam, quæ ſibi eſt minùs iuridica. Valde communiter receptum eſt à Doctoribus, quos ſequitur Giballinus, ac Lugo locis citatis, & hic plenius *diſp. 36. à num 34.* agens de procuratoribus, qui in Comitijs regni ſuffragantur ad imponenda tributa.

57. Quæris quartò, vtrùm quoad hæc ſit aliquid immutatum per decretum Pontificium? Reſpondeo, nil eſſe immutatum, quia neque ex verbis, vt iacent, neque ex mente illius aliunde inveſtigata poteſt colligi, voluiſſe obligare iudices ad iudicandum iuxta opinionem minùs probabilem iudicio omnium Doctorum, eo quòd vni ſibi probabilior videatur. Et qua, rogo, ratione dici poſſet ſcandaloſum, aut pernicioſum in praxi, quòd iudicans in re incerta non præponat ſuum iudicium ſingulare, vel paucorum, iudicio communi aliorum maioris auctoritatis, & probatioris doctrinæ? Reſpublica profectò id non præponit; ſed ſibi nocivum reputat, quòd communes opiniones deſerantur, quas meritò iuſtiores, probabilioreſque præſumit ijs, quæ ſingulariter à iudicibus excogitantur, & propterea illos in ſyndicatu caſtigat tanquam de temeritate, vel certè longè minori probabilitate in ſuis ſententijs ſuſpectos. Agit ergo proculdubio contra intentionem Reipublicæ iudex, quoties ſic ſe gerit: ac Theologorum iudicio, & peccat contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur, quamtumvis contraria opinio minùs probabilis ſibi videatur. Eſt autem penitus inveriſimile, intentionem damnationis Pontificiæ huic rectiſſimæ intentioni diſſen-

sentaneam esse, aut plus deferre voluisse sapientiæ cuiusque iudicis obnoxij multis fallacijs,quàm sapientiæ tot aliorum, qui,re maturè discussa, & sæpius examinata, ab eius opinione dissentiunt, & forsan iudicant esse improbabile, eam esse probabiliorem.

58. Explicatur. Quia Innocentius non determinavit,vtra opinio sit sequenda, probabilior sibi, an alijs; nec quidquam horum exprimitur in decreto illius, vt iacet; sed Theologorum examini, ac discussioni relinquitur, quando nam liceat, & quomodo iudicibus sibi appropriare quoad vsum probabiliorem alienam. Et quidem id non licere sæpe sæpius, sive absolutè,sive iuxta mentem Pōtificis,indubitatum apparet,quia frequenter evenit,vt iudicis opinio censentis sententiam aliquam esse probabiliorem,& oppositam minùs probabilem habeat pro se præsumptionem assequutæ veritatis, v.g. quia est communis; alia verò singularis, aut quia in tribunalibus secundum ipsam à sapientibus, & timoratis iudicari consuevit, aut quia ex interpretibus illam sequuntur, omnibus hinc inde pensatis, plurimi, quorum sapientiæ, & auctoritati suppares esse non possunt, qui seorsim ab ipsis sentiunt. Vnde qui in his casibus,alijsque similibus prudentiali iudicio mensurandis, relicta propria opinione, iuxta alienam iudicaret, eo ipso iudicare censeretur iuxta illam, quæ certò est minùs probabilis,vel debet haberi vt talis, interim ac novis documentis, eisdemque manifestissimis oppositum non ostenditur.

59. Iam verò quòd iuxta mentem Pontificis iudices non semper debeant iudicare secundum eam opinionem, quæ sibi probabilior videtur, patet primò, quia inde fieret,eos teneri vi decreti Pontificij sæpe sæpius iudicare iuxta opinionem, quæ absolutè est minùs probabilis, aut talis esse præsumitur, & sententijs communissimis suas paradoxas præferre. Neque enim opinio statim probabilior evadit, aut opposita minùs probabilis ex eo, quòd à iudice talis putetur; nec absolutum iudicium de maiore, vel minore probabilitate opinionum ex cuiusque iudicis privata, ac nimis fallibili existimatione pensatur;sed ex æstimatione communi peritorum, ac prudentum, præsertimque ipsius Reipublicæ, à qua iudex auctoritatem iudicandi accepit. Illa enim sæpius præsumit, veriores esse, ac iustiores alienas opiniones, quàm proprias iudicis, & ideò iustissimè præcipit, vt secundum illas potiùs, quàm secundum istas, causæ decidantur, vt de opinionibus Bartoli olim præferendis in Hispania opinioni iudicantis anteà prænotabam, & de communi opinione nunc, & semper fuit receptum.

60. Secundò,quia Pontifex non imposuit iudicibus obligationem administrandi iustitiam contra leges sui officij, cùm potiùs secundum leges, & iura iudicare teneantur. Atqui absurdissimam illam obligationem imposuisset,si,attento decreto, nūquam eis licitum foret propriam opinionem de minore probabilitate vnius partis quoad praxim iudicandi deponere, & suum iudicium submittere alienæ iurisprudentiæ. Quippe Respublica non solùm præscripsit leges iustitiæ directas, & communes toti populo, aut iudicibus servandas in sententijs proferendis, cùm apertè constat eorum sensus; sed insuper alias addidit proprias iudicum, & quasi reflexas,quibus ipsi dirigantur in casu incertitudinis, ac controversiæ. Porrò his legibus sæpe non poterit iudex,vti debet,satisfacere,nisi sentētiam proferat difformem propriæ opi-

opinioni; sed conformem opinioni alienæ. Ex.g. lex, aut consuetudo, quæ pro lege habetur, & in conscientia etiam obligat, præscribit iudicibus, vt in iure controverso sententiam proferant iuxta opinionem communem, & classicam, reiecta singulari, aut non communi. Quid ergo, si ista sit propria ipsius iudicis? Nonne contra proprij officij legem iudicabit, nisi sententiam dicat contra propriam iuxta alienam?

61. Quid, si de maiori ipsa, vel minore probabilitate opinionum reflexè controversia instituatur, & communis opinio præseferat, eam esse probabiliorem, quam iudex minùs probabilem reputat? Nonne iuxta opinionem sibi minùs probabilem tenebitur iudicare, ne legem transgrediatur, qua communem sequi debet? Vel an potiùs in conscientiæ perplexitatem incidisse iudicabitur, peccaturus contra debitum sui officij, si contra communem iudicet, & pariter peccaturus contra damnationē Pontificiam, si sibi minùs probabilem; sed verè communem præferat? Quid, si iubeat lex, vt in obscuris, incertis, aut inexpressis pro vna parte sententia proferatur, & prælationis ius ipsi cōcedat, vt multoties evenire suprà demonstravimus? Nonne pro illa debet iudicare, sive incertitudo, & inexpressio oriatur ex opinione propria, sive ex opinione aliena?

62. Profectò, si opinio illa, quam iudex iustiorem, ac probabiliorem reputat, Principi ipsi, vel Reipublicę minùs iusta, minùsque probabilis appareat, & quia oppositam probabiliorem, atque iustiorem præsumit, iubet, vt secundum ipsam lites dirimātur: nonne iudex illi potiùs, quàm sibi, debet deferre? Vtique. Nam de alijs subditis generaliter id ipsum dici solet in controversijs similibus. Est autem hìc valde specialis ratio. Quia iudices non aliam habent potestatem, administrandi iustitiam, nisi quam Rex, aut Respublica illis concessit: substituuntur namque in eius locum, nec tàm iudicant nomine proprio, quàm nomine, & auctoritate illius. Ergo dum ipsis præscribitur modus huius potestatis, præcipiturque, vt illius potiùs iudicio, quàm suo proprio, lites dirimant, licitè nequibunt repugnare; sed quemadmodum iuxta allegata, & probata debent iudicare, etiam si evidenter sciant, ea esse falsa, & hoc meritò est dispositum, vt tutius, & convenientius ad rectam administrationem iustitiæ, sic pariter secundum leges, & iura sibi præscribētia delectum opinionum iudicare tenebuntur, quamvis interdum contingat, vt contra propriam iudicare debeant.

CAPVT VII.

Quousque iudicibus liceat iudicare ex opinione aliena, & quomodo in isto casu propriam deponere debeant?

63. QVæris quintò, quænam regulæ, seu iuridicæ, seu prudentiales, observandæ sint ab ipsis in eiusmodi delectu? Huic dubio accuratissimè occurrit Azor 1. *part. instit. moral. lib. 2. cap. 9. & sequent.* necnon Bossius 1. *part. de consc. tit. 1. § 27. per totum*, & res longum tractatum poscebat, si pro dignitate foret exponenda. Illud est certum, non esse concessam iudicibus simul cum munere liberam, licitamque facultatem eligendi pro suo libito opinionem, quam maluerint, inter illas, quarum vna est probabilior suo iudicio, & alia alieno; sed inspiciendas esse alias circumstantias lege, con-

consuetudine, aut praxi tribunalium designatas, vel etiam iudicio prudentum, vnde vna ex ipsis fit eligibilior quoad vsum, & ius quoddam prælationis assequitur. Plures ex istis suprà consignavimus, & pleraque ex ijs, quæ diximus circa necessitatem iudicandi interdum iuxta opiniones minus probabiles, quas iustis de causis leges anteponi volunt contrarijs probabilioribus, huc etiam possent trasferri. Et quis non videat, longè aliam esse rationem deserendi propriam opinionem faventem alicui causæ valdè odiosæ, ex. g. nullitati matrimonij iam contracti, quàm deserendi illam, quoties favet matrimonio, aut alij causæ, quam in casu incertitudinis, aut paritatis leges præferendam censent? Nam aliena opinio mihi nota meam mihi incertam reddit, & si communis sit contra communem, rem in æquilibrio constituit. Noluit autem lex, vt in eo casu semper sit libera electio iudicantis; sed quid factu opus sit, ipsa decernit.

64. Vnde quod dicitur, rem committi decidendam iudicio proprio ipsius iudicis; non verò aliorum, verum est, si intelligatur de iudicio prudentiali, & vltimato dictante secundum quam opinionem sit sententia proferenda, attentis sui officij obligationibus, & reliquis circumstantijs; falsum verò, si exponatur de iudicio speculativo iudicis opinantis sic, vel aliter pro arbitrio suo, & sæpe minus prudenter, aut etiam imprudenter, vel temerè exponentis legem illam, ex qua decisio causæ est sumenda. Potrò iudicium illud prudentiale sæpe dictabit, sententiam proferendam esse contra opinionem privatam iudicis: Vel quia proferenda est iuxta allegata, & probata, à quibus sæpe discordat opinio; imò scientia ipsius: Vel quia pronunciari debet secundum leges, & iura speciatim spectantia addelectum opinionum, quibus parere non potest, nisi alienæ potius, quàm suæ propriæ, se se accommodet in iudicando: vt si lex iubeat, benigniorem, communiorem, aut æquitati conformiorem præferre; ipse verò non iam istam, sed rigidiorem, singularem, aut iuri stricto accommodatam sectetur. Vel demum, quia sicut prudentia sæpe sæpius dictat, tutius, atque melius esse in alijs negotijs agere iuxta consilium alienum contra proprium, sic prudentia iudicantis idipsum ei dictare poterit, cum videt, rem esse incertam, & periculum iudicandi minus iustè (quod in eo casu vtrimque imminet) à communiter contingentibus magis timeri posse ex eo, quòd suo iudicio plus deferat, quàm iudicio aliorum, quos sapientiores, ac diligentiores, & acutioris ingenij debet æstimare.

65. Quæris sextò, quonam pacto fieri possit, vt iudex sententiæ alienæ se se accommodet? Nam vel retractat suam, & tunc contra propriam, quam habet de præsenti non agit, sed solum contra illam, quam habebat. Vel non retractat, & tunc duos contradictorios amplius habebit in intellectu: alium, quo iudicat, suam opinionem esse iustiorem, ac probabiliorem aliena: & alterum, quo censet, alienam esse iustiorem, ac probabiliorem suai. Explicatur. Nam sententia decisiva litis nil est aliud, quàm exterior manifestatio, ac declaratio sententiæ interitis latentis in ipso intellectu iudicis. Vel ergo sententiam suam deposuit, & ita non iudicat contra suam, sed iuxta suam, & aliorum: Vel non deposuit, & tunc mentiri videtur, quia loquitur contra mentem, & cum aliud intus habeat, aliud exterius significat.

66. Respondeo primò, hic fere plurima applicari posse ex ijs, quæ dici solent de subdito obediente con-

contra ſuam opinionem irretractatam mandatis ſui Superioris; ſed præſertim illa, quæ propriè ſpectant ad iudices ſententiam proferentes ex debito iuxta allegata, & probata contra certam ſcientiam ſuam, quod ſaltem in cauſis ciuilibus circa bona temporalia veraciter, ac iuſtè fieri nemo dubitat. Reſpondeo ſecundo, propriam opinionem bifariam deponi poſſe, ſpeculativè, ac practicè, ſicut contingit in dubijs. Speculativè deponitur quoad ſpeciem, dum retractatur; quoad exercitium verò, dum ſuſpenditur aſſenſus actualis erga ipſam; practicè autem, dum, irretractato, ac retento aſſenſu ipſius ſpeculativo, ac directo, per practica, & extrinſeca principia reflexè concluditur, adhuc iudicari poſſe, aut debere contra ipſam. Iam verò, ſi in noſtro caſu iudex deberet deponere ſpeculativè ſuam opinionem, nulla retractatione opus eſſet, quia ad vitandam ſimultaneam coëxiſtentiam duorum iudiciorum adverſantium ſibi mutuò in eodem intellectu ſatis foret deponere quoad exercitium opinionem propriam, ſuſpendendo eius aſſenſum, & tunc iudicaret iudex contra ſuam habitualem opinionem; ſed nihil profectò aſſereret adverſus actualem, quæ non datur.

67. Attamen longè certius eſt, nullam in hoc caſu iudiciorum contradictionem inueniri. Quia iudex cenſens, interpretationem aliquam eſſe à principijs intrinſecis minùs probabilem, non ideò negat, imò ſæpe affirmat coactus euidentia facti, oppoſitam eſſe probabiliorem ab auctoritate extrinſeca aliorum, quorum ingenio, diligentiæ, atque ſapiẽtiæ nequit ſua comparari. Similiter, qui aſſentitur alicui opinioni rigidæ, vel ſingulari, & haſce illius qualitates agnoſcit, ex vi talis aſſenſus minimè impeditur, quominùs affirmet, oppoſitam eſſe communem, aut eſſe benigniorem, aut ab ipſa ſtare præſumptionem aſſequutæ veritatis, & proueriore, atque iuſtiore haberi iudicio prudentum, & maximè iudicio Reipublicæ, à qua accepit iudicandi poteſtatem. Negare etiam nequit, ſibi incertum eſſe, vtrùm ſua opinio ſit iuri conformior, & meritò formidare, an in eius electione ſibi irrepſerit deceptio aliqua, temeritas, aut paralogiſmus defectu ſtudij, aut ingenij, vel alia paſſione occulta, vt ſæpius irrepunt alijs. Et certò interdum cognoſcet, ſe egiſſe minùs prudenter, dum illam prætulit alteri, videtque, omnibus inſpectis, tutius eſſe, atque ſecurius à periculo iudicandi, minùs iuſtè, iudicio ſuo minùs fidere, quàm iudicio aliorum, quos longa experiẽtia, ingenium optimum, magna integritas, ſtudiumque diuturnius ſibi ſuperiores facit.

68. Porrò affirmationes iſtæ, cum alijs regulis practicis ex iure, aut cõſuetudine acceptis, ſæpe iudici ſunt ſatis ad concludendum, ſe meliùs iuſtiùſque cum litigantibus acturum, ſi contra propriam opinionem iuxta alienam litem terminaverit. Neque ideò mentitur, quia per ſententiam externam non ſignificat, ſe ita ſentire ſpeculatiuè, & in puncto iuris, vt ſic loquar, à principijs propijs, & intrinſecis duntaxat conſiderato; ſed ſatis eſt, ſi ſignificet, ſe ita ſentire practicè, & propter præſumptionem prudentialem, aut iuridicam ſuæ opinioni reſiſtentem de opinione aliena plus ſperare. Sic iudex ſubſcribens ſententiam à maiori parte collegarum approbatam, non denotat, ſe id ſentire, vel ſenſiſſe, cùm deliberatio pendebat, quia forſan eſt, ac fuit ſemper in opinione contraria; ſed ſolum ſignificat, illud fuiſſe plurimorum iudicium, quod leges iuſtius præſumũt, & ideò iubent ſeruari. Sic qui iudicat

iuxta allegata, & probata, de peculiari sua notitia nihil dicit, & propterè, quamvis sententia ei apertè contrarietur, immunis est à mendacio.

69. Quæris tandem, an decretum Pontificium ad sententias etiam interlocutorias extendatur? Respondeo, proculdubio ad eas extendi, quæ habent vim definitivæ, qualis est illa, qua iudex se incompetentem declarat, vel qua libellus repellitur, vt ingressus litis impediatur, vel qua reus absolvitur ab observatione iudicij, vel qua tormentis addicitur, aut alteri gravi incommodo, quod per definitivam nequit emendari. Et de his sententijs accipitur quod notat, relatis alijs, Aviles *de officio Prætor. cap* 1. *verb. Fiel. num.* 11. iudicem, qui malè interloquitur, teneri parti ad interesse in quantum eam læsit; alijs verò actis iudicialibus examinandi testes, abbreviandi, aut prorogandi terminos, ac reliquis id genus, quæ nec sunt propriè sententiæ, nec iudicia definitiva causarum, nec iudex, cùm ea disponit, propriè iudicare dicitur, & prudenti arbitrio ipsius communiter relinquuntur, propter varias, ac diversas circumstantias, quæ passim solent occurrere; satis ei esse videtur, si arbitrium verè prudens, ac probabile sequatur, neque in re adeò incerta, frequenti, & obnoxia scrupulis præsumendum est Rempublicam ad optimum obligare, cùm id sit summè difficile.

70. In fine adverto, Antoninum Diana *p.* 11. *tr.* 2. *re.* 61. *post med.* quamplurimas opiniones adducere in iure minùs probabiles, secundum quas licet iudici proferre sententiam beneficio illius licentiæ, quam ei tribuebat condemnata opinio. In quo catalogo duo debent considerari. Primum est, virùmnam illæ verè sint minùs probabiles legaliter, ac iuridicè? Secundum verò, an, eo supposito, iudici liceat, quod licere Diana contendebat consequêter ad doctrinam suam? De primo non est modò contendendum, neque spectat ad Theologos; sed ad Iurisperitos, quorum est illud iudicium. De secundo autem, quod est proprium Theologiæ, ac nostri instituti, omnino affirmari debet, nullatenus esse licitum, sed scandalosum, ac pernicioſum in praxi, cùm id Pontifex generaliter tradiderit; damnata autem aliqua propositione vniversali, omnes particulares, quæ sub illa directè continentur, ex hoc ipso damnatæ intelliguntur.

CAPVT VIII.

Vtrùm in favorem matrimonij liceat iudici, relicta probabiliori opinione, iudicare secundum minùs probabilem?

71. MEliorem esse in his causis conditionem affirmantis, quàm negantis matrimonium esse validum, sive sit actor, seu reus, traditur frequenti calculo à Theologis, & Iuristis, adeò vt constanter existiment in iudicando sequendam opinionem illam, quæ valori favet; tametsi sit singularis, & quamvis contra se habeat communem pro nullitate sententem, nisi sit innixa alicui textui claro. Quæ exceptio superflua videri posset, ac sibi ipsi contradicens, nisi forsitan adiecta putetur ad eorum mentem plenius declarandam. Nam sententia, quæ fundatur in aliqua ratione, aut textu claro, sive sit singularis, seu communis, omnino certa est, & contradictoriam suam reddit prorsus improbabilem; vbi autem nulla probabilis opinio favet matrimonio, non relinqui-

quitur quæstioni locus, sed indubitatum est, illud reputãdum esse nullum à Iudicibus, & quibuscumque alijs. Quapropter exceptio illa ad hoc deservit duntaxat, vt intelligamus, hos Auctores favorem matrimonij adeò extendisse, vt quæcumque opinio minoris, aut etiam minimæ probabilitatis sit satis iudici, vt probabiliore, communioreque deserta, pro ipsius valore pronuntiare valeat.

72. Ita censet cum Hostiensi, Felino, Ancharano, Abbate, Ioanne Andræa, Barbatio, Decio, Beroio, Menochio, Antonio Gabricle, & alijs, quos refert Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 18. num 7.* Barbosa *in collect. ad cap. vltim. de sentent. & re iudic.* Fragoso *p. 1. de regim. Reipub. Christ. lib. 4. disp. 10. num. 186.* Villalobos *in summa. 1. p. tr. 1. difficul. 7. num. 3.* Trullenc. *lib. 7. de Sacram. cap. 6. dub 1. num. 9. fin.* Diana *p. 10. tr. 12. resol. 18.* Leander à Sanctissimo Sacram. *tom. 2. de Sacram. tr. 9. disp. 7. q. 20.* dicens, vnum tantùm Doctorem cum aliqua probabilitate sufficere. Angelus Bossius *p. 1. de consc. tit. 1. §. 27. n. 689. & tr. de contract. matrim. cap. 3 num. 234.* Angelus Maria Verriceili *p. 1. tr. 2. q. 17. num. 7.* contendens, hoc esse speciale in matrimonio, nullatenusque extendendum ad dotem, testamentum, libertatem, aut pias causas. Moventur. Quia matrimonium est in iure valde favorabile, & dissolutio ipsius nimis odiosa. Vnde, cùm iam est contractum, sustineri debet, non tantùm in pari causa *ex text. in cap. vlt. de sent. & re iudic.* sed etiam in valde dispari, ex regula generali tradita *in cap. Licet. 47. de test. & attest.* his verbis: *Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta Dei separare.*

73. Altera sententia fert, in huiusmodi causis iudicandum esse iuxta sententiam communem, sive ea faveat matrimonio, sive sit ipsi contraria. Ita ex professo Antonius Maria Coratius *tr. de opinio. commun.* (qui habetur tom. 1. commun. opinion.) *lib. 2. tit. 9. casu 20.* dicens, esse *verissimam*, Ioannes Coratius *in leg. Qui liberos. à num. 121. ff. de ritu nuptiar.* vbi ait, *ita servari in praxi.* Quod mente omnino tenendum, ne facilè discedatur ab hac sententia, monebat Coratius *suprà* vers. *In libertate.* Ioãnes Gutierrez *de matrim. cap. 3. n. 19.* tametsi sibi contrarius *cap 63. n. 31.* Consentiuntque apud eosdem Alcitus, Lancelotus, Cotta, Cagnolus, Aviles, & alij: atque ex his, quos appellabat Sanchez in favorem sui, Barbatius, Beroius, & Decius. Quibus se se adiungit Bossius, hoc censens valde probabile *dict. §. 27. num 689.* Ratio ipsorum est. Quia favor matrimonij non debet extendi vltra terminos iustitiæ distributivæ, cuius actus est sententia iudicialis, neque ampliari in præiudicium tertij pro nullitate pugnantis, & pro sua libertate ab eius vinculo. Extenderetur autem, & procederet vltra terminos iusti, rectique iudicij ius suum cuicũque tribuentis secũdum merita causæ, si iudex pronuntiaret ex singulari opinione matrimonium esse validum contra reum, aut actorem pro eius nullitate habentem opinionem communiorem, aut communem, sive iuris, sive facti. Huiusmodi namque opinio pro lege aut consuetudine legali habetur, & in locum ipsarum subrogatur, quoties iura ista deficiunt. Clarum est verò, neminem absque iniustitia iudicare posse adversus legem valori matrimonij contrariam.

74. Tertia sententia, cui adhæreo, tenet, iudicem in istis causis sequi debere opinionem probabiliorem, sive sit singularis, seu communis, quin

possit, illâ postpositâ, ferre sententiam secundum minùs probabilem. Sic sumitur ex Innocentij decreto, & condemnatione thesis, quam in præsenti explicamus. Inde enim constat vt minimum iudicem privata auctoritate, aut favore personali suo nullatenus iudicare posse iuxta sentẽtiam probabilem, relicta probabiliore. Iudicaret verò hoc modo, si pro valore matrimonij decerneret contra probabiliorem opinionẽ nullitati ipsius patrocinantem. Nullibi enim invenietur concessus in iure hic favor matrimonio, causisve similibus, & cùm sit maximè exorbitans ab omnibus iuris regulis, & in tertij præiudicium, manifestè debebat explicari. Vbi autem deest favor iuris, solùm relinquitur favor privatus ipsius iudicis, qui contra probabiliorem opinionem, stante decreto Innocentij, nihil attentare valet. Quocirca nunc non auderem auctor esse vlli ex iudicibus, vt illi primæ sententiæ, quæ tantum matrimonio deferebat, se se in praxi accommodaret. Anteà siquidem probabile videri poterat, licitum esse iudicibus favores iuris ampliare vsque ad desertionem sententiæ probabilioris assistentis alteri ex collitigantibus; modò autem declarat Pontifex, id probabile nõ esse, & insuper imponit præceptum graviter obligans, ne deinceps deducat vllus talem doctrinam ad praxim.

75. Sed & ante istud decretum, vltra plurimos, qui generaliter istiusmodi obligationem iudicibus imponebant, expressè Castro Palao 1. *p. disp.* 2. *de consc. pun.* 10. *num.* 3 dixerat, pro matrimonio non esse iudicandum, si opinio verior, & magis probata sit in contrarium. Idemque absque dubio senserant plerique ex Iurisperitis, qui pro prioribus sententijs allegantur. Nam ex eis Mascardus, Abbas, Corsetus, Barbatius, & quidam alij apud Bossium *num.* 690. & Coratium *num.* 116. diserè affirmãt, communem tunc solùm esse sequendam pro causis favorabilibus, cùm *melioribus fundamentis innititur, & est verior, ac probatior.* Alij verò, qui absque hoc addito enuntiant, iuxta communem esse iudicandum, non negant iudici adhærendum esse certò probabiliori, licet sit singularis, aut paucorum; sed ideò id proferunt, quia opinio communis, quamvis non innitatur textui claro, absque vllo favore adiuncto ex proprijs meritis habet maiorem probabilitatem extrinsecam ab auctoritate, & numero Sapientum, qui illam docuerunt, re accuratè examinata, & probabilior præsumitur, quàm opinio non communis ex suis rationibus, principijsque intrinsecis, dum contrarium apertè non probatur. Adeòque, rebus sic stantibus, ad instar legis recipitur, veritatisque exploratæ, & quod plus est, in statutis expressim de lege agentibus appellatione legis comprehenditur, vt cum Tiberio Deciano, ac alijs tradunt Barbosa *tr. de appellativis verb. iuris signific. appellativo.* 129. *in fin.* & Escobar del Corro *de purit. sanguin. p.* 1. *q.* 10. *§.* 2. *num.* 12. *in fin.*

76. Ipsi quoque, qui favorem matrimonij anteponendum censebant cuivis doctrinæ probabili contrariæ valori illius, sibi non satis constabant; sed pluries praxim oppositã probabiliori faventem iudicibus cõsulebant in causis matrimonialibus, vt ex ipsorum lectione se deprehendisse testatur gravis, valdeque eruditus scriptor Georgius Gobat *in experientijs Theologo iuridic. tr.* 10. *num.* 74. in hæc scribens: *Quantum ipse observavi, repugnant practicè sibi ipsis, & plerisque Doctoribus, illi ipsi, qui tantam quantam indicavimus auctoritatem tribuunt sententiæ vnius pro valore*

valore matrimonij. Sanè mediocriter versatus in legendis Consilijs matrimonialibus editis à varijs Doctoribus reperiet facilè triginta, aut quadraginta, in quibus suadetur iudici, vt ferat sententiam contra matrimonium, non attento, quod pro matrimonio stare sciant quatuor, sex, aut octo Doctores. Hæc ibi. Quibus perpensis, vnà cum alijs præmissis, planè constare videbitur sententiam, quam modò sequimur, & nova Summi Pontificis auctoritate firmamus, etiam ante illius decretum fuisse in se valde communem, & receptiorem in praxi.

77. Illud certius, non licere, nec vnquam licuisse iudici sequi opiniones incertæ probabilitatis matrimonio favorabiles, & alias ipsi adversantes, quas novit certò probabiles, in iudicando relinquere. Nam si controversum sit inter Auctores, num opinio matrimonio favens sit probabilis, necne, quibusdam affirmantibus esse probabilem, alijs verò ex adverso contendentibus esse potiùs improbabilem, nemo dixerit, tantum esse favorem matrimonij, vt iudex fidere possit adeò tenui probabilitati, & pronuntiare id esse validum, relicta opinione adversa, cuius certa, ac secura probabilitas in ijs circumstantijs reddit evidenter iustiorem, ac veriorem matrimonij nullitatem. Vtique iudicis est in incertis, seu obscuris verisimiliora sequi, *ex reg. Inspicimus.* 45. *de reg. iur. lib.* 6. Quis autem dubitet, esse planè verisimiliorem, ac certiorem nullitatem, quàm valorem, cùm stat pro nullitate opinio certò probabilis; pro valore verò opinio, quæ vix nomen opinionis meretur, & à multis reputatur sophistica, & improbabilis? Nec refert, quòd alij censeant probabiliter esse probabilem, quia eiusmodi probabilitas controversa, merèque opinabilis ex hoc capite nimis deijcitur, vt sequenti dissertatione ostendetur, præsertim *cap.* 5. adeòque apud prudentes extenuatur, vt etiam extra iudicia, ac in rebus nemini præiudicantibus ei rarò adhærere liceat, nedum in iudicijs, vbi iudicis sententia non declarat, quidnam sit favorabilius vni parti; sed quæ ex ipsis melioribus fundamentis iuris, aut facti innitatur.

78. Propterea mihi vehementer displicet doctrina Leandri *in dicta q.* 20. asserentis matrimonium contractum ab alienigenis coram Parocho illius loci, vbi alter ipsorum habitat brevi tempore recreationis causa, alteriusve negotij, absque animo ibi manendi multis diebus, sed reverendi quàm citiùs ad eum locum, vbi fixum domicilium habet, nihilominus esse sustinendum, & pro illius valore in iudicio pronuntiandum. Fundamẽtum ipsius est. Quia licet opinio cõmunis stet in contrarium, eaque requirat, vt Parochus validè assistat matrimonio eorum, qui habent alibi domicilium habitationis, quòd ex ipsis saltem alter quasi domicilium adquisierit in Parochia illius, & in ea habitare incœperit, cum animo ibi manendi pro maiori, vel dimidia parte anni; adhuc non desunt, qui affirment probabiliter, id non esse necessarium ad valorem matrimonij, sed vel modicam habitationem quasi in transitu sufficere. Ita enim sentiunt expressè Sa *in Aphorismis correctis.* verb. *Parochus*, & verb. *Matrimonium*, vtrobique *num.* 2. & Basilius Legionensis *lib.* 5. *de matrim. cap.* 13. §. 1. quibus adiungo Raynaudum, qui eisdem obiter accessit *tom.* 14. *in Heteroclit. terrestr. sect.* 1 *punct.* 14. *num.* 18. *fol. mihi* 180. Et cùm aliunde hæc opinio valori matrimonij consentiat, illi potiùs, quàm oppositæ, stari debet in iudicio.

79. Advertere autem debuerat Leander, ne opinioni isti deferendum esse

esse iudicaret, illam non solùm habere communem sibi contrariam, vt fatetur ipse ibidem; sed communiter non esse receptam, & reputari improbabilem. Nemo autem tantum favoris matrimonio deferendum esse dixit, vt pro illius valore iudicari debeat iuxta sententiam communiter reiectam vt improbabilem, & explosam in iudicijs. Quòd verò huiusmodi sit opinio, cui nitebatur Leander, ex Palao sumi potest *p. 5. disp. 2. punct. 13. §. 9. num* 8. vers. *Cæterum*. asseverãti: *Nullam speciem probabilitatis habere, quia est aduersus communem sententiam, & praxim receptam, grauissimisque incommodis subiecta.* Diana quoque doctior factus *p.* 11. *tr.* 3. *resol.* 34. vers. *Et tandem*, clarè dixit, illam esse *nimis laxam, & communiter refelli tanquam improbabilem*: addente Dicastillo, doceri absque *idoneo fundamento. tom.* 3. *de Sacram. tr* 10. *disp.* 3. *num.* 48. Notat præterea Card. de Lugo *lib.* 1. *respons. mor. dub.* 37. *num.* 12. eam *non admitti communiter.* Et ab illa in iudicando pluries discessisse Rotam, id consulentibus viris doctissimis tum externis, tum ex nostra Societate, planè constabit legenti Menochium *consil.* 398. *volum.* 4. vbi omnia affert per extensum.

80. Ratio accipitur *ex textu in cap. Is qui.* 3. *de sepult. in* 6. quem in proposito expendit, appellatque irrefragabilem Navarro *consil.* 7. *de clandest. desponsi. lib.* 4. inde enim constat aperte eos, qui alibi suum habent domicilium, non effici Parochianos illius loci, vbi actu habitant brevi tempore, & veluti in transitu absque animo ibi manendi, & contrahendi quasi domicilium, sed statim revertendi ad domum propriam, vel vagandi per alia loca diversa. Porrò matrimonium, vt sit validum, coram proprio Sacerdote debet celebrari, aut coram altero de ipsius licentia. Quapropter matrimonia sic contracta *proculdubio iudicanda esse invalida* statuit Navarro *in dicto consil.* 7. idque *certum* reputavit P. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 23. *num.* 9. Neque obstant duæ declarationes Cardinalium, quibus vnicè fidit Basilius *eo §.* 1. *num.* 6. Nam, vt omittam, eas non esse authenticas, nec debito sigillo munitas, sicuti opus erat iure novo Vrbani VIII. vt in iudicio, vel extra, fidem facerent, stat ex aduerso opposita declaratio, quam affert, & testatur apud se habere in forma authentica Nicolaus Garcia *de Benefic. p.* 5. *cap.* 7. *num.* 11. vbi interrogante inter alia Episcopo Abulensi: *An valeat matrimonium contractum coram Parocho illius loci, vbi contrahentes reperiuntur, NON ANIMO IBI DOMICILIVM CONSTITVENDI, sed recreandi causa?* Sacra Congregatio respondit: *NON VALERE.*

81. Quocirca, si fides aliqua adhibenda est alijs declarationibus, intelligendæ non sunt de illis habitatoribus, qui cùm habeant alibi suum proprium Parochum, atque domicilium permanens, ad alia loca diuertunt otij, vel negotij causa absque animo ibi manendi tempore necessario ad adquirendum domicilium, aut quasi; sed duntaxat de his, qui nullibi, aut vtrobique domicilium habent. Prima enim, quatenus dicit: *Proprium Parochum eum esse, in cuius Parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur*: ne alij adductæ contradicat, & contra mentem Concilij ingens ostium aperiatur fraudibus, aut exponenda est de habitatione inchoativa domicilij, vel quasi, aut potiùs intelligenda de vagis. Istis enim actualis habitatio loco domicilij succedit, quandoquidem nullum aliud habent, & ideò ordinarius Parochus illorum esse censetur ille, in cuius districtu degunt, & mu-

mutata habitatione, mutatur. Postrema verò, quæ expressè de his *alienigenis* agit, *qui inter vagabundos non sunt comprehensi*, eo ipso supponit eos alicubi habere domicilium. Igitur vel illud habent vtrobique, & tunc sine dubio poterunt in qualibet ex ipsis contrahere. Vel non habent illud vtrobique; sed solùm in ea Parochia, extra quam transeunter commorantur: & tunc evidentissimum est, Parochum illius Parochiæ, vbi hoc modo de præsenti habitant, non esse proprium illorum; sed omnino alienum, & maximè quoad sacramẽta voluntaria, cuiusmodi est matrimonium. Alibi enim habent propriũ Parochum, & ibi eum nequeunt habere, vbi habitationem domicilliarem non habent, nec animum permanendi saltem pro maiori, vel propè maiori anni parte, vnde quasi domicilium adquiritur, stabiliturque ius Parochiale. Porrò habentes propriũ Parochum, coram omni alio alieno nuptias celebrare nequeunt, nisi de licentia proprij, vt in decreto Concilij expressè habetur, & alioqui instar vagorum eas vbivis celebrarent validè, & declaratio, quæ affertur, non tàm esset expositio Concilij, quàm revocatio.

82. Indidem patet, quàm tenuem, si fortè est vlla, probabilitatem habeat valor matrimonij ita contracti, cùm aliunde eiusdem nullitas non tantùm evidenter probabilior; sed certa, aut fere certa debeat reputari. Quis autem iudex rectus, ac cordatus ius certum pro incerto dimiserit? aut quod est longè certius, ac securius postposuerit iuri adeò incerto, & ambiguo, vt meritò iudicetur ius nullum, & improbabile? Sufficeret quidem iudici, communem sententiã stare pro nullitate coniugij, vt secundum eam decerneret, dum valde solidis argumentis non constat, contrariam opinionem singularem, aut paucorum, esse vel probabiliorem, vel saltem æquè probabilem, vt liquet ex anteà dictis, & hoc solum probat ratio, qua relati suprà contendebant, semper esse cum communi decernendum, etiam contra causam favorabilem. Cæterùm quoties cõmunis opinio adeò prævalet contrariæ, vt vix ipsi probabilitatem relinquat, dubiumque, ac incertum reddat, vtrum sit probabilis, aut improbabilis, cuivis iniquum videbitur cõmunem velut iniustam deserere, & palmam litis alij adiudicare. Vnde quæ de opinione Leandri dicta sunt, ad omnes alias applicari debent, quarum vera probabilitas in controversiam vocatur: solùm enim est adducta exempli gratia, etsi adversus illam paulò fusiùs egerimus, quia casus frequentissimè occurrit, & doctrina illa de favore matrimonij malè applicata probos iudices forsan implanaret.

83. Præstat vtique suus favor matrimonijs jam contractis cum solemnitatibus de iure debitis, vt, cæteris alioqui paribus, pro eorum valore in iudicio decernatur. Præstat etiam, vt in dubio maioris vel minoris probabilitatis illa opinio à iudice præferatur, quæ valida esse constituit: nam & hoc commune est cuivis causæ favorabili. Attamen, quod adeò imparibus, & adeò compertis rebus, vt certò sit probabilius, ac veritati cõformius illa esse nulla, quàm valida, nullo vnquam iure præscribitur, nec rectitudo iustitiæ, efficiumque proprium iudicis tantam inæqualitatem patitur. Eademque ratio est, quoties præsumptio maioris conformitatis cum veritate, ac iustitia propria partium assistit illi opinioni, quæ pugnat pro nullitate, vt regulariter evenit, cùm ab hac parte est opinio communis, probabiliorque ab extrinseco, & pro valore non militat,

litat, nisi opinio singularis. Quandoque tamen evenit, vt emergat nova ratio, aut novus aliquis textus non prævisus, neque examinatus ab Auctoribus communis opinionis, quæ istam præsumptionem vincat, & tunc auctoritas eius non prævalet; sed potiùs deprimitur, aut penitus evanescit. Qua ratione plures opiniones, quæ satis probabiles communiter videbantur ante decreta Innocentij, & Alexandri, post illa suam probabilitatem amiserunt, atque inter alias, ni fallor, etiam illa, quæ docebat, integrum esse iudicibus, relicta probabiliore, minùs probabilem sequi in causis favorabilibus.

84. Neque obstat quod dixit Pontifex *in dicto cap Licet.47. de testibus & atteſt.* scilicet: *Tolerabilius esse aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta Dei separare.* Quia non negamus, id esse tolerabilius, & favore concesso ab ipso iure sustinendum, quando cœtera sunt paria, aut probabilioritas dubia; sed solùm contendimus, id non esse tolerandum, aut statuendum à iudicibus, cùm ius negantis valorem est veri ati conformius, ac certius iure affirmantis. Nam specialis iste favor, neque in eo textu conceditur, neque ex ipso colligitur necessariò; sed tãquam casus omissus, secundum iustitiæ regulas, & obligationes proprias iudicum ab eis debet terminari. Et quamvis magnus sit favor matrimonij iam contracti, propter reverentiam Sacramenti huæ dissolutioni obstantis, necnon & propter periculum, ne ad secunda vota tranſeant illi, qui à vinculo ipsius exsoluti declarantur, totque adulteria materialia committant (si illud fortasse erat validum) & ipsi, & eorum consortes, quot vicibus copulantur, vltra incommoda, quæ proli iam forsan natæ ex priori matrimonio inde sequuntur, & lites, quæ ob restitutionem dotis sæpe solent resultare. Quamvis, inquam, ex hoc capite æquum sit favere matrimonijs, ac præsertim consummatis, contractisque in facie Ecclesiæ, non ideò contraria causa adeò egena favoris reputari debet, vt adversus ipsam possit pronuntiari, cùm se meliori iure tuetur, & apertè constat iudici inæqualitas, ac præeminentia ipsius respectu alterius pro matrimonio certantis.

85. Nam in primis ea pericula, quæ ex matrimonij controversi dissolutione imminebant, eo leviora fiunt, minùsque timenda, licet secundum se graviora videantur, quo probabilius est, id esse nullum, & nequaquam eventura, etsi declaretur tale. Et aliunde, si, cùm forsan esset nullũ, declaretur fuisse validum, sic coniuncti gratia Sacramentali destituuntur, aliisque subsidijs valde necessarijs ad rectum coniugij vsum, & ad alia onera ipsius cum fructu supportanda. Committent præterea tot fornicationes materiales, quot actus coniugij habuerint, oscula, vel alia opera, quę extra coniugium vetantur; atque hoc genus mali propinquius, & frequentius imminebit in istis, qui falsò existimant se esse coniugatos, tenerique tum ad debitum reddendum, tum ad simul cohabitandum, quàm in alijs, qui, cùm verè coniugati sint, liberi per errorem dimittuntur, &, si velint, possunt castè vivere, ac cœlibem vitam agere. Ad hæc, causa libertatis à vinculis, aut servitute perpetua non est parum favorabilis; hæc autem est causa illius, qui contendit pro sui matrimonij nullitate. Quippe matrimonij vinculum indissolubile est, & magnas secum molestias, ac onera valde gravia affert pro tempore vitæ, ac perpetuæ servituti ideò rectè æquiparatur, quia traditionem involvit, ex vi cuius, qui erat suus,

iam

iam incipit esse alterius, ita vt, eo contracto *mulier sui corporis potestatem non habeat; sed vir*: atque vice versa, iuxta doctrinam Apostoli 1. *Corinthior.* 7. 4. quam ibi S. Chrysostomus *orat.* 19. hisce verbis commentatur: *Mulier viri est, & ancilla, & domina: & si defeceris ab ea, quæ conuenit, seruitute, Deum offendis::: Nam propterea hoc appellauit debitum, vt ostenderet, nullum esse sui dominum; SED ESSE INTER SE ALTERVM ALTERIVS SERVOS.* Videatur præterea Emmanuel Tesaurus *lib.* 16. *Philosmor. cap.* 12. solito lepore enucleans vires iuris coniugalis.

86. Denique, liquid probaret aphorismus ille Pontificius, cui nituntur aduersarij, patiter conuinceret, sententiam esse ferendam pro valore matrimonij contra certò probabiliorem, ac communem in quæstione facti, ex quo pendet eius veritas, ac in quæstione iuris. Quippe Pontifex ibidem de quæstione solius facti loquebatur, de illa scilicet, vtrùm essent consanguinei intra quartum gradum, & propterea invalidè copulati, qui alioquì validè matrimonio erant cõiuncti? Porrò in quæstionibus facti, & causis merè ciuilibus inter personas non priuilegiatas illa præualere debet secundum leges, & iura, quæ fortiores, ac vero proximiores probationes pro se adducit; neque oppositum audebant dicere etiam illi, qui ante Innocentij decretum centebant aliter circa quæstiones iuris. Statuit vtique Pontifex *in dicto cap. Licet.* contra id, quod erat statutum à suis Prædecessoribus, ne ad probanda impedimenta Ecclesiastica dirimentia matrimonium iam contractum, puta consanguinitatem, fides haberetur testibus deponentibus de solo auditu, *quia*, inquit, *pluribus exemplis, & certis experimentis didicimus, ex hoc multa pericula contra legitima coniugia prouenire*, atque vt periculis istis frequenter dissolvendi vera matrimonia obviaret, reddidit difficiliorem probationem nullitatis, & certum modum præscripsit longè exactiorem, quo debet probari veritas impedimenti, vt in iudicio prævaleat.

87. Cæterùm non ideò voluit, ista probatione extante, deferendum esse dictis minùs probabilibus vnius, vel alterius testis contrarium asseverantis; neque euidentem, aut omnino certam impedimenti probationem exegit; nec de omnibus impedimentis egit; sed de irritãtibus statuto humano. Istis autem opus erat Auctoribus præcitatis, vt ex prædicto textu, stabilirent adeò generaliter, in favorem matrimonij à iudice esse sequẽdam contra probabiliorem, & communem probabilem opinionem singularem. Neque Pontificem latuit, interdum posse contingere, vt defectu illius exactæ probationis, quam exegit, declararetur à Iudice esse valida nonnulla matrimonia iure Ecclesiastico invalida. Sed hoc periculum non tanti fecit, quanti frequentia pericula dissolvendi in foro externo matrimonia re ipsa valida, atque iure Diuino insolubilia, & propterea satius duxit exactiores probationes impedimenti irritantis, ac nullitatis exigere, quàm leviores admittere in his causis. Nam sicut è duobus malis, quod minus est, rectè eligitur, ita & ex duobus periculis, quãdo vtrumque ne[illegible] evitari, vt *in cap. 13. de electione, lib.* 6. eleganter explicatur.

88. Verumtamen ex hoc ipso nostra assertio robur accipit. Quippe si quæcumque probabilitas facti, aut iuris matrimonio fauens, sit sufficiẽs, vt contra probabiliorem pro valore illius decernatur, innumera matrimonia re ipsa invalida sustinebuntur, & valde pauca in iudicio declarabũ-

tur invalida, cùm ad obtinendum sufficiat producere in quæstione facti vnum, vel alterum testem, qui probabiliter censeat impedimentum deficere, aut si quæstio sit iuris solius, vnum, vel alium Auctorem, qui opinetur matrimonium esse validum, frequentissimè continget, vt præsidia ista non desint etiam coniugijs invalidis. Tolletur quidem periculum, servata in iudicio hac praxi, dissolvendi tanquam irrita matrimonia re ipsa valida, quia vt hoc fiat, opus erit, ne ratione vlla probabili, sive à testibus, sive ab Auctoribus, persuaderi possit eorum valor; sed convincenter monstretur nullitas esse innegabilis. Porrò non tanti est faciendum, radicitùs extirpare huiusce mali periculum in casibus controversis, & non temerè deductis ad forensia tribunalia, vt totum favori detur, & aditus iustitiæ præcludatur; sed potius ratio est habenda, tum periculorum insurgentium ex adverso, quæ magni momenti sunt, vt paulò anteà ponderavimus, & valde præiudicialia parti, quæ veriori iure libertatem suam tuetur: tum ob reverentiam Sacramento debitam, cui non parum derogat, si eius sanctitas, & indissolubilitas, ac cætera iura ipsius deferantur ei contractui, cui nullatenus conveniunt: tum etiam maioris certitudinis, atque frequentiæ, qua eventura prævidentur incommoda inde imminentia: nam pericula, quæ alioquin essent minora, ex his capitibus valde aggravantur, & magis timenda fiunt, quàm periculum alterius maioris mali, quod non nisi rarius evenit, & probabilius creditur non eventurum in casu, de quo tractatur.

89. Tolerabilius ergo est, atque iustitiæ, & veritati conformius, periculum dissolvendi in foro externo aliqua matrimonia re ipsa valida annexum obligationi sequendi probabiliora, licet valori matrimonij contradicant, quàm periculum annexum obligationi sequendi etiam minùs probabilia, quoties matrimonio favent. Nam in primis longè gravius est periculum errandi, ac falsam, & à parte rei iniustam sententiam proferendi, frequentiùsque error continget, si iudex, spretis illis, quæ vero proximiora esse cognoscit, sive ex iure, sive ex facto, ad minùs vera deflectat, eaque vt iustiora amplectatur. Rursus, cùm probabiliora sequitur, multò pauciora matrimonia re ipsa invalida pronuntiabit esse valida, quàm pronuntiaret, si etiam sequeretur pro valore illorum minùs probabilia, & singularia: saltem enim declarabit fuisse irrita omnia illa, quorum valor minùs probabilis est iuxta allegata, & probata. Aliunde verò, etsi fortasse contingat, vt contra matrimonium re ipsa validum iudicialis sententia proferatur, quia omnibus rite perspectis, diligenterque exploratis, eius nullitas apertiùs, verosimiliùsque patet, id non est tam magni incommodi, quanti foret approbare tanquam Sacramenta valida, & omnino insolubilia tot tractatus, quot approbarentur in iudicio iuxta sententiam oppositam, cùm neque essent Sacramenta, nec contractus coniugales.

CAPVT IX.

De iudice circa valorem matrimonij odiosi Ecclesiæ.

90. QVamvis causa matrimonij per se loquendo sit omnino favorabilis, atque vt talis decidenda sit à iudice, dum lis movetur circa valorem ipsius, non ideò sequitur, omnia matrimonia attentata, aut etiam valida verè

verè esse favorabilia, nam plurima ex circumstantijs per accidens odiosa fiunt. Nimirum, si celebrentur contra interdictum Ecclesiæ, si absque debitis solemnitatibus, si sint pessimi exẽpli, aut magni scandali, aut si quidpiam aliud interveniat, vnde peccaminosa sint quoad exercitium. Et de his dubitari potest, cùm de valore ipsorum controvertitur, vtrùm terminari debeant ab Ecclesiastico iudice secundum iuris rigorem, ac si causa matrimonialis non esset, vel potius iuxta favorem, qui matrimonijs conceditur incertò validis; sed certò licitis, contractisque in facie Ecclesiæ absque vllo speciali vitio?

91. Satis autem exploratum cẽseo, secundum rigorem iuris esse terminanda. Quia de se apparet absurdum, vt causa, dum est odiosa, eisdem privilegijs gaudeat, quibus gauderet, si non foret odio, sed amore digna. Neque vnquam iura fauent illis, quæ contra ius fiunt; sed eis potiùs aduersantur, & aduersus ea præsumunt, vt planè constat *ex reg.* 64. *lib.* 6. sic statuente: *Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi*, quod maximè verum est, cùm dubitatur, vtrùm sint validè facta, vel potiùs infecta, & neutrum apparet liquidò. Constat itidem *ex reg.* 82. ibi: *Qui cõtra iura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere*: ei autem, qui mala fide contractum matrimonij celebravit, & contra voluntatem Ecclesiæ, non debet prodesse is favor, qui bonæ fidei tribuitur, sicut favor præscriptionis ei non prodest, qui possidet mala fide. *Frustra* enim *legis auxilium invocat, qui committit in legẽ*, ex *textu in cap. Frustra.* 14. *de vsur. l. Auxilium.* 37. *ff. de minorib.* vbi favor restitutionis in integrum concessum minori ætati, ei minori denegatur, qui *dum leges invocat, in eas committit.* Atque eâdem ratione expressâ tollitur *cap. vlt. de immunit. Ecclesiar.* immunitatis privilegium illis, qui in Ecclesijs ipsis, aut cœmeterijs ipsarum, alios occidunt, aut mutilant: eo namque se *indignos* reddunt, & *Ecclesiæ defensione*, vt Pontifex ibi adiungit, qui auxilium legis implorant, cõmittendo in legem ipsam. Et quis non videat, quàm magna, & quàm pernicioſa occasio celebrandi matrimonia illicita, ac votis Ecclesiæ contraria daretur, si homines crederent, saltem post factum, ab ipsa Ecclesia defendenda, ac sustinenda, omisso iuris rigore, auxilio, ac fauore suo?

92. Neque inter Doctores reperi qui huic doctrinæ contradixerint, vel quoad favorem iudicialem exæquanda senserint in casu valoris dubij illegitima connubia legitimis, odiosa favorabilibus, & prohibita, licet essent valida, his, quæ vltra dubiũ valoris aliud vitium habent. Esto namque plures dicant vniversim matrimonijs iam contractis favendum esse in iudicio, quoties probabiliter sustineri valent; nemo tamen negat, quædam ex eis esse odiosa, & sub peccato prohibita ob adiunctas circumstantias, neque affirmant, causam matrimonij odiosi, seu initi contra leges culpabiliter violatas, & cum præsumptione malæ fidei esse causam favorabilem. Nec Pontifex *in dicto cap. Licet.* anteà toties præcitato putavit tolerabilius, eos copulatos dimittere, qui illicitè, & cum Dei offensa suum matrimonium iniverant, quàm illud iudicialiter dissolvere, atque ipsius nullitatem declarare; sed expressim fuit loquutus, vt favor hic locum habeat, de matrimonijs contractis *legitimè* secũdum statuta Dei. Legitima autem non sunt secundum statuta Dei, esto aliquando sint valida, quæ odiosa sunt ipsi Deo, & contra leges, & iura cum offensa ipsius celebrantur.

93. Aliunde etiam, quoties sermo incidit de his odiosis matrimonijs, & contra leges contractis, Auctores potiùs decernunt in iudicio de valore ipsorum quovis favore privanda. *Et in hoc* (inquit Monaldus *conf.6.num.14 p.2.*) *multum oneratur conscientia iudicis, cùm æquè favor debeat sic dissolvere matrimonium cõtra legem Dei contractum, sicut legitimum confirmare.* Vnde Card.de Lugo *tom. 2. de iust. & iur. disp. 22, à num. 23.* cùm in facti contingentia controverteretur, vtrùm quoddam matrimonium esset validum, gravissimis Iurisperitis asserentibus, ipso verò cum alijs denegante, *num. 24. post med.* ita concludit: *Addidi autem, etiam si verba relinquerent rem hanc dubiam* (quæstio tunc erat de sufficientia verborum ad consensum cõtrahentium explicandum) *& idò in dubijs videretur esse interpretanda in favorem matrimonij, cuius causa favorabilis est; in hoc tamen casu non debere habere locum favorem matrimonij. Quia licet causa matrimonij secundum se favorabilis sit; sed tamen matrimonium clandestinum, quale erat illud SINE DENVNTIATIONIBVS PRÆMISSIS, ET PAROCHO INVITO PRÆSENTE, NON EST FAVORABILE, SED ODIOSVM, NEC IN EO LOCVM HABENT, QVÆ IN FAVOREM MATRIMONIJ INDVCTA SVNT, vt notant Doctores.* Hactenus de Lugo; cui plenè subscribit Thomas Tamburinus *lib. 8. de contract. tr.6 cap.2. § 3. num.15.* cum *num.11.* vt certum præmisisset, iniuriam fieri non tantùm Parocho, sed etiam Ecclesiæ, cuius nomine & auctoritate in eo actu fungitur, si violentia, dolo, aut metu ad assistendum adigatur.

94. Profecitque vterque ex Rebello *p.2. de obligation. iust. lib.2. de matrim. q.14. num.25.* censente ob istos defectus filios posse exhæredari, etiam in Regno Castellæ, si clam parentibus contrahant, licet matrimonium fuerit validum. Necnon & ex P.Sanchez, qui proculdubio est ab hac sententia *lib. 3. de matrim. disp. 45.num.1.* vbi statuit *ex cap.2 & 3.de matrim. contracto contra interdic. Eccles.* matrimonia clandestina, & reliqua celebrata contra Ecclesiæ prohibitionem vt odiosa, ac pœnis digna, non gaudere illis favoribus, quibus gaudent alia legitima; atque eo præsertim privari, quo in dubio pro ipsis præsumitur, quia malæ fidei præsumptio resultat adversus illa, vt resultat contra emptionem, & alium quemvis contractum, dum contra iura cõficitur, & propterea onus probandi in contrahentem refunditur. Bossius itidem, qui locis *cap.præced.* consignatis affirmaverat, pro valore matrimonij iudicandum esse ex sententia singulari, quamvis sit minùs probabilis, contra probabiliorem, & communem, expressè excipienda duxit clandestinè adversus iura contracta *in dicto § 27.num.692.* & latiùs *cap.1. de matrim.num.55 & cap.3.num.231.* eâdem ratione excepturus cætera, quæ ob prohibitionem Ecclesiæ à contrahentibus violatam in ipso actu contrahendi, odiosa, & punienda fiunt.

95. Quocirca idem est dicendum de illis, quorum valor controvertitur, si constet aliunde fuisse inita cum aliquo ex impedimentis impedientibus, seu reddentibus illicitam matrimonij exequutionem, vt differendo de nuptijs solemniter celebratis tempore ab Ecclesia vetito, obseruavit Farinacius *decis.245. num.17. in censur.* his præter cætera: *Nec proclives esse debemus in favorem huius contractus, alieno impulsu potiùs, quàm propria inductione, & tempore quadragesimali contra Canonum prohibitionem cele-*

celebrati. Et hoc à fortiori militat, cùm impedimenta fuerunt iuris naturalis, vt sponsalia priùs validè contracta cum altero, aut votum absolutum castitatis merè simplex. De illis verò, quorum controversia oritur ratione metus illati, quia incertum est, vtrùm fuerit sufficiens, aut insufficiens ad dirimendum connubium, meritò putat hic Auctor nullo favore gaudere, quamvis cœtera sint paria, idem tradente Barbosa *in dicto cap. vlt. num.* 3. *de sent. & re iudic.* post Purpuratum, atque Seraphinum, accedentque quotquot aiunt, matrimonia metu extorta, non solis statutis humanis irritari, sed naturali ipso iure, vt cum S. Thoma, & multis alijs tenent P. Comitolus *lib.* 1. *respons. moral. q.* 123. Basilius *lib.* 4. *de matrim. cap.* 14. Molina *tom.* 2. *de iust. & iure. tr.* 2. *disp.* 326. *num.* 14. *prope fin.*

96. Porrò cùm totus is favor, qui fidelium matrimonijs tribuitur, ex Ecclesiæ benignitate dimanet, nihil apertiùs demonstrat, illum non extendi ad casus, vbi constat debitas proclamationes, aut alias solemnitates de iure requisitas fuisse prætermissas, quàm Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de reformat matrim. cap.* 5. Nam cùm ibi æquiparasset quoad effectum carendi spe dispensationis eos, qui intra gradus prohibitos *sciẽter* contrahere præsumunt, cum illis, qui *ignoranter* id fecerunt, *neglectis solemnitatibus requisitis in contrahendo matrimonio*, rationem huius rigoris his verbis tradit: *Non enim dignus est, qui Ecclesia benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit.* Atque eâdem iuris ratione *cap. vlt §. Siquis de clandest. desponsa* prorsus illegitima censetur eorum soboles, qui monitionibus culpabiliter omissis ignoranter contraxerunt matrimonium re ipsa invalidum intra gradus dirimentes ipsum. Esto namque iura potiùs in favorem sobolis, quàm adversus ipsam inclinare soleant, & *in cap. Cùm inter.* 2. *cap. Ex tenore.* 14. *Qui filij sint legit.* legitima esse declaretur, si prævijs denuntiationibus, & citra cõtradictionem Ecclesiæ, cum impedimenti ignorantia nuptiæ celebratæ fuissent; adhuc tamen, quoties illæ culpabiliter omissæ fuerunt, toto hoc favore privatur proles exinde suscepta, *de parentum ignorantia* (vt inibi scribit Pontifex) *nullum habitura subsidium* Nam licet in neutro eventu proles habita quidquam peccaverit; nihilominùs in odium culpæ, qua parentes ausi fuerunt debitas proclamationes omittere, quibus forsitan detectum esset impedimentum occultum, & ne reliqui similia audeant cum magno Ecclesiæ dispendio, beneficio legitimitatis privatur, quo alioqui plenè gauderet.

97. Atque hoc iure etiam nunc vtimur, & iudices vti debent, quin proles desinat esse illegitima, eo quòd matrimonium re ipsa invalidum coram Parocho, & testibus fuerit celebratum, si prævia denuntiationes culpabiliter omissæ fuerunt. Sic fert communis sententia, quam multo veriorem iudicat Emmanuel Gonçalez *in comment. ad dictum cap. vlt. num.* 6. & optimè defendit Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 42. *num* 6. contra P. Molina *tom.* 1 *de iust. & iur. tr.* 2. *disp.* 176 *num.* 17. Petrum de Ledesma, & alios paucos immeritò dissentiẽtes. Quia ex dispositione præcitati capitis præsentia Parochi, & testium neque filiis illegitimitatem tollebat, neque ab alijs pœnis liberabat eos, qui debitas proclamationes omiserant; sed perinde illi habebantur, licet contraxissent ignoranter, ac si contraxissent scienter. Consultò namque abiecerunt mediũ illud inveniendi veritatem, & depellendi

lendi ignorantiam impedimenti irritantis, quod tanquam omnium aptissimum Ecclesia prænitti voluit priusquàm matrimonium contraheretur, & propterea ibi præsumitur, eos non contraxisse bona fide; sed cum scientia impedimenti, vel, quod eidem scientiæ æquivalet, cum ignorantia affectata, sicut anteà de illis tradebatur, qui contra iura mercantur, aut alios contractus celebrant.

98. Porrò iure novo nil istorum immutatum invenietur. Nam Concilium Tridentinum, cui adversarij nituntur, abstulit quidem valorem matrimonijs clandestinis defectu Parochi, aut testium; sed nullum favorem contulit illis, qui in præsentia ipsorum celebrantur, non præmissis, nec remissis monitionibus de iure debitis; imò illarum vsum, ac necessitatem valde commendavit *ea sess. 24. cap. 1.* profitendo se inhærere vestigijs Lateranensis Concilij, vnde prædictum caput fuit excerptum. Propterea Auctores innumeri censent, matrimonia sic contracta esse verè clandestina, atque talia reputari quoad pœnas de iure impositas clandestinè contrahentibus, nam clandestina appellantur in eo capite, & re vera clãdestina dici possunt, quamvis alioqui sint valida, & publica populariter, quia ea publicitate carent, quam requirit ius Ecclesiæ, antè quàm de facto celebrentur, vt legitimè facta cẽseantur in conspectu, ac facie ipsius. Vel, ne quæstio fiat de nomine, cùm de re constet, prævia hanc publicitatem deficere matrimonijs propria auctoritate contractis priusquàm in Ecclesia publicentur, & mediante hac publicatione adhibeatur ab Ecclesia ipsa diligentia necessaria ad detegendum tempestivè impedimenta occulta, dicimus, hæc ipsa fuisse matrimonia, quæ in eo textu, sive propriè, sive impropriè clandestina nominantur, & quibus pœnæ ibi impositæ correspondere debent ad amussim, vt legenti verba illius satis apertè constabit.

99. Confirmatur 1. Quia matrimonium celebratum coram testibus, & Parocho cum notitia impedimenti reddentis ipsum invalidum proculdubio subiaceret pœnis inibi statutis, & proles subinde accepta habenda esset pro illegitima. Ergo idem dicendum erit, quamvis celebretur coram illis, omissis proclamationibus, cum eiusdem impedimenti ignorantia. Nam Pontifex in eo eventu ignorantes scientibus æquiparandos decernit, ac disertis verbis statuit, sobolem de parentum ignorantia nullum habituram subsidium: & ratio, quam ibi assignat, accepta ex affectatione ignorantiæ, & violenta præsumptione notitiæ impedimenti, ac malæ fidei, quæ ex culpabili omissione Ecclesiasticarum præmonitionum resultat, istum etiam casum comprehendit, nec decisio illum excludit. Confirmatur iterum. Quia saltem negari nequit, istiusmodi matrimonia, non obstante præsentia Parochi, ac testium, defectu proclamationum, dispensationisque illarum esse odiosa, ac interdicta; vt odiosa autem non debent gaudere favore Ecclesiæ in iudicio; vt interdicta verò, eisdem pœnis subiacent, licet clandestina propriè non putentur, quibus subiacerent, si essent clandestina. Nam textus idem disponit de matrimonijs interdictis, quod de clandestinis, vt cõstat ex illis verbis: *Siquis verò huiusmodi clandestina, vel interdicta coniugia inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali coniunctione suscepta prorsus illegitima censeatur.*

100. Denique, cùm certum videatur, secluso favore iuris, filios natos ex matrimonio illegitimo, & in-

va-

valido (quale est istud, de quo loquimur) esse re vera illegitimos, oportebat assignare textum aliquem, vbi is favor concedatur his, qui culpabiliter omissis denuntiationibus, coram Parocho, & testibus suas nuptias inierunt. Nullibi autem invenietur, sive iure novo, sive antiquo, id concessum esse proli natæ ex huiusmodi nuptijs. Nam quòd validæ nunc sint, nil prorsus refert, cùm etiam validæ essent ante Concilium Tridentinum, nisi aliud impedimentum obstaret; & nihilominùs, cùm tale impedimentum eas invalidans re ipsa interveniebat, favor legitimitatis tollebatur, relinquebaturque soboles rigori iuris communis, fatisque erat illas fuisse clandestinas defectu proclamationum, vt neque innocenti proli favor vllus tribueretur.

DISSERTATIO IV.

DE TENVI PROBABILITATE.

AD PROPOSITIONEM TERTIAM INNOCENTII.

Quæ sic se habet: *Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

CAPVT PRIMVM.

Præcipuus propositionis sensus, & iusta illius confixio demonstratur.

1. LAtè discutit propositionem istam è PP. Capuccinis Cyrillus Rubeus *lib. de morientium eleemosynis art.* 1. §. 33. eamque *num.* 2. putat esse velut radicem, ex qua pullularunt aliæ omnes ab Alexandro, & Innocētio damnatæ. Tribuitur Tamburino *lib.* 1. *in Decalogum. cap.* 3 §. 3. *num.* 3. Amico *tom.* 3. *disp.* 15. *num.* 49. & videtur esse Pasqualigi & aliorum, quos appellat Lucius à S. Marco *in germana doctrina Tamburini. cap.* 2. Sed profectò adverbium illud *generatim*, quod vel se solo legitimā, ac planè evidentem causam proscribendi illam doctrinam subministrat, in nullo Auctore invenitur ex ijs, quos potui consulere, & vox ipsa *tenuis probabilitatis*, ad quam vlteriùs extenditur, à paucis fuit vsitata. Vnde & illa valde nova Caramueli visa fuit *in Dialexi de non certitudine, fol.* 344. *q.* 2. licet posteà ab amico præmonitus invenerit illam interdum ab scriptoribus vsurpari.

2. Fortè ex thesibus, aut manuscriptis

scriptis fuit excerpta illa doctrina, delataque ad Sanctam Sedem: &, cuiuscumque ea sit, non potuit non proscribi, præsertim propter illam vocē *generatim*, quæ omnia genera probabilitatum indistinctè complectitur, & addito adverbio *semper*, cuilibet limitationi omnino præcludit aditum, mentemque Auctorum pervertit, nedum obscurat, dum quod nonnulli de vna specie probabilitatis dixerunt, generaliter accommodat ad omnes alias. Id autem vel ex eo solùm probabile esse non potest; sed scandalosum potius, ac pernicioſum in praxi, quòd plures propositiones ex damnatis ab Alexandro, & Innocentio generaliter sub illa continentur tanquam particulares sub vniversali. Non potest autem esse generaliter, & in omni casu verum, quod in plerisque particularibus fallit.

3. Ex. g. si iudici non liceat iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem, à fortiori eidem iudicare non licebit iuxta opinionem levis, tenuisve probabilitatis. Atqui illud primum non licere iudici constat ex propositione secunda ab Innocentio damnata. Prima etiam illius propositio declarat, non semper licere conferenti sacramenta praxim opinionis probabilis, relicta tutiore, de valore ipsorum, quamvis neque obstet positiva lex Ecclesiæ, nec conventio, nec periculum incurrendi gravis damni. At verò hoc minimè componitur cum assertione illa adeò generali, quam exhibet tertia propositio, vt iacet. Idem argumentum sumi potest ex propositione quarta meritò damnata, quia excusabat ab infidelitate infidelem, qui non credit ductus opinione minùs probabili. Ac demum id ipsum conficitur, vt postmodum ostendemus *ex 27. propositione Alexandri.*

4. Sunt præterea eventus ferè innumeri, in quibus ad aliquid licitè agendum moralis certitudo desideratur, & sola probabilitas etiam vera nullius est momenti, nedum tenuis. Quomodo ergo generatim, & in omni casu verum esse potest, prudenter, atque adeò licitè, operari illum, qui confidit tenui probabilitati? Videsis ex istis casibus brevi compendio enumerat Tamburinus *eo* §. 3. *à num.* 16 atque ex communi omnium sensu certissimum est, aliquando neque tenuem, neque minorem probabilitatem sufficere ad securitatem conscientiæ; sed pro qualitate materiæ probabiliora, vel tutiora esse sectanda. Nec dubium, quin alia sit ratio de probabilitate solius iuris, aut probabilitate solius facti, & in probabilitate etiam iuris de iudicibus, medicis, ministris Sacramentorum, alijsque personis, quæ pro varietate suorum munerum, & rerum, de quibus agitur, tutiora sequi tenentur, vt cùm immineat aliquod malum, cuius periculum secundum rectam rationem etiam cùm timetur debet præcaveri. Ex. g. periculum occidendi, vel scandalizandi alios, & periculum relabendi in eadem peccata, quod suboritur ex occasione proxima voluntariè retenta.

5. Quocirca supradicta propositio, vt minimùm ita limitari debuit, vt non à toto genere probabilis opinionis verificari putetur; sed solùm intelligatur de opinionibus moralibus, quæ praxim concernunt, & circa ea, quæ licent, aut non licent, immediatè, ac proximè versantur, seu, quod idem est, circa obligationem agendi, aut omittendi actionem aliquam, neque ab alicuius nominis Auctore generaliùs defensatur. Semper enim condistinguunt tàm dubia, quàm opiniones merè speculativas à practicis, vt hæ sint, quas nunc descripsimus; aliæ verò, quæ versantur circa

alia,

alia, vt circa facta, vel circa valorem alicuius actus, circa proprietatem alicuius rei, circa qualitatem materiæ, vel eius effectus, aut causas. Neque semper volunt, vt speculativa probabilitas, sive fortis, sive tenuis, cum practica connectatur; sed plures, easque frequentes limitationes adducunt, & casus, vbi non nisi imprudenter, ac illicitè in praxi confidimus tali probabilitati.

6. Quot recenseat singulatim Tamburinus, & proinde, quàm immeritò contrarium ipsi adscribatur, nuper visum est; atque iam anteà generaliter præmiserat *ibidem num.* 12. & tanquam limitationem *semper* præ oculis habendam meritò commendaverat, inspiciendum esse, priùs quàm probabilitati speculativæ etiã æquali duarum opinionum practica superstruatur, *an aliunde aliquid obstet*, nam sæpe solent obstare lex, pactum, aut consuetudo, vel altera circumstantia, charitatis, religionis, iustitiæ, aut periculosæ exequutionis, vel damnosæ sibi, aut alijs. Similia passim apud Auctores invenientur, etiam illos, qui vsui probabilium opinionum maximè favere putantur, idque non solùm cùm differunt de specialibus officijs iudicis, medici, vel advocati; sed etiam vniversaliùs. Vnde P. Suarez *lib.* 5. *de legib. cap.* 18. *num.* 20. disertè scribit, opinionem probabilem speculativam non sufficere ad licitum vsum eius in praxi, *quando in cæteris non est æqualitas, vt quando in re ipsa semper subest periculum, quod imprudenter suscipitur, vel quando fit contra aliquod maius ius*, quod variis exemplis confirmat, & subinde infert corollaria prudentissima circa obedientiam, gabellas, & nonnulla alia.

7. His etiam adiungi possent multi alij agnoscentes passim opiniones, quas appellant parum probabiles, aut parum tutas, quarum proinde vsum non semper licere volunt; sed in casu necessitatis tantummodò, vt quòd Baptismus sit validus, si præcisè abluatur extrema pars vnius digiti, aut aqua rosacea totum corpus, vel quòd Eucharistia validè in secali conficiatur. Sed ista propinquiùs spectant ad opiniones tenuis probabilitatis, de quibus statim; nunc autem illis minimè indigemus, quia etiam certa probabilitas, si generatim sumatur, frequenter est insufficiens ad operandum prudenter, & neque à ratione, neque ab auctoritate oppositum fuit vnquam probabile à toto genere, vt constat ex antè dictis. Quocirca sapienter loquutus mihi videtur Antonius Celladei *p.* 1. *de recta doctri. mor. lib.* 1. *q.* 6 §. 1. dum scripsit, *doctrinam illam sic generaliter propositam non esse doctrinam, nec gravium, nec multorum Auctorum; sed potiùs esse contra sensum, & doctrinam eorumdem.* In eo tamen maximè defeciisse videtur, quòd tantum olei, ac operæ perdiderit, vt libro integro oppugnaret sententiam ex se satis profligatam, quæ *valde paucorũ est, nec gravium Auctorum*, etiam consentiente ipso, & iterum approbante *ibidem q.* 15. §. 1. vers. *Ex his.*

8. Fortasse, vt declinaret invidiam, præmiserat paulò antè graviores quosque Auctores limitasse, restrinxisseque illud dictum ad eas solùm materias, in quibus tantum est quæstio de licito, & non licito, neque vlteriùs immiscet aliquod tertij præiudicium; sed *alios, maximè verò recentiores, repulisse limitationes omnes, ac vniversalissimè docuisse probabile vbique esse regulam morum*, nempe in iudicijs, in bello, in curationibus, & alijs eiusmodi. Sed certè omnino oportebat, vt vel vnicum scriptorem appellaret, seu recentem, seu antiquum, qui, exclusis limitationibus,

prædictam regulam generaliter tradiderit. At nullum profert, neque ego eum comperi, & propterea dixi, propositionem damnatam ex libris non fuisse acceptam; sed ex thesibus, aut folijs volantibus, vel aliquo ignoto manuscripto. Et nullus, vt opinor, exhiberi poterit liber Catholici, atque noti Auctoris, qui *generaliter*, aut *semper* approbet vsum opinionũ probabilium, nisi ex subiecta materia, ex contextu, vel ex fine, ex proœmio, aut ex modo differendi constet, eum loqui duntaxat de opinionibus moralibus, & practicè probabilibus.

9. Video, à multis exhiberi Tãburinum *loco citato*. Atqui eum non agere de opinionibus merè speculativis, quæ de rebus, aut iuribus, aut factis, vel de alicuius formæ, aut materiæ idoneitate ad aliquem effectũ sæpe habentur, & de licito, aut illicito vsu suo nihil proferunt, perspicuè demonstratum est iam anteà ex ipso. Quòd verò determinatè loquatur, & duntaxat de opinionibus practicè probabilibus, idque summè necessarium, & altiùs menti infigendum crediderit, evidentissimè constat *ex n.* 4. immediatè subsequẽte locum illum, vnde cavillatio sumitur, item ex *num.* 12. & *num.* 15. *in fin.* & §. 5. *num.* 5. & sæpe aliàs. Ac proinde passim agnoscit opiniones aliquas remotè, seu speculativè probabiles, quæ improbabiles sunt practicè, & quoad vsum licitum, vt disertis verbis ab eo traditur eo §. 3. *num.* 23. tanquam manifestè comprobatum ex varijs exemplis, quæ præmiserat, idipsumque refricat §. 5. *num.* 19. In P. Amico eamdem distinctionem, ac doctrinã clarè deprehendet, qui vel oscitanter legerit disputationem illam: idemque dixerim de Pasqualigo, & alijs pauculis, quibus generalis ea regula sine exceptione imputatur, non quia eam tradant; sed quia interdum minùs cautè, minùsve exactè loquuntur, & id apparere faciunt verba, vt iacent, à suo contextu revulsa.

10. Sin aliter, cedo mihi vnum Auctorem, qui generaliter asserat probabile minùs tutum esse rectam morum regulam, cùm incumbit obligatio eligendi quod est tutius. Vel alterum, qui in particulari affirmet, illum semper licitè, aut prudenter agere, qui propria auctoritate spoliat legitimè possidentem confisus opinione tenuis, aut minoris probabilitatis, qua credit rem esse suam. Vel qui in eadem dubitatione circa mortem sui consortis licitam coniugatis facultatem concedat convolandi ad alias nuptias. Similia exempla passim obvia sunt apud Auctores, atque ex eis constat, vniversalem doctrinam de vsu licito probabilium opinionum ex mente ipsorum non spectare ad merè speculativas, quæ à practicis, & obiecto differunt, & ex diversis principijs comprobantur, & propterea sæpe vsuvenit, vt sint practicè improbabiles, quæ probabiles sunt speculativè. Practica enim probabilitas, aut improbabilitas illarum non mensuratur ex intrinseca, & directa probabilitate, quam ex proprijs habent; sed per extrinsecam denominationem eis tribuitur ab alijs opinionibus practicis, quæ affirmant, vsum ipsarum esse, vel non esse licitum, inspectis omnibus circumstantijs occurrentibus, quas vera prudentia discutit.

11. Iam verò si practica probabilitas, seu, quod idem est, licitus vsus alicuius opinionis, non precipitanter, non temerè, non levi aliqua credulitate, affirmatur; sed gravibus fundamentis innititur, qualia in negotijs magni momenti pro loco, ac tempore solent postulari, idque totum morali quadam, ac civili certitudine post sufficientem diligentiam ab operante

rante agnoſcatur, vt paſſim evenit, tunc abſque vllo ſcrupulo affirmari poterit, ſecluſa exceptione quavis, eam eſſe regulam morum ſufficientem in hoc ſtatu ignorantiæ, atque caliginis ad evitandum peccatum per ſe, ac ratione ſui diſplicens Deo, & coram ipſo ad odium, & vindictã imputabile. Neque erit cenſura dignus, qui poſitivè affirmaverit: *Generatim, dum practica probabilitate, eaque certa, alicuius opinionis conſiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus:* nam practica probabilitas omnes circumſtantias inſpicit, & ſecum ipſa prudentiale iudicium importat, aut non erit certò talis. Vnde nulla prorſus exceptione eſt opus, ſive in Medicis, ſive in Iudicibus, ſive in Sacramentorum adminiſtris, ſive in Regibus bellum inferentibus, ſive in quibuſcumque alijs.

12. Et hæc eſt opinio, quam benignam vocant, ſuis proprijs notis deſcripta, & ex mente Auctorum, qui eam defendunt, legitimè explicata. Neque enim volunt, temerarias quaſque, aut leves affirmationes liciti ad non peccandum ſufficere; ſed ſolidas, ac bene examinatas. Porrò illi neque pauci ſunt, neque levioris armaturæ; ſed innumeri, ijdemque graviſſimi, tàm antiqui, quàm moderni poſt valde diligens, & accuratum examen. Pro antiquioribus pugnavit ſtrenuè Stephanus de Chams peculiari opuſculo, cuius eſt inſcriptio: *Quæſtio facti*; pro omnibus verò Alphonſus Antonius de Saraſa *p. 2. de arte ſemper gauden. ex recta conſcient. efformat. tr. 4. poſt num. 49.* vbi centum octoginta novem Auctorum profert catalogum: omnium diligentiſſimè Antonius Terillus *de conſ. probab. q. 22. per totam*: nec ſine fructu legetur Giballinus *tom. 1. de Scient. Canon. lib. 3. cap. 7. q. 4. à num. 17. pag. 317. & q. 5. corol. 15. à num. 5. pag. 354.*

13. Pro vſu nominum in fine obſervo, præter opiniones probabiles, quas merè ſpeculativas appello, quia nullatenus verſantur circa illa, quæ operanti licent, aut non licent, dari alias, quas nonnulli vocant abſolutè practicas, alij ſpeculativas; alij verò ſpeculativè, ſeu remotè practicas. Practicas quidem, quia circa licitum, aut illicitum eidem ipſi, qui illas habet, immediatè verſantur, & quid ſit ab eo fugiendum, vel agendum, dictant: quod ab intellectu ſpeculativo alienum eſſe, præmonebat Ariſtoteles *lib. 3. de Anima cap. 9.* ibi: *Intellectus ſpeculativus nihil eorum, quæ ſub actionem cadunt, contemplatur; nec omnino ſi aliquid ſit perſequẽdum, aut fugiendum.* Speculativas verò, quia rem abſtractè conſiderant, præſcindendo à circumſtantijs hîc, & nunc intercurrentibus, & proinde à praxi maximè elongantur, & minùs ipſi deſerviunt: ad modum, quo *Medicina, quæ tota ſub practica continetur, dividitur in theoricam, & practicam, ſecundum quod ea, quæ in Medicina tractantur, ſunt propinqua, vel remota ab operatione*, vt ex Avicenna habetur apud S. Thomam *opuſc. 70. q. 5. art. 1. ad 4.* Remotè denique, ſeu ſpeculativè practicas, quia ex vtroque extremo nonnihil participant, etſi ad practicas propinquiùs accedant.

14. Iam verò quia ſæpius contingit, vt actiones, quas probabilis opinio affirmat licitas eſſe, aut illicitas, præſcindendo à circumſtantijs, de licitis in illicitas tranſeant, aut è contra, vi alicuius ſpecialis circumſtantiæ occurrentis de præſenti, & quoad hoc eadem eſt ratio de merè ſpeculativis, quæ de ſpeculativè, ſeu remotè practicis, omnes promiſcuè inter ſpeculativas recenſebo, & eas tantùm *practicè probabiles* appellabo, ſequutus communem ſenſum, quæ

probabiliter dictant operanti, actionem aliquam hîc,& nunc sibi licere. Nec quidquam refert, sive vniversales sint, sive particulares sub eis directè contentæ,aut subalternæ,vt Dialectici loquuntur, quia *ad scientiam practicam pertinet vniversale iudicium de agendis*,ex Angelico Doctore *q. vnic. de virtut. art.* 6. *ad* 1. & vtraque movet ad opus,vt cum Aristotele affirmat *q.*17.*de verit. art.* 2. *ad* 7. Quocirca si non obiecto, vel terminis, sed sola vniversalitate, & particularitate inter se differant, vel vtraque, vel nulla erit practicè probabilis,vt Ioannes Sanchez, Giballinus,& alij permulti observant,à quibus, re intellecta, nemo diffidere valet,nec diffidet in hoc sensu.

CAPVT II.

An quisquis tenui aliqua probabilitate,sive extrinseca, sive intrinseca,confisus aliquid agit, semper prudenter agat?

15. HOc etiam damnata opinio generatim asserebat, & ne vmbrã quidem probabilitatis haber (vt ex anteà dictis constat) quatenus indistinctè comprehendit etiam tenuem probabilitatem earum opinionum, quas appellant, aut merè speculativas, aut speculativè practicas. Quocirca Auctores communiter quaidam opiniones agnoscunt adeò tenuis probabilitatis, vt eis semper, & vbique vti non liceat; sed solùm in casu vrgentis necessitatis. Ita post Petrum de Soto, atque Navarrum, Lessius *lib.* 2. *de iust & iur. cap.* 17. *num.* 77. his præter cœtera: *Nunquam tamen hac sententia vtendum extra casum gravissimæ necessitatis ob tenuem illius probabilitatem.* Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.*36.*num.*8.& *lib.* 1.*in Decalog cap.* 9. *num.* 25. Reginaldus *in praxi lib.* 13 *num.*89. Baldellus *tom.* 1.*Theolog. moral. disp.* 15. *num.* 15. & *disp.* 12. *num.*3.*&* 4 *&num.*8. vbi idipsum ad opiniones, quas appellant parum tutas, parumve securas, accommodat. Et, qui sub expresso nomine tenuis probabilitatis peculiarem quæstionem ex professo instituerat, antequàm decretum Pontificium ederetur, P. Franciscus Bardi *disp.* 4. *de consc.cap.*13 *per totum.*

16. Quòd si sermo restringatur ad practicas opiniones, aut, si ita loqui vis,practicè practicas,quæ,inspectis omnibus occurrentibus, aliquid licere affirmant, sed sola tenui probabilitate,adhuc sub his terminis puto iustissimè potuisse condemnari. Quippe tenuis probabilitas ex ipsa vocis notione non est probabilitas certa gravi omnino fundamento innitens,sed debilis,infirma, & incerta, & hos vt minimùm defectus involvit additamentum illud tenuitatis. Nam cùm opinionum probabilitas minor, aut maior ex viribus illarum æstimari debeat,quæ fortes sunt viribus ad persuadendum licitum esse, quod dictant, & ad resistendum contrarijs, meritò reputantur apud omnes verè, propriéque probabiles: & hæ sunt,quibus benigna opinio conscientiæ securitatem attribuit, dum in tali statu perseverant. Quæ verò tenues sunt robore ex suis proprijs fundamentis, leves, ac debiles viribus, tametsi nonnullas habeant, tanquam ruinoso fundamento innixæ, & vehementer de improbabilitate suspectæ prudentem securitatem per se loquendo non conferunt; sed temeratiam quamdam confidentiam afferunt.

17. Et sanè contraria opinio iure opti-

optimo potuit ſcandaloſa, ac perniciosa cenſeri, vel ex eo ſolum, quia, vt licet, magnam occaſionem exhibet errandi in via recta morum, & declinandi ad viam latam. Laxat enim vltra modum terminos ſolidæ, ac veræ probabilitatis Theologicæ, dum quamcumque tenuem probabilitatem comprehendit intra fines probabilitatis, cui ſemper fidere ſecurè valeamus. Nam vox illa *tenuis probabilitas* obſcura eſt, & parum vſitata apud originales Doctores, & dum traditur abſque vlla certa explicatione, ſeu definitione ſui ſignificatus, magnam occaſionem tribuit credendi, ſemper licitè applicari ad praxim, non ſolùm opiniones certò, ſeu verè probabiles; ſed etiam ſemiprobabiles, vel proximè ad probabilitatem accedentes, quamvis re vera conſiſtant extra terminos certæ, aut veræ probabilitatis. Nam vox illa inexplicata omnes inter ſe confundit. Neque fines tenuis probabilitatis tranſgredi videtur, qui in operando ſectatur probabilitatem adeò exiguam, vt communitèr credatur, non eſſe parvam; ſed nullam propriè, & in rigore talem. Et qui levi, aut tenui fundamento innixus rationis, vel auctoritatis ſuadentis aliquid hîc, & nunc ſibi licere, idipſum agit de facto, tenui vtique probabilitati ſe cõfidere meritò dicere poterit; ſed nullatenus perveniet ad veram ſecuritatem.

18. Ne tamen hæreamus vocibus, diligentiùs examinare iuvabit, quæ ſit tenuis probabilitas; & quo ſenſu accipiatur. Videtur enim tenuis probabilitas nunquam eſſe probabilitas verè, & in rigore talis; ſed imago, & apparentia illius, cùm re vera ſit minima, aut parva improbabilitas colore aliquo veræ probabilitatis larvata. Nam probabilitas illa Theologica, cui ſecurè confidere valemus, & operationes noſtras regulare, niti debet auctoritati, vel rationi gravi, qualis in negotijs magni momenti poſtulari ſolet: &, ſi hæc deſint, eo ipſo decrit probabilitas, tàm certò, quàm propriè talis. E contra verò tenuis probabilitas ea eſt, quæ nequaquam nititur auctoritate, vel ratione gravi; ſed potiùs levi, & exili: ad modum, quo tenuis diligentia inveſtigandi, vtrum aliquid nobis liceat, aut non liceat, vbi alia maior adhiberi poteſt, negligentia potiùs eſt, quàm diligentia, cui prudenter confidere valeamus.

19. Vnde, ſiquis rectè advertat, tenuis probabilitas, ſicut & tenuis ſecuritas, aut tenuis fortitudo, implicationem quãdam involvere videtur, niſi termini ampliùs explicentur, & alter ex ipſis à ſua propria ſignificatione diſtrahatur. Nam tenuis probabilitas tenuem quoque ſecuritatem importat, tenues vires, leve pondus, & adeò exiguæ efficaciæ, vt prudentem ſpem gignere nequeat ſe ſe defendendi, aut inſinuandi ſapientibus abſque ſtudio, & odio iudicantibus. Ex adverſo autem probabilitas propriè, & in rigore talis graves, forteſque vires importat ex ſuis motivis acceptas, tantæque efficaciæ, vt apud eoſdem ſapientes ſe poſſint cum ſatisfactione defendere, & perſuadere eiſdem, quod ſuadent: ita ſcilicet, vt, quamvis non convincant, incerta victoria maneat, & lis adhuc ſub iudice, quin certò conſtet in ipſo diſputationis offenſivæ, aut defenſivæ cõflictu, vtrum vincant, an vincantur? Explicatur. Quia vnum, idemque motivum abſolutè, & in ſe conſideratum nequit eſſe leve, ac grave: tenue, ac forte: imbecille, atque robuſtum: parvi ponderis, ac magni. At motivis veræ probabilitatis gravitas, & alia affinia neceſſariò convenire debent; motivis verò tenuis probabilitatis

litatis levitas, tenuitas, & alia id genus. Ergo mutuam repugnantiam habent.

20. Propterea Caramuel *dicta q. 2. in marg. litt. A. & in fine* existimat, omnes opiniones tenuis probabilitatis esse re vera improbabiles, & ideò nulli prudenti ad regimen conscientiæ sufficere, esto earum improbabilitas non sit magna, sed parva, vel minima, quatenus proximè ad probabilitatem accedunt, vel ab ea non multum elongantur. Nec dubiũ, quin, sumpta in hoc sensu tenui probabilitate practicè practica, evidentissimum fiat, eos, qui ipsi confidunt, &, præcognita eius tenuitate, eidem in praxi se accommodant, imprudentissimè agere, & nedum *semper*, sed *nunquam* posse licitè secũdum illam operari. Sensus etiam ipse satis genuinus videtur, & accommodatus conceptibus, quos, auditis illis vocibus, communiter efformamus. Sed necessarius non est ad defendendum, eos, qui tenui probabilitati cognitæ vt tenui in operando se accommodant, nec semper agere licitè, nec semper prudenter agere. Satis namque est ad eum effectum, si tenuis probabilitas in sua tota latitudine accepta opinionibus re vera improbabilibus interdum cõveniat, quamvis interdum probabilibus etiam applicari valeat. Nam quæ tanta est, vt practicam improbabilitatem non excludat, sed cum ea simul in eodem assensu existat, nunquam licitè, aut prudenter ad praxim reducitur, quidquid sit de alia minore, quæ certæ, aut veræ probabilitati non repugnet, sed cum illa in eodemmet subiecto componatur.

21. Iam verò quòd probabilitas adeò decrescere possit ob adiunctam tenuitatem, vt in improbabilitatem degeneret, exuatque sui conceptus veritatem, inde perspicuum est. Quia probabilitas tenuis non est probabilitas, nisi cum addito diminuente vires eius, pondusque rationum, quibus comprobatur. Atqui diminutio ista semper maior, ac maior esse potest, quousque deveniatur ad maximam tenuitatem, infra quam nulla alia detur verisimilitudo etiam minima. Ergo tunc non erit vera probabilitas simpliciter, & absolutè; sed solùm secundum quid, & cum addito alienante ipsam. Vera quippe probabilitas certum gradum verisimilitudinis, securitatis, ac virium sibi deposcit, infra quem decrescere non valet, aut conservare suos limites. Igitur si adeò extenuetur, vt ab eo gradu dejciatur, vera iam esse nequibit. Quid enim, si vllæ vix vires, aut vllũ vix pondus præ nimia sua levitate, aut imbecillitate superfit? An illa erit probabilitas? An sine scandalo affirmari potest, eum semper prudenter agere, qui non iam vtcumque tenui fidit probabilitati; sed tenuiori, aut tenuissimæ?

22. Objeies cum Pasqualigo *decis. 20.* Tenuis calor verissimè calor est: tenuis gratia habitualis, vera sanctitas: atque, vt aptiora alia exempla adijciam, tenuis remorsus conscientiæ, verus remorsus: tenuis imprudentia, vera imprudentia: tenuis improbabilitas, vera improbabilitas: tenue beneficium, verum beneficium. Igitur & probabilitas tenuis erit etiã vera probabilitas. Confirmatur 1. Nam minima probabilitas necessariò tenuis est; imò tenuissima, sicuti minimus calor, minima sanctitas, & minima improbabilitas. At minima probabilitas non ideò definit esse verè, & in rigore probabilitas, vt eisdem exemplis patet. Ergo neque probabilitas tenuis ideò definit esse vera probabilitas. Confirmatur 2. Quia probabilitas tenuis, & mediocris solùm differunt secundum magis, & minus

intra

intra eamdem ſpeciem, ſicut mediocris à magna, & maior à minore. Sed quæ non differunt ſpecie, ſed duntaxat ſecundum magis, & minus, eiuſdem ſpecifici conceptus veritatem retinent. Omnes igitur tàm verè, quàm propriè probabilitates erunt, ſive tenuis, ſeu mediocris, ſive magna, ſive minima.

23. Apparens certè argumentum; ſed omnino tenue, niſi vocibus ludere velimus. Tum ad hominem. Quia ipſe Paſqualigus *tom.* 1. *de Sacrific. Miſſæ. tr.* 1. *q.* 318. *num.* 3. expreſſè affirmat, probabilitatem levem, & non bene fundatam nullatenus eſſe curandam, vtpote impotentem vincere præſumptionem in contrarium. Tum abſolutè. Quia non tantùm de tenui, ſed de tenuiſſima, & leviſſima probabilitate abſurdè commonſtrat ſufficere in omni eventu ad prudenter operandum, atque adeò ſine peccato formaliter imputabili coram Deo ad odium, & vindictam. Tum prætereà, quia præmiſſa inductio ſæpe fallit, ac præcipuè in illis, quæ ex conceptu ſuo certum gradum magnitudinis ſibi determinant, infra quem nequeunt imminui. Sic tenuis ſecuritas vera ſecuritas, aut ſecuritas ſimpliciter, & abſolutè talis eſſe, aut dici haudquaquam poteſt, quandoquidem ideò tenuis eſt, quia plus longè habet periculi. Sic tenuis diligentia, ac minor debita, negligentia potiùs eſt, quàm diligentia, & qui eam adhibet, non diligens, ſed negligens dicitur. Sic tenuis craſſities vera craſſities non eſt, neque tenuis fortitudo abſolutè, ac ſemper fortitudo, neque tenuis opulentia verè, & abſolutè opulentia, eademque ratio eſt de probabilitate, ac ſimilibus, quæ circa confinia verſantur, nam ob nimiam tenuitatem à ſuis terminis facilè extrahuntur.

24. Certè tenuis probabilitas non eſt probabilitas fortis, neque levis gravis, & hoc ex terminis ipſis per ſe notum apparet. Atqui probabilitas, quæ non eſt fortis viribus ad perſuadendum, & defendendum quod aſſerit, non eſt vera probabilitas, ſicut neque eſt ſimpliciter, & abſolutè talis, quæ levis ponderis eſt, & non gravis pondere rationum, aut auctoritatum, quibus ſe tuetur. Ergo tenuis probabilitas, aut nunquam vera probabilitas eſt, ſecura ſcilicet, gravis, ac fortis, vt argumentabar ſuprà; aut, ſi obſtinatè contendas etiam veras probabilitates abſque alio addito tenues appellari poſſe ex eo præciſè, quòd minores ſunt, vel remiſſæ intra ſuum ordinem, id vtique explicari debet, ac determinari modus tenuitatis, ne conſcientiæ illaqueentur, & operaturi decipiantur putantes quamcumque tenuem probabilitatem ſufficere ad prudenter operandum. Nam quòd tenuis probabilitas accepta in ſua tota latitudine ampliùs extendatur, & etiam opinionibus improbabilibus competere poſſit, ſi aliqualem veri ſpeciem habeant, ex dictis perſpicuè habetur. Et nemo inficiari valet, tenuitatem eo eſſe veriorem, magiſque conſpicuam, quo plus creſcit, & creſcendo imminuit veriſimilitudinem, cui ſuperadditur; imminuta autem veriſimilitudine eouſque, vt ei prudenter aſſentiri non poſſimus, impoſſibile eſt, vt ipſi tanquam regulæ prudenter confidamus.

25. Vnde iam patet, quàm imbelle ſit argumentum Paſqualigi, quod *num.* 22. proponebatur. Quia eſto calor, & ſimiles qualitates, quæ à parvo, magno, levi, ac gravi, imbelli, ac forti in ſuo conceptu formali præſcinduut, in quovis minimo, ac remiſſiſſimo gradu, ſi ille exiſtat, retinere poſſint quidditatis ſuæ veritatem; oppoſitum tamen evenit illis, quæ in conceptu ſuo eſſentiali certum

tum gradum magnitudinis sibi determinant, infra quem decrescere nō valent, vt de securitate, fortitudine, diligentia, alijsque id genus paulò anteà constabat. Iam verò quòd probabilitas practica, ea scilicet, cui prudenter assentimur, & securè confidimus, huius indolis sit, anteà est ostensum, atque ideò mirum non est, si decrescendo vsque ad non gradum sibi essentialem perveniat, & à terminis intrinsecis suæ propriæ magnitudinis, ac conceptus, extrahatur, nec iam differat secundum magis, & minus intra suam speciem; sed sicut non probabilitas, à vera, & rigorosa probabilitate.

26. Quòd si obijcias, omnem tenuē improbabilitatem veram improbabilitatem censeri, facilè potest occurri. Quia, vt omittam, illos terminos esse omnino inusitatos, & proinde valde speciali explicatione indigere, ne pro arbitrio vniuscuiusque amplientur, aut contrahantur; vnum tamen certò constat, improbabilitatem negativè acceptam, nec susci pere magis, nec minus, nec esse tenuem, nec fortem, neque item levem, aut gravem. Vt sic enim in conceptu suo importat carentiam omnis veræ probabilitatis, nec potest augeri, vt plures excludat, quàm omnes, aut attenuari, vt vel vnica superstit, quæ vi ipsius non excludatur. In indivisibili igitur necessariò consistit, vt de reliquis carentijs affirmatur: neque enim vna cœcitas est maior, quàm alia, nec minor negatio visus in lapide, quàm in talpa. Si verò non in se consideretur, sed in suo positivo fundamento, à quo inducitur, tunc maior, aut minor ratione illius dici poterit; vel quia pluribus titulis alicui opinioni competit, & alij pauciotibus; vel quia plus, aut minus inverisimilitudinis habet.

27. Iam verò si tenuis diceretur, retenta vtriusque vocis proprietate, implicatio esset in terminis; ampliatis autem vocibus, & re intellecta, ac legitimè explicata, haud absurdè loqueretur, qui diceret, opiniones verissimè probabiles, aut etiam probabiliores tenuem aliquam inverisimilitudinem interdum admittere, scilicet merè apparentem, levem, ac malè fundatam.

CAPVT III.

Quando, & quomodo inter tenues numerari debeant probabilitas minima, dubia, aut opinabilis?

28. INcipio ab ea opinione, quæ habet minimum probabilitatis gradū, de qua Pasqualigus asserit *dicta decis.* 20. tuta conscientia practicari posse, etsi concurrat cum opposita probabilissima, *quia*, inquit, *adhuc in comparatione illius retinet suam tenuem probabilitatem, ratione cuius est secundum rectam rationem, atque adeò etiam operatio per ipsam mensurata.* Incauta sanè assertio, ac peior ratio. Assertio quidem, quia restringi debuit ad opiniones practicè practicas: nam, si de speculativis sermo sit, ex dictis planè constat, sæpe aliunde incumbere certam obligationem agendi secundum probabiliores, vt in iudice; vel secundum tutiores, vt in Medico, atque adeò probabilitatem minimam nihil eis prodesse ad praxim. Ratio verò, quia esto demus, sermonem esse huic Auctori de opinionibus practicè probabilibus permissivis alicuius operis, idque ex alijs eius locis suppleamus, parum refert ad securitatem conscientiæ, quòd minimæ in eo genere adhuc *tenuem* probabilitatem retineant, facta comparatione cum ma-

maximis. Nam tenuitas probabilitatis, præsertim in eo conflictu, tanta esse potest, vt in improbabilitatem degeneret, & non nisi valde debiles, parvique momenti vires servet oppugnandi, aut resistendi validissimo contrario. Quòd si tanta sit, certum apparet, imprudentem esse eius assensum, imprudentem illius praxim: atque ea propter Tamburinus, & alij, de quibus infrà, sapienter exegerunt, ne vi tenuitatis opinio à sua vera probabilitate dejciatur.

29. Allegat vtique pro se Pasqualigus Bresserum *lib.* 3. *de consc. num.* 77. cui alij adiungunt Amicum *tom.* 3 *disp.* 15. *num.* 48. *&* 49. necnon Tamburinum *lib.* 1. *in Decalog. cap* 3. §. 3. *num.* 3. Sed valde immeritò. Quia Amicus non exprimit tenuem probabilitatem, aut minimam; sed solum *tenuem assensum*, de eoque docet, neque semper, neque vt plurimum servire posse ad praxim licitè agendi; imò nunquam deservire, nisi operans *certò iudicet, licitum sibi esse cum tali assensu operari.* Bresserus præterea neque comparationem instituit inter probabilitatem minimam, & maximam sibi adversam, neque tenuem probabilitatem nominat; sed solùm minimam, addita bis ea cautione: *modò sit verè probabilis*: qua tenuitatem restringit, & eius modum determinat, excludendo nominatim opiniones tàm semiprobabiles, quàm proximè accedentes ad probabilitatem.

30. Maius negotium Tamburinus facessit: nam ex illo profecisse videtur, qui damnatam propositionem concinnavit. Sed nimis insulsè, quia doctrinæ ipsius quædam addidit, & alia subtraxit, atque ita novam aliam assertionem cudit inauditam, & meritò expungẽdam. Verba Tamburini hæc sunt: *Dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non excatur, vt explicabitur mox num.* 11 *fin. consisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Vbi, vt legis, planè deest vocula illa *generatim*, quæ neque in Pasqualigo, Bresslero, aut Amico reperitur, quos Tamburinus appellat, non tàm à se recognitos, quàm apud Bardi adinventos. Quanti autem fuerit incommodi adiectio ista, & quàm contraria menti huius Auctoris, iam suprà *cap.* 1. manifestè fuit ostensum. Detracta præterea sunt verba illa interposita: *Vt explicabitur mox num.* 11. *fin.* vt reliqua confusionem parerent, & quinam essent veri, ac proprij limites probabilitatis requisitæ ad prudenter operandum, penitus occultaretur. Illos autem, quavis prorsus improbabilitate secluſa, & sola vera probabilitate retenta, designavit Tamburinus eo in loco, ad quem se remittit, vbi leguntur hæc verba: *Atque hæc ratio allatam doctrinam probat, etiam si altera pars sit probabilior; modò maior probabilitas non sit tanta, vt dejciat à probabilitate illam oppositam: quia tunc, expulsa iam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat prudenter intellectus.* Videndus præsertim *lib.* 10 *de censur. tr.* 4 *cap.* 5. *in fin.* vbi & ad hunc locum se remittit, & tenuem probabilitatẽ plenius explicat, & tradit, illam in improbabilitatem pluries declinare, & à finibus veræ, ac solidæ probabilitatis exire, neque semper prudenter operari, qui eius tenuitati confidunt.

31. Quocirca si ab his Auctoribus sciscitèris: vtrùm generatim practicare liceat semper, atque in omni eventu opiniones tenuis probabilitatis? incunctanter negativè respondebunt, quia in speculativis saltem id non potest esse verum, vt ipsi sæpius affirmant, & etiam Pasqualigus de-

tendit, maximè *tom. 1. de Sacrif. Miss. q. 318. num 7.* Quòd si rursum instes, & interroges: an id liceat, quoties opiniones sunt practicè probabiles; sed sola tenui probabilitate, vel minima? adhuc dicent, minimè licere, si tenuitas in sua tota latitudine sumatur; sed tunc solùm, cùm opinio verè probabilis est, inspectis omnibus circumstantijs occurrentibus, fortis viribus, & cuiuscumque improbabilitatis expers. Iam verò si vlteriùs addas: an saltem sufficiat, quòd à probabilitatis finibus non exeatur? consequenter respondebunt adhuc nova explicatione opus esse, quam Tamburinus cum Bressero adiecit, & damnata propositio interpũxit. Opus, inquam, esse: nam alioqui magna æquivocatio inibi latitat, cuius prætextu pernicioſi errores possunt admisceri in designatione eorumdem finium.

32. Aliud namque est non exire à finibus tenuis probabilitatis; aliud verò non exire à finibus veræ probabilitatis omnem prorsus improbabilitatem verè talem excludentis. Quia termini tenuis probabilitatis latiùs patent, vt iam vidimus, neque extra illos sunt opiniones improbabiles, cùm aliqua argumenta pro se habent, vnde non longè à vera probabilitate recedunt. His autem neque prudenter assentiri possumus, neque prudenter confidere, neque prudenter acquiescere in praxi; sed ad summum tenuis prudentiæ esse potest eisdem assentiri, eisdem fidere, & in operando eisdem acquiescere: atque ea tanquam parva, & minima pro nulla æstimari debet, cùm opinio à probabilitate deijcitur ex contrarijs fundamentis. Oportet ergo, ne ratione tenuitatis exeatur à limitibus veræ probabilitatis, quia recedendo ab illis, pariter exitur à limitibus veræ prudentiæ, & in absolutam imprudentiam declinatur, retenta sola apparenti, ac separata à terminis intellectualis virtutis, vti evenit etiam, cùm exitur à limitibus probabilitatis certæ.

33. Sub istis limitationibus passim receptis, & à nemine, quem legerim, positivè exclusis, procedit benigna sententia defendens licitum vsum vniuscuiusque opinionis practicè probabilis, etsi minùs probabilis sit, ac minùs tuta: & sub eisdem absque novo incommodo potuit extendi ad illas, quæ intra idem probabilitatis genus minimum gradum participant. Nam sicut minimus mons, aut inter gigantes minimus satis est magnus in genere quantitatis, & valde altioris ordinis comparatione colliũ, aut hominum, qui giganteam staturam non participant: sic probabilitas, tametsi minima inter illas, quæ verè, & in rigore probabilitates sunt, satis magna est quoad quãtitatem virium, & nobilioris ordinis, si comparetur cum alijs, quæ, inspectis omnibus, tenues sunt viribus suasivis, ac defensivis, quales sunt, quæ subnituntur ratione non magni, sed alicuius momenti, aut auctoritate non gravioris ponderis, ex. g. viri mediocriter docti, aut in moralibus minùs versati.

34. Neque in hoc puncto vlla apparet specialis difficultas, quæ ab Auctoribus sententiæ rigidioris solvi non debeat, servata proportione, in suis principijs. Pone enim, probabiliores opiniones necessariò esse sectandas, & tunc minima probabilioritas ad eum effectum sufficiet: nec poterit assignari ratio, cur infima, & vltima excludatur, non verò penultima illi proxima, aut quare, hac etiã exclusa, idem argumentum circa antepenultimam non redeat, & sic gradatim ascendendo vsque ad maximam probabilioritatem, quasi in praxi nullam aliam sequi liceat. Idem in-

inconveniens ſequitur, ſi dicas, ad prudenter operandum tutiores opiniones ſeligendas eſſe: nam incipiendo ab infima ex tutioribus, ſi ea non ſufficit, nunquam ſiſtetur, donec, reiectis omnibus tutioribus, tutiſſimæ ſolùm vſui relinquantur. Atque in iſtis etiam inquiretur, vtrùm infima ex tutioribus, aut minima ex probabilioribus dici proinde debeat tenuis, aut tenuiſſima, vt ex eo capite eam ſequi non liceat: nam hîc etiam eædem prorſus explicationes, ac cautiones adhibendæ erunt, quas Tamburinus, & Breſſerus nuper adhibebant, ne laborando in æquivoco regulæ ſpectantes ad conſcientiæ directionem periculoſæ reddantur.

35. In vtraque etiam ſententia pariformiter negari, vel admitti debent termini intrinſeci magnitudinis, & parvitatis: vnde, ſi fortè inficieris probabilioritatem minimam intra ſuum ordinem, etiam probabilitas minima pari iure negabitur. Et quidem vtrobique dari minimam, ſatis rationabile videtur: quia id paſſim contingit in ijs, quæ ſuſcipiunt magis, & minus, & à gravi ad leve, ſeu à magno ad parvum, à forti ad tenue gradatim deſcendunt, vel aſcendunt via contraria, vt cerni poteſt in furto, diligentia, metu, & multis alijs. Vel, quidquid de hoc ſit, ad rem præſentem ſine fructu detrectabitur, ſeu maximum quod ſic, ſive minimum.

36. Finge enim, nullam dari probabilioritatem minimam, & ſtatim evidentiſſimum fiet, eam poſſe, ac debere in infinitum decreſcere, quin vlla, quantumvis tenuis, aſſignari poſſit, infra quam aliæ infinitæ ſine termino minores, ac minores de facto non reperiantur. Si ergo totum iſtud decrementum veræ probabilioritati non obſtat, quominùs ei confidere poſſimus, vt, relicta via tutiore, ſecundum illam agamus: cur, rogo, veræ probabilitati obſtare poterit? Aut cur imprudentiæ erit, eam ſequi, probabiliore relicta, ſi imprudentiæ non eſt, tutiore derelicta, exiguiſſimã in infinitum probabilioritatem conſectari? Vtique in genere operationis prudentis omnes iſtæ ſecundum magis, & minus adinvicem comparantur. Nemo autem tenetur ſemper agere prudentiſſimè, aut prudentius; ſed ſufficit, ſi prudenter agat: ad modum, quo per ſe loquendo nemo debet ſub peccato eligere honeſtiora, aut honeſtiſſima; ſed ſatis eſt, ſi honeſta complectatur.

37. Quod verò nonnulli obijciunt, probabilem opinionem in concurſu oppoſitæ probabilioris deſinere eſſe practicè probabilem, pari iure dici poſſet etiam de probabiliſſima concurrente cum tutiore, ſeu, quod idem in præſenti eſt, omnino libera à periculo tranſgrediendi materialiter legem Dei re ipſa exiſtentem. Atque id quidem ſemper, aut fere ſemper eveniet, ſi minima probabilitas concurrat cum maxima è regione ſibi oppoſita: offuſcatur enim lux veritatis, quæ ei inerat, ſicut lux candelæ à luce Solis. Et propterea mihi valde Paſqualigus diſplicebat, qui oppoſitum affirmavit, ſicut & Tamburino, atque Breſſero, qui ſemper exegerunt, ne opinio propter fundamenta alterius à ſua vera probabilitate deijciatur, cuius complementum erat defectus tanti contrarij noviter forſan inventi, aut ignorati anteà invincibiliter. Velle tamen ex adverſo, quòd ſemper, & vbique minor probabilitas, ſive ſpeculativa, ſeu practica, extra numerum veræ probabilitatis conſiſtat, eo quòd minor ſit, & alia maior ipſi contradicat, neque conſonum rationi apparet, nec communi hominum ſenſui. Nam ſicut ex contradictorijs opinionibus poſſunt eſſe ambæ communes, & vna com-

munior altera, quin ista desinat esse communis, ita pariter verè probabilibus contingere potest consistendo intra suos fines.

38. Quinimò, si quis rectè advertat, quotiescumque sequens vnam opinionem habet prudentem formidinem partis oppositæ, iudicat & hanc esse probabilem: nam, si improbabilis esset, formido non foret prudens, nec probabilis, aut bene fundata; sed scrupulus, aut indiscreta quædam trepidatio. Nec apparet, quo pacto intellectus rationabiliter timere possit, ne in suo iudicio forsan decipiatur, nisi quia videt suum motivum, quamvis grave, non esse convincens; sed solubile, atque forsan superabile ab oppositis motivis. Vnde sæpius ille ipse, qui vni parti vt probabiliori adhæret, optimè novit, eam pati haud leves difficultates, quibus non clarè satisfacit, scitque ex adverso suis rationibus sufficienter satisfieri, quamvis non adeò expeditè, sicut alijs. Et, cùm istud sæpius accidat in quæstionibus speculativis Theologiæ, aut alterius scientiæ, adeò vt vtraque pars à ratione problematicè defendi soleat, non est, cur contingat aliter in quæstionibus liciti, aut illiciti; sed quævis pars ab eodem intellectu simul poterit censeri probabilis à principijs intrinsecis, qualia sunt, quæ ratio suggerit, aut ab extrinsecis ex aliena auctoritate acceptis, vel (quod proculdubio est facilius) ab his vna, & alia ab alijs.



CAPVT IV.

Continuatio, vbi de tenui assensu.

39. QVæ cùm ita sint, non ideò censeo, opiniones quasque practicè probabiles probabilitate minima, quamvis verè tales sint, etiam relativè ad suum contrarium, eo ipso sufficere ad prudenter operandum: & quoad hoc, nisi melius explicetur, accedere non possum ad Bressserum, & alios, qui ipsum sequuntur. Sufficerent quidem, si essent verè tales in existimatione operantis, & certò cognosceretur, eas esse repositas in numero probabilium, & à semi, aut penè probabilibus segregatas: nam quòd re vera ad hanc classem pertineant, parum refert ad agendum licitè, nisi id constet operanti. At minimæ cùm sint, & propinquissimè accedant ad alias, quæ non sunt verè probabiles; sed duntaxat in confinio, difficillimum erit in facti contingentia illas secernere; sed plerumque confundentur, quin intellectus discernat, num opinio, de qua constat non habere probabilitatem, nisi minimam, sit intra, vel extra numerum veræ probabilitatis. Accidit enim istis, quod vicinis, qui de confinibus sæpe contendunt, cùm ea suis proprijs limitibus non sunt manifestè separata.

40. Porrò limites veræ probabilitatis manifesti non sunt, sed valde obscuri, & ideò frequentissimè vocatur in dubium, an aliqua opinio sit, necne vere probabilis, & tuta in ordine ad praxim? Si quando autem id debet contingere, tunc maximè, quoties opinio ad summum potest attingere gradum minimum probabilitatis: nam quòd eum re vera attingat,

vel

vel solùm vicina maneat, & pene ad ipsum accedat, difficillimè discerni potest in re, quæ non palmis, aut vlnis, sed iudicio prudentiali mensuratur. Idem minimæ probabilioritati continget, si cum sibi proxima probabilitate comparetur: idem furto minimo inter gravia: idem minimæ solicitudini, alijsque id genus, quorum fixi termini quoad nos dubij esse solent, etsi re vera illos habeant.

41. Vtrùm autem dubia probabilitas sufficienter deponatur tenui assensu erga vnam partem? quæstio est haud tenuis momenti, & valde vtilis ad praxim. Censeo in primis, strictum dubium circa probabilitatem, sive speculativam, seu practicam; imò circa quodvis aliud, quovis assensu vnius partis, etiam tenuissimo, sufficienter deponi quoad effectum tollendi statum dubij strictè talis. Ratio est evidens, quia in statu dubij intellectus in vtramvis partem nihil determinat; sed pendulus, ac suspensus manet nesciens, quo se vertat; sive id accidat ex defectu motivorum impellentium, vt cùm dubitat, num astra sint paria, aut imparia, seu potiùs ex conflictu rationum hinc inde pertrahentium, vt passim evenit his, qui deliberant de seligenda opinione, sive ad docendum, sive ad iudicandum. At verò ille, qui assentitur vni parti, & aliam reijcit, quovis modo id faciat, facto ipso priorem indifferentiam perdit, nec suspensus iam est; sed vni extremo affixus. Ergo quoad effectum excludendi ab intellectu statum dubij, quicumque, vel tenuissimus, assensus satis erit, sicuti ad negationem excludendam sat est quæcumque affirmatio.

42. Attamen, quia parum refert ad securitatem conscientiæ, quòd dubium de veritate, aut de probabilitate opinionis dictantis quidpiam licere, physicè, ac re ipsa deponatur, nisi id constet operanti, inde aliud dubium emergit valde affine illi, quod nuper circa minimam probabilitatem enodavi. Nam quoties dubium deponitur tenui assensu erga vnam partem, supereſſe solet valde magna, prudensque formido partis oppositæ eisdem motivis innixa, quibus dubium anteà nitebatur. Vnde evenit, vt hic status ab statu dubij sæpe discerni non possit; sed tanquam valde propinquus cum eo sæpe confundatur. Dubio namque stricto minime repugnat maior aliqua inclinatio in vnam partem per modum suspicionis, & cùm intellectus ad opposita inclinatum sese sentiat, hinc à tenui assensu, inde à formidine, in facti contingentia ægrè se extricare potest, aut dijudicare securè in quonam versetur statu.

43. Quippe minimus, aut tenuis assensus, sicut & tenuis remorsus, aut tenuis deliberatio valde tenuem, ac confusam speciem sui derelinquit, & nullibi frequentiùs nobis vel hærere, vel errare contingit, quàm circa interiores actus. Inde sæpe dubitamus, vtrùm depositio dubio, vel retento adhuc operati simus: inde, vtrùm deliberatio nostra fuerit plena, aut tantùm semiplena, & insufficiens ad peccatum grave? Atque in voluntatis actibus, cùm tenuis, & inconstans fuit noster consensus, passim ambigimus, vtrùm aliquando defuerit? sicut & cùm tepidè resistimus gravi tentationi, nescimus, an resistentia continuò perseveraverit? Neque ista solùm rudibus, aut scrupulosis contingunt, sed doctis etiam, ac pacatis, vt quisque apud se experietur, & apud alios persæpe, qui eorum confessiones audiunt.

44. Propter hanc incertitudinem, seu indiscernibilitatem communis sententia mihi vera fert, tenuem assen-

sum

sum permissivum alicuius operis, sed valde formidolosum, non excusare à peccato, nec sufficere ad conscientiam dubiam deponendam, prout oportet ad licitè operandum. Ita Corduba *lib. 3. de consc. q. 5.* P. Filliucius *tr. 21. cap. 4. num. 156.* P. Vasquez *1. 2. disp. 67. cap. 2. num. 7.* P. Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 10. num. 4.* P. Baldellus *tom. 1. lib. 4. disp. 10. num. 5.* P. Gibalinus *tom. 1. de scient. Canon. lib. 3. cap. 7. q. 6. num. 1. fol. 356.* P. Bresserus *lib. 4. de consc. num. 14.* etsi dicat, id esse per accidens. P. Amicus *tom. 3. disp. 15. num. 48. & 49.* Angelus Bossius *de consc. dubia. p. 2. tit. 1. §. 33. num. 1146.* Alexander Pesantius *1. 2. q. 19. art. 6. disp. 6. de consc. dubia.* Quòd si in istis circumstantijs regulariter discerni nequit, an adsit verus assensus erga partem minùs tutam, quomodo discerni poterit, num re ipsa detur assensus verè probabilis? Id autem prorsus necessarium est, vt iam expono, ad operandum prudenter, atque ad deponendum dubium modo sufficiente ad praxim: neque enim prudentis est assentiri, cùm nescit, num prudenter, vel potiùs imprudenter assentiatur: neque operatio prudens esse potest, cùm ex assensu imprudenti, vel prudentiæ omnino dubiæ derivatur.

45. Quocirca cum grano salis excipiendū est, quod tradit Vasquez, ac reliqui nuper citati, exceptis Filliucio, ac Corduba, nempe siquis bene perciperet tenuem assensum, quē habet, nil obstare in dicto eventu, quominùs cum illo licitè operari possit, quamvis partem minùs tutam amplectatur. Moveor. Quia is tenuis assensus, imprudens potest esse, ac improbabilis, & substantialiter debilis ad resistendum rationibus, quæ suo pondere intellectum priùs dubium reddebant, & nunc cogunt tenuiter assentiri, ac vehementer formidare. Perinde autem est in ordine ad effectum operandi imprudenter, ac illicitè, non deponere dubium, nisi improbabiliter, ac illud absolutè non deponere; sed in eo perseverare. Vnde vt prædictus assensus cognitus, ac bene perceptus ad licitè operandum deserviat, non debet esse adeò tenuis, nec adeò magna formido, vt à vera probabilitate ipsum dejiciat, neque puto aliud voluisse Vasquium, & assecias eius.

46. Fortè tamen aliquis contendit cum Arriaga *tom. 1. in 1. 2. disp. 27. à num. 7.* hoc dubium deponi non posse, nisi per assensum probabilem, atque adeò istam præcautionem superfluam esse. Sed, ni fallor, longè facilius percipitur, posse physicè intellectum in ijs circumstantijs elicere improbabilem aliquem assensum debilibus motivis innixum, & conceptum imprudenter, quàm cordatum, ac probabilem. Nam quòd imprudentem tunc, ac improbabilem habere possit, satis manifestè ostendunt, cùm iudicia temeraria contra proximum probatæ vitæ voluntariè concepta, tum etiam hæreses, quibus assensus præstatur contra evidentiam credibilitatis fidei, & obligationis eius. Quòd verò intellectus possit prudenter assentiri alicui obiecto, cùm fortiores rationes in cōtrarium vehementer ipsum propellunt, non adeò bene percipitur. Decrescit enim prudentia assentientis tanto magis, quāto magis tunc augentur rationes in oppositum trahentes, & cùm minima est, aut valde parva, à multis imprudentia censebitur, aut ab ea difficillimè discerni poterit. Sed de istis sic debet philosophari, sicut superiori capite de minori, aut etiam minima, vera tamen, honestate, & probabilitate disserimus.

CA-

CAPVT V.

De opinione probabiliter probabili.

47. GRavior difficultas eſt, & magis propria huius loci, cùm formido, aut dubium immediatè non verſatur circa veritatẽ opinionis minùs tutæ; ſed circa probabilitatem eius. Aliquando enim, iuxta dicta, tàm opinio affirmativa, quàm negativa obligationis eſt verè, ac propriè probabilis, & digna aſſenſu ſapientium, quamvis hinc inde adſint rationes dubitandi, aut formidãdi de veritate vniuſcuiuſque: atque id certò poteſt affirmari conſiderando reflexè vires perſuadendi, ac reſiſtendi, quibus pollet vnaquævis, & ita evenit, dum controvertitur, vel quiſque apud ſe recogitat, vtra ex eis ſit probabilior: nam de exceſſu non poſſet diſputari, niſi vtraque probabilis crederetur. Aliquãdo verò circa idipſum dubitare, aut formidare cõtingit: neque enim ſemper eſt certum, aut cognitum per media infallibilia; ſed ſæpe in opinione verſatur, & acriter controvertitur, vtrùm aliqua doctrina ſit probabilis, vel potiùs improbabilis? Et ita contingebat nõ paucis opinionibus ex damnatis à Pontifice, antequàm proſcriberẽtur, & paſſim in libris haud temerè ſimiles quæſtiones agitantur. Quapropter nunquam ſatis admirari poſſum Celladeum *in append. q.* 4. quatenus ex profeſſo convellere tentat veritatem iſtam hucuſque indubitatam. Sed quàm irrito conatu, apertè deprehendet, qui legerit antagoniſtam eius Terillum *de reg. mor.* 1. *p. q.* 32. *per totam.*

48. Quæſtionis ergo ſit, vtrùm ad licitè agendum requiratur practica probabilitas certa, vel ſatis ſit probabilitas merè probabilis? Merè probabilem ſufficere non affirmant, niſi *pauculi, & valde pauculi*, vt Terillus obſervat *ſuprà q.* 20. *num.* 3. Ego tres tantùm invenio aſſertores exploratos, Paſqualigum *deciſ.* 18. Arriaga *ſuprà num.* 8. Tamburinum *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. *§.* 3. *num.* 9. ſed nullum, qui ex profeſſo rem diſcuſſerit, & eius difficultatem expenderit, ſicuti opus erat, vt auctoritate ſua certò probabilem redderent doctrinam iſtam, tot alijs ex adverſo reclamantibus. Contraria itaque ſententia valde communis eſt, & meritò attribuitur non ſolùm Comitolo, Philaleto, Araujo, Goneto, & alijs, qui ad prudenter operandum maiorem probabilitatem requirunt; ſed etiam omnibus alijs, qui abſolutè probabilitatem practicam in opinione depoſcunt. Quia probabilitas ſolùm probabilis non eſt ſimpliciter, & abſolutè probabilitas; ſed ſolùm ſecundum quid, & cum addito; ad modum, quo opinio probabiliter falſa non eſt abſolutè falſa, neque vera probabiliter eſt ſimpliciter, & abſolutè vera, aut certa probabiliter, certa abſolutè.

49. Tribui etiam debet innumeris, qui in vltimo iudicio conſciẽtiæ, quo actus humani immediatè regulantur, moralem certitudinem exigunt, vt actio, quam licere dictant, re vera licita evadat. Nam moralis certitudo de vſu licito opinionis probabiliter ſolùm probabilis nullo pacto haberi poteſt: neque vlla principia practica certa moraliter exhiberi valent, vnde talis concluſio deducatur. Illi etiam, qui probabilitatem dubiã partis minùs tutæ reijciunt, ſi attentè legantur, dubiam accipiunt pro incerta, & tàm ſtrictè, quàm opinativè dubiam reijcere intendunt. Vnde Salas ſtatim appellandus eamdẽ ipſam, quam excluſerat ſub nomine opinionis

nis probabiliter probabilis, sub nomine dubiæ postea reijcit: & P.Sanchez, qui *lib.*1. *in Decal. cap.*9. *num.* 18. *fine.* tradit, opiniones dubiæ probabilitatis tuta conscientia non posse reduci ad praxim,id solùm probat auctoritate P.Salas,& Medinæ acceptа ex ijs ipsis locis, vbi non de probabilitate strictè dubia, sed de probabilitet probabili expressim differebant.

50. Ab eadem assertione in proprijs terminis stat Medina 1. 2. *q.* 19. *art.*6.*conc.*1. P.Salas *tom.*1. *in* 1.2. *tr.* 8.*num.*41.*&* 44.quos sequitur P.Sanchez *eo num.*18. Baldellus *tom.*1.*lib.* 4.*disp.*10.*num.*4.vbi id *certum* vocat. P.Honoratus Fabri *in Apolog.dial.*1. *de opin. prob. fol.*12.*&* 13. P.Bresserus *lib.* 3. *de consc. num.* 64. P. Bardi *de consc.disp.*4.*cap.*10. Cyrillus Rubeus *de morientium eleemosyn. art.*1.§. 33. *num.*22. P.Terillus *de consc.disp.*21. vbi *num.*1.istis adiungit Lugum,Merulam, Lao, Mastrium,ac Spinulam, quos consulere non potui. Et hæc sententia, quam Angelico Doctori haud immeritò adscribunt Medina, Salas,& Sanchez, mihi verissima apparet,& prorsus necessaria ad evitandum innumeras laxitates, quæ prætextu contrariæ induci possent.

51. Atque in primis dum opinio negativa probabilitatis practicæ certò probabilis est; affirmativa autem incertò, nõ apparet,qua ratione huic prudenter assentiri, aut confidere possimus; cùm de hac ipsa prudentia prudenter formidemus,& adeò validis motivis credamus, imprudentiæ potiùs esse, quàm prudentiæ, certò prudentem opinionem relinquere,& eam præponere, de qua meritò affirmamus fortassis esse imprudentem. Propterea in hoc casu Merolla *tom.* 1.*disp.*3.*cap.*4.*dub.*1.*corol.*3. putat,necessariò requiri,vt opinio affirmativa probabilitatis sit etiam certò probabilis. Sed profectò in alijs omnibus ferè æqualis difficultas cernitur. Quid enim, si longè probabilius sit, affirmativam opinionem esse re verâ improbabilem, indignamque assensu sapientium? Poterit ne tunc voluntas nostra aut assensum eius prudenter imperare, aut intellectus iudicare prudenter, eam esse probabilem, tutamque in praxi? Nullatenus. Quia probabilior formido de illius improbabilitate destruit dictamen prudentiæ, nec potest certò constare, vsum opinionis minùs tutæ esse licitum, ac tutum à periculo agendi cõtra legem Dei imputabiliter,dum incertum est,vtrùm præsumptio de veritate eiusdem opinionis sit prudens, vel expers prudentiæ.

52. Atque id vniversim accidit, quoties formido imprudentiæ,atque improbabilitatis, quam contraria opinio ingenerat, non est scrupulosa, vel levis; sed gravis,ac bene fundata. Nam eiusmodi formido formidolosum etiam,ac incertum reddit dictamen de licito vsu; imò & de licito, ac prudenti assensu talis opinionis. Prudentia autem, cùm sit virtus intellectualis, & recta agibilium regula, de cuius essentia est certitudo, dictamina opinabilia, ac formidolosa non habet; sed moraliter secura, ac certa. Illa verò, quæ istum gradum non attingunt, veræ prudentiæ non sunt; sed similitudinariæ,& apparentis: siquidem vnum è maximis, ac præcipuis eius dictaminibus est, declinanda esse pericula irrationabiliter,aut temerè operandi in omnibus, sed potissimè in rebus magni momenti, qualis est à malo declinare,& non transgredi Divinam legem.

53. Nec video,quomodo dictamen opinabile,atque adeò formidolosum, ac fallibile, possit esse actus elicitus ab habitu virtutis prudentiæ; aut quomodo vi sua formaliter possit

ſit ſecurum reddere operantem de vſu ſuo prudenti, ac licito. Nam ſi fallibile eſt, eo ipſo contingere poterit, vt agens ſecundum ipſum fallatur, & exiſtimando ſe rectè, ac prudenter agere, non agat, niſi obliquè, & imprudenter; implicat autem, vt opus ſuæ rectæ, atque legitimæ menſuræ conforme, non ſit etiam legitimum, ac rectum. Vnde quamvis ſæpeſæpius inculpati errores iuris, & facti inveniantur in quocumque homine prudenti, illi neque per modum præmiſſæ prudentiam iuvare poſſunt ad ſuas concluſiones eliciendas, neque ſecundum ſe conſiderati ſunt actus prudentiæ, aut imprudentiæ; ſed meræ ſpeculationes nihil practicè dictantes de agendis.

54. V.g. cùm *Geneſ.* 29. putavit Iacob, ſibi non eſſe prohibitum lege temperantiæ, aut adulterij, accedere ad hanc mulierem, nempe ad Liam, quæ re vera non erat eius vxor, haudquaquam iudicabat per prudentiam, illam eſſe ſuam vxorem: nec eſſet actus prudentię, ſi concluderet, talem acceſſum hîc, & nunc ſibi eſſe licitũ ex eo, quòd liceat accedere vnicuique ad ſuam vxorem, & ea mulier ſua vxor eſſet. Redderet enim non cauſam pro cauſa, & planè deciperetur, putando ob illam rationem ſe de facto agere honeſtè. Quare & conſequens illatum, tametſi in ſe veriſſimum, ac infallibile, hoc ex ſuis præmiſſis non haberet; ſed aliunde: nam ex falſo ita poteſt ſequi falſum, ſicut verum. Syllogiſmus ergo practicus, ac prudentialis, vnde prorſus infallibilis reddebatur illa veritas, ex duabus evidentibus præmiſſis in hunc modum concludebat. *Servatis aliàs ſervandis circa matrimonij vſum, quilibet honeſtè accedit ad eam mulierem, quam inculpatè putat eſſe ſuam abſque vlla prorſus ratione dubitandi in contrarium. Sed ego hîc, & nunc ſic puto de hac muliere, quam præſentem habeo. Ergo, ſervatis aliàs obſervandis, honeſtè ad illam accedo.*

55. Agnoſco, prædicta eſſe non parum ſpinoſa propter multas reflexiones, ac probabilitatum probabilitates, quæ immiſcentur. Sed materia id ferè de ſe nimis abſtruſa. Nec ſpecialis difficultas eſt in opinione, quã benignam vocant. Nam & altera rigidior, quæ inter opiniones ſolam practicè probabiliorem putat in praxi ſequendam, eidem diſcrimini ſubſtat. Quippe in ipſa inquiri debet, & explanari, an ſit ſatis probabilioritas merè probabilis, vel ſufficiat ſola certa, & quem gradum, ac modum certitudinis habere debeat, vt periculum peccandi imputabiliter omnino declinetur. Quòd ſi probabilis ſufficit, adhuc perquirẽdum reſtat, vtrùm ſaltem requiratur, quòd probabilioritas ſit probabilior, vel ſufficiat æquè, minùſve probabilis, aut ea etiã opinio, de qua ambigitur, num probabile ſit, vel potiùs improbabile, eam eſſe probabiliorem? Et ita ſimiles prorſus in ea ſententia perplexitates recurrent, eo difficiliùs extricãdæ, & applicandæ ad praxim, quo difficilius eſt certò diſcernere inter opiniones, quæ ſit probabilior, & quãta veriſimilitudine credatur probabilioritas eius.

56. Neque ab his moleſtijs ſunt immunes, qui pronuntiant non iam probabilia, vel probabiliora, ſed tutiora eſſe amplectenda. Quia multoties duo præcepta incompatibilia menti occurrunt, & incertum eſt, quodnam ex ipſis præponderet in eiuſmodi occurrentia. Vnde quamvis generatim pronuntietur id, quod ſtrictiùs obligat, anteponendum eſſe, de hac ipſa ſtrictiori obligatione in particulari paſſim dubitare contingit: neque enim ſemper eſt certa, cùm etiam apud Auctores in contra-

rias opiniones divisos frequenter reperiatur controversa. Et tunc redibunt quæstiones, quibus isti Auctores alios aggravant, quasi ad se non pertinerent.

CAPVT VI.

Quali, & quanta certitudine opinionum probabilitas constare debeat, vt ei fidere possimus, & quomodo haberi valeat?

57. COnstat apud omnes, non requiri certitudinem physicam, aut metaphysicam; sed sufficere moralem. Sed quia huius varij sunt gradus, & aliqua, ex.g. ea, quam habemus de existentia Romæ ex historijs, tantam connexionem habet cum veritate sui obiecti, vt difficillimum sit, ac prorsus incredibile ei vnquam subesse falsum; alia verò non tantam, sed minorem, minùsque infallibilem, dicendum in præsenti est, summam illam minimè desiderari; sed aliam minùs exactam de probabilitate suæ opinionis sufficere ad prudenter operandum, & absque vllo prorsus periculo offendendi Deum, vel transgrediendi imputabiliter legem ipsius, aut agendi cum merito vituperij, ac pœnæ ratione illius actionis immediatè.

58. Ratio autem est, quia in plerisque alijs materijs, vbi moralis certitudo exigitur, minimè desideratur illa exactissima, quæ semper coniungitur cum veritate sui obiecti, aut quæ ex vi sui motiui conuincat speculativè intellectum, reddatque omnino securum de existentia illius; sed sufficit magna quædam probabilitas, quando hîc, & nunc nulla occurrit specialis ratio dubitandi in contrarium. Sic homo inter Catholicos natus moraliter certus est de suo Baptismo. Sic Sacerdos de sua ordinatione. Sic fideles de existentia Christi in hostia, quæ elevatur. Sic iudex de veritate delicti, quod duobus, aut tribus testibus omni exceptione maioribus legitimè comprobatur. Sic filij de parentum suorum veritate. Quia esto in his casibus interdum contingat deceptio, & media, quibus probantur, non sint adeò infallibilia, quin falsa interdum reddãtur; nihilominùs civili, & humano modo pro veris, certisque habentur, & talia esse præsumuntur, dum contrarium non probatur gravi aliqua, specialique ratione, quæ prudenter intellectum titubare faciat.

59. Vnde quoties illa deficit, neque homini licet repetere sub cõditione Baptismum, aut ordinationem suam, vt licet in casu dubij, ac probabilitatis; neque fidelibus negare adorationem etiam absolutam huic hostiæ, vel isti calici, qui vt consecratus proponitur, quamvis defectu intentionis, ordinationis, aut legitimæ materiæ nonnunquam accidat, vt non sit consecratus; neque iudicibus sententiam condemnatoriam omittere, licet frequenter contingat, quòd testes sint falsi; nec demum filijs obsequium detrectare parentibus, quamvis merè putativi esse soleant, & non veri, ac naturales.

60. Cui exemplo S. Augustinus argutissimè insistit *lib. de vtilit. creden. cap.* 12. expendens quot, quantisque fallentijs sit exposita credulitas illa, cui tanquam indubitatæ deferimus, vt ijs numero personis, ex quibus putamur geniti, filialia obsequia impendamus. *Non enim*, inquit, *ratione vllo pacto sciri potest; sed, interposita matris auctoritate, de patre creditur; de ipsa verò matre plerumque nec matri; sed obstetricibus, nutricibus, famulis.*

mulis. Nam cui furari filius poteſt, aliuſque ſupponi, nonne poteſt decepta decipere? Credimus tamen, & ſine vlla dubitatione credimus, quod ſcire non poſſe confitemur. Quis enim non videat pietatem, niſi ita ſit, ſanctiſsimũ generis humani vinculum, ſuperbiſsimo ſcelere violari? Nam quis vel inſanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes eſſe crediderit, etiam ſi non eſſent? Quis contrà non exterminandum iudicaverit, qui veros fortaſſe parentes minimè dilexerit, dum, ne falſos diligat, metuit?

61. Sicut ergo in his eventibus certum moraliter, indubitatumque habetur, quod probabilibus argumẽtis verum oſtenditur, quoties eius oppoſitum non eſt probabile; ſic pariter, cùm reflexè de ipſius probabilitatis morali certitudine quæritur in ordine ad licitè, vel illicitè operandum; illius opinionis probabilitas moraliter certa reputari debet, quæ probabilibus argumentis perſuadetur, cùm probabile non eſt, eam eſſe improbabilem. Cùm verò vtrimque de alicuius opinionis practica probabilitate meritò controvertitur, quibuſdam affirmantibus, illam eſſe practicè probabilem; alijs verò negantibus, ſeu aſſerentibus eſſe practicè improbabilem, eiuſmodi opinionis probabilitas certa moraliter reputari nequit, aut ſufficiens ad licitè operandum, vt toto capite præcedenti contendebam; ſed talis opinio inter periculoſas recenſenda erit, & expoſitas certo diſcrimini offendendi Deum & eliciendi actionem, quæ inexcuſabiliter operanti imputetur ad peccatum. Idque verum eſt, quamvis ſententia affirmans talem opinionem eſſe practice improbabilem, minùs probabilis ſit; contraria verò longè probabilior: quia ſola maior probabilitas ſtatum certitudinis conferre nequit, cùm probabilis, ac prudens formido ſuæ falſitatis illam comitatur: vnde neque ad occultam compenſationem poteſt ſufficere, neque ad reliquos effectus, vbi exigitur evidens, ac certa probatio.

62. Idipſum, ſervata proportione, de maiori probabilitate dici debet, ſi ad licitè operandum requiritur, vt opinio negativa legis certò probabilior appareat. Neque enim tunc poteſt ſufficere probabilioritas opinativè dubia, atque adeò incerta; neque opus eſt magna illa certitudine, quæ ex vi ſui proprij motivi oppoſitum reddat impoſſibile; ſed ſatis, ſuperque erit ſtatus ille medius, quẽ deſcripſimus, vbi probabilitas vni ex extremis deficit; alteri autem certò adeſt. Adeòque Auctores communiter, cùm de eo ſtatu ſermo incidit, certa moraliter putant iura, aut facta, quæ conſcientiæ agentis ita proponuntur, & exinde certam prorſus voti v. g. aut legis obligationem colligunt, ſi probabile ſit, illa exiſtere; carere autem exiſtentia, omni probabilitate deſtituatur. Quòd ſi vice verſa probabilitas faveat aſſenſui negativo voti, aut legis, & affirmativo illius nulla probabilitas adſit, ex eodem principio inferunt carentiam obligationis pro tunc eſſe omnino certam, & ita in pleriſque alijs.

63. Videndi inter alios ſunt neceſſariæ huius doctrinæ aſſertores explorati P. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de voto. cap. 5. num. 5.* ibi: *Illa probabilitas facit certitudinem moralem, quando non eſt alia ſimilis in contrarium: quia in rebus humanis non eſt maior certitudo exigenda, cùm vix aliquid per infallibilem evidentiam cognoſcamus.* Et ſtatim: *Si iudicium eſt re verâ probabile in favorem voti, illud ſufficit, vt votum integrè ſervandum ſit, etiam ſi ſit minimum, ſeu cum quacumque formidine; ſi iudicium*

in contrarium non est probabile. Id ipsum repetit, & applicat subditis existimantibus; rem sibi præceptam esse illicitam *tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. 4. cap. 15. num. 21.* & qui rem satis ex professo explicat, & varijs materijs accommodat, Verricelli *p. 1. tr. 2. q. 13.* Lessius *lib. 2. de iust. & iur. cap. 10. num. 39. & 40.* Reginaldus *in praxi lib. 18. num. 276.* Castro Palao *tom. 1. disp. 3. de consc. punct. 9. num. 2. circa fin.* Aversa *q. 10. de pœnit. sect. 3. vers. Deinde in statu dubij.* Gaspar Hurtado *disp. 10. de matrim. difficult. 9. num. 37.* Martinon *disp. 50. de pœnit. num. 93.* Tamburinus *lib. 10. de Sacram. tr. 1. cap. 3 § 3. num. 2. & lib. 1. in Decalog. cap. 3. § 7. verb. Ætas. num. 6.* Thomas Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 12. à num. 39.*

64. Eidemque principio insistunt alij permulti, quatenus affirmant, possessioni nullum prorsus competere privilegium contra opinionem probabilem, quando non est vlla probabilitas favens possessori; sed sola generalis formido, incertitudo, ac dubietas, quæ in tali opinione claudit. Ita P. Thomas Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10 num. 9.* Palao *vbi sup. punct. 2. num. 11.* Vasquez *tom. 2. in 1. 2. disp. 66. num. 42.* Lugo *tom. 1. de iust. & iur. disp. 17. sect. 4. in fin. & num. 88.* Oviedo *1. 2. tr. 4. contr. 4. punct. 2. num. 10.* Comitolus *lib. 2. resp. moral. q. 18. num. 2. & 6.* vbi ait, esse doctrinam *certam.* Fagundez *in 2. præcept. Decalog. lib. 2. cap. 10. num. 4.* Trullenc *lib. 7. de Sacram. cap. 11. dub. 7. num. 14.* Bossius *de consc. p. 1. num. 966.* Bonacina *disp. 2. de restit. in genere. q. 2. punct. 2. num. 6. & de matrim. q. 4 punct. 4. num. 13.* Bassæus verb. *Debitum coniugale. 1. num. 20.* Castilento *in Polianthea Seraphica.* verb. *Coniux. difficult. 27.* Ioannes Sanchez *in select. disp. 43. num. 2.* Tancredi *tom. 1. lib. 2. de essent. matrim. disp. 44. num. 1.* Bardi *de consc. disput. 6. cap. 1. § 3.* Terillus *de consc. q. 23. num. 67. vers. Hisce ego.*

65. Quæ cùm ita sint, iam inde apparet, haud difficilè comparari posse certitudinem de probabilitate opinionum affirmantium, aut negantium aliquam actionem esse licitam. Sæpe namque constat operanti ex proprio studio, aut ex testimonio aliorum, quibus imprudenter denegaret fidem, à nemine revocari in dubium probabilitatem suæ opinionis, quamvis de eius falsitate, aut veritate acris controversia vigeat. Sæpe videt, etiam illos, qui contrariam opinionem sectantur, adhærere illi vt incertæ, & alij expressè concedere probabilitatem suam, esseque circa probabilitatem concordes, qui circa maiorem, aut minorem disputant. Sæpe scit, esse communem inter classicos Auctores, & positivè conformem plurium hominum sapientium, atque prudentum iudicio. Sæpe novit, illam esse Sancti Thomæ, Bonaventuræ, aut alterius probatissimæ doctrinæ, cuius auctoritas magni pōderis habetur, & communiter in tribunalibus, scholis, & confessionarijs recipitur. Sæpe agnoscit, eam à nemine de improbabilitate notari, aut, si ab aliquo notetur, eum ab alijs reprehendi, atque reputari audacem, & excessisse in censura.

66. Porrò signa ista, & alia pleraque à Terillo congesta, & comprobata *q. 5. & 6. de consc. in fine* satis perspicuè discernunt certam probabilitatem à dubia, & illam saltem certitudinem generant, quæ in iudicijs, aut convictu humano pro tali habetur, sufficiensque putatur ad operandum prudenter, & fundandum obligationem, aut deobligationem in praxi certissimam. Et quamvis ei interdum misceatur aliqua formido & anxietas; vel illa non habetur immediatè

mediatè de probabilitate opinionis; ſed de veritate ſpeculativa illius, aut aliorum iudiciorum, quæ præcurrunt; vel, ſi de probabilitate ipſa habeatur, non erit formido prudens, probabilis, ac bene fundata; ſed ſcrupuloſa, & imprudens. Oritur enim ex eo, quòd morali certitudini falſitas ſubeſſe poſſit, & re ipſa aliquando ſubſit. Sed dum hîc, & nunc nulla ſpecialis ratio eam ſubeſſe perſuadet, generalitas illa non ſufficit, vt ſatis, ſuperque oſtendunt exempla, quæ anteà præmiſimus, & indiſciplinati eſt ingenij, maximè in rebus moralibus, maiorem ſecuritatem exigere. Videndus Caietanus *in ſumma*, verb. *Opinionum vſus num* 2.

67. Maior poteſt eſſe difficultas comparandi hanc certitudinem circa opiniones noviter inventas de rebus nondum anteà examinatis, vel habẽtes contra ſe communem: tunc enim auctoritas deficit, vnde certificari poſſimus, & aliunde inſufficiens reputabitur ſola naturalis ratio adminiculis alijs deſtituta. Quia vt opinio aliqua credatur certò probabilis, ac certò prudens, certum nobis eſſe debet, eam gravi motivo inniti, tàm abſolutè, quàm comparativè ad opinionem contrariam, ita ſcilicet, vt fortis ſit viribus ſuaſivis, ac defenſivis, vt expoſui *num.* 19. & ſæpe aliàs. Certò etiam debet conſtare, ſufficientem diligentiam eſſe adhibitam, tum ad veritatem explorandam, ſi fortè ſit aſſequibilis, tum ad inveniendum, an ſit aliquid in contrarium convincens: ſæpe enim ex negligentia id latebit, & ob ignorantiam culpabilem grave, ac forte reputabitur noſtræ opinionis motivum. Certum denique eſſe oportet, voluntatem opinantis non eſſe præoccupatam forti aliquâ paſſione, aut affectu: quia hæc frequenter rem, vt placet, non vt eſt in ſe, apparere faciunt, mentemque obcæcant, vt pro veris falſa, pro certis incerta habeat, pro demonſtrationibus paralogiſmos, & ſophiſmata pro rebus claris.

68. Neceſſaria ſunt hæc, fateor, vt opinio aliqua certò probabilis exiſtimetur, quia omnino neceſſaria ſunt, vt ſit verè probabilis; nemo autem eſt certus de alicuius prædicati veritate, niſi ſibi certò conſtet, convenire ſubiecto, quæ in concepru eſſentiali, & quidditativo illius neceſſariò importantur. Sed propterea nõ exiſtimo eiuſmodi certitudinẽ etiam à principijs intrinſecis adeò difficulter comparari, cùm videamus, eam haberi ſatis frequenter de probabilitate opinionum, quæ ſpectant ad alias ſciẽtias, tàm ſpeculativas, quàm practicas, & ad pleraque negotia, quę maximi momenti reputantur, vt in prælijs, in lucris mercatorum, aut in cũratione alicuius periculoſæ infirmitatis. Neque enim dux certus eſt de victoria, dum hoſtem ad conflictũ provocat, aut ſibi propoſitum acceptat; nec mercator de lucro, dum Indicam navigationem aggreditur; neque infirmus, aut Medicus de fœlici ſucceſſu remediorum, quæ applicantur; & nihilominùs certiſſimè norunt, ſe prudenter, ac probabiliter agere, dum media iſta exequuntur maturo examine, ac conſultatione præmiſſis. Et quamvis non ſemper deveniant ad finem anteà præoptatum; adhuc prudentes cenſentur, & ſpes illorum temeraria, aut ſtulta non putatur, neque eis culpæ, aut vitio vertitur, vel vituperio, aut pœna digni fiunt propter eventum contrarium.

69. Ita igitur multoties evenit opinionibus moralibus, etiam negativis obligationis, ac legis: nam practica ipſarum probabilitas certa eſſe ſolet, quamvis ipſæ incertæ ſint, ac probabiliter falſæ, eiſdemque argumentis certitudo iſta comparari poteſt,

test,quibus adquiritur certitudo aliarum. Atque in primis etiam ille,qui eas excogitat, per propriam experiëtiam satis certò nosse potest,se indifferenter circa illas deliberasse,animo veritatis inveniendæ, & non ex aliquo affectu, aut passione exorbitante. Rursus, quod ad diligentiam spectat,etiam certò scire valet,se in eiusmodi opinione deligenda,nec præcipitanter,neque inconsideratè processisse;sed præmisso diligenti,atque accurato examine pro qualitate materiæ,& loci,ac temporis opportunitate. Quo pacto de sua diligentia certi sunt, qui latebras suæ conscientiæ ad confessionem examinant, qui in alijs scientijs, aut negotijs probabiliter,ac prudenter opinantur,qui Doctrinam Christianam, aut alias leges sui status,vel officij addiscunt,& qui in depositis, alijsque eiusmodi, vbi negligentia punitur, & peculiaris diligentia exigitur, sine reprehensione versantur.

70. Iam verò si de efficacia, & gravitate motivi, quo ducimur ad opinandum, sermo sit, illa etiam potest vt certò talis proponi in hoc genere opinionum, vt proponitur in alijs. Nam quòd argumentum non peccet in forma,sed rectè concludat, si præmissæ veræ sunt, evidentissimè constare solet. Rursus, quòd tàm consequens illatum, quàm præmissæ nulli omnino principio certo opponantur, nec possint de falsitate convinci ab argumentis contrarijs,ex diligentia præsuppositа perspicuè cognoscitur,si ea fuit sufficiens, & à viro docto exhibita,& loco,ac tempori proportionata. Denique,quòd non sit levis momenti ad persuadendum vi sua, vel inde cognosci valet, quòd legitimè desumptum sit ex causis,aut effectibus rei,de qua disseritur,aut ex absurdis, vel impossibilibus, ad quæ deducuntur, qui oppositum opinantur. Nam his homines sapientes, ac prudentes duci solent ad sua asserta comprobanda; argumenta autem à pari, vel à simili, vel à contrario sensu,nisi aliunde roborentur, rarò certam probabilitatem conciliant opinionibus moralibus, & communiter nullius roboris censentur ad extendenda odiosa,vel pœnalia. Sed de his suo loco plura, quæ interim remittimus ijs, qui temperatè, ac sobriè de conscientia, & eius officijs tractant, & tàm doctis, quàm indoctis peculiares regulas, ac signa exhibent ad secernendam veram probabilitatem, & certam ab apparenti, merèque opinabili.

* * *



DIS-

DISSERTATIO V.

CIRCA PROPOSITIONEM QVARTAM INNOCENTIJ.

Spectat ad peccatum infidelitatis, quod tunc propriè committitur, & ratione sui inimicitiam Divinam, pœnamque æternam meretur, cùm aliquis fidei repugnat, vel etiam ipsam contemnit, vt sumitur ex D. Thoma 2.2. q.1. art.1.corp. Contingit autem interdum, quosdam ab hoc vitio excusari, quia de Theologica fide, & Divinis loquutionibus nihil audire potuerunt, vel si qua rerum istarum notitia ad ipsos fortè pervenit, adeò imperfecta fuit, vt leves corde, citòque credentes possent reputari, si ob eam causam ab avita religione discederent. Quæstionis ergo est, an similem excusationem præbeat infidelibus opinio minùs probabilis religioni Christianæ contradicens, & positivè favens sectæ ipsorum, sive Judæi sint, sive Hæretici, sive Schismatici, sive Pagani, vt Athei, Turcæ, vel Gentiles? nam infidelitas omnibus his modis contingere potest.

CAPVT PRIMVM.

Exhibetur propositio damnata, & eius Auctor, ac sensus, & ex Angelico Doctore profligatur.

1. PRopositio sic se habet: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.* Auctor illius fuit Ioannes Sanchez *in select. disp.*19. *num.*7. *fin.* & illam ante decretum *plusquàm falsam* appellaverat, ac varijs argumentis reiecerat Gonet *tom. 3. in dissert. Theolog. de probabili opin. à num.*239. quæ vt minùs efficacia dissolvit Lumbier *in præsent. à num.* 1754. nec re vera multum premunt, nisi meliùs proponantur.

2. Sensus propositionis valde captiosus est, quia non explicat, de qua probabilitate loquatur, vel quod sit eius obiectum, & vel ex hoc solo capite meritò configi potuit. Præbet enim infidelibus ea indistincta loquutione magnam occasionem persistendi in suis noxijs erroribus; imò & fidelibus transeundi ad ipsorum partes per relapsum, aut per apostasiam. Semper enim causabuntur sectam suam esse opinionem communem, & saltem minùs probabilem ab auctoritate suorum Magistrorum, qui tot assecias meruerunt, & rem bene examinarunt, & eis nunquam sua argumentatio deerit. Quocirca cùm excusatio, seu tergiversatio ista verè sufficiens putetur, parum proderit, quòd

quòd fides nostra manifestè credibilior appareat, vt se obligatos existiment, vel ad illam amplectendam, vel ad eius veritatem accuratiùs vestigandam. Seponenda igitur ante omnia fuisset probabilitas speculativa à practica, & certa ab incerta, quia sola practica, & certa excusare potest à peccato: atque inter personas, apostatæ, & relapsi ab alijs infidelibus, nam illorum nulla potest excusatio prætendi.

3. Debuitque insuper exponi, circa quid directè, & immediatè versetur minor illa probabilitas, quæ infidelitatem voluntariam à peccato immunem reddit. An negat nostræ fidei veritatem? An certitudinem? An necessitatem? An obligationem desistendi à suis erroribus, vel non accedendi ad illos, cùm veritas nostræ fidei per ministros Evangelicos sufficienter intimatur? An debitum non contemnendi, neque negligendi quod proponunt ipsis de certissima suæ sectæ falsitate revelata à Deo, cùm de veritate illius adeò prudenter formidant tanquam de minùs probabili? An omnia? Sed nil illorum negare potest opinio tuta, & practicè probabilis, maximè apud eum, qui credere posset, si vellet, & non credit, quia non vult, sed potiùs discredere mavult.

4. Cuius rei egregiam prorsus comprobationem suggessit S. Thomas *quodlib.* 3. *art.* 10. vbi hanc quæstionem examinat, inquirens: *Vtrùm discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris?* Excusari enim videntur, *si sequantur opiniones suorum Magistrorum*, quia oportet addiscentem credere, vt præmonebat Philosophus; & proprij Magistri auctoritas ad persuadendum discipulis magni ponderis putatur, adeòque probabile argumentum præstat, vt iudex ille, qui sententiam protulit iuxta sui præceptoris opinionem, tametsi falsam, & contra communem, in syndicatu excusetur ab expensis litis, & alia quacumque pœna, cui obnoxij sunt iniustè iudicantes, vt tenent plurimi, quos dabit Bossius *de conscient. p. tit. 1. num.* 554.

5. Verumtamen in his, quæ ad fidem, vel ad mores pertinent iudicio Ecclesiæ Catholicæ, hæc apparens probabilitas valde insufficiens apparuit Angelico Præceptori, atque ideò *in corp.* scribit, nullum propterea excusari, quòd *alicuius Magistri erroneam opinionem sequatur.* Exigua namque, & levis est eius auctoritas, si cum auctoritate Ecclesiæ comparetur, atque ab illa suffocatur, sicut à luce Solis lux candelæ, *& alioquin*, inquit, *immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arij, Nestorij, & aliorum hæresiarcharum.* Vocat autem erroneam opinionem illam, quæ Divinis litteris manifestè contradicit, aut publico iudicio Ecclesiæ reprobatur, & ideò tandem concludit his aureis verbis: *Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari*, nisi fortè simplex sit, atque hoc ipsum inculpatè ignoret, vt ex eodem tradetur *num.* 67.

6. Et ratio à priori est, quia in istis casibus ignorantia fidei veræ nō potest esse invincibilis; sed necessariò est culpabilis, vt S. Doctor advertit. Atque in illo, de quo loquitur propositio condemnata, manifestum est, quia nulla opinio excusari, aut excusare potest à peccato illum, qui potest, si velit, credere fide firma, & infallibili ob Divinum testimonium eamdem opinionem esse falsam. Porrò infidelis ille, qui excusari dicitur ob opinionē minùs probabilem,

qua

qua putat ex.g. *Pontificem esse Antichristum*, fide firma, & infallibili noscere potest, ac credere ob Divinum testimonium illam esse omnino falsam, improbabilem, ac prorsus indignam quovis rationali assensu. Nam si id credere non potest modo dicto, atque negare quod in illa asseritur, vtique non excusabitur à sua infidelitate ob opinionem probabilem, sed propter impossibilitatem credendi, quæ est evidens excusatio, & à probabilitate non pendet, sive sit maior, sive minor. Ad modum, quo is, qui non restituit, quia non potest, legitimam excusationem habet, non probabilem, sed evidentem; qui autem solius opinionis minùs probabilis ductu excusatur, cùm opinione probabiliore accusetur, eo ipso convincitur sibi non iam potestatem, sed voluntatem deficere. Nam alioqui non iam probabilior, sed evidenter falsa esset opinio dictans, illum obligari hîc & nunc ad restituendum.

7. Quòd si dicas, S. Thomam eo loci de infidelibus non loqui; sed de his solùm, qui aliquãdo crediderunt veræ fidei, parum obstat, sive res ipsa spectetur, sive mens illius inspiciatur. Primò, quia eadem est ratio de his, qui credere potuerunt fide salutari, ac Theologica, quamvis re ipsa non crediderint: nam talis fides excludit omnem prudentem formidinem partis oppositæ, nec fieri potest, vt prudenter credat absque formidine, & ex toto corde, qui non putat omnia, quæ in contrarium trahunt, esse ponderis exigui. Secundò, quia thesis damnata pariter excusat illos, qui aliquando crediderunt, & postea infideles fiunt. Nam credidisse non tollit probabilitatem contrariam, si qua erat; imò interdum accursu aliarum rationum accidere potest, vt crescat. Licebit ergo proinde ad illam regredi, & in praxi sese accommodare ductui, ac directioni illius, sicuti licebat antea, & modò credere, modò discredere, fidemque pro arbitrio suo in infidelitatem commutare: sicut propter eamdem causam nunc licet esse Thomistam, posteà Scotistam, & iterum ad Thomistas remeare. Consequens autem evidenter falsum est, & à vera fide alienum, quia ex conceptu suo est irretractabilis secundum rectam rationem, & non dimittenda iuxta Apostolum, licet Angelus contrarium evangelizet de Cœlo. Quare in istis nullo casu (totali oblivione excepta) admittendam esse excusationẽ apostasiæ, vel relapsûs, meritò docuit Suarez *disp.* 15. *de fide in fin.*

CAPVT II.

Propositionem damnatam, quoad suppositum scandalosam, esse, & perniciosam in praxi.

8. SVpponit enim re vera reperiri apud Paganos, Hæreticos, aut Iudæos probabiles opiniones contrarias fidei, quam tenet Catholica Ecclesia, & ab omnibus tenendam docet. Nam si eiusmodi opiniones non dantur, vana, & commentitia erit excusatio, quæ ab eis sumitur, neque illarum ductu fieri poterit, vt infidelibus liceat nolle credere, sed in secta sua perseverare. Quòd verò re ipsa non dentur eiusmodi opiniones, inde patet, quia contra doctrinã, & obligationem certam, evidentemque moraliter nulla verè probabilis opinio potest inveniri, aut prudenter reputari talis, cùm sit evidens ex terminis, id, quod certæ veritati, atque obligationi opponitur, quantalibet vmbra veritatis decipiat, incredibile

esse,& improbabile. Porrò doctrinã, & obligationem fidei agnitam vt talem ab vniversali Ecclesia certam esse,imò certissimam,ex Divini testimonij auctoritate,cui nititur, perspicuum est, quia summa veritas nec falli potest,nec fallere. Esse prætereà evidenter, atque prudenter credibilem absque vllà hæsitatione, aut formidine partis oppositæ,ex notis verę fidei, ac religionis, quæ huic soli, & non alteri conveniunt, demonstrant Theologi, ac præcipuè Bellarminus, Lessius, Valentia, Suarez, Becanus, Bozius; neque id negat Ioannes Sanchez. Nam *Divina testimonia credibilia facta sunt nimis*, vt præmonuit Regius Psaltes *Psalm.*92.

9. Explicatur 1. Quia,vt opinio aliqua sit verè probabilis, non sufficit, quòd pro se habeat verosimilia in speciem argumenta ducta à ratione,vel auctoritate;sed insuper requiritur, vt nihil ei obstet, quo falsitas ipsius certò appareat;adeòque plures expressè in definitione ipsa probabilis opinionis hanc conditionem adijciunt, & nullus requiri negat, vt *dissertatione præcedenti* ex professo monstrabatur. Atqui omnes sectæ infidelium contra se habent evidentiam credibilitatis fidei nostræ, quæ inter alia docet eas esse incredibiles, Divinis eloquijs contrarias, & non nisi temerè, ac imprudenter eligibiles. Ergo nulla opinio reperitur, quæ sit re vera probabilis, inter sectas infidelium. Nam sicut doctrinæ ipsorum à doctrina veritatis procul distant, ita toto, vt aiunt, Cœlo à probabilitate elongantur: eisdemque argumentis,vnde constat,omnia,& singula dogmata Catholicæ fidei ob testimonium Divinum prudentissimè credi firmo assensu,& super omnia, convincitur, quæ cum ea pugnant, non posse credi prudenter, atque adeò nec probabiliter. Nam probabilitas,quæ verè talis est,& à peccato excusat, obiectum suum reddere debet prudenter credibile,non obstante præeminentia sui contrarij:sicut matrimonij honestas talis non esset, nisi id redderet prudenter eligibile, quãvis honestius,& eligibilius sit,amplecti virginitatem.

10. Explicatur 2 Quia,vt ibidem dixi,& ex mente omnium Auctorum confirmavi, nulla opinio excusat à peccato per se loquendo, & ex suis meritis, nisi sit certò probabilis; illæ verò, quarum probabilitas meritò controvertitur, & adhuc nõ constat, vtrùm sint probabiles, aut improbabiles, valde imprudenter sumuntur pro regula directiva nostrarum operationum, relicta ea, cuius solida, ac secura probabilitas apparet. At contra doctrinam fidei, quam tenet Catholica Ecclesia, nullæ dantur opiniones certæ, atque evidentis probabilitatis: id enim his solis contingit, quorum auctoritas non est infallibilis, neque reddit rem certam moraliter. Vnde nullus Catholicus concedet Iudæis, quo licitè in sua secta permaneant, esse evidenter probabile,nondum venisse Messiam;aut Gẽtilibus, ligna, vel lapides esse Deos veros;aut Hęreticis,*Papam esse Antichristum*, vel vnumquemque promiscuè posse in sua secta salvari. Quasi ita liceat esse Turcam, Calvinistam, aut Catholicum, vt licet esse Thomistam, Scotistam, vel alterius scholę ex illis,quę probabiliter hinc, & inde inter se disputant, salva semper veritate fidei, & Ecclesiæ auctoritate.

11. Explicatur 3. Quia hic defectus certæ probabilitatis in casu, de quo loquimur, latere nequit infidelem illum, qui prætextu suæ opinionis, quam putat minùs probabilem, sese excusare contendit à vitio infidelitatis. Nam si doctrinam Ecclesiæ iudi-

iudicat probabiliorem, eo ipso probabilius reputat doctrinam Calvini, aut Mahometi esse prorsus improbabilem. Divinis eloquiis oppositam, reijciendamque incunctanter: id est enim, quod Ecclesia docet, & quod ipse probabilius autumat. Ergo neque in se, nec sibi evidenter probabile ducere potest, quod Calvinus, aut Mahometus blatterant. Quòd si probabilius iudicat religionem suam esse improbabilem, & insufficientem ad salutem, ineptissimam excusationem prætendet, si in ea securè persistat, hoc solo argumento ductus, quòd non sit certò improbabile eam esse veram, ac tutam: nam nec Medicis, nec Consiliarijs, nec Iudicibus, nec vllis alijs ea excusatio prodest, vbi certior, ac securior modus sibi occurrit, & eum negligunt.

12. Explicatur 4. Quia adversus articulos evidenter manifestos evidentia naturali, quales sunt Dei existentia, vel immortalitas animi, dari nequeunt opiniones verè, certòque probabiles, & proculdubio intolerabile esset, siquis diceret, opinionem Atheorum affirmantium, Deum esse Chimæram, esse evidenter probabilem, & propterea illos excusare intenderet à peccato consistendi in ea opinione, quin vlteriùs quærerent notitiam veræ Deitatis. Ergo pariter intolerabile erit, similes opiniones admittere negantes esse credendum, aut à Deo revelatum, quòd firma fide credendum, ac revelatum affirmat tota Ecclesia vniversalis. Vtrobique enim obstat certitudo deprimens cõtrariam opinionem: vt plumbum deprimit paleam; & quòd certitudo fidei simul cum obscuritate in eodem actu cohæreat, non facit esse minorem certitudine evidentiæ; sed illa potius est maior. Quocirca si fortè aliquis invincibiliter probabile existimaret, Deum non esse, ille quidem à peccato erroris contra lumen naturale proculdubio excusaretur; non tamen ob opinionem probabilem; sed ob conscientiam erroneam, quæ certissimè à peccato excusat, cùm involuntaria est, & inculpabilis.

13. Explicatur 5. Quia inter opiniones, quamvis sint certò probabiles, non omnes à peccato excusant; sed eæ solum, quæ sunt practicè probabiles, &, omnibus inspectis, affirmant hîc, & nunc quidquam licere, seu nulla lege vetari; speculativa autem probabilitas, & abstracta ab vsu licito, vel illicito, sæpe non tribuit conscientiæ securitatem, tametsi magna sit, nedum minor, & tunc præcipuè cùm ex praxi illius imminet periculum, quod etiam dum timetur, debet evitari. Sed inter infidelium opiniones suæ sectæ fauentes nulla certò probabilis practicè inveniri potest, nulla tuta ab eiusmodi periculis. Ergo nulla potest ab infidelitate excusare. Minor, quæ duntaxat probatione indiget, quoad primam partem ex dictis facilè persuaderi: Nam omnia à fortiori evincunt moraliter certam esse obligationem amplectẽdi fidem, quam Romana Ecclesia tenet, & recedendi ab erroribus eidem oppositis. Quoad secundam verò ex inde constat, quia contra eandem fidem omnes opiniones sunt periculosæ in praxi, & expositæ discrimini manendi extra viam salutis, incedendique per viam perditionis, quod maximum est, & proculdubio etiam cùm timetur, debet evitari.

14. Fides quippe esse proponitur, & est initium salutis, atque fundamentum eius, ianua vitæ, & medium cum effectu necessarium ad salutem obtinendam: & qui id negant, putantque vnumquempe posse in sua secta salvari, vt nostri temporis hæretici iactare solent, si fortè decipiantur, proculdubio nec salutem consequen-

tur, neque in via salutis ambulabunt, neque eam incipient; sed in via, quæ ad perditionem ducit, remanebunt. Neque enim finis vnquam obtinetur, si media prætermittantur, quibus opus est ad ipsum; neque ædificium absque fundamento perficitur; neque via consummatur, nisi priùs inchoëtur; neque ingredi licet, vbi sponte deseritur vnica ianua. Atque in istis nulla omnino probabilitas prodesse poterit ad securitatem conscientiæ, sicut neque prodest Medicis corporalibus, cùm ea remedia non adhibent, quorum realis applicatio ad curationem infirmi erat prorsus necessaria. Nam evidentia periculi non tollitur sola probabilitate, vel spe contrarij eventus. Periculum autem manendi extra viam salutis, ac perdendi animam suam proculdubio declinari debet ex præcepto, nec cum prævisione illius potest componi practica illa probabilitas, quæ hîc, & nunc prudenter dictat opus, quod aggredi intendimus, nullo præcepto vetari. Et quia non consistere extra viam salutis, sed credere, & illam inchoare purum medium non est, vt potio amara, sed bonum per se expetibile, duplex ibi peccatum committetur, alterum contra ipsam fidem, cuius honestas negligitur, aliud contra charitatem.

15. Denique negari nequit, scãdalosam esse, ac pernicioſam in praxi hanc propositionem: *Ab infidelitate excusabitur infidelis apostata, vel relapsus, si non credat ductus opinione minùs probabili:* quia, vt receptum est apud Theologos, & *num.* 7. prænotabam, nulla est probabilis, aut probabilior opinio, quæ illos excusare valeat, nec susceptæ fidei retractatio eis esset licita, quamvis Angelus de Cœlo magna auctoritate sua doceret quidquam contrarium. Atqui in thesi condemnata, cùm generaliter, & indistinctè loquatur de infidelibus, etiam apostatis, & redeuntibus ad vomitum conceditur sua excusatio. Neque eis desunt probabiles opiniones, quales possunt esse in alijs, sed ideò ad excusationem neque his, neque illis sufficiunt, quia tota earum probabilitas, qualemcumque esse mentiantur, non est probabilitas vera, sed falsò existimata, nec minor, sed nulla, sicut nulla est certitudo, quam se habere interdum iactant.

16. Quare in his, si esset possibilis, non erat sumenda excusatio à minori probabilitate suæ opinionis; sed à conscientia erronea, qua doctrinas, sectasque improbabiles probabiles esse fingunt, imò probabiliores, aut certas, vt earum ductu regantur. Porrò conscientia erronea non excusat à peccato, nisi involuntaria sit, & invincibilis; atque in casu, de quo loquimur, neque involuntaria est, cùm liberè eligatur, relicta fide Theologica; nec potest esse invincibilis, cum eadem fides ita supponatur proposita, vt prudenter illi possent assentiri, & acquiescere absque formidine errandi.

CAPVT III.

Vtrùm infidelis, cui proponitur fides vera tanquam manifestè probabilior omnibus sectis contrarijs, ab infidelitate excusetur, si statim non credat, sed in sua secta permaneat?

17. NOn excusari, sed debere statim credere Theologica fide, ac salutari, affirmat expresse Bañez 2.2. *q.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. *conc.* 3. & 4. Ledesma *in summa tom.* 2. *tr.* 1. *cap.* 5. *concl.* 5. & 6. *fol. mihi* 35. & 36. Layman *lib.* 2. *tr.* 1 *cap.* 1. *n.* 2. vers.

verſ. *Quæres.* P. Antonius de Eſcobar *tom. 1. Theolog. moral. lib. 2. num. 56.* Villalobos *in ſumma. 2. p tr. 1. diffic. 8 num. 4.* Gonet *loco præcit.* Attamen illum non teneri ſtatim credere, ſed ſolùm in mortis articulo, & interim orationibus, ac alijs medijs indagare veritatem, docuit adverſus prædictos cum Maldero P. Thomas Sanchez *in ſumma. lib. 2. cap. 1. num. 6.* quem impugnat nominatim Ioannes Sanchez *vbi ſup. num. 8.* affirmans, nunquam teneri, necnon Franciſcus de Lugo *1. p. de conſc. q. 5. num. 45.* & plenius Caſtro Palao *1. p. tr. 4. diſp. 1. punct. 12. à num. 13.* Boſſius verò *1. p. de conſc. à num. 435.* re hinc inde diſcuſſa, eam tandem relinquit lectori conſiderandam.

18. Porrò ex iſta controverſia, quam Ioãnes Sanchez verſabat, dum in propoſitionem condemnatam incidit, contra illius condemnationem gravis primo aſpectu difficultas naſcitur. Omnes enim præcitati Auctores ſupponunt, infidelem, cui dicto modo proponitur ſive ſuæ doctrinæ falſitas, ſive fidei noſtræ veritas illi contradicens è diametro, poſſe credere, ſi velit, fide ſalutari, ac Theologica, ſectam ſuam eſſe falſam, aut, quod recidit eòdem, contradictoriam eius eſſe veram. Et cùm ex eis nullus eam notitiam fidei noſtræ reijciat, vt omnino inſufficientem ad credendum, prout oportet, circa tempus, & obligationem credendi in diverſas opiniones abeunt.

19. Pone igitur, hæreticum probabilius iudicare, ſe ſtatim ad credendum teneri in prædictis circumſtantijs, ſed non vſque adeò certum, vt ſua careat vera probabilitate, etſi minori, ſe nunquam, aut in articulo mortis duntaxat obligari, & tunc legitimè excuſatus videbitur, quamvis diſcredere nolit, & Catholicam fidem amplecti. Nam ad peccandum peccato infidelitatis non ſufficit poſſe credere, niſi credendi obligatio ità vrgeat, vt non poſſit hîc, & nunc prudenter detrectari. At in hoc eventu ab infideli prudenter detrectari poteſt obligatio credendi ſtatim, aut in toto tempore ſuæ vitæ, cùm pro ſe habeat opinionem Catholicam, & practicè probabilem, quæ in prædictis circumſtantijs eiuſmodi obligationem detrectat. Igitur quamvis nõ credat, ſectam ſuam falſam eſſe, ſed eam retineat, nihilominùs ab infidelitate excuſabitur. Maximè, quia eſto ipſe putet, opinionem negativam talis obligationis eſſe minùs probabilem, adhuc certò ſcire poteſt, illam iudicari ab alijs ſapientibus, & Catholicis abſolutè veram, aut ſaltem probabiliorem: vnde eliciet incertam eſſe minorem probabilitatem opinionis affirmantis, ſe teneri, atque in praxi opinioni negativæ ſeſe accommodare poterit, vt probabiliori multis, & apud omnes probabili.

20. Et ſanè non minùs vrget obligatio diligendi ſummum bonũ, & vltimum finem ſuum, quàm credendi ſummæ veritati. Atqui eo ipſo, quòd ſub opinione verſetur, vtrùm detur obligatio ſeſe convertendi ad Deum tanquam ad vltimum finem ſtatim, ac ad vſum rationis perveniturꝰ licitè poteſt in praxi vtralibet opinio exerceri, & excuſari peccatum per ſe imputabile, ac vindicta dignũ. Ergo pariter continget, quoties, circumſtantijs attentis, non proponitur vt certa obligatio diſcredendi aliquam doctrinam propter teſtimoniũ ſummæ veritatis. Neque apparet, vnde competat præceptis fidei Theologicæ hoc privilegium ſpeciale, vt opinio minùs probabilis practicè ab illorum tranſgreſſione non excuſet, ſi poteſt excuſare in alijs, atque in ijs ipſis excuſare poteſt (vt prædicti Auctores cenſent) ſaltem probabilior

opinio,

opinio, aut etiam æquè probabilis.

21. Vt satisfaciam, observo, totam huius rei difficultatem non tàm dependere ex eo, quod prædicti Auctores disputant, quàm ex eo, quod supponunt vt verum consensu vnanimi. Disputat enim de obligatione credendi in dicto casu, & de tempore, quo vrget præceptum non dissentiendi à vera fide; sed supponunt, infidelem illum statim credere posse, si velit, sectæ suæ falsitatem, & rectæ doctrinæ acquiescere. Porrò suppositio ista à veritate est aliena, & adeò consona propositioni 21. condemnatæ hoc Pontificio decreto, vt solùm per impossibile eius veritas admitti valeat. Nam doctrina, quæ proponitur vt probabilis, aut probabilior duntaxat, non proponitur vt certa, neque vt credenda prudenter absque formidine partis oppositæ, firma fide, ac pleno assensu; sed tanquam fortasse falsa, & evidenter exposita periculo errandi maiori, vel minori iuxta gradum probabilitatis eius. At fidei doctrina credi debet, proponique tanquam prudenter credibilis absque formidine partis oppositæ, stabiliter, ex toto corde, & super omnia, quæ ipsi opposita videntur. Et qua, rogo, iusta auctoritate quispiam obligari potest ad credendum sine formidine, & ex toto corde id, de quo prudenter iudicat, fortè esse falsum, & non nisi formidolosè amplectendum? Vel quomodo affectu honesto, & regulis prudentiæ consentaneo imperabit suo intellectui, vt absque formidine errandi, & super omnia assentiatur obiecto, de quo non temerè, sed probabiliter timet devium esse à veritate?

22. Ex his, quæ sequenti capite pleniore luce donantur, respondeo in primis infidelem illum, ex. g. Iudæum, qui ex placito suæ sectæ putabat, nondum veniisse Messiam, & adhuc censet, id esse probabile, quamvis oppositum sibi manifestè probabilius appareat, rebus sic stantibus, non esse proximè ad credendum dispositum, nec credere posse, prout oportet; sed vtrimque contra fidem errare. Nam quòd Messias nondum venerit, non est verum, nec probabile secundum regulam fidei. Quòd autem venerit, verum quidem est; sed improbabile, ac falsum, esse solùm probabilius, & non credendum, nisi cum formidine probabilitatis contrariæ, quia infallibile est, ac prorsus certum ex Divina auctoritate. Vnde qui sic est instructus, Catholicam fidem non habet sibi ad credendum propositam pro tunc; sed potiùs duas hæreses, quamvis inter se contrarias, in hoc conformes, quòd censent neque Messiæ adventum, neque negationem eius esse certam; sed duntaxat opinabilem. Et vtraque proinde alteri defert, quod prudenter credi possit tàm sua veritas, quàm falsitas: nam si hoc sibi non deferrent invicem, vtraque non putaretur probabilis, aut dignè credibilis; sed vna certa, alia improbabilis.

23. Aio insuper, eumdem infidelem plerumque non excusari à peccato contra fidem; excusari tamē aliquando defectu sibi inculpabili notitiæ prærequisitæ ad credendum; sed nunquam ob opinionem probabilem. Sumitur ex his, quæ cum Victoria docet adhuc generaliùs P. Suarez *disp. 17. de Fide, sect. 1. num. 9.* Et quoad primam partem ex eo cōstat, quia illa falsa existimatio, quam prædictus infidelis habet de incertitudine adventus Messiæ, & probabilis dubietas, qua formidat, ne fortè decipiatur, est actus contrarius fidei, & sæpe eveniet, vt culpabiliter ab illo conceptus fuerit, temerè nolendo audire certitudinem, ac necessitatem eius, vel nolendo auditam credere

dere firmiter, ac toto corde; sed ad meras probabilitates declinare. Nam vtrovis modo auditui fidei repugnare contingit, ac negligere eius veritatem, in quo propriè peccatum infidelitatis consistit, vt iam anteà cum Angelico Doctore notabatur. Quocirca non solùm peccat peccato infidelitatis contrariæ fidei is, qui, sufficienter prævisa, vel neglecta credibilitate illius, negat venisse Messiam, aut fuisse ex Virgine natum; verùm etiam, qui id formidolosè affirmat, & per particulam *Fortè*, quæ dubitativa est, & expressiva formidinis, adhæret sensui contrario. Pulcherrima sunt verba Augustini *lib* 8. *de Trinit. cap.* 5. scribentis: *Salva fide licet dicere: Fortè talem habebat faciem, fortè non talem. Fortè autem de Virgine natus est Christus, nemo salva fide Christiana dixerit.*

24. Rursus, licet talis error quoad initium fuerit inculpatus, & ex invincibili ignorantia profectus, saltem quoad continuationem difficillimè excusabitur, vt valde appositè expendit S. Clemens Papa huius nominis primus *epist.* 3. Vix namque fieri potest, vt ille, qui eousque est prætergressus, vt Catholicæ Ecclesiæ doctrinam sectis alijs verosimiliorem censeat, inculpatè nil audiverit de illius certitudine, ita vt de illa saltem nequeat dubitare. Vbi autem occurrit dubium rationabile de certitudine opinionibus nostris contraria, necessariò consurgit obligatio eam investigandi, & inquirendi, nova diligentia adhibita, & eo maiori, quò est maius negotium, quod præ manibus habemus. Quamobrem nisi illa adhibeatur, iam culpæ reus erit quisquis adhuc sub meræ probabilitatis vmbra conquiescit, & neglectæ veritatis pœnas luet, nec sub dubio, aut ignorantia invincibili operabitur; sed vincibili, & meritò imputabili negligentiæ ipsius, ac incuriæ in rebus tanti momenti maximè vituperandæ.

25. Probabilis quippe opinio nunquam iuvat, vbi vlterior veritatis ratio investigari potest, & maiori studio, quod vltra vires non sit, certitudo illius explorari. Desperata esse enim debet inventio veritatis, vt sola verosimilitudo, aut probabilitas exposita falsitati loco illius prudenter subrogetur; imò nunquam erit vera probabilitas, nisi priùs supponatur, certam veritatis cognitionem non deficere ex defectu congruæ diligentiæ, & constitutæ in nostra potestate. Neque huic infideli magna diligentia est opus, vt incipiat formidare nõ tantùm de veritate, sed etiam de probabilitate suæ sectæ. Nam vnde didicit, doctrinam fidei esse probabiliorem, potuit discere, illam reputari infallibilem, & eius contradictoriam improbabilem: vtrumque enim docet pariter syncera fides, & vtrumque eisdem motivis credibile fit mentibus sanis. Qui autem probabilius esse iudicat, doctrinam fidei esse certam, & improbabilem quamcumque contrariam, eo ipso probabilius esse iudicat, sectam suam, quæ est vna ex contrarijs, esse improbabilem, nec iam ipsam reputare potest certò probabilem, vti erat opus, sed solùm minùs probabiliter probabilem, & cum maxima formidine probabilitati illius assensum accommodabit.

26. Quæ autem diximus de fidei certitudine, circa illius necessitatem à fortiori procedunt: vix enim accidet ei, qui iam deprehendit esse probabiliorē, vt sine culpa sua ignoret esse necessariam ad salutem. Nam veram religionem esse necessariam, nemo dubitat: & hanc esse veram, alias autem falsas, ipse probabilius iudicat. Vel ergo dubitat strictè, vel opinatur, illam esse medium vnicè necessarium ad salutem. Quovis autem

tem

tem modo sese habeat, sibi evidens erit obligatio sequendi tutiorem partem, ne in necessarijs deficiat. Tutior autem pars in hoc eventu esset credere, si fides esset sufficienter proposita; sin minus, adhibere diligentiã ad explorandam necessitatem, ac veritatem illius. Quia quiescere, ac manere voluntariè in eo statu incertitudinis, est voluntariè se exponere periculo manifesto amittendi suam salutem, quod summi momenti est, & contraria probabilitate non tollitur, vt *à num.* 13. vberiùs diximus.

27. Nulla igitur probabilitate, aut inadvertentia diutina infidelis ille potest excusari ab obligatione fugiendi ab illo statu periculoso, & incerto sibi cognito, atque procurãdi ad certum, & securum pervenire. At rebus sic stantibus sub opinione, ac formidine, credendo prout oportet, nempe firmiter, & super omnia, sese ab illo nequit præservare, quia deficit suficiens propositio ad fidem adeò firmam, & indubiam. Ergo saltem procurare debet adhibere novũ studium, ac conari quantum est ex parte sua perfectiorem illius notitiã assequi, vt de suæ religionis veritate certus tandem, ac securus vivat. Nec Divina opitulatio deerit. Nam cùm Deus velit omnium hominum salutem, facienti quod in se est, nunquam subtraxit media necessaria ad illam. Si contingeret in negotio veræ religionis, quod sæpe in alijs contingit, vt certa veritas non inveniatur, quãtumvis seriò quæsita, tunc posset excusare probabilitas, saltem maior, nam ea est tutior à periculo errandi; sed longè aliter contingit his, qui certæ fidei cognitionem habent, atque veræ Ecclesiæ probabiliorem notitiam. Nam Divina vocatione stimulantur ad eam quærendam, & sub speciali conceptu veræ Ecclesiæ Christi, vt in hæreticis, vel sub abstractiore veræ religionis, vt in alijs, vix erit vllus, qui inculpatè iudicet, aut nullam reperiri in vniverso, quæ certa sit, ac secura, aut nullum esse hominum cœtum, apud quem illa inveniatur, & ex quo nequeat sufficienter disci.

28. Est ergo illa propositio fidei evidenter sufficiens ad obligandum quærere, & investigare certitudinem, ac necessitatem illius, quamvis eo, quòd sit formidolosa, non sufficiat ad credendum prudenter absque formidine, atque adeò facile potest id animadverti, vt parvo admodum tempore durare possit in homine infideli sic dispositio inculpabilis inadvertentia illius. Iam ergo, vel ille otiari mavult, & sponte manere in eo periculo aberrandi à certa fide, vel non vult; sed diligentiam sibi possibilem adhibet perveniendi ad sufficientem credibilitatem ipsius. Si primum accidat, absque dubio peccabit propriè, ac formaliter contra obligationem fidei sibi sufficienter cognitam, sicut peccaret Gentilis contra legem naturalem, & esset inexcusabilis iuxta Apostoli doctrinam *ad Roman.* 1. 20. si probabilius existimans, dari Deum vltimum finem; probabile verò, esse chimærã, vellet sistere in eo statu, & Deo incerto amorem summum impendere; vel potiùs mallet secundum aliam opinionem vivere, & omnem cultum, omnemque amorem ipsi denegare tanquam chimæræ confictæ.

29. Si autem secundum contingat, & adhuc sufficientem fidei propositionem non habeat, vel quia erat in extremis, & magister defuit, vel quia statim in amentiam incidit, aut alio impedimento sibi involuntario fuit detentus, quominùs diligentiam necessariam adhiberet, tunc quidem ab infidelitate excusabitur, sicut hi, qui nil de fide audierunt; sed non ob opi-

opinionem practicè probabilem permittentem ipsi, vt in sua secta permaneat; sed ob impossibilitatem credendi fide salutari, ac Theologica: quia credendi possibilitas proximè sufficiens non datur, dum quis prudenter formidat de veritate obiecti revelati, aut de existentia revelationis, cui nititur. Etenim vel is peccaret coram Deo inexcusabiliter, quia non credidit, cùm proximè posset ex vi notitiæ probabilis, quam habet de nostra fide; vel quia maiorem diligentiam non impendit. Non ex primo capite, quia assensus fidei non stat cum notitia probabili reddente revelationem, aut obiectum eius formidolosè credibile. Non ex secundo, quia ponitur, omissionem diligentiæ sibi involuntariam; imò necessariam fuisse. Ergo ex nullo capite peccabit imputabiliter cõtra præceptum Divinum credendi fide Theologica, neque ea de causa damnabitur; sed propter alia peccata, quæ inuenietur commisisse cum sufficienti advertẽtia, & quæ impedimento fuerunt Divinæ illuminationi requisitæ ad fidei gratiam. Verumtamen quia non sunt cognita sub ratione impedimenti, neque vlla vnquam cogitatio subijt obligationis evitandi ipsa ob hanc causam, ideò malitiam specialem infidelitatis non contrahunt, contractura vtique illam, nisi improvisa foret, & involuntaria.

30. Ex his ad argumentum propositum *ex num.* 18. obvia est solutio, quia constat, infidelem, de quo loquimur, non teneri statim credere, nec posse, quoadusque, nova diligentia adhibita, evidentem credibilitatis cognitionem assequatur. Vnde opinio, quæ ei imponit obligationem credendi priusquàm videat, solam doctrinam Catholicam esse prudenter credibilem, non est practicè probabilis; sed ex quadam improbabili suppositione procedit, qua tacitè assumitur, non implicare præceptum credendi sine formidine, & ex toto corde illud, de quo probabiliter, atque adeò prudenter creditur fortasse esse falsum, & minimè revelatum, vt de illis etiam credi potest, quæ probabiliora apparent, quandoquidem multa falsa sunt probabiliora veris. Portò chimæricum est tale præceptum, & chimærica obligatio, vtpote de re impossibili pro eo ipso tempore, quo vrgere dicitur. Nec qui ab eius impletione se excusat, opus habet (sicut aliàs evenit) excusatione desumpta ex opinione aliqua minùs probabili, quæ solum negat præceptum esse actu impositum, & supponit tanquam certum, & illud esse possibile, & exequutionem eius; sed evidentiore alia excusatione tutabitur ducta ex eo, quòd tàm præceptũ, quàm eius exequutio repugnent rebus in eo statu permanentibus.

31. Disputat accuratè P. Moya *in select. 2. p. tr. 6. disp. 5. q. 2. à num.* 17. quid dicendum sit, si supponatur, non esse necessariam ad credendum evidentiam credibilitatis; sed iudicium probabilius sufficere? Mihi autem ea controversia solùm videtur tractanda, sicut pertractantur aliæ ex hypothesi impossibili, quæ, vt sunt ex terminis contradictorijs compositæ, contradictorios quoque consequentes inferunt. Supponere namque fidem esse sufficienter propositam, est supponere, eam solam repræsentari tanquam prudenter credibilem; adijcere verò, eamdem propositionem non tollere probabilitatem partis oppositæ, est dicere, non solam fidem esse prudenter credibilem illi ipsi, de cuius obligatione dubitatur; sed etiã sectam contrariam. Quare, declaratis terminis, supponitur, solam fidem esse, & non esse credibilem huic ipsi, & notitiam, quam de ea habet, esse

simul, & non esse sufficientem ad credendum prudenter sine formidine. Atque ex vna parte hypothesis sequetur, dari in eo casu obligationem credendi; ex altera verò, non dari: & ex vtraque simul sumpta vtrumque simul sequetur, nimirùm dari, & non dari.

CAPVT IV.

Notitiam revelationis Divinæ probabilem, ac formidolosam non sufficere ad credendum fide salutari, ac Theologica.

32. SVpposui hoc principium sæpius contra Bañez, Ledesma, Gonet, & alios, qui saltem probabiliorē sufficere supponebant, atque ex eius inconcussa veritate inconcussè stabilientur cœtera hucusque proposita. Cuius rei gratia præmitto, omnia, quæ fide Theologica, & salutari creduntur, credi certa fide, atque infallibili, quamvis obscura, ob Divinum testimonium: credi insuper, non vtcumque; sed ex toto corde, & super omnia, absque formidine, & adeò firmiter, vt licet mille rationes in contrarium proponantur, nunquam sit retrocedendum ab assensu, & fide illorum.

33. Neque id fit ex pertinacia, aut animi obstinatione, vt hæreticis interdum contingit circa sectas suas, aut his, qui temerè iudicant de actibus, & vita aliorum, & nonnullis, qui immobiliter adhærent tanquam certis veritatibus propter duritiem iudicij præconceptis opinionibus. Hi enim imprudenter agunt, & vltra meritum motivi, cui deferunt, & rationis, qua inducuntur ad voluntatem sentiendi, ac iudicandi illo modo. Qui autem credit fide salutari, prudentissimè operatur, & iuxta rectam rationem, dum pio affectu voluntatis vult credere toto corde, firmiter, & absque formidine cuiuscũque deceptionis. Neque firma adhæsio ipsius excedit capacitatem obiecti, propter quod credit, quæ est suprema Dei auctoritas, neque exigentiam motivi, quo loquutio Dei sibi proponitur tanquam prudenter credibilis cum ea tota firmitate, & adhæsione; sed vtrique commensurata esse debet, vt honesta, & salutaris esse possit.

34. Est autem proculdubio honestissimus pius ille affectus credendi, quem *fidei initium* appellat Concilium Arausicanum *Can.* 4. definiens insuper, absque auxilio gratiæ nequaquam haberi posse. Ab illo autem habet fides tanquam à causa imperante formaliter libertatem, honestatemque moralem, vt cœteri actus externi, qui ex se neque liberi sunt, nec voluntarij; sed ex motione, ac imperio voluntatis participant eas rationes. Quo fit, vt in fidei obiectis duæ diversæ credibilitates distingui debeant, & soleant. Alia moralis desumpta ex eo, quòd liberè, ac honestè credi possunt, secluſa quavis formidine, firmiter, ac toto corde. Alia Theologica accepta ab ipsa fide, quatenus præcisè est virtus intellectualis ex obiecto, ac modo suo intrinsecè infallibilis, præscindendo ab alijs qualitatibus, quæ ad eius amorem spectant, & ad modum, quo proponitur voluntati priusquàm velit credere, sicut oportet. Nunc autem præcipuè attendimus ad credibilitatem moralem, & ad prudentiale iudicium, cui debet esse conformis pius affectus voluntatis, vt & ipse evadat rectus, & rectam fidem imperare valeat.

35. Dicimus autem cum communi Theologorum, ad hunc effectum

ctum minimè sufficere notitiã quantumcumque probabilem Divinæ revelationis, & longè minùs quòd illa *verisimilis videatur*, etsi hoc satis esse putet Gonet *disp. 1. de Fide. num.* 229. sed adeò certam requiri, vt prudenter de eius veritate dubitari nequeat. Moveor primò ex hoc ipso decreto Innocentij, vbi propositio 21. non alia de causa damnatur, nisi quia putabat, *fidem supernaturalem, & vtilem ad salutem stare posse cum notitia solùm probabili revelationis; imò cum formidine, ne non sit loquutus Deus.* Vnde sic arguere licet. Fides supernaturalis, & vtilis ad salutem stare potest, ac debet cum notitia sufficiente, ac necessaria ad pium affectum credendi, ex vi cuius imperatur, & honesta, ac salutaris redditur. Sed stare nequit cum notitia solùm probabili, ac formidolosa Divinæ revelationis. Ergo huiusmodi notitia ad pium affectum credendi neque necessaria est, neque sufficiens. Quinimò ei obstat. Nam quod obstat fidei, nequit non obstare causis efficaciter moventibus ad exequutionem ipsius. At pia affectio voluntatis causa est vltimò determinans, movensque intellectum efficaciter ad fidei exequutionem. Ergo talis notitia potiùs obest, quàm confert ad actum fidei. Deponenda namque est ad credendum, & loco illius alia subroganda, quę cum vera fide componatur, ac eam reddat prudenter exequibilem.

36. Moveor 2. auctoritate Concilij Tridentini *sess. 6. cap. 9. fin.* quo loci adversus inanem hæreticorum fiduciam tanquam prorsus repugnãtia proponuntur *posse quemlibet, dum se ipsum respicit, de sua gratia formidare, ac timere, & esse aliquem, qui scire valeat certitudine fidei, cui nequit subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* At si notitia probabilis, ac formidolosa revelationis sufficeret, duo ista asserta, iuxta Concilium pugnantia, fœderari valerent quàm facillimè. Dici enim posset, eum ipsum, qui fide Divina crederet, se esse gratiam consequutum, adhuc posse de eadem gratia formidare, quia ei satis fuit ad credendum revelatio formidolosè proposita, aut cognita fallibiliter. Et sanè permulti agnoscunt magna probabilitate se esse ex illis, de quibus Deus revelavit gratiam esse consequutos, id enim generatim revelatum est de omnibus, qui Deum diligunt ex toto corde, vel rite, ac rectè sacramenta suscipiunt, atque eadem probabilitate, qua norunt se ista rite, ac rectè facere, sciunt se esse directè comprehensos, & significatos sub revelatione illa tanquam particulares sub vniversali sua. Et nihilominùs Concilium asserit, *nullum esse, qui scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse cõsequutum.* Ergo vt aliquid hac fide credi valeat, non est satis maxima revelationis probabilitas. Nam si ea sufficeret, vniversalitas revelationis nil obstaret; atque ita dicendum esset iuxta sententiam contrariam esse multos, qui Divina Fide scire possint, se esse in gratia, quod apertè est contra Concilium.

37. Quòd verò vniversalitas revelationis nil obstaret, nisi obstaret probabilitas, inde patet, quia iuxta communem, & hoc tempore receptam sententiam Theologorum de fide est, hunc singularem hominem Innocentium, qui nunc præsidet pacificè in Ecclesia, esse verum, ac legitimum Pontificem; & tamen de illo in speciali nil est nobis revelatum, sed ideò creditur, quia certò constat ex facto ipso illi competere omnes conditiones necessarias, vt directè comprehensus censeatur sub revela-

tione generaliter loquente de omnibus, qui sunt veri Pontifices. Pariformiter discurrunt alij de Sanctis particularibus, puta Ignatio, vel Dominico, postquam sunt legitimè Canonizati. Neque vllus audebit dicere, has sentẽtias, aut esse censura dignas, aut non esse maximè probabiles. Sed Conciliari censura dignum est asserere, posse aliquem de sua gratia formidare, & nihilominùs credere Fide Divina, se esse gratiam cõsequutum. Ergo in hoc eventu mali labes ex revelationis vniversalitate non oritur; sed ex formidine partis oppositæ, & incertitudine annexa cuivis probabilitati.

38. Moveor 3. Nam revelatio, cuius existentia proponitur tanquam incerta & fortè falsa, non proponitur modo sufficiente ad credendum sine levitate, & imprudentia infallibile esse, quòd ea existat, & quòd propterea certum sit ipsius obiectum. Ergo neque proponitur modo sufficiente ad credendum fide salutari, ac Theologica. Patet consequentia. Quia fidei Theologicæ non sufficit esse in se certam, certitudine latente eum, qui credit; sed eum ipsum certum, ac securum reddit de sui obiecti veritate, & absque levitate, aut imprudentia affirmat esse certum, prorsusque infallibile, eo quòd dictum sit à Deo iuxta illud Pauli 2 *ad Thimoth* 1. 12. *Scio cui credidi, & certus sum.* Tobiæ 3. 21. *Hoc pro certo habeat omnis, qui te colit.* Act. 2. 36. *Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Iam verò antecedens ex suis terminis satis perspicuum apparet, quia tàm dictum, quàm auctoritas dicentis insimul debent concurrere, vt fiat credibile obiectum: & sicut incerta veracitas loquentis nequit sufficere ad credendũ certa fide, quod is loquitur, sic pariter incerta loquutio ad id satis esse nequid, quia fortè non est illius, aut forsan non dixit, quod dixisse credimus. Idipsumque in promissionibus, servata proportione, contingit: nam vbi incerta est promissio, certam fidem rei futuræ nequaquam gignere valet fidelitas, & potentia promittẽtis, sicut neque certam spem; sed eidem prorsus periculo deceptionis, ac falsitatis expositam, cui est exposita promissio solùm probabilis, proindeque fallibilis, & speranti, vel credenti incerta.

39. Suadetur præterea, tum ex his, quæ apud nos accidunt, quia ad habendum aliquid pro certo, eo quòd sit ab alio dictum, non sufficit, quòd ille sit omni exceptione maior, si incertũ sit, an sit testis: & quod prudenter putamus fortè non esse ab eo dictum, ex attestatione ipsius formidolosè credibile; non verò securũ redditur. Tum præterea, quia etsi auctoritas S. Augustini, aut S. Thomæ tanti momenti sit, cùm de mente ipsorum dubitari nequit; longè aliter accidit, cùm illa est sub opinione posita, & solùm est probabilius, eos sensisse, quod illis imputatur: tunc enim temerè, & contra rationem credimus, certum esse quod id dixerint, vel quòd illorum auctoritas plenè assistat ei sententiæ. Tum demum, quia nec notitia Divinæ revelationis ex levibus indicijs concepta sufficit ad credendum probabiliter ipsam, aut eius obiectum, nec minùs probabilis ad iudicandum, eam esse probabiliorem. Ergo neque probabilior ad credendum, illam esse omnino certam. Qui autem id certò non iudicat, saltem per ipsum assensum fidei, neque iudicare poterit secundum rectam prudentiam, ex vi illius rem revelatam esse prorsus infallibilem, & extra periculum deceptionis constitutam. Excedit enim capaci-

capacitatem motivi ille modus asserendi, & fides resoluta in sua principia hunc ineptum sensum redderet: *Credo mysterium Trinitatis esse infallibiliter verum, quia id Deus dixit; sed fortasse est falsum, id esse dictum à Deo.*

40. Moveor 4. Nam ille, qui formidat, ne fortè decipiatur, & putet esse à Deo dictum, quod ipse non est loquutus, nequit prudenter adhærere obiecto credibili ex toto corde: videt enim manifestum periculum deceptionis, & in duas partes distrahitur propter probabilitates contrarias invicem sibi obstantes, ne vlli soli pleno corde, ac mente acquiescat. Ergo nullatenus credit fide salutari, ac Theologica. Nam quod ista fide creditur, vel ab vno Cathechista propositum, non vtcumque, sed ex toto corde, & super omnia est credendũ. Quocirca Eunucho infideli postulanti Baptismum à Philippo, qui eum solus instruxerat, atque dicenti *Act.* 8.36. & 37. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Philippus respondit sapienter: *Si credis ex toto corde, licet:* nam aliter credendo neque Eunuchus esset per fidem ad Baptismum sufficienter dispositus, nec Philippo eum baptizare liceret. Qui autem credere debet toto corde, etiam credere debet tota mente: ita enim interpretatur præceptum diligendi Deũ ex toto corde Matthæus Evangelista 22.37. Et ideò, sicut præceptum diligendi Deum ex toto corde est præceptum diligendi ipsum super omnia appretiativè, ita vt ex vi huius affectus cœtera omnia negligantur, quæ amicitiæ illius sunt adversa, sic pariter cùm ex toto corde Deo creditur ad iustitiam, & huiusmodi fides à nobis postulatur, necessarium est, vt super omnia assentiamur dictis eius, nihili prudenter habituri quidquid illis contradicere videtur. Vnde S. Augustinus *lib.7. Confession. cap.*10. aiebat: *Facilius dubitarem vivere, quàm esse vera, quæ audivi.*

41. Moveor 5. Quia eadem fides esse debet adeò firma, adeòque stabilis, vt neque licitè possit retractari, nec repudiari prudenter, quantumvis valde apparentes rationes ipsi contrariæ de novo occurrant credenti: omnibus enim præponderat credibilitas illius, nec posset præponderare, si non certa, sed formidolosa, & duntaxat probabilior esset. Assumptum in aperto est. Tum ex *propos.* 20. nunc proscripta, cuius hic est tenor: *Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* Porrò supernaturalis est quilibet assensus veræ fidei, ac propterea secundum prudentiæ regulas penitus irretractabilis. Tum quia nec dilectio, nec cultus Dei super omnia licitè vnquam revocatur; eadem autem est ratio de fide: nam fides etiam credit Deo super omnia, & tàm ipsa, quàm dilectio, ac cultus, exhibenda sunt à nobis toto corde, ac toto animo. Quinimò, si veri Dei certa fides semel habita prudenter retractaretur, consequens etiam esset retractare cultum, & amorem eius, saltem vt vltimi finis supernaturalis, nam à vera fide pendet iste cultus, & is amor. Tum demum ex dictis *suprà num* 7. & 15. cum Apostolo scribente *ad Galatas, cap.*1. eos non fuisse transferendos ad fidem illi contrariam, quam iam anteà ab eo didicerant, licet ipse, aut etiam Angelus id persuadere contenderet magna sua auctoritate.



CA-

CAPVT V.

Vtrùm liceat in materia fidei sequi quamcumque ex contrarijs opinionibus certò probabilibus?

42. EX hucusque dictis constat 1. cõtra fidem publicè traditam, receptamque vt talem ab vniversali Ecclesia nullam dari probabilem opinionem. Nam contra certum, aut evidens publicum, & assequibile nequit dari vera probabilitas, aut spes sese defendendi; sed ad summum apparens, & falsò existimata per errorem, qui plerumque erit vincibilis, voluntarius, ac vituperabilis in illis, qui assequuti sunt fidei notitiam, & neque Doctorem quærunt, nec abstinent à peccatis, nec adhibent alia media, vt de illius certitudine, ac necessitate instruantur. Atque ita de eiusmodi probabilitate sentiunt Auctores communiter, & disertè inter recentes Gonet *in dicta dissert. de opinion. probab. num.* 241. Honoratus Fabri *in Apolog. dialog.* 5. *de opinion. probab. fol. mihi* 106. *col.* 2. *& Dial.* 10. *fol.* 218. Lucius à S. Marco *in germana doctrin. Tambur. cap.* 20. & qui rem latiùs discussit Terillus *de regula morum. p.* 1. *q.* 26. maximè *num.* 5. 6. *&* 22. cui adde Card. de Lugo *disp.* 10. *de Fide num.* 13.

43. Constat rursus, nullam sectam videri posse probabilem ei, cui fides sic proponitur, vt statim possit, si velit, imperare eius assensum ex pio affectu voluntatis. Nam qui probabilem putat v.g. sectam Calvinianam, aut non intelligit terminos, aut censet esse prudenter credibilem, &, omnibus inspectis, nil contra se habere, quo falsitas illius certò convincatur. Qui verò doctrinam Catholicam sibi propositam habet modo sufficiente proximè ad assensum salutarem imperandum, eo ipso iudicat, eam solam esse prudenter credibilem, & absque metu, aut periculo cuiuscumque deceptionis credi posse tanquam certam, & omnino irrefragabilem. Porrò hæc iudicia contradictoria sunt, & in eodem intellectu simul cohærere non valent: iudicaret enim, solam Catholicam fidem esse, ac non esse prudenter credibilem; sectam autem Calvinianam habere, & non habere contra se motivum infallibile, quo certæ falsitatis convincatur, simulque diceret, se posse, ac non posse prudenter de veritate fidei formidare.

44. Hæc tamen non tollunt, quominùs circa ipsam fidei materiã in rebus ab Ecclesia nondum definitis probabiles opiniones inter se cõtrariæ reperiri valeant, quas sui Auctores laudabiliter, & sine pertinacia defendunt. Exemplo sit celebris illa, quam Thomistæ, & Scotistæ acriter versant circa præcipuum motivum Incarnationis Dominicæ, & adventum Christi in carne. Asserentibus illis, & ex Sacra Scriptura nervosè colligentibus, eum non venturum, deficiente Adæ peccato, & totam causam finalem, atque rationem veniendi ei fuisse peccatores salvos facere, ac redimere illos, qui perierant. E contrà verò Scotistis repugnantibus, & ex adverso censentibus, carnẽ nostram assumpturum, etsi Adamus nõ peccaret, ob excellentiam mysterij, seu, quod ego alibi docui, *propter nos homines, & propter nostram salutem*, quæ non solùm curatione infirmitatis, sed etiam præservatione obtinetur. *Ego*, inquit, Ioannis 10. 10. *veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*: qui finis morte, atque resurrectione non indiget; sed

gratiæ

gratiæ nunquam amiſſæ, & vitæ æternæ donatione compleri potuit in nobis, ſicut in Angelis fuit re ipſa completus.

45. En igitur contradictorias opiniones, quas in materia fidei verſari nullus ambigere valet, cùm illarum fundamenta ex Sacris litteris,& teſtimonijs Divinis præcipuè deſumantur. Dubium tamen eſſe poſſet, an liberè,ac licitè vtramlibet amplecti,ac defenſare poſſimus, niſi evidẽtiſſimum foret, duas ſapientiſſimas, ac florentiſſimas Scholas, & de fide, ac religione optimè meritas, quales ſunt Thomiſtica,& Scotiſtica cũ alijs innumeris Catholicis Doctoribus ſic eſſe inter ſe diviſas circa controverſiam iſtam,vt poſt longævum, & accuratum examen neutra quidquam adinvenerit, quo certæ falſitatis alia convincatur. Quocirca neque illi ipſi, qui defendunt Chriſtum fuiſſe carnem noſtram aſſumpturum, etſi Adamus non peccaret, contrariam ſentẽtiam taxant, nec qui oppoſitum tuentur,notam vllam alteri doctrinæ inurunt; ſed vniformi conſpiratione ſupponunt, ſingulas honeſtè, ac piè defenſari à ſuis Auctoribus,& quoad eum effectum certò probabiles eſſe practicè, ac ſpeculativè. Et, quod plus eſt,Summus Pontifex Sixtus IV. cùm vtramque propoſuiſſet, *vtramque pietati, fidei,auctoritatibus,& rationibus ſubſiſtere* declaravit. Litteras Apoſtolicas ad longum exhibet P. Alphonſus Fernandez *in concertat. Prædicatoria contra hæret. ad annum* 1482. *fol. mihi* 228. earumque meminit Franciſcus Diagus *lib.* 1. *de Provinc. Aragoniæ Ordinis Prædicat. cap.* 33. & Ioannes Antonius Saura *de exam. propoſit. cap.* 12. *fol. mihi* 35.

46. Dixi, dubium eſſe poſſe de libero,ac licito aſſenſu,& propugnatione iſtarum propoſitionum,aliarũque ſimilium, quia rationem dubitandi ſubminiſtrant hoc tempore nonnulli recentiores magna animi adhæſione profitentes,in his, quæ ad fidem,vel ad mores ſpectant, nõ iam probabiliorem, aut probabilem, ſed tutiorem opinionem ex præcepto eſſe ſequendam, vbi de veritate non conſtat. Nam,ſi vera eſt hæc doctrina,nec Thomiſtis, nec Scotiſtis liceret defendere abſolutè tanquam veram ſuam opinionem: vtraque enim eſt expoſita probabili periculo contradicendi Scripturis, quibus ab alia impugnatur, & imponendi Spiritui Sancto per eas loquenti illa, quæ nõ dixit, aut detrectandi, quæ dixit de motivo Incarnationis. Nam, vt alia omittam, ſi illis verbis Matth. 9. 13. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*: expreſſum eſt principale Incarnationis motivum cum aliorum excluſione,ſicut Thomiſtæ contendunt,Scotiſtæ proculdubio contradicunt Divinæ revelationi iam factæ,neque ab eo periculo ſeſe præſervare poſſunt ſuæ opinionis probabilitate, ſiquidem probabilitas non tollit periculum falſitatis; ſed potiùs affert formidinem, metumque partis oppoſitæ. Si verò non eſt expreſſum,vt Scotiſtæ probabiliter exiſtimant, eadem probabilitate colligitur, Thomiſtas Scripturæ imponere ea, quæ non dixit, & contradicere alijs eius teſtimonijs,vnde ſumitur veniſſe Chriſtũ ob excellentiam myſterij, aut potiùs vt Salvatorem, & cauſam noſtræ ſalutis, datoremque gloriæ, ac gratiæ, ſeu per peccatum deperditæ,ſeu nunquam peccato amiſſæ.

47. Vtrimque igitur adeſt periculum, vtrimque formido errandi, atque ſentiendi re ipſa contra mentem Dei loquentis, & Spiritus revelantis. Vnde,ſi ſemita tutior neceſſariò eſſet ſequenda,& periculum iſtud evitandum,neque Scotiſtis affirmare liceret,neque Thomiſtis negare, Verbum

bum hominem futurum, deficiente Adæ peccato, ex vi præsentis decreti; sed vtrique suum iudicium suspendere deberent, & in vtramvis partem nil determinare, donec veritas clariùs illuceſceret. Id namque proculdubio est cautius, tutiusque ab omni periculo contradicendi Scripturis, & in rebus periculosis, & ambiguis frequenter vsitatum à prudentibus. Vel, si aliquid foret enuntiandum, id vtique fieri non deberet per iudicium absolutum, sive affirmativum, sive negativum Incarnationis futuræ in prædicto eventu; sed per iudicium modale enuntiativum probabilitatis, quo singuli quique dicerent opinionem suam probabilem. Nam vtriusque dicti probabilitas certissima est, quamvis incerta sit veritas vniuscuiusque. Atque adeò, qui de sola vtriusque probabilitate iudicaret, non autem de veritate, aut falsitate ipsius adventus in circumstantijs prædictis, nulli periculo deceptionis exponeretur, nullique discrimini contradicendi Spiritui Sancto, quia & ipse iudicat vtramlibet ex ipsis opinionibus nobis certò esse probabilem, licet sibi neutra probabilis sit; sed vna vera, & alia falsa evidentissimè.

48. Vnde proclive iam est ita argumentum colligere. In hoc puncto tàm Thomistæ, quàm Scotistæ, non solùm sine peccato, sed honestè, ac valde piè assentiuntur suæ opinioni, eamque absolutè propugnant tanquam veram, quin debeant iudicium suspendere, aut iudicare duntaxat de speculativa probabilitate illius, & qui oppositum asserere auderet, cõmunissimæ Theologorum sanctioni temerè contradiceret, ac Pontifici affirmanti, vtramque fidei, ac pietati, rationi, & auctoritatibus satis congruere. Sed neutra ex eis opinionibus immunis est à periculo errandi contra Scripturam, & asserendi quod re ipsa sit contra revelationem in ea contentam, & intentam ab Spiritu Sancto, neque fieri potest, vt vtraque sit probabilior altera secundum se, & absolutè: id enim apertissimam contradictionem involvit. Ergo in materia concernente fidem nulla est obligatio sequendi opinionem tutiorem, aut probabiliorem; sed satis est sequi quãlibet è duabus inter se oppositis, certò tamen probabilibus; toleratisque ab Ecclesia.

49. Quæ doctrina iam olim cõmunis erat inter antiquos Theologos, & perseverasse hucusque, ex ipsius facti evidentia demonstratur: sunt enim inter Theologos innumeræ controversiæ circa libertatem, gratiam, peccatum originale, & alia id genus, quarum fundamenta sumũtur ex Sacris litteris, Concilijs, atque decretis Pontificum docentium ex cathedra vniversalem Ecclesiam, & quamvis valde probabiliter inducantur adversus opinionem contrariam, eique obijciatur illis contradicere, adhuc nullus est, qui ea propter iudicet, ex fidei præcepto, vel alio titulo se esse obligatum ab assensu, aut defensione illius abstinere, dum probabiliter illis satisfacit, ac gravi motivo innixus nec se illi, nec eam sibi adversari contendit. Eademque fuit proculdubio recepta antiquorum praxis, S. Antonino scribente *p. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. Constat communiter apud Theologos, quòd in materia fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesiæ tenere vnam partem, vel alteram sine periculo peccati, vel fidei.* Præiverat ab eo allegatus Gerson *p. 2. de cõtract. propos. 13.* & expressè contestantur Ioannes Nider *in Consolatorio timor. cons. 3. p. cap. 29.* Sylvester *in summa.* verb. *Opinio. q. 1.* Ioannes Maior *in 4. q. 2. Prologi concl. 2.* Caietanus *1. p. q. 32. art. 4.* Pelbartus de Themesuvar

meſuvar 1.*p. Roſarij Theologia,quam anno* 1500.*conſummavit*,verb.*Opinio.* §. 15.

50. Sed quod rem preſſiùs confirmat, ſunt litteræ præcitatæ Sixti IV. quæ prodierunt occaſione acris controverſiæ motæ in Regnis Aragoniæ ad annum 1482. contra proſam illam pervulgatam in Eccleſia, qua ad B. Virginis miſericordiam flectendam allegatur tanquam titulus,non futuram Chriſti matrem,niſi peccatores eſſent. *Peccatores*, inquit,*non abhorres,ſine quibus nunquã fores tanto digna filio.* Carpebant autem vehementer modum iſtum exorandi,atque colendi Deiparam nonnulli graves Theologi, reclamantibus alijs ex adverſo iuxta opinionem Scoticam, aut Thomiſticam, qua vnuſquiſque imbutus erat, reque tota ad Sanctam Sedem delata,& iuſſu ipſius accuratè diſcuſſa apud Cardinales deputatos ad negotia concernentia fidem, tandem concluſum eſt anno ſequenti 11. die Septembris, eiuſmodi precationem,vtpote cuidã probabili opinioni, nempe Thomiſticæ, innixam, temerè, ac præſumptuoſè notari alicuius peccati, aut indecentiæ. Verba Pontificis hæc ſunt: *Cùmque priori opinioni verſus illi innitantur,dicimus,quidquid contra dictos verſus attentatum fuit,temerarium, præſumptuoſum, & pœna dignum præſumptum fuiſſe, tanquam contra opinionem à Doctoribus Catholicis poſitam.* Hucuſque Sixtus.

51. Vbi expendi debet accuratè, iſtiuſmodi controverſiam ad materiam fidei, morumque ſpectaſſe. Fidei quidem, quatenus in dubium vocabatur, num eſſet vera, vel falſa, conſentanea, aut diſſentanea Divinis revelationibus illa doctrina, quæ in prædicta proſa continetur. Morum verò, duplici de cauſa. Prima, quia movebat ſcrupulum, an eſſet licita eiuſmodi opinionis electio, relicta tutiore, vel probabiliore, vel potiùs illicita,contrariaque honeſtati,atque pietati fidei ob periculum ſentiendi, & opinandi re ipſa contra mentem Sacræ Scripturæ,ac Sancti Spiritus in ea,& per eam loquentis.Secunda autem, quia vſus eius quoad effectum deprecandi B.Virginem,& allegandi pro titulo,quod fortaſſe falſum erat, videbatur cultus quidam ſuperſtitioſus, & indecens, qui miſericordiam eius irritaret,& non flecteret. Neque enim poteſt gaudere Maria fictis honoribus,aut dubijs titulis ad beneſaciendum peccatoribus, cùm tot ei ſuppetant indubitati,& alieni à falſitatis periculo, & incertitudinis ſpecie. Neque peccatores indigent titulo forſan inani,vt in ſe excitent fiduciam obtinendi auxilij Mariani,cùm certò conſtet aliunde, eſſe illorum advocatam,& miſericordiæ matrem. Vnde nec ſimilis titulus huic homini Chriſto,aut humanitati illius proponi ſolet, quamvis de illa etiam dicatur non fore hypoſtaticè vniendam, nec Chriſtum Deum,& hominem re ipſa futurum,dempta occaſione peccati.

52. Quæ cùm ita ſint, adhuc Pontifex tàm ſupradictam ſententiam,quàm contradictoriam eius declaravit eſſe licitè eligibilem, & aſſenſum, ac defenſionem ipſius conſentaneum honeſtati, ac pietati noſtræ fidei. Nec neceſſarium putavit ex præcepto fidei,alteriuſve virtutis, vel ſuſpendere iudicium,vel iudicare duntaxat de probabilitate vniuſcuiuſque ex illis,etſi id longè tutius foret, & liberius à periculo contradicendi Scripturæ,& ſacris auctoritatibus; ſed ſatis eſſe ſuppoſuit vtramvis eſſe probabilem, vt error, qui in vna ipſarum neceſſariò reperitur, eſſet merè materialis. Ac rurſus,ſicut non dixit, quænam ex eis eſſet tutior, ita

neque examinavit, quænam esset speculativè probabilior, aut Sacræ Scripturę conformior, neque eo fundamento ductus laudabilem esse duxit morem illum deprecandi B. Virginem, & contradictores eius præsumptuosos, atque temerarios censuit; sed præcisè quia vni ex illis opinionibus à Doctoribus Catholicis piè, ac probabiliter positæ, nempe à Thomistis, versus illi innitebantur. Et, si aliquid coniectandum est de mente ipsius, credi potest, eum duxisse, doctrinam ibi contentam non esse probabiliorem; sed potiùs minùs probabilem: erat enim Minorita, quibus solemne est Scoto adhærere, & opiniones Thomisticas, maximè illam, de qua loquimur, viriliter oppugnare.

53. Constat igitur ex decisione Pontificis, in materia fidei, ac morũ licitum esse, ac honestũ sequi quamvis opinionem certò probabilem, neque opus esse vel adhærere tutiori, vel probabiliorem amplecti, aut abstinere ab assensu, vel ab vsu opinionis minùs tutæ, minùsque probabilis. Nam assensum, vsumque opinionis minùs tutæ in hac materia, vt ex suprà dictis constat, Pontifex ipse approbavit tanquam pium, & honestum. Neque exegit, vt ea saltem esset certò probabilior: nullam enim, vel tenuissimam, mentionem huius requisiti fecit; sed vtramvis opinionẽ, verbis vtrique communibus, pietati, fidei, auctoritati, ac rationi congruere pronuntiavit. Nec voluit propterea, illas esse æquè probabiles; sed Theologorum id disputationi reliquit, sola certa vniuscuiusque probabilitate contentus, vt electio, vsusque illius in nostris deprecationibus pius, ac honestus esset adeò certa pietate, & honestate, vt non nisi temerè, ac præsumptuosè vituperari possit, vel vt illicitus reijci.

54. Quòd si inter opiniones fidei, ac morum sola tutior, aut sola probabilior posset eligi, aut deduci ad praxim, Pontificia declaratio, atque defensio proculdubio vacillaret, & infirma ratione niteretur. Nam de tutiore iam constitit, longè tutius, atque cautius esse in re periculosa, & ambigua expectare determinationem Ecclesiæ, & interim nil assertivè enũtiare de veritate, aut falsitate illius eventus. De probabiliore verò exinde patet, quia Scotistæ, & alij permulti censent, Thomisticam opinionem, cui nituntur illi versus, non esse probabiliorem; sed æquè, aut minùs probabilem: vnde nulli ex eis liceret tali precatione vti, neque ipsi Pontifici, qui, vt præmisimus, Scotista erat. Et, sicut non essent temerarij, aut pœna digni, qui assererent, Thomisticam opinionem verè esse minùs probabilem, & longè minùs, qui dicerent, non esse probabiliorem certò, ac indubitanter, cùm illius probabilioritas sit sub opinione posita, & de facto controversa, ita nec temeritatis notæ, neque alij pœnæ obnoxij viderentur, qui talem deprecationem in praxi reprobarent, si sola probabilior opinio licitè in praxi est sequenda.

55. Ratio quoque à Sixto adducta exigui foret momenti. Nam quòd vni probabili opinioni versus illi subnitantur, non tolleret, quòd illorum vsus esset illicitus practicè, si probabilitas certa æqualis, aut minor non sufficit ad honestatem actionis, sed maior determinatè requiritur in materia fidei, aut cultus, vt illa evadat honesta. Quare nec vi huius rationis iustè potuissent damnari præsumptionis, & temeritatis, vel pœna digni censeri, qui eiusmodi precationem vt illicitam respuebant. Sponte namque faterentur, id esse contra opinionem à Catholicis Doctoribus posi-

positam, quod solum Pontifex dixit; & adhuc reponerent, non esse probabiliorem, vti ad licitam precandi praxim opus erat. Atque vlteriùs adderent, se quoque probabili, & fortsan probabiliore opinione niti ad contradicendum, & negandum probabilioritatem alterius, ac proinde eâdem ratione excusari à pœna, & temeritate, qua Pontifex adversarios suos excusandos esse censuit.

CAPVT VI.

Obiectio pro obligatione sequendi hac in re tutiorem partem, & vberior prædictorum confirmatio.

56. OBiectio sic se habet: Qui se exponit periculo morali incidendi in hæresim, aut in opinionem aliquam erroneam, vel temerariam temeritate Theologica, proculdubio peccat contra fidem: id enim generale est, & de periculis cõmittendi alia peccata respectivè traditum ab omnibus Theologis, acceptumque ex Ecclesiastico 3. 27. scribente: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Sed qui, relicta tutiore, in materia fidei probabilem opinionem assertivè tradit, & absolutè tanquam veram defendit, huic periculo se exponit: nam, si falsa sit sua opinio, eo ipso contraria erit Divinis revelationibus in Sacra Scriptura contentis, & difformis menti illius, qui eas dictavit. Ergo peccat contra fidem mediatè, vel immediatè.

57. Respondeo, assumptam doctrinam in illis locum habere, qui temerè, aut incautè se exponunt periculo deserendi fidem, seu contradicendi rebus ab Ecclesia iam determinatis, vel ex Sacra Scriptura manifestis, vt plerumque indoctis accidit, qui cum hæreticis disputant, aut cõmunicant frequenter de rebus ad religionem spectantibus, aut illorum libros legunt, aut cum ipsis matrimonium ineunt; vel etiam doctis, cùm nimis licenter opinantur circa eiusmodi materiam, doctrinasque hæresi proximas, aut temerarias excogitant, vnde vi consequentiæ sensim pertrahantur ad sentiendum cõtra regulam veræ fidei, atque pietatis. Hi namque proprie periculum suæ perversionis amant, & contra fidem delinquunt, dum sese sponte conijciunt in proximam occasionem recedendi à vera fide, vel per hæresim, si periculum pertinaciæ non desit, vel per simplicem errorem, si non metuant pertinaciam. Quocirca ipsis rectè accommodatur, quod de periculis aliorum peccatorum dicitur, & de obligatione præcavendi voluntarias occasiones orta ex præcepto cavendi, seu vitandi ipsa peccata.

58. At verò longè alia est ratio de illis, qui in materia fidei aliquam ex contradictorijs opinionibus certò probabilem amplectuntur: hi namque sine peccato id faciunt; imò cum laude virtutis, vt Sixtus IV. decrevit, & præter S. Antoninum, Caietanum, Gerson, Maiorem, Sylvestrum *num.* 49. appellatos, docuit ex professo S. Thomas *in* 1. *dist.* 38. *q.* 1. *toto art.* 5. *&* 1. *p. q.* 32. *art.* 4. vbi interpretes cõmuniter; copiosè suffragante Terillo *de regula mor.* 1. *p. q.* 11. & prælucente Bernardo *epist.* 77. *longè ante fin.* his præter cætera: *Sanè ibi vnusquisque in suo sensu securus abundat, vbi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obviat.* Et sanè liquis percurrat diversas, prorsusque oppositas expositiones locorum Sacri instrumenti, quæ extant apud SS. Patres, & alios commentatores, planè comperiet,

hunc modum differendi fuisse vsitatissimum; & non solùm sine scrupulo, sed magno fidei profectu; summaque laude pietatis receptum in Ecclesia ab incunabulis. Theologi quoque Scholastici vix linguam movere possent, nisi ex principijs fidei ad suum intentum probabiliter applicitis opiniones suas confirmarent. Et cùm sæpe obijciant adversarij, oppositas assertiones contradicere Concilijs, aut Scripturis Canonicis, & deducendo ad absurdum id rectè sequi contendant, neque ipsi deterrentur metu imponendi Spiritui Sancto, quę non dixit; neque alios deterrent, quominùs in sua opinione persistant, dum probabili solutione declinant absurdum, quod sibi opponitur.

59. Neutri ergo debent iudiciũ opinativum suspendere metu errandi, aut dissentiendi ab Scripturis Canonicis, quamvis necessarium sit, vt aliquis ipsorum circa verum earum sensum decipiatur: quia ex duabus contradictorijs vna debet esse vera, & alia falsa, & hoc est evidentissimum; tametsi sub opinionum ambiguitate versetur, quis possit discerni à nobis, cuinam veritas determinatè conveniat, & cuinam officiat falsitas. Quæ vividiùs vrgent, si expendas, frequentissimè quæstiones excitari, quibus inquiritur, an sit aliquid de fide, vel quo gradu certitudinis teneri debeat? Quia esto Auctores inter se dissentiant, & aliqui affirment; alij verò negent, id esse de fide; dum vtique probabiliter discurrunt, & ipsi fidei, & prudentiæ sufficienter satisfaciunt, & nemini imputatur ad culpã, quòd vterque cum formidine opinionem suam protulerit, & alteruter erraverit. Imò interdum evenit, vt quod nonnulli iudicant esse de fide, & in Sacris litteris sufficienter expressum, alij ex adverso censeant, neque certum esse; sed probabilius dũtaxat, atque falsitati expositũ. Exempla apud Theologos obvia sunt. Vnum duntaxat propono ex illa quæstione, qua inquiritur: *Vtrùm virtutes cardinales per se infusæ simul cum Theologicis in iustificatione conferantur?* Sunt enim non pauci ex Thomistis, qui id putant esse de fide, reclamantibus Scotistis, aliisque permultis, & statuentibus, non esse, nisi opinionem Theologicam. Videndus Suarez *tom. 3. de gratia, lib. 6. cap. 9. à num.* 11. qui, fundamentis omnium rectè ponderatis, huic parti tandem accessit.

60. Est igitur contra praxim, sensumque Ecclesiæ vniversæ obligatio illa abstinendi circà materiam fidei ab opinionibus, quoties sunt certò probabiles, propter errandi periculum, quod est alterutri annexum. Est etiam adversus bonum commune, atque scientiam ipsam veritatis: neque enim veritas fidei exponi posset, addisci, defensari, investigari, stabiliri, aut doceri hæsitando, vel suspendendo iudicium; sed affirmando, aut negando: & in ordine ad hos fines, qui summi momenti sunt, longè est tutius, ac vtilius opinari, quàm hærere, & nihil asseverare. Et alioqui neque certò probabilioribus doctrinis asseveranter assentiri liceret, nam & illæ sunt obnoxiæ falsitati. Nec solùm illæ, sed ipsa probabilioritas frequenter est incertissima, & sub opinione positum, vtra ex duabus opinionibus sit conformior rectæ fidei: vnde hoc quoque iudicio supersedere oporteret, si circa fidei materiam nihil, nisi certum, liceat affirmare. Et, quod est absurdius, Sancti Patres, apud quos passim leguntur opiniones, interpretationesque contrariæ locorum Sacræ Scripturæ, peccassent illas tradendo: potiùs enim suspendere debuissent suum iudicium, & remittere illud ad Ecclesiam,

siam, cùm nemini ex eis certò constaret, quæ esset vera, vel quæ falsa, quæ probabilior, quæ minùs, quæ æquè probabilis. Et cùm facto suo, & exemplo modum istum differendi circa materiam fidei comprobassent, reliquis scandalo fuissent, tunc, & modò; imò mortui impœnitentes, quia illum nunquam retractarunt, neque admonuerunt periculi posteritati imminentis, si vestigia ipsorum fuisset imitata.

61. Iam verò quòd in eiusmodi assensibus, tametsi formidolosis, non inveniatur periculum peccati per se imputabilis, & præsertim contra fidem, inde ostensivè monstratur. Quia in primis omne abest periculum hæresis, aut infidelitatis, cùm pertinacia desit, & voluntas in obsequium fidei subijciatur determinationi Ecclesiæ, corrigi parata ad eius nutum. Abest iterum periculum errandi contra fidem propositam modo sufficiente ad credendum, prout oportet: quia, vt suprà visum est, eiusmodi propositio reddit solam vnam partem prudenter credibilem; aliam verò inopinabilem. Abest insuper periculum cõtradicendi fidei, aut veritati contradictione manifesta, aut à consilio: quia ponimus, opiniones immediatè versari circa materiam nondum ab Ecclesia decisam, & error, siquis cõtingit, contra voluntatem opinantis evenit, qui spiritu contradictionis nõ ducitur; sed potiùs conformitatis. Abest præterea periculum assentiendi alicui dogmati, cuius oppositum ex principijs fidei clarè deducatur: supponimus enim, sufficienter solvi argumenta inde petita, nam alioqui opinio non foret certò probabilis; sed certò opposita, saltem mediatè, alicui fidei principio. Abest denique periculum contradicendi rectæ fidei ex certa scientia, vel negligentia culpabili addiscendi eius doctrinam: nam & certa scientia vnius extremi necessariò deest, cùm probabilitas vtrimque adest, & culpabilis negligentia esse non potest, vbi post diligentem discussionem adhuc veritas non liquet.

62. Porrò, cùm hæc omnia desunt, omne periculum abest errandi inexcusabiliter in electione opinionum contra leges fidei, aut veritatis. Nam error, siquis contingit, non est affectatus, nec crassus, nec negligens; sed invincibilis, atque purè materialis, latensque sub tanta specie, & colore veritatis, vt verosimilitudo ipsius sapientes etiam, ac prudentes fallat, & meritò ab ipsis non iam error, sed veritas reputari valeat. Metus autem ita errandi non est metus tanti mali, quod etiam cùm timetur, præcaveri debeat: forsan enim boni est, & fidei, ac veritati conforme, & sub hac ratione intenditur, atque prudenter speratur. Vel rogo, quidnam culpetur in electione illius? An quòd homo positivè illum non vicerit, nec à veritate discreverit? Sed hoc fuit illi impossibile, etiam post congruam diligentiam factam. An quòd eum non evitaverit per suspensionem iudicij? Sed nulla lege tenetur propter metum ita errandi præcidere sibi spem assentiendi veritati: eradicaretur enim simul cum zizania triticum, & omnes veræ opiniones vnà cum falsis de facto submoverentur, quantumvis summè probabiles. Non est ergo talis error ex illis, qui vinci possunt, aut qui debent evitari. Nec re vera nocet, dum pro veritate habetur iustis de causis; sed iuvat ad inveniendam ipsam veritatem, quæ per cõtrarias, differentesque opiniones sæpius obtinetur, &, ijs sublatis, neque rectè examinari posset, nec tandem discerni à falso. Langueret enim studium inquirendi verum metu errãdi in ipsa inquisitione, &, sublata

lata interim licita opinandi facultate, tota illa Theologia condemnãda esset, quæ in disserendi subtilitate versatur, simul cum studio exponendi Sacras litteras, & defendendi scholasticè doctrinam fidei: nam in his omnibus pauca sunt certa, si cum incertis, & obscuris conferantur.

63. Audiendus modò S. Thomas *in dicta q. 1 art. 5. corp* vbi pleno assensu præiactæ doctrinæ favet. *Si contradictio* opinionum *est de his, quæ ad fidem pertinent, hoc posset esse dupliciter. Vel quia est de illis, quæ expressè in articulis fidei continentur, quos scire omnes tenentur, & circa talia contradictio non est sine peccato in altero, vel erroris simplicis, vel hæresis, si pertinacia adiungatur. Vel est de illis, ad quæ consequitur aliquid inconveniens, & contrarium fidei, licet in fide expressum non sit, nec determinatum; & tunc ante pertractationem, per quam scitur, quòd aliquid inconveniens fidei sequitur, potest vtrumque sine peccato opinari, & maximè si pertinacia non adiungatur. Sed, pertractata veritate, & viso, quod sequitur, idem iudicium est de eis, & de illis, quæ determinata sunt in fide, quia ad vnum sequitur alterum.* Hic vltimus est noster casus, quia semper loquimur de rebus non determinatis ab Ecclesia, nec contra articulos fidei agnoscimus opiniones, quæ sint re vera probabiles. In hoc autem casu S. Thomas non postulat suspensionem iudicij, nec præscribit, vt ei soli opinioni accommodetur assensus, quæ probabilior apparet; sed expressè affirmat, *posse vtrumque sine peccato opinari*, donec opinantes *sciant*, & *videant*, re diligenter tractata, ex sua opinione necessariò sequi aliquid fidei contrarium. Scire autem, ac videre nemo dicitur, quæ ambigua sibi sunt, & obscura, & sub incerto opinionum suæ menti repræsentantur: & nisi certa scientia, aut evidentia inibi requireretur, non rectè dixisset S. Thomas, idem esse de eis iudicium, ac de alijs, quæ sunt in fide expressè determinata.

64. Et hæc quidem adeò vera sunt, vt ex eis tanquam notioribus argumententur S. Antoninus, Nider, Sylvester, Gerson, & alij ex laudatis suprà ad illa, quæ ad mores attinent. Et meritò. Quia non est minùs malum, sed sæpe deterius, errare culpabiliter circa doctrinam fidei imputando Deo, quæ non dixit, aut inficiando, quæ dixit, quàm errare consimiliter circa Divina mandata, asserendo præcepisse, quæ non iussit, aut negando iussisse, quæ præcepit, ideòque per sufficientem diligentiam vtrumque vitari debet, & interim nil temerè affirmari. Sed certa probabilitas opinionis, cui acquiescimus, quamvis fortè falsa sit, circa doctrinam fidei ab hoc malo, & ab illius periculo eius electionem purgat, & licitam relinquit facultatem amplectendi, quod placuerit. Ergo id ipsum contingit à fortiori circa doctrinam moralem. Imò, si quis rectè advertat, tota hæc doctrina, quatenus spectat ad licitam, aut illicitam electionem opinionum, moralis est: quia ipsæ opiniones, etiam speculativæ, in illa considerantur, vt obiectum electionis, & tanquam actus humani, qui bene, aut malè elici possunt, & turpiter, aut honestè imperari à voluntate. Nec quoad hoc differunt ab alijs actionibus externis, aut materialibus; sed externæ dici possunt, quia sunt extra voluntatem. etsi alio sensu vocari soleant internæ, quæ non sunt per se sensibiles, sed intra intellectum manent, vt hæreses, iudicia temeraria, imprudentiæ, inadvertentiæ, astutiæ, & alia id genus peccata.

65. Concludo verbis conspicui Ange-

Angelici Præceptoris loco nuper appellato. *Contrariè*, inquit, *opinari de aliquo, poteſt eſſe dupliciter. Vel quod pertineat ad religionem fidei, vel quod non pertineat. Et ſiquidem ſit de non pertinentibus ad fidem, quibus poſitis, vel remotis, nihil inconveniens fidei ſequatur, nullum peccatum eſt: niſi forte per accidens, ſcilicet præſumptionis in eo, qui nimis aſſerit, quod dubium eſt, vel mendacij, vel inanis gloriæ, vel multorum aliorum, quia cauſæ per accidens ſunt infinitæ.* Itaque per ſe loquēdo, iuxta Angelicum Doctorem, nullum omnino eſt peccatum in his, quæ ad fidem non pertinent, opinari ſic, vel aliter, nec debet iudicium ſuſpendi ob periculum errandi, aut alligari intellectus ad probabiliora tantùm. Quinimò, licet daremus, non poſſe intellectum noſtrum phyſicè aſſenriri ei parti, quæ ſibi duntaxat proponitur vt æquè, aut minùs probabilis (quod falſum eſt) adhuc tamē aſſerendum foret, eum non peccaturum, ſi per poſſibile, vel impoſſibile id faceret. Recolenda anteriùs dicta circa opiniones probabiles in materia concernente fidem, quia ita ſunt propoſita, vt facillimè huic inſtituto poſſint applicari.

66. Nam ſicut ſæpe eſt incerta ſapientibus, ac prudentibus exiſtentia, aut verus ſenſus alicuius Divini teſtimonij, ſic ſæpius evenit, vt ſit eiſdem incerta exiſtentia, aut verus ſenſus alicuius legis poſitivæ, aut naturalis, vti & exiſtentia facti, vel alterius circumſtantiæ, vnde pendet eius obligatio; imò certum illis eſt, rebus ſic ſtantibus, eam eſſe incertam, vt ſemper evenit, cùm circa illam contradictoriæ opiniones affirmativæ, ac negativæ verſantur, quin poſſit abſque formidine pars alterutra enuntiari. Quoties autem certum eſt, aliquam veritatem facti, aut iuris eſſe adhuc incertam, nequit imputari ad culpam, quòd certa illius notitia deſtituamur, ſeu quòd ſtudio, ac diligētia non ſimus aſſequuti evidentiam veritatis, quam ex.g. S. Thomas, Bonaventura, vel Scotus, & alij Doctores claſſici poſt tot curas, ac vigilias nondum aſſequi potuerunt. Quòd ſi carentia huius ſcientiæ inculpabilis eſt, etiam erit extra culpam illa erronea exiſtimatio, qua putamus, eſſe veram opinionem, cui acquieſcimus, licet ſit coram Deo falſa. Neque enim poſſumus ſcire, aut debemus affirmare, eam eſſe falſam præ oppoſita, dum ſolidis argumentis, ac forte probabilioribus veritas illius perſuadetur, & altera eidem periculo expoſita demonſtratur; ſed caſu evenit, & contra ſpem, & opinionem noſtram, quòd re vera falſa ſit, aut quòd, ſuperveniente nova luce, vel decreto Pontificio, poſteà talis deprehendatur. Pro tunc enim talis error involuntarius eſt, propterèaque inculpatus quoad circumſtantiam falſitatis incognitæ, atque à vero indiſcernibilis, licet voluntarius ſit voluntate ſic ſentiendi, & opinandi eſſe verum, ſecluſa omnino voluntate errandi.

67. Quæ à fortiori vera eſſe conſtabit, ſi animipendas, non ſolum poſſe contingere ignorantias invincibiles, & errores inculpabiles circa doctrinas incertas, & ſub probabili opinione poſitas, de quibus modò tractamus; verùm etiam circa alias ſapientibus abſque dubio manifeſtas, & in Sacris litteris expreſſè determinatas, ſic ſentiente S. Thoma loco ſuperiùs citato hiſce decretorijs verbis: *Si aliquis ſimplex, & Scripturas ignorans crederet, Iacob patrem Iſaac fuiſſe, ad quod ſequitur Scripturam eſſe falſam, quod eſt expreſſè contra fidem, antequàm ſequi oſtenderetur ſibi, poſſet eius opinio ſine peccato eſſe. Sed, oſtenſo, quod ſequitur, Scripturam eſſe falſam, ſi adhuc in opinione pertinaciter*

ter persisteret, hæreticus iudicandus esset. Notentur illa specialiter: *Posset eius opinio sine peccato esse.*

68. Ratio autem est, quia etsi præceptum non contradicendi rectæ fidei in Sacra Scriptura propositæ, negativum cùm sit, semper, & pro semper vetet contradictionem voluntariam; nullatenus tamen vetat eam, quæ voluntaria non est; sed penitus ignorata, tàm in se, quàm in obligatione inquirendi, & adhibendi media ad cognoscendam illam subratione talis. Facilè autem fieri potest, vt simplex ille, antequàm sibi ostendatur oppositio sui assensus cum doctrina fidei, eam invincibiliter ignoret; vel quia nil omnino de illa cogitavit, nec de obligatione inquirendi, aut cognoscendi ipsam; vel quia Doctor sibi defuit, à quo eam disceret; vel quia Parochus, aut alius affuit, cui meritò fidere poterat, ex quo suum errorem bona fide hausit. Tunc autem voluntaria esse non potuit directè, vel indirectè eiusmodi contradictio, vtpote prorsus incognita: neque effectus negligentiæ voluntariæ, quia negligentia etiam postulat transgressionem spōtaneam præcepti obligantis actu ad diligentiam oppositam. Ergo sine peccato continget. Nam sicut voluntarium sine cognitione esse nequit, ita peccatum absque voluntario esse non valet.

69. Quousque verò extendi possint ignorantiæ istæ invincibiles, aut errores inculpabiles in materia fidei, aut morum, tractat optimè Terillus *dicta q* 10. *à num.* 8. & circa fidem Suarez *disp.* 15. *de Fide. sect.* 1. *à num.* 10. & *sect.* 2. *à num.* 4. præter ea, quæ circa mores accuratissimè tradit *disp.* 4. *de censur. sect.* 8. nosque pauca prælibavimus in superioribus *cap.* 3. Certum tamen esse debet, eius indolis errores, & insciti as facti proprij, vel alieni, & iuris positivi, aut naturalis frequenter posse contingere, & neque esse in se peccata per se displicentia Deo, nec causam peccandi in ea specie, cuius malitia occultatur. Nam licet compertum sit, passimque expressum in Sacris litteris, & apud SS. Patres, dari peccata ignorantiæ, vel erroris; imò & ignorantiam ipsam privativam scientiæ debitæ sæpe esse peccatum, quia sæpe voluntaria est, ac vincibilis, seu effectus negligentiæ culpabilis; nusquam tamen invenientur peccata ignorantiæ, aut erroris penitus involuntarij quoad malitiã, aut invincibilis per diligentiã ex præcepto debitam. Eademque est ratio à fortiori de inconsideratione, inadvertentia, aut oblivione merè naturali.

70. Nec præceptum sciendi, aut adhibendi studium ad aliquam notitiam comparandam, seu artis, seu facti, seu iuris, eos obligat, saltem proximè, qui eiusmodi præcepti nullam prorsus cognitionem habent, qua voluntaria sit eius transgressio. *Præceptũ enim non ligat, nisi per scientiam:* atque id commune est præceptis omnibus faciendi, omittendi, aut sciendi, & procurandi cognitionem veritatis, *quòd nullus ligatur per præceptũ aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti.* Quare vbi conscientia non obligat, neque præceptum potest obligare, quia *eadem virtus est, qua præceptum ligat, & qua conscientia ligat, cùm præceptum non liget, nisi per virtutem scientiæ,* vt sparsim tradit, & fusè prosequitur S. Thomas *q.* 17. *de verit. ar.* 3. *corp.* & *ar.* 4. *ad* 2. & *q.* 23 *ar.* 7. *ad* 1. vbi ex eo, quòd *voluntas Dei plenariè nobis nota esse nõ potest,* rectè concludit, nullũ posse, vel debere voluntatem suam cum Divina plenariè conformare, & hoc necessarium putat, ne Deus impossibilia præcipere censeatur. *Sed,* inquit, *secundum quod cognoscimus, conformare possumus, & tenemur.*

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE PRÆCEPTO AFFIRMATIVO diligendi Deum.

Huc revocantur quinta, ſexta, & ſeptima ex propoſitionibus in præſenti condemnatis, quarum doctrina valde affinis eſt, adeòque illas ſub eodem titulo complecti placuit.

CAPVT PRIMVM.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret?

1. QVinta propoſitio ideò eſt damnata, quia peccati criminalis iſtum condemnare nõ audebat: ita enim habet. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.* Sumpta eſt, vt iacet, ex theſibus publicè propugnatis Antuerpiæ ab Antonio Marchant *anno* 1674. indeque delata ad S. Sedem tanquam vna è doctrinis pernicioſis manãtibus nunc per Belgium. Modeſtiæ autem defenſoris potiùs, quàm approbationi, tribuit eam noluiſſe condemnare, & prævenire iudicium S. Inquiſitionis, Sediſve Apoſtolicę Wilhelmus Sandæus *in confutat. trium viror. ad propoſit.* 5. idque nonnullis coniecturis perſuadet. Sed quidquid ſit de mente Auctoris, qui inter Patres Minoritas, & doctus erat, & pius, illa, vt iacet, condemnari debuit. Trepidaſſe enim videtur, vbi nullus erat timor, & poſitivum favorem ei doctrinæ præſtitiſſe, cuius damna potiùs erant indicanda, vt omnes ab ea caverent. Nec dubium, quin eo loquendi modo frequenter ſignificetur alienatio mẽtis noſtræ ad condemnandum rem ex meritis ſuis conſideratam, & propenſio ad abſolvendum.

2. Quòd verò non iam auſu, vel temeritate, ſed maturo conſilio, atque prudentia tunc potuerit gravis peccati damnari, & nunc ab omnibus condemnari debeat, qui ſe gerit, ſicut inibi proponitur, ex decreto Pontificio nobis conſtat; & exinde etiam ſuadetur, quòd ſententia adſtruens præceptum charitatis ſemel tantùm obligare in vita ad exercitium ſui actus, nunquam bene audierit in Eccleſia, & ſiquos olim nominatos defenſores habuit, iam hoc tempore antiquata erat. Vnde *nimis laxam* pluſquàm centum ab hinc annis eam appellavit Navarrus *in Manual. cap.* 11. *num.* 7. *ridiculam* Petrus de Ledeſma *in ſumma. 2. p. tr.* 3. *de Charit. cap.* 5. *concl.* 6. poſt Soto, qui vlterius addidit *lib.* 2. *de iuſt. & iur. q.* 3. *art.* 10. *in med. eam longè aberrare à natura huius præcepti; incredibilem* Villalobos 2. *p. tr.* 3. *diffic.* 2. *num.* 6. *inveriſimilem* Azor 1. *p. lib.* 9. *cap.* 4. *q.* 1. necnon Suarez *diſp.* 15. *de Pœnit. ſect.* 6. *num.* 18. ex quo inſuper diſcimus *diſp.* 69. *de Sacram. ſect.* 3. *concl.* 2. *id rationabili-*

ter dici non posse. Quare oppositam sententiam vt *certam* sequuntur Serra 2. 2. *q.* 44. *fin.* Bassæus *in floribus Theologicis.* 1. *p.* verb. *Charitas num.* 9. Moya *in select.* 1. *p. tr.* 6. *disp.* 6. *q.* 2. *num* 11. Leander à Sanctissimo Sacramento *in præcep. Decalog.* 1. *p. tr.* 3. *q.* 11. vt innumeros recentiores prætermittam, qui illam sectati sunt cõmuni assensu, ac nominatim Suarez, Molina, Valentia, Baldellus, Petrus Hurtado, Aversa, Layman, Palao, Arriaga, Thomas Sanchez, Torres, Bonacina, Amicus, Caspensis, Pontius, & alij, quos dabit Mendo *in statera differt.* 1. *num.* 141.

3. Exemplum valde simile suggerit præceptum Divinum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quod ex se etiam est indefinitum, & nullum tempus determinat, quin proinde liceat, aut licuerit vnquam, eo præcisè iure attento, id tantùm semel in vita suscipere, vel eius exequutionem ad mortem vsque differre. Quod vtique in Concilio Tridentino definitum esse *sess.* 14. *cap.* 5. *circa fin.* ex illius verbis rectè ponderatis sibi elicere videtur P. Vasquez *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 90. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 26. Ait enim Concilium ex vi legis Ecclesiasticæ, qua tempus annuum confessioni præscribitur, illam non fuisse præceptam absolutè, & quoad substantiam; sed hoc solùm factum, vt *Divinum præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis perveniissent, adimpleretur.* Atqui, si præceptum illud non pluries, sed semel tantùm obligaret, per repetitas confessiones annuas non adimpleretur, sed prima vice illi foret adæquatè satisfactum, & omnes aliæ confessiones subsequentes vel licitè prætermitti possent, vel non ex iure Divino obligarent; sed ex sola lege Ecclesiæ.

4. Ita igitur primum illud, magnumque præceptum iuris naturalis, ac Divini, quo ex charitate tenemur diligere Deum super omnia, quamvis nullum tempus determinatè præscribat, non ideò ad vnum actum restringitur, aut obligat tantùm semel; sed iuxta exigentiam materiæ, & ipsius præcepti dignitatem ad hoc saltem debet obligare, vt in diuturna vita non sit fere absque exercitio, sed interdum renovetur. Idque Deus iure suo postulat, vt vltimus finis, primumque principium, vt pater, vt sponsus animarum, vt amicus, vt eximius benefactor, aliisque innumeris titulis, qui etiam vrgent inter homines ad amorem amicabilem, & benevolendi officium. Expedit autem, non solum pluries diligere Deum, & exhibere eum affectum, qui sibi est omniũ gratissimus; sed etiam oportuit, vt sub præcepto prohiberetur nimia, & ignava dilatio exercitij in se adeò nobilis, & nobis adeò proficui ad vitam erga Deum rectè instituendam. Et alioqui satius foret nullum agnoscere affirmativum præceptum proprium, ac speciale huius virtutis: nam ratio, quæ certum reddit, illud dari extra collectionem omnium mandatorum, quæ ad alias virtutes spectant, pariter monstrat, illud non debere arctari duntaxat ad vnam vicem.

5. Et quis non videat, præceptum diligendi Deum *ex toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus, ac tota fortitudine* (ita enim proponitur in diversis locis Sacræ paginæ) saltem toties obligare ad exercitium cordis, viriumque nostrarum, quoties obligat præceptum concupiscendi Deum nobis, orandi, gratias agendi, honorandi Deum per sacrificia, & cætera eiusmodi, quæ ex virtute religionis, aut ex alijs inferioribus charitate debentur? Atqui affirmativum præceptum concupiscendi Deum nobis,

nobis, aut orandi ex. g. quamvis sit indefinitum, quin certus numerus mẽsium, aut annorum præscribatur iure naturali, vel Divino ad exequutionẽ eius, nihilominùs non semel obligat; sed interpretatione prudenti eius tempora determinantur. Ergo à fortiori id ipsum dici debet de præcepto diligendi Deum amicabiliter., quod tanquam primum, ac maximum in Scriptura Divina commendatur tot exaggeratis verbis. Nam etsi ægrè discernatur, vel quæ sit nimia dilatio, vel quæ frequentia sit debita, nõ ideò permittenda est quævis dilatio, vel tollenda omnis frequentia; sed in hoc præcepto, sicuti & in alijs, vbi eadem est difficultas, sua temporis mensura præscribenda. Videatur P. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 30. num. 16.* qui argumentum illud rectè premit.

6. Propterea audiendi non fuit Remigius Noydens *in summa. tr. 2. cap. 1. §. 3.* & Acatius de Velasco *tom. 1. resol. moral.* verb. *Amor. resol. 53. num. 2.* dum, relata, nec explosa, illa sententia de præcepto diligendi Deũ semel tantùm obligante, subdunt, *eam liberare à multis scrupulis*: neque enim ab scrupulis liberat opinio planè improbabilis: & is modus dicendi non minorem eius approbationem involvit, quàm non audere eam damnare. Sed nec attendi iam debet Ioannes Sanchez *in select. disp. 1. num. 21.* vers. *Nec frangitur*, dum scribit, verius videri, si ad speculationem tantùm esset recurrendum, non nisi in mortis articulo hoc præceptũ obligare. Quod *non esse improbabile* Iacobus Pontanus, alijque Doctores Lovanienses defenderunt, id referente Sandæo *vbi suprà*, vers. *Fortasse*. Atque eòdem recidere videtur, quod olim docebat Canus *in relect. de pœnit. p 4. propos. 2.* cùm ait: *Nec peccat mortaliter, qui non diligit Deum, nisi necessitatis articulus intercedat.*

7. Adstipulari etiam putatur Vasquez *tom. 4. in 3. p. q. 90. art. 1. dub. 4. à num. 37.* Sed ibi plurima tradit dicta potiùs iuxta principia illorum, quos redarguit, quàm ex mente propria. Nec loquitur de præcepto charitatis in sua tota latitudine; sed de illo, quatenus obligat lapsos ad reconciliationem cum Deo per contritionem, aut per Sacramentum. Et sub hac ratione tradit, per se loquendo solùm obligare in fine vitæ, nam per accidens *in multis casibus obligare ad contritionem* iam tradiderat *q. 86. art. 6. dub. 6. num. 11.* Partum autem refert, vtrùm hoc, vel illo modo obligare censeatur, si re vera, in sententia huius Auctoris, ipsummet præceptum Divinæ dilectionis est, quod pluries obligat, & quod reconciliationis omissione specialiter violatur, vt distinctiùs in sequentibus est à nobis explicandum.

8. Propterea denique admitti non debet, quod nonnulli alij affirmarunt, huic speciali præcepto satisfieri posse per actus aliarum virtutum, quin sit opus dilectione charitatis erga Deum. Nam licet charitas imperet omnibus alijs virtutibus, & perfectus eius actus tanquam plenitudo legis virtute in se ipso contineat omnium mandatorum obseruantiam; ipsa tamen, prout est virtus specialis, suum habet proprium motivum, nempe Deum propter se amãdum, & ex eo operari debent hi, qui exercent eius opera specialia. Quare agnoscere hoc præceptum, & aliunde denegare obligationem exercendi actus immediatè elicitos à virtute charitatis, & ex proprio ipsius motivo, duo aserta sunt prorsus opposita, & postremo admisso, eò tandem devenitur, vt licitè possint homines nunquam in tota sua vita, nedum semel, Deum diligere speciali amo-

re charitatis.

9. Non ergo satisfaciunt huic præcepto, qui dignè Eucharistiam suscipiunt, etsi ita docuerit Bañez, quia Eucharistia sine amore dignè accipitur, prævia attritione, & confessione peccati. Neque item illi, qui reliqua præcepta observant, vt voluit Henriquez Augustinianus, quia præter illa adhuc supereſt istud maximi momenti, & alijs omnibus maius. Nec demum, vt nonnulli insinuant, per concupiscentiæ amorem, quo Deum nobis diligimus, & ex affectu consequendi vltimum finem proponimus servare omnia mandata: nam huic actui deest proprium motivum amicitiæ, ac charitatis, sicut alijs, qui ex motivo gratitudinis, obedientiæ, aut pœnitentiæ, vel generalis iustitiæ proponunt legem servare. Quo autem pacto istud præceptum per amorem naturalem Dei observaretur etiam in pura natura, & quomodo, supposita elevatione, per amorem supernaturalem charitatis Theologicæ servari debeat, tractant plurimi, quos dabit Leander *suprà q.* 10. neque omittendus Palao 1. *p. tr.* 6. *disp.* 1. *punct.* 3. *num.* 2.

CAPVT II.

An præceptum Divinæ dilectionis per se obliget, saltem quinto quoque anno?

10. FIrmiter tenendum est, exequutionem eius vltra hunc terminum nō posse prorogari; sed saltē singulis quinquennijs esse implendum per se, ac ratione sui, quamvis nulla extrinseca necessitas, vel peculiaris circumstantia occurrat, quæ exercitium dilectionis postulet anticipatè. Ita enim sumitur ex nupero decreto Innocentij, vbi sextum lemma ex profligatis sic se habet: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptū charitatis erga Deum.* Tribuitur P. Antonio de Escobar *in summa. tr.* 5. *examin.* 4. *num.* 8. Sed immeritò, quia apud eum non invenitur, vt iacet in decreto; sed cum nonnullis additis, quibus declarat sufficienter, mentis suæ non esse admittere vlteriorem extensionem præcepti; sed exponere, determinationem quinquennij, denegationemque maioris moræ prudenti hominum arbitrio constare; non verò ex rigore iuris, quod indefinitum est, & aliquoties obligat, quin quadriennium, aut quinquennium, vel alium terminum determinatè præscribat.

11. Præmiserat eo loci cum Henriquez, hoc præceptum obligare in initio, ac fine vitæ, & tempore intermedio, saltem singulis quinquennijs, & immediatè subiungit: *Addo ex Filliucio, probabile esse, non quinquennijs singulis rigorosè obligare; sed sapientum arbitrio.* Vbi, vt vides, non negat, obligare saltem quinto quoque anno ex arbitrio sapientum, quos ipse fuerat sequutus; sed solùm contendit, non obligare ex rigore independenti ab eo arbitrio. Præceptū enim ex sua forma, & verbis suis vagum est, & plus temporis permitteret, si prudens iudicium id ferret, cui determinatio est commissa; sed quia id non fert, ideò vlterior mora auferetur, & ad terminum quinquennij executio ipsius restringitur. Neque aliud quid leviſſimè insinuatum invenitur in Filliucio, vt planè deprehendetur ex traditis ab illo *tom.* 2. *tract.* 22. *à num.* 286. vbi ex professo de hoc præcepto disputat. Quare si quid dubij occurreret in verbis illis Escobarij, ex Filliucio, quem allegat, expo-

exponenda essent, trahendaque ad sensum illius. Quia ex vulgata iuris regula semper relatum est in referente, & hoc maximè obseruatur in summis, vbi ex professo quæstiones non discutiuntur; sed aliorum dicta strictim compilantur.

12. Vtvt sit, ipse Escobarius longo post tempore cautior, additionem illam prætermisit, & mentem suam pleniùs declaravit, atque, eo appellato, Filliucium suæ indemnitati restituit, videlicet *tom.* 6. *Theolog. moral.* 1. *p. lib.* 49. *num* 9. in hæc scribens de præcepto charitatis: *Præceptum hoc affirmativum per se obligat, quando quis ad vsum rationis pervenit: & quando gravia contra charitatem tentamina assurgunt: & semel in anno, aut saltem quinto quoque anno; non tamen est certum in articulo mortis obligare: & quando quis tenetur ad veram pœnitentiam extra Sacramentum. Filliucius tract.* 22. *num.* 288. cui vlteriùs adijcit Sanctium, Villalobos, Bonacina.

13. Non ergo facilè inveniri poterit, qui thesim damnatam in proprijs terminis scripserit; sed censura ipsius proculdubio comprehendit, qui censebant, hoc præceptum semel tantùm obligare in vita, etiam longæva, aut illius obseruationem differri vsque ad mortem licitè, aut illos etiã, qui assererent, semel obligare in vita, & semel in morte, ac nõ amplius, etiamsi quinquennium intercurrat. Ratio autem designandi hunc terminum, quem transilire non liceat, & taxandi vt scandalosam doctrinam contrariam ea est, quia nimis extenuat vires huiusce præcepti, quod est maximum, ac primum, & basis totius Decalogi, impellitque ad pernicioſam negligentiam frequentandi Dei amorem, dum tanto tempore otiantibus impunitatem promittit.

14. Præceptum vtique petendi à Deo bona nobis salutaria, & honorandi ipsum religioso aliquo cultu, & sperandi ab eo auxilium, tantam desidiam non patitur; quinimò obligationem orandi intra vnum, vel alium mensem vrgere Lessius putavit *lib.* 2. *de iust. & iure. cap.* 37. *num* 12. subscribente M. S. Thoma *disp.* 27. *fol. mihi* 346. *col.* 1. Quo ergo pacto vltra quinquennem dilationẽ nobis dabit præceptũ amandi illum, quem pluris debemus facere, quàm nos ipsos, & quàm omnia bona, quæ licet per orationem consequi, vel sperare? Suarius vtique de vtroque præcepto pariter philosophatur *loco citato*, vbi scribit, orationi non esse permittendam vnius anni dilationẽ, neque vnius mensis fortasse.

15. Visum est suprà ob hanc causam aliquoties obligare istud præceptum per se, atque ratione sui, sicut obligat præceptum confessionis obnoxios peccatis gravibus, & præceptum orandi, atque alia id genus tàm peccatores, quàm iustos; sed temporis determinationem cum primis esse relictam iudicio authentico Ecclesiæ, & interim prudentum arbitrio. Atqui arbitrium istud, si Doctores consulamus, communissimè vltra quinquennium non protrahitur; imò sunt pauci, qui tanti temporis dilationem permittant; si verò prudentiales rationes ex ipsius præcepti dignitate, magnaque necessitate amoris Dei ad serviendum ipsi ex animo, & obseruandi cætera mandata illius, haud dubium, quin tanta dilatio, vti & dilatio orationis, ac similium, valde dissona rationi videatur, origo gravium malorum, & in re tanti momenti quammaximæ incuriæ signum. Iure igitur optimo Pontifex ab Spiritu Sancto edoctus, & hoc iudicium sequutus, propositionem illam vt scandalosam reiecit, ac præ-

præceptum insuper adiunxit, nequis in praxi se illi accommodaret. Quo factum est, vt singulis quinquennijs ex mandato Ecclesiæ ad Dei amorem exercendum teneamur, eo modo, ac sensu, quo ad confessionem tenemur in annos singulos.

16. Vtrùm autem diligendo Deum quinto quoque anno sufficiẽter satisfiat præcepto naturali, ac Diuino, vel brevius spatium assignare oporteat, non constat inter Auctores, nec apparet vsque adhuc ab Ecclesia definitum. Pro sufficientia quinquennij solet allegari Henriquez *lib. 4. summ. cap. 3. num. 4.* sed ibi solùm loquitur de præcepto Divino confessionis, & de contritione, aut dilectione non differit. Filliucius est, qui istum terminum, quasi prius assertum ab Henriquez, suo suffragio confirmavit *loco citato nu.* 290. Idem senserat Escobar *in summa*; sed verbis modò allegatis sub disiunctione est loquutus, dicens obligare *semel in anno, aut saltem quinto quoque anno.* Et sic pariter discurrit Trullenc *lib. 1. in Decalog. cap. 5. dub. 3. num. 5.* Alijs verò ista dilatio videtur nimiùm prolixa, atque ad tres, vel quatuor annos hanc obligationem contrahunt, vt Coninc *disp. 24. de charit. num. 53.* Alij ad tres, quarto illo excluso, vt Palao *tom. 1. tr. 6. disp. 1. punct. 4. num. 10.* Alij ad vnicum dũtaxat. Quæ est opinio omnium receptior, & mihi præ omnibus placet. Ita enim interpretata est Ecclesia Divinum præceptum communionis, & confessionis, dum ad vtrumque adimplendum annuum tempus assignavit. Oportet autem, quod proportionale est, conspicere, dum res, de qua controvertitur, non habet certam mensuram.

17. Neque id nimis oneroſum debuit videri Dianæ *p. 5. tr. 14. resol. 105.* aut alij cuivis rectè cogitanti, quàm sit necessarium nobis ad vitam, prout oportet, ordinandam, & quot titulis à Deo exigatur. Quinimò *satis remissè nobiscum agitur, annuo duntaxat amore à nobis petito*, vt sapienter scribebat Petrus Hurtado *disp. 174. de charit. num. 26.* Sed non propterea existimo, ad brevius spatium temporis esse restringendum cum Scoto, & alijs, qui singulis quibusque diebus festis obligare existimarunt. Nam id neque ex natura ipsius præcepti, neque ex vlla lege Ecclesiæ sufficienter persuaderi valet. Et quemadmodum dilatio vnius anni non est contra præceptum Divinum sumendi Eucharistiam, vel confitendi peccata (cùm Ecclesia illam permittat, & non condemnet vt pravam, nec curet per suos ministros, vt extirpetur tanquam peccaminosa, & oppositа mandatis tanti momenti) sic similiter de præcepto diligẽdi possumus philosophari. Nec plus postulant emphatica verba, quibus in Scriptura proponitur, licet primo aspectu longè amplius exigere videantur, vt accuratissimè inter alios expendit P. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 9. à num. 5.* contra hæreticos exinde affirmantes, indefinẽtem amorem, summæque intensionis, & extensionis postulari à nobis, atque ideò Deum impossibilia præcipere, opera consilij auferre, & iustos peccare graviter in quolibet actu suo.



CA-

CAPVT III.

Quo primùm tempore, vel circumstantijs obliget præceptum istud?

18. VAlde celebris opinio Capreoli, Soti, & plurium Thomistarum fert, in primo instanti vsus rationis Deum super omnia esse amandum ex debito huius præcepti propter se, atque gratia sui. Sed eam bene impugnant Suarez 1.2.*disp.*2.*de peccat.sect.*8. Vasquez, Valentia, Coninc, Thomas Sanchez, Arriaga, Leander, & alij multi, quos refert Narbona *in annalib. anno.* 7. *q.*11. *num.*8. Ratio autem est, quia pro illo primo instanti impossibile videtur, secluſa illustratione speciali, comparare sufficientem cognitionē huius debiti, & materiæ, ac modi illius, cùm plures sapientes lateat, nedum pueros, qui tunc temporis de totius futuræ vitæ recta institutione non cogitant, nec de amicitijs perpetuis, aut de capessendo statu, v.g. religionis, aut coniugij; sed de his, quæ sibi ante id tempus magis familiaria fuerunt, aut quæ primùm sensui occurrunt. Quocirca, licet discursu paulatim procedente deliberent circa nonnullas actiones, quarum fere per se nota est turpitudo, aut valde conspicua honestas, adhuc capaces non sunt vsus rationis quoad alia altioris indaginis, & intellectus difficilis, quæ diuturna potiùs instructione aliorum addiscendo assequi possunt, quàm proprio ingenio, ac discursu.

19. Siquando igitur huic opinioni deferendum esset, sermo non erat futurus vtcumque de primo instanti, quo pueri ratione vtuntur, & bene, aut malè agere possunt, v.g circa honorem, aut inhonorationem parentum, vel alia particularia obiecta sibi notiora; sed de eo primo instanti, quo iam pollent integro rationis vsu. Sed neque in hoc sensu admittenda est prædicta opinio. Tum quia tale instans, sive physicè sumatur, sive moraliter pro brevi aliqua morula ei propinqua, nullum habet tempus fixum ætatis, puta septennium; sed iuxta indolem, educationem, aut capacitatem naturalem, quibusdam advenit serius, alijs verò longè citius: vnde neque ab ipsis pueris, aut ab alijs obseruatur, nisi postquam est elapsum, & frequens experientia modi agendi ipsorum monstrat illud anteà præcessisse. Tum quia ad dilectionem supernaturalem charitatis, quæ in statu elevationis debetur, debet præsupponi fides, quæ in eo instanti non potest comparari; sed longa instructione indiget, vt exerceri possit in ea ætate, nec prius ad credendum obligat; implicat autem obligari præcepto charitatis supernaturalis cum, qui adhuc non debet, aut potest credere per actum fidei. Tum quia materia huius præcepti, scilicet dilectio ipsa, & specialitas, ac modus eius cum suo obiecto, atque motivo, brevi morula capi non valet, sive magisterio aliorū deprehendatur (vt regulariter in pueris necessarium apparet) sive proprij ingenij acumine, quod plus temporis deposcit, & difficile est, etiam adultis. Tum demum, quia adhuc supposita capacitate discernendi, & exercendi hunc actum, restat noua difficultas circa necessitatem ipsius: nam quòd valde vtilis sit, facilè capitur; quòd verò sit necessarius, seu debitus ex præcepto iam tunc, longum examen, magnamque iudicij maturitatem expostulat, quæ in illa ætate non datur; imò ratio dubitandi vix auditur extra Theologorum exedras.

Pro-

20. Propterea solùm mihi quæstio est de obligatione speciali diligendi statim Deum amore charitatis, postquàm fuerit sufficienter proposita, & intellecta summa illius bonitas, & amabilitas, tanquam finis suimet gratia super omnia diligendi, & à quo nunquam aberrare licet. Loquor autem, ignorantia, vel inadvertentia ipsius præcepti secluſa: nam hæc, cùm est invincibilis, legitimè excusat à peccato per se imputabili ad culpam, & frequentissimè hosce pueros excusabit, quamvis demus, tunc teneri, vt in reliquis præceptis generaliter contingit. Sermo itaque est de eo iudicio suæ obligationis, quod formare debent secundum rei veritatem, cùm iam possunt Deum diligere amore charitatis, si velint, & sufficienter intelligunt, quid sit illum super omnia amare propter se cum efficaci proposito nunquam offendendi ipsum. Porrò, vt iam tunc sese obligatos intelligant absque dilatione vlla, non est satis, quòd cognoscant, eum actum absolutè esse præceptum. Quia præcepta affirmativa, cùm non obligent pro semper, sæpe sæpius cognoscuntur priùs tempore, quàm ipsorum obligatio hîc, & nunc determinatè vrgeat, vt cùm quis in diebus festis recogitat summo mane se debere audire Missam. Quocirca, etsi puer agnoscat, hoc se præcepto constringi, adhuc ignorare potest, vtrùm illa anticipatio sit præcepti, vel consilij, supererogationis, an necessitatis: &, si consilij, & supererogationis est, quantam demum procrastinationem admittat?

21. Ego in re coniecturali, vbi nemo sobriè sapiens quidquam tanquam certum definire audebit, vel punctum fixum positivè designare absque maxima formidine, verius censeo, circumstantiam illam temporis nullam specialem obligationē adducere anticipandi amorem Dei; sed de illa pariter philosophandum esse, ac de tempore intermedio vitæ. Ita P. Vasquez 1.2. *disp.* 149. *num.* 6. *&* 10. Diana *dicta resolut.* 105. vers. *Notandum.* P. Sanchez cum relatis *lib* 2. *summæ. cap.* 35. *à num.* 7. quorū sententiam probabilissimam vocat. Narbona *suprà num.* 11. Moveor 1. Quia neque præceptum orandi pro tota vita futura, aut gratias agendi pro innumeris beneficijs ab instanti conceptionis iam receptis statim obligare creditur, aut specialem anticipationem exigere; sed vniformi quadam proportione prudenti arbitrio taxanda, nec valde diu protrahenda suum tempus illi præscribitur.

22. Secundò, quia multo potior ratio videbatur renouandi amorem Dei, atque reordinandi vitam postquàm per peccatum personale est retractatus, & homo positivè aversus à suo fine, quàm in puero baptizato, & habitualiter amico Dei, vel quàm in eodem ipso in statu puræ naturæ, & adhuc retinente naturalem innocentiam suam; imò & in habente solum peccatum originale, quod non propria, sed aliena voluntate incurritur; & nihilominùs præceptum speciale dilectionis, aut perfectæ contritionis neque statim obligare creditur illū, qui deliquit graviter, neque alio tempore, nisi illo ipso, quo alij tenentur communiter. Loquor autem speciatim de obligatione per se consurgente ex præcepto diligendi Deum amore charitatis, quæ est propria huius instituti: nam, si ex alijs virtutibus fortasse oriatur, ad alium tractatum pertinet, quamquam ex nulla consurgere fert iam communior sententia, quam inter alios propugnat exactè P. Suarez *disp.* 15. *de Pœnit. sect.* 5. necnon Mæratius *disp. de Pœnit per totam.* Card. de Lugo *disp.* 7. *de Pœnit. sect.*

sect. 11. Lessius *in posthumis. q.* 4. *in addition S. Thomæ ad* 3. *p. dub.* 2. *fol. mihi* 738.

23. Tertiò, quia perfecta Dei dilectio iure naturali, vel Divino non præcipitur vt medium, neque vt præludium simpliciter necessarium ex natura rei ad servanda alia præcepta, quæ occurrunt decursu vitæ; sed vt actus valde honestus, & Deo debitus propter se ipsum, atque vt medium necessarium ad æternam vitam tandem consequendam. In ordine autem ad hos fines tanta festinatio non debetur, vt ex præcepto affirmativo colendi Deum, ac similibus, quæ non confestim, sed statis temporibus duntaxat obligant, planè videtur convinci. Ille autem finis, quem initio excluſimus, rectè excluſus ex eo apparet, quia ad vitam ritè, ac rectè peragendam satis est, quòd, occurrente occasione, homo illi præcepto obediat, quod tunc vrget, idque per auxilium gratiæ fieri potest, quamvis anteà non præmiserit vniversale propositum parendi legi cuicumque. Ita enim filij parentibus, vxores viris, servi dominis, subditi Regibus optimè satisfaciunt, & suo muneri non desunt, licet anteà non præluserit id propositum genericum, ac confusum. Et si aliquod fortasse necessarium esset, non ideò consequens erat, vt ex amore amicabili determinatè oriretur. Satis namque efficax foret propositum servandi totam legem, quale in attritione involvitur ex desiderio gloriæ, aut metu gehennæ, vel ex motivo obedientiæ, gratitudinis, aut alio ex inferioribus, quæ generalia sunt, & nisi positivè retractentur, totam vitam continere valent intra iusti, & æqui limites.

CAPVT IV.

De obligatione diligendi Deum in periculo, aut extremo vitæ.

24. Aliud tempus, quo hoc præceptum per se obligare putatur, est vitæ extremum, mortisque periculum. Ita Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 19. *p.* 1. *cas.* 7. Petrus Hurtado *dicta disp.* 174. *num.* 27. Mendo *suprà num.* 144. & alij bene multi, quos dabit Leander *loco cit. q.* 20. idque *sine controversiâ esse apud Doctores* tradit P. Luisius Turrianus *disp.* 97. *de charit. dub.* 2. vers. *Secundus casus.* Sed excessit; quia ab oppositâ sententia stant graves Doctores, & signatè P. Thomas Sanchez *dicto cap.* 35. *num.* 9. *cas.* 8. Azor 1. *p. lib.* 9 *cap.* 4 *q.* 1. Villalobos *p.* 2. *summæ. tr.* 3. *difficult.* 2. *num.* 6. Castro Palao 1 *p tr.* 6. *disp.* 1. *punct.* 2. *num.* 9. *fin.* Baldellus *tom.* 2. *Theolog. moral. lib.* 2. *disp.* 15. *num.* 16. & alij, quorum auctoritate res incerta redditur, vt notat Card. de Lugo *ea disp.* 7. *num.* 276. & Trullenc *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 5. *dub* 3. *num.* 5. *in fin.*

25. Nec sine gravi fundamento. Aut enim loquimur de eo, qui ante mortis articulum, vel periculum sibi conscius est peccati gravis nondum expiati, vel de illo, qui non est conscius eius, quia nullum commisit, vel commissa cum debita præparatione expiavit. Si de hoc vltimo, nulla esse videtur specialis ratio, ob quam debeat in eo articulo Divinam dilectionem renovare, sicut nulla est, quæ ipsum obliget ad novam eorumdem peccatorum contritionem, aut confessionem repetendam, cùm Deum sibi anticipatè conciliaverit, seque meritò reputet amicum eius: nam

prætextus maioris securitatis (qui solus potest occurrere) aut non cogit, aut cogere etiam deberet tunc temporis ad contritionem eorumdem peccatorum pluries eliciendam, & confessionem sæpius iterandam; imò & cum diversis Sacerdotibus, ne fortè vnicus caruerit attentione, aut intentione debita, vel non fuerit validè ordinatus. Si de primo, aut ille habet copiam confessarij, & tunc absque dilectione, vel contritione formali per solam attritionem cum Sacramento amicitiam Dei recuperabit: aut non habet copiam confessarij, & tunc quidem ad contritionem determinatè tenebitur, & ratione illius ad dilectionem, quia contritio est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum; cæterùm ista obligatio nõ oritur per se, atque ratione sui ex præcepto speciali charitatis; sed ex debito virtutis pœnitentiæ, sive iustitiæ erga Deum, aut alterius, ad quam spectat Deo exhibere satisfactionem pro iniuria, & honorem eius læsum instaurare.

26. Affero nihilominùs, eum, qui conscius est peccati gravis in periculõ, aut extremo vitæ, ex præcepto charitatis erga Deum ad perfectam eius dilectionem obligari, nec satisfacere, quamvis confessionem cum sola attritione instituat. Ita, præter Valentiam, & alios anteà appellatos, qui generaliùs loquuntur, P. Suarez *disp. 15. de Pœnit. sect. 4. num. 19.* Layman *lib. 5. tr. 6. cap. 2. num. 6. in fin.* Coninc *disp. 24. de charit. num. 51.* Et profectò, si ille homo nunquam Deũ anteà dilexit, nemo dubitare potest, quin teneatur in eo articulo: debet enim huic præcepto aliquando satisfacere, nec iam aliud tempus supereſt. Quòd si aliquando dilexit, sed longo tempore distulit repetitionem amoris, v. g. vltra quinquennium, cùm ea mora sit grave peccatum, quod emendare deberet, etiam extra illum articulum, à fortiori etiam in illo eâdem obligatione constringetur, nec verum emendationis propositum, aut veram attritionem habebit, nec validam confessionem instituet, ni tempus mortis præveniat, atque ad diligendum Deum ex toto corde se accingat. Iam verò, etsi Deũ dilexerit, nec sit in mora graviter culpabili repetendi amorem eius, nihilominùs cùm illum per sequentia peccata retractaverit, & in eo statu inveniatur vrgente mortis articulo, adhuc ad eius repetitionem tenebitur. Quia perinde est eum retractasse, ac nunquam re vera habuisse, & pro tunc ita se habet quoad effectum diligendi vltimum finem super omnia, ac si omnis vita anteacta prorsus abolita fuisset; nec tunc licet immorari, cùm tempus mortis instantis nullas concedat inducias, & desit vestis nuptialis, sine qua nullus intrabit dignè ad cœleste convivium; nec iuxta doctrinam Pauli cum Deo erit vnus spiritus, nam hæc vnio consistit in affectuum, animorumque vnitate.

27. Adijciunt prætereà alij in eiusdem rei confirmationem, tunc vrgere perfectæ contritionis præceptum, quod neque sublatum est, neque imminutum per institutionem Sacramenti Pœnitentiæ. Præcepto autem contritionis, in qua Dei dilectio involvitur, neque semel satisfactum est quoad ea peccata, quibus homo in illo extremo obnoxius invenitur: nam, si satisfactum esset, ac vera contritio habita propter Deum summè dilectum, iam anteà remissa fuissent. At verò duabus de causis hæc ratio videtur minus convincens. Altera est, quam rectè expendit P. Suarez *disp. 5. de charit. sect. 3 num. 3.* Quia esto admittamus, tunc hominẽ teneri ad actum dilectionis, non ideò sequitur, eiusmodi obligationem

oriri

oriri ex præcepto ſpeciali charitatis erga Deum, & ratione ſuæ propriæ honeſtatis, aut neceſſitatis; ſed ex ſolo debito virtutis pœnitentiæ, & ob neceſſitatem extrinſecam eliciendi contritionem, ad quam Dei amor exigitur. Cuius ſignum eſt, quòd homo contritionem, & dilectionem omittens non perpetrat duplex peccatum, nec duplex præceptum violat ſpecie diverſum; ſed id tantùm; vnde neceſſitas habendi contritionẽ oriebatur: ad modum, quo ſolùm peccat contra religionem, qui confeſſione, & contritione omiſſa, indignè adminiſtrat Sacramentum aliquod, vel alias functiones ſuſcipit requirentes ſtatum gratiæ.

28. Alia cauſa eſt, & magis practica, quia præceptum contritionis non videtur obligare illos, qui per Sacramenta fiunt de attritis contriti quoad effectum comparandi gratiã; ceſſante verò obligatione contritionis, ceſſat quoque obligatio dilectionis, quatenus ratione illius, non autem propter ſe deſideratur. Quod autem in eo eventu ceſſet obligatio habendi contritionem ex virtute pœnitentiæ, iuſtitiæ erga Deum, aut cuiuſque alterius (etſi oppoſitum docuerit P. Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 8. punct. 4.* verſ. *Nunc autem*) inde perſpicuum apparet, quia attritio cum Sacramento in lege gratiæ loco illius ſubrogatur, & ea ſufficit, vt peccatorem verè pœnituiſſe putemus, ſatisfeciſſeque præcepto deteſtandi ſua peccata, quantum ſatis eſt ad pacem cum Deo habendam, & amicitiam ipſius per peccati deſtructionem iterum recuperandam. Obligabat quidem pœnitentia antiquos determinatè ad contritionem perfectam, quia conſcius peccati abſque illius deteſtatione iuſtificari nequibat, & non erat alia deteſtatio, qua iuſtificari poſſet, & dignos fructus pœnitentiæ facere. At verò, poſtquam per Sacramenta ex Chriſti benignitate ſuppleta eſt attritionis imperfectio, & deteſtatio peccati v. g. orta ex amore concupiſcentiæ erga Deum pariter cum confeſſione, ac cæteris requiſitis ad valorem Sacramenti acceptata eſt tanquam diſpoſitio, aut ſatisfactio ſufficiens ad charitatem, & gratiam, iam perfecta contritio eſſe deſivit dolor vnicè, ac determinatè neceſſarius ad reconciliationem cum Deo, & per mutationem materiæ optioni noſtræ relictum alterutro ex his modis veniam peccatorum impetrare.

29. Ita diſcutrunt cum Cano *relect. de pœnit. p. 4. q. 2. paulò poſt 4. aſſert.* Suarez *diſp. a ſect. 4. à num. 12.* Molina *tom. 6. de iuſt. & iur. tr. 5. diſp. 59. nu. 6.* verſ. *Item.* Valquez *ea q. 86. art. 2. dub 6. num. 6.* Gaſpar Hurtado *diſp. 3. de Pœnit. difficult. 4. fin.* Fagũdez *lib. 2. in 2. Eccleſ. præcep. cap. 6. num. 5.* Moya *p. 1. ſelect. tr. 1. q 6. num. 21.* Diana *p. 5. tr. 13. reſol. 33.* verſ. *Sed omnes*, & alij plurimi, qui rectè notant, & maximè Suarius, quamvis in contritione involvatur propoſitum confitendi tempore præcepto eadem peccata, vice verſâ in attritione diſponente ad Sacramentum validè, ac fructuoſè recipiendum propoſitum futuræ contritionis non claudi. Nam, confeſſione præmiſſa, neque neceſſaria eſt neceſſitate medij, neque neceſſitate præcepti; ſed loco illius abſque alio pœnitendi onere attritio cum Sacramento ſubrogatur, & per modum vltimæ ſententiæ abſolutio cõfertur, & ſatisfactio ſacramentalis imponitur.

30. Quamvis autem in eo eventu non ſit neceſſaria contritio neceſſitate præcepti, ſeu formalis deteſtatio peccati ſupra omnia deteſtabilia propter Deum ſummè dilectum; ſemper tamen manet obligatio in-

ſtaurandi Divinam dilectionem retractatam per peccatum, quamvis homo ſit certiſſimus de ſua attritione,& iuſtificatione per Sacramentum obtenta ; imò quamvis id ſciret, non ſolùm morali modo abſque ſpeciali ratione formidandi,vt ſæpe vſuvenit; ſed per revelationem Divinam ſibi factam.Nam ex dictis *num.*26.id non pendet ex periculo condemnationis proximè imminentis ; ſed ex præcepto ſpeciali diligendi Deum ſuper omnia , quæ ſibi placent , aut placebunt vnquam , & placuerunt anteà. Huic enim præcepto,poſtquam amor Dei eſt retractatus,omnino ſatisfacere oportet, vt peccator, qui per adoptionis gratiam virtute Sacramenti denuo factus eſt Dei filius, amore filiali cum diligat , nec ſe inveniat imparatum, Deo interrogãte poſt mortem, quod in vita interrogavit Malachiæ 1. 6. *Si ego pater , vbi eſt amor meus*? Obligabit autem multò certiùs in eo articulo , ſi re vera ſit probabile, Sacramentum, quod ſuſcepimus , ex defectu ſuſcipientis, aut miniſtri infructuoſum eſſe, vel invalidum. Nam tunc ratione periculi moriendi extra ſtatum gratiæ , & nũquam diligendi vltimum finem, imo gerendi cum ipſo æternam inimicitiam, charitas Dei obligabit ad quærendum aliud medium , quo probabilis formido tanti mali depellatur. Id autem verus Dei amor ſe ſolo poteſt præſtare abſque formali deteſtatione peccati , quam in iſtis circumſtantijs non eſſe neceſſariam, præſertim neceſſitate præcepti , optimè oſtendit Valentia *ea diſp. 7. q. 3. punct.*2.

31. Et quidem,ſi peccator in eo extremo ſe committat voluntariè huic diſcrimini penitus irreparabili, ex.g.quia probabiliter iudicat,ſe non feciſſe debitum examen, aut non habuiſſe veram illam attritionem, quæ ſimul cum Sacramento eſt ſufficiens ad expiationem peccati , quamvis multò probabilius cenſeat , ſe eam habuiſſe , ex iſto capite novum peccatum committet contra charitatem Dei , ac (iudicio plurium) contra propriam , & ratione illius certò damnabitur , niſi nova alia ſecuriori confeſſione, vel dilectione, aut contritione perfecta ſibi conſulere ſatagat. Sin autem non voluntariè id faciat , quia periculi , aut obligationis advertentia invincibiliter defuit , & inculpatè putavit , ſe fuiſſe rectè diſpoſitum, Sacramenti fructum ſuſcepiſſe, & nihil aliud iam ſibi agendum reſtare , tunc novum peccatum non committet; ſed ſua ignorantia excuſabitur. Verumtamen,ſi in ea diſpoſitione decedat , & valor Sacramenti eſt probabilior , probabilius quoque nobis erit, eum ſalutem adipiſci ; ſed probabile,damnari: quia opinio, etiã probabilior, ſi fortè falſa ſit,minimè ſupplet defectum medij re ipſa neceſſarij.

32. Computari autem non debet inter pericula ad maiorem ſecuritatem obligantia, ſiquis ad confeſſionem accedat cum vera attritione ſibi nota vt tali. Quia eam ſufficere ad valorem,& ad fructum Sacramẽti tàm in vita , quàm in morte , adeò certum eſt ex Tridentino *ſeſſ.*14.*cap.* 4. adeòque receptum ab Auctoribus poſt D.Thomam,& Scotum,vt contraria opinio contritionem poſtulans,ſaltem falſò exiſtimatam, haudquaquam cenſeri ſoleat hoc iam tẽpore probabilis. Quare eam *falſam, temerariam , & erroneam* vocat Angelus Maria Verricelli 1.*p. quæſt.moral. tr.*2.*q.*38.*num.*8.*erroneam* Fagũdez *lib.*2.*cap.*4.*num.*14. *valde improbabilem* Layman *lib.* 1. *tr.* 1. *cap* 5. *num.*14.*improbabilem* Card. de Lugo *diſp.*7.*de Pœnit.num.*273. Dicaſtillo *diſp.*6.*de Pœnit. num.*142.*&* 145.*fin.*

Mar-

Martinus Perez *disp.* 14. *de Pœnit. sect.* 7. *num.* 4. Arriaga *tom.* 1. *in* 1. 2. *disp.* 24. *à num.* 20. & latè, ac splendidè Alphonsus Antonius de Sarasa 2. *p. de conse. tr.* 14. § 3. & 4. Difficilè quidem est homini certò cognoscere, se esse verè, ac re ipsa attritum, & maximè postquàm disputari cœpit de motivo attritionis requisitæ ad Sacramentum, & notis, vnde distinguitur à contritione perfecta, quibusdam censentibus in illa debere includi aliquam Dei dilectionem, tametsi minùs perfectam; cæteris verò communiter existimantibus, eam non requiri; sed sufficere dolorem conceptum ex metu gehennæ excludentem voluntatem peccandi, cum spe veniæ. Nec ego quidquam decerno circa improbabilitatem vllius ex his opinionibus parens decreto Alexandri VII. edito *die* 5. *Maij anno* 1667. quo districtè omnibus vetuit, aliquã ex eis taxare sub pœna excommunicationis maioris reservatæ S. Sedi. Sed solùm contendo, posita vera attritione, non requiri, quòd illa existimetur vera contritio ad valorem, aut fructum Sacramenti. Et hoc est, quod ex Concilio efficaciter colligitur, & quod prædicti Auctores intendebant. Nam quis non videat, ad curationem infirmi lethaliter vulnerati absurdissimè requiri, quòd ipse infirmus, & Medicus falsò existiment, eum esse sanum, vt curatio habeat effectum?

33. Vtique si alij sententiæ verosimilitudo aliqua ineſt, adeò tenuis est, & adeò exigua, vt leve admodùm periculum inducere videatur; gravis autem obligatio, cuius contingens transgressio est longè periculosior, nemini debet imponi, vt caveat leve periculum. Ac profectò multò plus timeri potest mors æterna ex morte subita peccatoris, quàm ex nullitate Sacramenti ita susceptiː illa enim frequenter accidit; hinc verò nunquam contingere ex eo capite, aut omnino certum est; aut fere certum ex Concilio Tridentino. Ergo si illa incertitudo, & periculum in ea fundatum non obligat peccatorem ad illud præcavendum eliciendo contritionem, quomodo altera obligabit, quæ vix est incertitudo, nisi scrupulosa, & merè apparens, ac nulli gravi fundamento innixa? Nec dicas cum Caietano *in summa*, verb. *Contritio.* vers. *Tempus autem*, ob periculum mortis repentinæ peccatorem obligari statim ad habendam contritionem de peccato à se commisso. Nam, si hoc ita est, cùm in ijs circumstantijs sit contritio adeò difficilis, & valde incerta eius veritas, se solа securitatem non præstaret; sed statim necessaria esset confessio, quod nemo prudens admiserit.

34. Quibus tandem ad rationem dubitandi propositam *num.* 25. quatenus doctrinæ nostræ obstare potest, facilè respondetur, dilectionem Dei perfectam non requiri in morituris ratione contritionis formalis tunc procurandæ ex præcepto ab illis, qui per attritionem coniunctam cum Baptismo, aut Pœnitentia fiunt de attritis contriti; sed per se, ac ratione sui desiderari immediatè, secluso quovis periculo æternæ damnationis imminente aliunde. Probabile autem mihi est, illam sufficere moraliter permanentem, ac minimè retractatam per novam inimicitiam, & aversionem à Deo, licet de novo in eo articulo non eliciatur; sed ante mortis periculum fuerit habita. Cùm verò retractata est per peccatum, & vrget talis articulus, charitas Dei obligabit ad illam denuo instaurandam, quia perinde est, ac si nunquam fuisset habita, aut satisfactum præcepto diligendi vltimum finem, quo tenentur nõ solùm peccatores, verùm etiam

etiam sancti, ac iusti; imò B. Virgo, aut quivis alius, qui non peccavit lethaliter toto tempore suæ vitæ. Sufficiet tamen, si dilectio post absolutionem quovis tempore eliciatur, vt rectè notat Layman *lib. 5. tr. 6. cap. 2. num. 6. in fin.* quia illa haudquaquam postulatur tanquã necessaria dispositio ad Sacramentum, neque vt pars eius; sed vt præparatio ad bonam mortem, & debitam vnionem cum suo fine.

35. Quando autem illa exigatur, non tantùm ratione sui, sed ob speciale periculum moriendi in statu aversionis, & aberrandi semper à suo fine, constat planè ex anteà dictis, vbi non quamvis formidinem indispositionis nostræ sufficere declaravimus; sed solam verè prudentem, ex. g. probabili nullitati Sacramenti subnixam, aut in eo fundatam, quòd post ipsum probabile sit, commissum esse aliquod grave piaculum, quo redeat idem periculum. Et sub hac distinctione forsan conciliari poterunt sententiæ inter se contrariæ, quarum altera in articulo mortis dilectionem, aut contritionem desiderat intuitu securitatis; alia verò ipsam excludit. Prior enim locum habebit, cùm vera probabilitas nos reddit incertos salutis adipiscendæ; posterior autem, cùm ea deest: & cùm certò sit probabile, nos esse rectè dispositos, in contrarium solùm adest levis ratio dubitandi absque speciali motivo.

CAPVT V.

An præceptum charitatis erga Deum tunc solùm obliget, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possimus?

36. TVnc solùm obligare affirmabat condemnata propositio ordine septima, quam meritò inustam fuisse notis perniciei, ac scandali, constat primò ex dictis anteà. Nam iuxta hanc doctrinam B. Virgo, & qui gratiam Baptismalem conservarunt toto tempore suæ vitæ, nec non hi, qui verè attriti per Sacramenta mortuorum iustitiam recuperarunt, nullius criminis rei forent, quamvis nunquam, nedum semel, exercuissent erga Deum dilectionem charitatis. Aut enim iustificari non debent, si nullum habeant peccatum criminale; aut, si id haberent, cùm per aliam viam iustitiam adepti fuerint, non est cur speciali lege dilectionis teneantur, sive intra annum, sive intra quinquennium, sive alio longiori spatio. At hæc damnata iam erant duabus alijs assertionibus immediatè præcedentibus, & novo nunc absurditatis genere eò res devolvitur, vt quamplurimi nullo vnquam tempore hoc præcepto cõstringantur.

37. Arguo rursus quia inde fieret, iustos nunquam obligari ad diligendum Deum; sed solos peccatores, quibus Sacramenta desunt, vnde ad statum gratiæ transferantur. Quare neque B. Virgo, quæ est Dei mater, personam filij sui diligere debuisset; nec Dei filij adoptivi, dum sunt tales, redamare Patrem optimum, à quo in-

inceſſanter amantur; nec anima ſancta, quam Deus ſibi in charitate deſponſavit, vicem retaliare ſponſo ſuo; nec eximijs beneficijs affectus, & maximè beneficio innocentiæ, aut remiſſionis peccati, vtcumque repẽdere benevolentia ſaltem amicabili benevolentiam ſui benefactoris, cuius dona compenſare nequit beneficijs alijs. Profectò omnes iſti tituli, etiam inter homines, ſpecialiſſimè poſtulant amorem, non ſtipendiariũ; ſed liberalem, ac purum, quo ad reliqua ſui muneris officia ſolicitentur, & tàm animi, quàm corda, ſtrictiſſimo amicitiæ vinculo invicem vniantur. A fortiori igitur comparatione Dei vrgere debent, qui ex parte ſua nunquam deficit; ſed diligentes ſe diligit, & quovis titulo incomparabiliter excedit quidquid ad amorẽ, ac benevolentiam inter creaturas poteſt obligare.

38. Siquis diceret, non dari præceptum ſpeciale diligendi Deum, aut proximum; ſed obſervatione aliorũ præceptorum iſtis quoque ſatisfieri, tunc vtcumque ſuſtineri poſſet, nos ad dilectionem non teneri propter ſe, ac ratione ſui; ſed quia interdum eſt medium neceſſarium ad iuſtitiam obtinendam. Cœterùm de facto admittere ſpecialia iſta præcepta, & coarctare illorum vires ad caſum inimicitiæ duntaxat, & ad illas circumſtantias, vbi præcluſæ ſunt viæ impetrandi veniam alio modo, quàm per contritionem perfectam, ac dilectionem Dei in ipſa incluſam, ſatis abſurdum videtur, & magna occaſio deſidiæ in illis, qui quàm maximè deberent exercitio dilectionis tanquam maximo, ac præcipuo alios greſſus ſuos rectè dirigere, & filialem amicitiam conſervare. Scandaloſum certè, ac pernicioſum eſſet docere, nec matrem filios, neque filios patrẽ diligere debere affectu benevolentiæ, niſi eos graviter offenderint, & alio modo non poſſint inire cum ipſis pacem. Nec tolerabilius eſſet permittere ſponſis, ac vxoribus, ne viros ſuos vnquam ament, niſi adulterium commiſerint, cuius veniam impetrare nequeãt abſque veri amoris ſignis. Parque eſt ratio de magnis benefactoribus non diligendis, niſi fuerint antèa gravi iniuria laceſſiti, & aliter, quàm oſtenſione amoris, reconciliari non valeant. Quomodo ergo circa Deum iſta tolerari poterunt, nempe circa ſummum bonum, Patrem optimum, fidelem ſponſum, benefactorem eximium, & effuſè liberalem?

39. Arguo inſuper. Nam ex oppoſita ſententia ſequitur, ſpeciale præceptum Divinæ dilectionis non dari; ſed potiùs eſſe ſuperfluum: quod, licet nonnulli admiſerint ante decreta Innocentij, & Alexandri, iam nunc ſuſtineri nequit, cùm Innocentius contrarium his locis clarè ſupponat, & Alexander *propoſit.* 1. id nominatim reiecerit. Sequela patet. Quia id præceptum tunc ſolùm dari ſupponitur, cùm iuſtificari tenemur, & per ſolam attritionem cum Sacramento id obtinere non poſſumus. Atqui in eo caſu præceptum, quo obligamur ad iuſtificationem procurandam, per ſe ipſum, ac præſciſſo quovis alio, obligat ad contritionem, & dilectionem habendam, cùm alia media deficiant, & in illis circumſtãtijs hoc ſit vnicè, ac determinatè neceſſarium ad præceptum iuſtificationis obſervandum. Supervacuè igitur alia obligatio ſpecialior, ac nobilior de ipſo medio adijceretur. Aliud namque eſt, hominem teneri ad actũ dilectionis, cùm extra Sacramentum tenetur iuſtificari; aliud verò, quòd hoc debitum ex ſpeciali præcepto Divinæ dilectionis tunc oriatur. Et primum quidem verè, ac facilè concedi

tedi potest; secundum verò non sequitur, cùm actus dilectionis debeatur, nō sui gratia, & ob excellentiam propriam; sed solùm per modum dispositionis, aut medij necessariò requisiti ad observationem alius præcepti diversi tunc absolutè obligantis.

40. Explicatur 1. ex præmissis *num.* 27. Nam qui administrare hîc, & nunc debet Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, si in statu sit peccati, & Confessario careat, eodem præcepto religionis, quo obligatur ad gratiam iustificationis comparandam priusquàm Sacramentum conferat, tenetur ad contritionem, ac ratione illius ad dilectionem Dei perfectam: &, si fortè hos actus voluntariè omittat, contra hanc virtutem delinquit; non verò contra præcepta specialia pœnitentiæ, aut charitatis. Nam tota ratio obligandi ad hos actus est extrinseca necessitas administrandi Sacramenta, & comparandi ad hoc munus sufficientem dignitatem, qua necessitate ablata, neque iustificatio esset tunc debita, nec dilectio, nec contritio; sed hæc omnia prætermitti possent absque vllo novo piaculo. Ita ergo in aliis eventibus, quibus iustificari debemus, & aliud medium non supereſt, quo per solam attritionem statum gratiæ cōquiramus, ante omnia inspiciendum est, ex qua virtute per se primò oriatur hæc obligatio. Oriri enim potest, iuxta diversa, satisque communia Theologorum placita, ex charitate erga se ipsum, ex virtute speciali pœnitentiæ, vel iustitiæ erga Deum, aut religionis honorem eius lætum reparantis, & quæcumque illa sit, se sola vrgebit ad media necessaria adhibenda, quin aliud novum præceptum virtutis specie distinctæ ea de causa requiratur.

41. Explicatur iterum. Nam esto demus, charitatem Dei, vel se sola, vel simul cum alia virtute ad iustificationem obligare, non ideò sequitur, iuxta adversariorum principia, obligare ad dilectionem per modum finis propter se expetendi; sed solùm per modum medij per accidens necessarij. Ideò enim duntaxat obligare dicitur determinatè ad eam habendam, quia alia via deficit, qua præceptum iustificationis adimplere valeamus. At quòd alia via deficiat, merè accidentarium est, & casualiter contingit, quia Confessarius non adest. Dicere autem, primum, & maximum omnium præceptorum, quale est præceptum diligendi vltimum finem, nunquam per se obligare ad dilectionem; sed solum per accidens, ac merè casualiter, vel ex ipsis terminis absurdissimum videtur & contrarium summæ dignitati huius virtutis, quam per se, ac ratione sui nunquam necessariam reddit; sed solùm fortuitò debitam, & ratione alterius boni ex præcepto procurandi. Peccaret quidem contra charitatem Dei solam, si dilectionem omitteret in dicto eventu, qui ex sola Dei charitate iustificari debebat, & contra propriam, si ex hac quoque teneretur, totque peccata specie diversa incurreret, quot sunt virtutes, quæ illum obligabant. Cœterùm contra præceptum diligendi Deum per se, & ex propriis meritis ipsius virtutis nullo vnquam casu peccaret, & cùm charitas sit finis præcepti, plenitudo legis, aliarumque virtutum imperatrix, non vt finis propter se expetendus, sed præcisè vt medium deberetur, idque ex accidenti, & casu planè fortuito.

42. Propterea P. Azor *p.* 1. *instit. moral. lib.* 8. *cap* 7. *q* 6. agens de præcepto fidei, notanſque, idem iuris esse de præcepto Spei, & Charitatis, subtiliter observat, has virtutes duobus titulis

titulis ad exercitium ſuorum actuum obligare. Alter eſt, ſi illi inſpiciantur tãquam remedium peccati, ſeu, quod idem eſt, vt medium ad recuperandum ſtatum gratiæ, & iuſtificationem obtinendam. Alius verò, ſi conſiderẽtur, vt ſunt actus virtutis Theologicæ Deo gratiſſimi, atque independenter à peccato conſentanei vltimo fini, ac ſuimet gratia expetendi. Et ſub priori quidem inſpectione putat, illorum obligationem ceſſare, iuſtificatione obtenta; neque alios teneri, niſi illos, qui ab ſtatu peccati in ſtatum gratiæ per illam transferri debent; ſub poſteriori autem etiam iuſtos ad ipſorum exercitium obligari tradit, peccareque contra præcepta ſpecialia harum virtutum, niſi id faciant, quamvis facile non ſit aſſignare certum tempus obligationis ipſorum. Addirque, ſatis probabiliter dici, tempus ſpeciale, quo exerceri debent, eſſe quando graves tentationes contra eiuſmodi virtutes animum propellunt ad violanda earum præcepta.

43. Paria ſcribit de ſpe tractans *lib. 9. cap. 2. q. 6.* & de charitate in Deum *cap. 4. q. 1.* niſi quod ibi non repetit, quod iam anteà expreſſim dixerat, ſpeciale præceptum charitatis obligare ad dilectionem Dei, non tantùm, quando illa eſt medium neceſſarium ad expiationem peccati; verùm etiam, quando nõ eſt medium neceſſarium ad eum finem; ſed ſolùm conſideratur vt actus tantæ virtutis. Neque incuriæ fuit id omiſiſſe *in dicta q. 1.* cùm iam anteà dictum eſſet, & ſeſe Azorius remittat ad ea loca, vbi id expreſſerat, in hæc ſcribens de præcepto charitatis erga Deum: *Profectò videtur eiuſmodi præceptum eſſe conſtitutum eo modo, quo diximus eſſe impoſitum Diuinitus Fidei præceptũ, & ſpei.* Quocirca ex eiuſdem mente vtrovis modo eſt impoſitum, & quãvis ceſſet obligatio impoſita titulo remedij neceſſarij, in illis, qui nunquam peccarunt, vt B. Virgo, & Sancti Angeli; imò & in cæteris iuſtis, ac in illis peccatoribus, qui alia via, quàm contritionis perfectæ, in lege gratiæ ſuam iuſtificationem poſſunt adipiſci, & quoad hoc ſit eadem ratio de præcepto dilectionis, ac contritionis formalis; longè tamen alia eſt de ſpeciali obligatione diligendi Deum impoſita independenter à peccato, & ſolo virtutis titulo. Hæc namque non ceſſat, quamvis homo neque contritione, neque iuſtificatione indigeat; ſed iuſtos pariter, ac peccatores conſtringit.

44. Ac licet tempus illius difficulter aſſignetur; adhuc tamen huic Auctori *non eſt veriſimile, tantum præceptum ſemel tantùm nos obligare, dum vivimus.* Et quia tempus tentationis ſpecialiter aſſignat, procul dubio ex eius mente iuſtus, qui ſe graviter tentatum deprehenderet ad propoſitum non diligendi Deum in tota vita, vel non niſi rarò, aut ſemel, teneretur ex præcepto affirmativo charitatis ad actum dilectionis, vt ſe ſe inflectendo in extremum ſuæ tentationi contrarium, in rectitudinis ſtatu firmiter poſſet conſiſtere. Eſt namque id medium aptiſſimum ad tentationem vincendam, & aliquando poterit videri neceſſarium, ſaltem cùm oratio, aut alia media intentata non proficiunt. Qua ratione alij cõmuniter dicunt, ſimilem obligationem vrgere, cùm quis vehementer tentatur ad odium Dei. Sed minùs bene. Quia eſto demus, tunc teneri ad Deum amandum, obligatio non cõſurgit ex præcepto affirmativo charitatis; ſed ex negativo odium prohibente, quod eamdem obligationẽ imponeret, quamvis ſpeciale affirmativum deficeret. Negari autem nequit, vtrumvis caſum eſſe valde ra-

rarum, & fortè nunquam re, neutrumque exp… cumbat obli… …ontinge- …candum, vt in- …atio diligendi.

CAPVT VI.

Vindicantur Azorius, & Tamburinus.

45. EX dictis conſpicuè apparet, immeritiſſimè imputatam eſſe Azorio propoſitionē damnatam, quaſi præceptum amoris cum præcepto contritionis confuderit, & re vera non agnoverit ſpeciale præceptum charitatis à præcepto contritionis, & iuſtificationis diſtinctum. Ipſe namque longè aliter ſentit, vt ſuprà viſum eſt. Et quatenus obligationem credendi, ſperandi, vel amandi per modum remedij attribuit ſpecialibus præceptis Fidei, Spei, & Charitatis, cùm homo iuſtificari tenetur, nec aliud remedium ſubeſt, plus his virtutibus defert, quàm deferre ſolent alij. Quippe cæteri communiter, & meritò, non aliunde oriri credunt obligationem exercendi hos actus, quàm ex illa ipſa virtute, vnde debitum iuſtificationis oriebatur: ex. g. ex virtute religionis, ſi iuſtificatio neceſſaria erat Sacerdoti, vt Sacramentum conficeret; hic autem inſuper addit obligationem ſpecialem, ac propriam ipſius remedij ortam ex illa virtute, cuius actus eſt. Vnde, cùm in dicto eventu ſpes veniæ, ac præ…ia fides omittūtur, & propterea præceptum iuſtificationis violatur, agnoſcere debet peccatum ſpeciale contra præcepta affirmativa Spei, ac Fidei, & cōtra Charitatem in Deum, ſi citra opportunitatem Sacramenti contritio prætermittatur, & multiplicare tot malitias ſpecie diſtinctas, quot ſunt virtutes iure ſuo iſtiuſmodi remedia præcipientes. Quod vtique ſpecialem ſphæram obligationis ipſarum potiùs auget, quàm imminuit. Neque neceſſariò admitti debet, niſi fortè in caſu, quo præceptis ſpecialibus ipſarum ſecundum ſe, ac ſeorſim vrgentibus anteà non ſit ſatisfactum, & omnia concurrant pariter cum obligatione iuſtificationis, ſeu converſionis in Deum. De quo appoſitè Baldellus *tom.* 2. *lib.* 2. *diſp.* 3. *à num.* 12.

46. Azorius itaque excuſatione non indiget; ſed difficilè videtur excuſandus Tamburinus *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 1. *à num.* 9. *& cap.* 3. §. 2. *num.* 2. nam fere eiſdem verbis vtitur, quibus Auctores propoſitionis damnatæ, atque ea propter illum acriter perſtringunt Vincentius Baro, & Gonet *in Clypeo Theolog. Thomiſt. tom.* 3. *diſſert. de opinion. probab. à num.* 106. Sed non defuere oculatiores alij, qui, mente, ac verbis eius accuratè diſcuſſis, ipſum ſano modo exponerent, & ab iſta nota vindicaverint. Ita latè, & ex profeſſo Lucius à S. Marco *in germana doctr. Tambur. cap.* 3. Guilielmus le Mayre *in ſtatera Saulis exregis ſect.* 1. *cap.* 5. §. 1. Wilhelmus Sandæus *in confutat. trium viror. fol. mihi* 117. & innominati Auctores; ſed apprimè docti, ac eruditi, *Speciminis doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis. p.* 4. *cap.* 3. § 1. *prop.* 3. Et quidem, ni Tamburinus Azorium nominatim appellaſſet eiſdem locis, quæ ab eo exſcripſimus, aliquo colore reputari poſſet aſſertor theſis damnatæ. Sed tamen, cùm eum appellet, & doctrinam eius approbet, dicatque, ſibi placere præ alijs, abſque dubio ipſamet charitas, pro qua tanto ardore pugnat Gonet, ſuo iure exigebat, ſaltem vt convitijs parceret, & ex Azorio ſuppleret, ſi quid fortè Tamburinus propoſuiſſet minùs planè. Nam ille Azorium ſequutus non negavit ſpeciale præceptum

ptum dilectionis, vt ea sit medium necessarium ad salutem æternam, neque vt est actus virtutis Theologicæ omnium maximæ; sed solùm voluit, etiam titulo remedij esse præceptam, & sub hac ratione dixit illam nunquam obligare, nisi cùm homo ad iustificationem tenetur, & opportunitate Sacramenti destituitur.

47. Et sanè id speciale est in hoc casu, quòd certum sit, tunc hominem teneri ad eliciendum actum dilectionis, aut contritionis perfectę, atque id tempus ex ipsa rei natura esse determinatum; non verò ex præcepto Ecclesiæ, aut ex prudenti hominum arbitrio. Alia autem tempora, vbi similis obligatio ex natura rei incumbere putatur, v.g. tempus accipiendi Eucharistiam, aut Baptismũ, tempus martyrij, vel alterius operis difficilis in obsequium Dei præstandi, tempus, quo aliquod grande beneficium est acceptum, vel quo cernitur ingruere magna aliqua calamitas, præsertim publica, aut quo vehementes tentationes vrgent, vel initiũ vitæ, aut finis eius, controversa sunt, ac valde dubia. Et quamvis à Valentia, Lessio, alijsque nonnullis assignẽtur; à Tamburino, & multis alijs negantur magna verosimilitudine, & adhuc verosimiliùs negabitur, eiusmodi obligationem tunc oriri ex speciali præcepto charitatis; non verò alterius virtutis. Vnde Le Mayre *vbi suprà* putat, Tamburinum nequaquã detrectasse speciale præceptum Charitatis ex se indeterminatum quoad tempus: de illo namque solùm dixit *in dicto num.* 9. cum Card. de Lugo aliqua ratione esse determinandum, vt in praxi complerè obligare incipiat; sed solùm voluisse, illud minimè obligare pro tẽpore ex natura rei determinato extra casum suprà dictum.

48. Quæ doctrina longè est alia ab illa, quæ continetur in propositione damnata, eique non parum favere videtur D. Angelicus *q.* 23. *de verit. art.* 7. *ad* 7. dum scribit, eum, qui non facit quantum in se est ad charitatẽ habendam, non semper peccare peccato omissionis; *sed tunc tantùm; quando facere tenebatur, vtpote cùm ei necessitas imminebat faciendi aliquid, quod sine charitate fieri non potest.* Quippe eiusmodi necessitas ex natura rei tunc solùm imminet certò, & indubitanter, cùm homo iustificari tenetur, v. g. ad suscipiendam, conficiendamve Eucharistiam, vel ad Confessiones excipiendas, & deest copia Confessarij, qua defectum contritionis suppleat.

DISSERTATIO VIJ.

DE VSV CIBI, ATQVE CONIVGIJ ob ſolam delectationem.

Huc revoco octavam, nonamque propoſitiones ob earum affinitatem.

CAPVT PRIMVM.

Iuſta confixio propoſitionis octavæ.

1. TEnor illius hic eſt. *Comedere, & bibere vſque ad ſatietatẽ ob ſolam voluptatem non eſt peccatum (modò non obſit valetudini) quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Docuit eam præcipuè Ioannes Sanchez *in ſelectis diſp. 2. num.* 14 & ex illo Antonius de Eſcobar *in ſumma. tr. 2. exam. 2. num.* 102. Ipſe tamen contrariam apertiſſimè ſequitur *in Theologia morali* poſteà excuſa *tom.* 1. *lib.* 4. *num.* 231. & ibi opinionem Sanctij *magis Auctoris, ſui ingenio, quàm practica veritate, imiti putat.* Illam proponit Diana *p. 3. tr. 5. reſol. 6. vt ſtudioſi legant, & iudicent.* Baſlæus autem verb. *Gula. num. 2. in fin.* probabilem eſſe iudicat, dum cum Paſqualigo oppoſitam *vt probabiliorem* tenet.

2. Attamen doctrina iſta, vt iacet, niſi ego fallor, graviori potuit notari cenſura. Nam illa cauſalis: *Quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*: longè plus, quàm ſcandaloſa, & pernicioſa videbitur, ſi, vt par eſt, introſpiciatur. Conſtat enim paſſim, & apertè ex Sacra Scriptura, & PP. plures eſſe actus ſenſuũ exteriorum, & maximè guſtus, & tactus, quibus vti, ac frui non licet ſecundum rectam rationem, aut permittere appetitui naturali, vt eorum delectationem perquirat. Immoderati enim ſunt, vt ingluvies, ingurgitatio, aut præpoſtera libido, nec poſſumus ad inſtar belluarum eò ferri, quòcumque inclinat appetitus naturalis, penes quem nulla eſt diſcretio actus, & delectationis honeſtæ ab irrationali, ac turpi. Atque hinc naſcitur continua lucta carnis adverſus ſpiritum concupiſcentis, & ſpiritus adverſus carnem: nam de actibus licitis pugna non eſt, niſi fortè ad mortificationem voluntariam; ſed ſolùm de illicitis, ac repugnantibus legi in mente noſtra ſcriptæ.

3. Hinc ex ſuo ſpeciali munere Fortitudo, Temperantia, Continentia, aliæque virtutes ſimiles occupantur in coërcendis, edomandiſque paſſionibus, ne in illicita prorumpant: forentque prorſus inutiles, vt Angelo Caſtitas, vel abſtinentia cibi, ac potus, niſi iraſcibilis, & concupiſcibilis per fas, & nefas nos ad actus ſenſuales, delectationeſque illicerent. Et hinc denique indubitatum eſt, noſtris paſſionibus, inſtar brutorum, nõ eſſe habenas laxandas, quaſi omnia ſenſui placentia indiſcriminatim liceant; ſed potiùs frœnandas eſſe iuxta præceptum rationis, & gubernandas cum omnimoda ſubordinatione ad legem Dei, in qua pleraque inveniun-

niuntur diſtrictè prohibita, tametſi maximè delectabilia quoad ſenſum.

4. Quocirca, dum vniverſim aſſumitur, noſtro appetitui licere frui ſuis actibus, atque in illis delectari, & exinde ſpecialiter infertur, ſatietatem cibi, ac potus immunem eſſe à peccato, cùm non obeſt valetudini, falſiſſimum principium ſupponitur, & penitus abijciendum, quamvis permittatur eſſe verum conſequens ex eo deductum. Nam ex falſo interdū falſum, interdum verum colligitur. Et, ſi eiuſmodi ſatietas ſolius voluptatis gratiâ procurata fortè licet, vtique propter hanc cauſam nunquā licita eſſe poteſt; ſed ex alijs argumentis concludendum foret; non verò ex principio illo, vnde pariter convinceretur, omnem actum ſenſui delectabilem eſſe licitè appetibilem; imò abſque peccato expeti poſſe ipſius ſenſibilis delectationis intuitu. Applica enim idem argumentum peccatis contra naturam, eſui carniū humanarum, ebrietati, vel ſaturitati nimiæ, appetitui vindictæ, ac multis alijs motibus irrationalibus, & vi illius aut omnia munda erunt, aut nihil in favorem ſatietatis, ac delectationis eius poterit verè concludi. Aut enim ſumitur tanquam præmiſſa, appetitum licitè frui poſſe omnibus ſuis actibus, vel non omnibus; ſed ſolùm aliquibus. Si omnibus, nulla erit actio, aut delectatio ſenſuum exteriorum, quantumlibet fœda, & turpis, quæ à peccato non purgetur. Si verò ſolùm aliquibus, nec de ſatietate cibi, nec de alia particulari quidquam demonſtrari valet, quia ex puris particularibus nil legitimè concluditur.

5. Tenendum propterea eſt, propter cauſalem adhibitam meritò proſcriptam eſſe propoſitionem, quā modò diſcutimus, & vel hanc ſolam potuiſſe eſſe vnicam cauſam notandi illam ſeveriori cenſura. Reſtat tamē inquirendum, an ipſa vlteriùs contineat perniciosas alias, aut ſcandaloſas doctrinas, quæ meritò præcaveri debeant, ſaltem propter ſe, ac ratione ſui. Nam ratione damnationis, ac præcepti Pontificij in rigore non videtur neceſſarium eas præcavere vt damnatas, & in ſua praxi prohibitas, cùm illi ſufficienter ſatisfaciat, qui theſim, vt iacet, reijcit, & partem eius aſſignat, quæ tolerari non potuit; idque oſtendit ratione efficaciſſima, quam mirum eſt non attigiſſe Gonetum, Filgueira, Lumbier & alios, qui huius damnationis cauſas aſſignare ſatagunt.

6. Duo autem ſunt, præter cauſalem, ibi ſatis clarè aſſerta, & à Ioāne Sanchez *vbi ſuprà* pleniùs tradita, quæ in examen meritò vocari debent. Aliud eſt, *nunquam ex gula peccari nimis comedendo ſine fame, atque neceſſitate, niſi tanta ſit cibi nimietas, vt valetudini noceat.* Alterum verò, *id fieri poſſe abſque peccato propter ſolam voluptatem, quam ſumit ſenſus ex cibo.* Idem de potu eſto dictum, ne multoties cum faſtidio repetatur.

7. Circa primum ea doctrina mihi non videtur permittenda, aut tutò in praxim vocanda. Aſſumit enim menſuram quantitatis alimenti paradoxam, & extraneam, dum eam ſumit, non ex eo, quod requiritur, ac ſufficit ad fovendas vires corporis, & ſerviendum exercitijs animi; ſed ex imminente extrinſeco nocumento valetudinis, quo ſublato, neque intēperans, neque peccaminoſa erit ſatietas vſque ad faſtidium, ſaturitas vſque ad vomitum, vel repletio vſque ad ingluviem, aut ingurgitatio ad nauſeam. Et, quia obligatio evitandi nocumenta proprij corporis ad charitatem propriam potius ſpectat, quàm ad temperantiam, conſequens fiet,

fiet, vt intra limites huius virtutis nulla designari possit quantitas cibi superflua, nulla nimia, nulla immoderata, quæ hominem gulosum reddat; sed tota malitia excessus præiudicantis saluti ad aliud vitium spectabit, vt Caietanus rectè animadvertit 2.2. *q.* 148. *art.* 4 *ad* 3. & notant frequenter alij cum D. Thoma *q.* 14. *de malo. art.* 2. *ad* 4. ibi: *Nocumentum proprij corporis non est proprium obiectum gulæ; sed consequitur quandoque obiectum præter intentionem, & tale nocumentum est præter rationem gulæ.*

8. Explodenda igitur est mensura illa fallax, & ad rem non pertinens, quam assignat Ioãnes Sanchez, & cum Augustino *tom.* 1. *lib. de morib. Ecclesiæ. cap.* 21. ea vtendum *vitæ regula, quam habet vir temperans in huiusce modi rebus mortalibus, ac fluẽtibus vtroque testamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed vitæ huius, officiorumque necessitatem, quantum satis est, vsurpet vtentis modestia, non amantis affectu.* Et licet fortasse hæc regula sit perfectionis quoad aliqua; tamen quoad alimenti quantitatem necessitati admetiendam, præcepti esse, & non meri consilij, apertè habetur apud eumdem Augustinũ *tom.* 10. *serm.* 41. *de Sanctis*, vbi in eo excessu clarissimè peccatum veniale agnoscit his verbis: *Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quàm necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere.* Ac sibi consonat *lib.* 10. *cõfession. cap.* 31. *fin.* his præter cætera: *Itaque fræni gutturis temperata relaxatione, & constrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia homo peccator sum.*

9. Paria sumi possunt ex Hieronymo *in cap.* 44. *Ezechielis*, quę obvia sunt apud scriptores; sed valde selecta illa, quæ extant *lib.* 2 *contra Iovinian. q.* 3. *Sine quatuor*, inquit, *sensibus vivere possumus, id est, sine aspectu, auditu, odoratu, atque cõplexu; absque gustu autem, & cibis impossibile est humanum corpus subsistere. Adesse ergo debet ratio, vt tales, ac tantas sumamus escas, quibus nec oneretur corpus, nec libertas animæ prægravetur.* Consonatque S. Chrysostomus *hom.* 71. *in Matth.* sic edisserens: *Considera, miserrime hominum, quam venter mensuram flagitat, & pudebit te immoderatissimæ, atque ineptissimæ huius edendi diligentiæ. Quia scilicet advertes te mensuram debitam, & finem cibationis prætergressum, qui in eo situs est, vt corpus convenienti alimento foveatur, ac servetur, non obruatur.*

10. Ecclesiæ PP. sequutus est S. Thomas necessitatem pro mensura assignans, quam absque peccato transgredi non licet, 2.2. *q.* 141. *art.* 6. & antiquiores Scholastici, dempto Maiore, cuius antiquatam opinionem suscitavit Ioannes Sanchez magno impẽdio, ac nullo fructu. Cæteri namque scribentes de regulis temperantiæ eidem doctrinæ institerunt, vt Valentia, Lessius, Layman, Theophilus Raynaudus, Baldellus, Dicastillo, Tannerus. Et qui, suscitata denuo quæstione, rem propiùs attingunt, ex eodem principio colligunt, veniale saltem peccatum independens à nocumento salutis admitti, cùm sine necessitate, ac fame stomachus cibis oppletur, & venter vltra modum oneratur. Ita Escobar *loco citat.* Gonet *tom.* 3. *disser. de opinion. probab. à num.* 123. Lumbier *in præsenti num.* 1800. Filguera *in Lucerna propos.* 8. vers. *Nihilominus*, & Moya *in select.* 1 *p. tr.* 6. *disp.* 2 *q.* 3. *num.* 19. quem si Filguera exactè prælegisset, dam-

dam etiam propositionē nullo modo excusabit.

11. Iam verò ratio à priori desumenda est cum Chrysostomo ex fine, ob quem nobis indulgetur vsus cibi, nempe ad reficiendas vires corporis, & in conuenienti illa dispositione seruandas, qua mentis functionibus non impedimento, sed auxilio, ac iuuamini esse valeant. Porrò hic finis eam mensuram postulat, quam necessitas præscribit, eamque excludit, quam voluptas sola dictat esse procurandam. Cibus enim vltra necessitatem ingestus, quamvis corporali valetudini non noceat, mentem hebetat, intelligentiam obtundit, cerebrum replet vaporibus, & ad animalem vitam avocat virtutem animi, & bona habitudo corporis, quæ propter functiones mentis præcipuè desideratur, eis obstat potiùs, quàm seruit. Sanè idonea dispositio ad exercitia mentalia in corpore saginato ac cibis variis repleto nullo modo reperiri valet; sed ouere, atque grauitate illorum etiam anima aggrauatur, & finita virtus eius tantum detrahit studijs serijs, ac cogitationibus supremæ partis, quantum impendit somnolentiæ, digestioni, alijsque operibus, quæ sibi communes sunt cum mente capris, ac belluis: ideòque ad ineptam potiùs lætitiam disponitur, & ad multiloquium, aut scurrilitatem, quàm ad actiones hominis cordati, prudentia consilia, orationem, studium, aut alios actus, qui intentam applicationem, ac durabilem considerationem exigunt.

12. Verumtamen, quia necessitas suos habet gradus, & circumstantias diuersas, iuuabit maximè exponere, quonam pacto hîc accipiatur, idque melius, quàm meis verbis, exponetur totidem aliis Angelici Præceptoris *q.* 14. *de malo. art.* 1. *ad* 1. sic docentis: *Regula rationis hæc est, vt homo sumat cibum secundum quod cõuenit sustentationi naturæ, & bonæ habitudinis hominis, & conuersationi eorum, cum quibus vivit, vt dicitur in* 3 *Ethicorum. Quando ergo secundum hanc regulam rationis appetit aliquis, & sumit cibum, secundum necessitatem sumit; quando verò vltra hoc excedit, transcendit regulam rationis à medio virtutis discedens, vt satisfaciat voluptati. Sed sicut Philosophus dicit in* 2. *Ethic. à medio virtutis quãdoque quidem multum receditur, & istud de facili percipi potest; quandoque autem parum receditur, & istud est imperceptibile: vnde parum habet de ratione peccati.* Vide etiam Lessium *lib.* 4. *de iust. & iur. cap.* 1. *num.* 9. *& opusc. de vera ratione conseruandæ valetudin.* præsertim *cap.* 2. *&* 3.

13. Quòd si comedere, ac bibere plus, quàm necessitas exigit, peccatum est, à fortiori itidem peccatum erit id facere propter solam voluptatem cibi, potusve sumendi, cuius oppositum thesis proscripta affirmabat, & *num.* 6. seperatim annotatum fuit à nobis. Ratio in promptu est iuxta Augustinum *lib.* 14. *de Civit. Dei. cap.* 7. & S. Thomam 1. 2. *q.* 34. *ar.* 1. *corp.* Quia delectatio consequens operationem illicitam etiam illicita est, & per modum vnius cum ea prohibetur, eo fortiùs, quo ratione sui fortiùs pertrahit ad peccatum, quàm sola operatio prava, secluſa voluptatis illecebra, & concupiscentia inclinante ad bonum delectationis. Explicatur. Actus ille honestus esse non potest, cùm careat motivo honesto, & solam sensualem voluptatem aucupari intendat ex superflua comestione. Sed nec potest esse indifferens (esto eiusmodi actus admittantur) quia ad hoc saltem necessarium erat, vt actio ipsa comedendi, quamvis saluti non noceat, etiam vltra indigentiam ætatis, ac virium, & occa-

occasionum peccaminosa non esset, neque immoderata, sed indifferens, quod falsissimum esse suprà constitit. Restat igitur, vt in quacumque sententia actus ille sit illicitus, ac verè peccaminosus. Et quis non videat, esse opus otiosum, atque adeò illicitum, eam comestionem, quæ præcisè vtilis est ad capiendam voluptatem? Otiosum enim id dicitur iuxta PP. quod ratione iustæ necessitatis, aut piæ vtilitatis caret: omnisque otiositas deerit, si ad illam tollendam sufficit esse vtile ad voluptatem.

CAPVT II.

Vtrùm opus coniugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa careat?

14. *Omni penitus carere culpa, ac defectu etiã veniali*, propositione nona continetur, idque à Summo Pontifice damnatur. Sumitur ex Ioanne Sanchez *in selectis, disp.* 23. *num.* 25. qui *disp.* 6. *num.* 4. plus addit, nempe actum esse virtutis. Præiverat Ioannes Maior *in* 4. *dist.* 31. *q. vnic. conc.* 7. & vterque de isto opere pariformiter discurrit, vt de cibo, ac potu vltra necessitatem vsurpatis philosophatos esse anteà monuimus. Quare, nisi noceat propriæ, aut alienæ saluti, semper moderatum censent vsum actus coniugalis, nec vllam eius frequentiam nimiam, aut superfluam autumant: indeque concludunt, neque ipsam, neque intentionem explendi ea mediante suam libidinem sub peccato præcavendas esse, quia omni prorsus culpa vacat moderatas sensuum externorum delectationes intendere. Contenditque vlteriùs Sanchez *eo num.* 25. *vers. Nec vrget*, contra Gasparem Hurtado, & Basilium Legionensem id ipsum dicendum, quãtumvis coniux ad vsum frequentiorem coitus nõ aliter exercendi, quàm voluptatis intuitu, cibis calidis vtatur, vel alijs medicamentis.

15. In hoc sensu proculdubio apparet iustissimè inustam esse censuram Pontificiam ei doctrinæ. Tum ex dictis præcedenti capite circa voluptatem cibi, quæ fortiùs vrgent in venere, &, servata proportione, applicari debent casui isti. Tum rursus, quia etiam in istis mensura temperãtiæ non est incolumitas, aut nocumentum salutis; sed necessitas commensurata fini eiusdem matrimonij, vt declarat S. Augustinus *lib.* 5. *contra Iulianum. cap.* 9. *ante fin.* sic ipsum alloquens: *Tantummodò excessum libidinis culpas, ipsam laudare non cessas. Nec attendis, sentis, intelligis malum esse, cui, ne limites necessitatis excedat, cogitur temperantia repugnare.* Tum ex re ipsa, quia licentia illa exercendi opus coniugij propter solam voluptatem non restringitur, vti opus erat, ad solos actus coniugales aliàs debitos, vel necessarios, qui in illis circumstantijs ex motivo honesto possent exerceri; sed extenditur ad omnes alios, qui non nocent valetudini, quamvis sint nimis frequentes, & absque vlla necessitate, vel vtilitate speciei, aut individui exerceantur. Hoc autem nihil est aliud, quàm coniugatis concedere vsum libidinis vsque ad satietatem, & veram mensuram tollere huius actus exercendi, ac sub palliato nomine moderationis infrunitam immoderãtiam complecti.

16. Tum prætereà, quia hæc nimietas alteri vsui non deserviens, quàm saturandæ libidini, expressissimè sub eisdem terminis peccati ab Augustino damnatur *lib.* 2. *contra Pelagium. cap.* 38. & *lib. de bono coniugij. cap.* 6. ibi: *Coniugalis concubitus gene-*

generandi cauſa non habet culpam; concupiſcentiæ verò ſatiandæ tamen cum coniuge, venialem. Idipſumque tanquam Chriſtianam doctrinam, & Apoſtolicam tradit *in dicto cap. 9. fin.* contra Iulianum hæreticum ex Paulo 1. *ad Corinth.* 7. 5. his præter reliqua: *Apoſtolus*, inquit, *ſecundum veniam concedit, quamvis cum coniuge, non vtique illum prolis, ſed qui fit voluptatis intentione concubitum. Hunc audiant Chriſtiana coniugia, nõte* (Iulianum) *qui vis in eis, quam defendis, nunquam frœnari concupiſcentiam; ſed quotieſcumque ſe commouerit ſatiari avidam, regnare ſecuram. Hunc audiant, inquam, fideles Chriſtiani, qui ſunt connubio colligati, vt ex conſenſu temperent, quo vacent orationi; & cum ad idipſum redeunt propter intemperantiam ſuam, noverint etiam inde dicere Deo: Dimitte nobis debita noſtra. Quod enim ſecundum veniam, non ſecundum imperium à tanto Doctore dicitur, ignoſcitur, nõ iubetur.* Hucuſque Auguſtinus, pariter cõteſtantibus S. Anſelmo *in commẽt.* ad ea verba Pauli, S. Chryſoſtomo *tom. 5. lib. de virginit. cap. 34.* S. Gregorio *in Paſtoral. p. 3. admonit. 28.* S. Fulgentio *epiſt. 1. cap. 3.* Clemẽte Alexandrino *lib. 2. ſtromatum*, & nullo repugnante, alij communiter apud Raynaudum *in Heteroclit. terreſtr. ſect. 1. à num. 40. tom. 16.*

17. Iam verò, ſi præfata propoſitio in ſenſu intento, & tradito à Ioanne Sanchez adeò abſurda eſt SS. PP. & adeò iuſtè cenſuram commerita, eamdem vtique iure optimo ſubibit, ſicut iacet in Pontificio decreto: nam, vt ibi iacet, nil eſt aliud, quàm breve alterius compendium, idem exprimens ſtrictiori ſtylo. Purgat enim abſolutè, & indiſcriminatim à quacumque culpa, & defectu, etiam veniali, acceſſum coniugalem propter ſolam voluptatem exercitum, nec diſcernit inter moderatam, aut immoderatam, neceſſariam, vel ſuperfluam, vtilem, aut inutilem ad bona matrimonij conſequenda; ſed omnes peræquè abſolvit, & excuſat à peccato. Nequit autem ea doctrina tolerari, vel permitti ſub tanta vniverſalitate: quia, vt iacet, eò tandem recidit, vt liber vſus matrimonij concedatur nullis regulis temperantiæ coërcitus. Et, cùm finis ſit ratio mediorum, ſublata rectæ rationis menſura, quæ modum ponit exceſſibus, ſola relinquitur pro ratione voluptas liberè, ac licitè explenda vſque ad plenam ſatietatem contra doctrinam Apoſtoli, & omnium Eccleſiæ Patrum.

18. Expendendæ ſunt præterea voces illæ *propter ſolam voluptatem*, nullo alio adiecto, in theſi damnata exhibitæ. Nam, excluſivæ cùm ſint, tantumdem valent, ac ſine vlla alia neceſſitate, vel vtilitate, vel ſaltem nulla ipſius ratione habita; ſed ſola, ac nuda boni delectabilis ratione inſpecta. Porrò, cùm ſola voluptas ſenſualis, ac libidinoſa eſt finis operis, & operantis, opus, quod intuitu ipſius exercetur, vt minimùm liberari nequit à peccato otioſitatis. Nam quòd vtile illud ſit ad capiendam voluptatem, ſicut ſatis non eſt, quacumque alia neceſſitate, vel vtilitate excluſa, vt per modum medij ad illam ordinetur, ſic ſatis eſſe non poteſt ad culpam otioſitatis vitandam: aliàs enim nunquam inveniri poſſent facta, aut verba merè otioſa, quia omnia invenientur vtilia ſaltem ad oblectamenta ſenſuum, & commoditates communes cum belluis, & alijs irrationalibus.

19. Explicatur. Nam ſicut vſus coniugij, eſto interdum malus ſit, & in abuſum degeneret, non eſt propterea ex ijs malis, quæ ſemper fugienda ſunt, vt fornicatio; ſed ſæpius

honestè exercetur: ita quoque non est ex his bonis, quæ per se, ac semper dicuntur appetenda; sed ex illis, quæ appetibilia redduntur ratione necessitatis, sicut cibus, potus, somnus, sectio venæ, & alia eiusmodi, inter quæ etiam iuramentum numeratur. Nam & *iuramentum*, teste D. Thoma *in 3. dist. 39. art. 2. q. 1. corp. non est computandum inter ea, quæ sunt per se appetenda; sed inter ea, quæ propter necessitatem fiunt, sicut sunt bona vtilia, vt sectio vulneris, vel aliquid huiusmodi.* Iam verò si proponatur quæstio, vtrùmnam iurare liceat ob solam cupiditatem, aut delectationem iurandi? Respondebit S. Augustinus *lib. de Mendacio. cap. 15.* & cum illo Magister Sentent. ac S. Thomas *loco citat.* in argum. *Sed contrà*, & reliqui omnes communiter, id apertè esse peccatum: quia perinde est iurare eo modo, ac iurare absque necessitate, neque in eo eventu alius comes iuramento deficere intelligitur.

20. Ita igitur in præsenti contingit, quia in circumstantijs propositis æquipollentia censentur, coire cum vxore propria propter voluptatem solam, & id exequi absque vlla necessitate. Et quemadmodum si quis assereret opus coniugij absque vlla penitus necessitate exercitum omni defectu, culpaque vacare, eo ipso scandalosam, ac pernicioſam doctrinam tradidisse censeretur, sic pariter de illo iudicari debet, qui absolutè docet, illud licitè exerceri propter solam voluptatem. Quò spectat egregius locus S. Augustini *lib. 5. contra Iulianum. cap. 12.* sic scribentis: *Dico bonum esse coniugium, vbi proles nisi per concubitum non potest procreari. Si enim aliter possent; & tamen concumberent coniuges, apertissimè libidini cederent, & illo malo vterentur malè:* scilicet, quia tunc deesset necessitas, quæ illius actionis, vt liceat, debet comes esse inseparabilis. Pergit vlteriùs: *Cùm verò, propter quod sexus ambo sunt instituti, nisi eorum commixtione non nascitur homo, propter hoc mixti coniuges illo malo vtuntur bene. Si autem de libidine quærunt etiam voluptatem, venialiter malè.* Nihil clarius potuit dici.

21. Arguo insuper. Nam qui in opere coniugij solam eius voluptatem intendit, ex vi præsentis motivi non debet attendere alias eius circumstãtias, vnde facilè vitiari potest independenter à fine; sed ab illis abstrahit, neque examinat, vtrùm liceat, aut non liceat hîc, & nunc; sed præcisè, vtrùm delectet, quia id satis est ad suum finem; delectat autem, non minùs, cùm vitiosus est, quàm si sit licitus, & turpitudo, aut honestas merè materialiter se habent in comparatione illius boni, quod principaliter quærit. Porrò iste modus agendi cœco impetu propter solam voluptatem absque reflexione ad alias circumstantias, vnde eius honestas obiectiva pendet, etiam cum vxore nota vt propria, evidenter est illicitus, saltem leviter, sicut illicitus esset, & quidem graviter, si operanti non constaret, an esset propria, an aliena. Neque in hac materia solùm, sed in cibo, somno, atque alijs quibuscumque, vnde delectatio captatur, peccaminosum censetur operari, quin prius inspiciatur, num delectatio, quã quærimus, sit licita, vel illicita, & ex opere, aut ex alia quapiam circumstantia depravetur. Saltem namque debet inspici, & omnino præcaveri, ne id, quod quærimus, aut agimus, rectæ rationi opponatur dissuadenti turpia obiecta. Et hoc ratum est, ac fixum, etiam apud eos Auctores, qui admittunt actus in individuo indifferentes. Neque enim obligationem detrectant discernendi licita ab illicitis, vt à malo declinare valeant; sed solam

ſolam obligationem agendi ſemper ex motivo honeſto.

22. Ad hæc. Exercere opus cõiugij propter ſolam voluptatem ſenſualem, eo ipſo excludit fines reliquos: neque enim ſola erit finis, ſi alius æquè, aut magis principalis pariter cum ipſa intenditur. Videndum ergo eſt, quiſnam finis excludatur, & cùm id non conſtet ex reliquo contextu, qui nullus eſt; ſed ex verbis ſolius propoſitionis, vt iacet, debeat iudicari, tanta exinde cõfuſio ſuborietur, tantumque errandi periculum in via morum, vt propter hanc ſolam cauſam pernicioſa, & ſcandaloſa meritò poſſit cenſeri. An ſola, & vna voluptas ita finis eſſe creditur, vt finis vltimus etiam excludatur? Sed hac ratione certiſſimè peccatum mortale erit exercere opus coniugij propter ſolam voluptatem: quia id eſt vniverſim verum, quoties finis vltimus in creatura collocatur, vt fit, quoties amicitia Dei deſeritur propter finem aliquem creatum, aut quando homo eſt ex vi amoris creaturæ in tali animi præparatione, vt mandata gravia ipſius violare mallet potiùs, quàm creaturam perdere.

23. An ſermo eſt de ſolo fine proximo, ac principali in ſua ſerie, & vna voluptas ideò talis eſſe dicitur, vt cœteri eiuſdem ordinis excluſi intelligantur? Ita quidem apparentiùs diceretur. Verumtamen neque is modus agendi indiſcriminatim affirmari poteſt ab omni peccato immunis. Saltem enim opus coniugale peccaminoſè exercetur, cùm vna, & ſola voluptas ex ipſo capienda eſt finis proximus, ac principalis operis, & operantis, vt ſuprà viſum eſt: quia tunc re ipſa deeſt neceſſitas illius actionis ad fines matrimonio conſentaneos, & loco illius adeſt otioſitas, vt in cibo, iuramento, & alijs, quę extra caſum neceſſitatis non licent. Quòd ſi ſaltem in hoc caſu tolerari nequit doctrina theſis damnatæ, profectò abſolutè, vt iacet, intolerabilis eſt: nam de iſto præcipuè, ac maximè loquitur, debetque intelligi; non autem de illo, in quo diſcrepant finis operis, & operãtis. Etenim ſi finis intrinſecus, & quaſi connaturalis operis, prout hîc, & nunc exercetur, non eſt voluptas ſenſibilis; ſed debiti redditio, aut generatio, licet operans pro arbitrio ſuo non alium finem, quàm ſolam voluptatem intendat, opus, cuius proprius finis longè alius eſt, in rigore, & omnibus inſpectis, propter ſolam voluptatem non fiet.

24. Sed demus, ſermonem eſſe de ſolo fine operantis, & adhuc recurret eadem difficultas. Quia propoſitio, vt iacet, non diſtinguit inter opera coniugij merè vtilia ad voluptatem, vel vtilia ad alios fines rectæ rationi congruentes; ſed de omnibus indiſcriminatim loquitur, & intentionem capiendi ex ſingulis quibuſque voluptatem ſemper à peccato excuſat. Eſt autem inexcuſabilis, cùm finis operis eſt ſola voluptas. Nec poteſt reſtringi aſſertio ad opera coniugij alioqui honeſta, ijs reiectis, quæ ſuperfluè, vel otioſè fiunt. Nam eiuſmodi reſtrictio non invenitur in propoſitione, vt iacet, & adiecta aliam diverſam & ſenſu, & verbis conſtituit; imò oppoſitam, quia propoſitio damnata vtitur hac voce *penitus*, quæ abſolutiſſima eſt, & nullam prorſus modificationem admittit; ſed omnes caſus indiſtinctè comprehendit, vt latè tractat Auguſtinus Barboſa *de dictionib. vſufreq. dict.* 249.

25. Vlteriùs coniugij actus bifariam amari poteſt propter ſolam voluptatem. Primò, excludendo poſitivè alios fines, ad quos id opus honeſtè poſſet referri, vt ad prolem ge-

nerandam, vel ad debitum reddendum. Secundò, non excludendo fines istos affectu positivo; sed de facto nullum alium intendendo, nisi solam voluptatem. Vterque autem modus congruit propositioni damnatæ, & vterque iuxta illam ab omni culpa excusatur. At primus nulla ratione ab illa purgari valet, vt fert omnium Theologorum vera, & communis sententia, de qua Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 8. num. 10.* Neque vllus, opinor, erit, qui hunc actum à culpa excuset: *Volo accedere ad vxorem propter solam voluptatem, idipsum facturus, quamvis accessus neque proli generandæ, neque vlli alteri fini vtilis esset.* Secundus verò in idem recidit. Nam qui aliud bonum non quærit in opere coniugali, nisi solam delectationem libidinis cum propria vxore, ita est affectus ex vi præsentis motivi, ac dispositionis, vt idipsum vellet, effetque facturus, quamvis tale opus inutile appareret ad consequenda alia bona, quæ tunc nō quærit, nec diligit. Satis namque sibi est ad eligenda media vtilitas illorum ad suum finem: atque ad illum solū obtinendum merè concomitanter se habet notitia, vel ignorantia aliarum vtilitatum, quæ in ipsis fortè inveniuntur.

26. His magnum prætereà robur, & auctoritatem conciliant Scriptura Sacra, & Patres, qui non solùm intentionem improbant exercendi cum vxore propria immoderatam libidinem; verùm etiam absolutè modum ipsum operandi propter voluptatem, abstrahendo à nimietate, vel moderatione illius. Vnde Sara vxor Tobiæ iunioris cùm sibi imputaretur ad culpam immatura mors septem virorum, quibus fuerat successivè desponsata, vt ab eo improperio se excusaret, ita Deum est alloquuta *Tobiæ 3. 18. Virum cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.* Accedit vnus pro mille S. Augustinus *lib. de nupt. & concup. cap. 8.* vbi dixit, quod iterum confirmat, ac replicat *contra Iulianum lib. 5. cap 9 initio: Non coniugalem, hoc est, licitum, honestumque concubitū fuisse prohibitum; sed vt operis huius causa sit voluntas propaginis, non carnis voluptas: & quod sine libidine fieri non potest, sic tamen fiat, vt non propter libidinem fiat.* Quò posteà refert subtiliter illud Lucani *lib. 2. Pharsaliæ:*

Nulloque Catonis in actus
Surrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas.

Quæ verba ita commentatur: *Qualis vir Cato fuerit, & vtrùm in eo vera virtus, honestaque laudata sit, alia quæstio est. Ad quemlibet tamen finem sua referret officia, non vtique sine voluptate filios procreavit; & tamen nullos Catonis in actus surrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas. Quoniam, & quod non faciebat sine voluptate, nō faciebat propter voluptatem: nec in morbo huius desiderij suum vas possidebat.*

27. Idipsum fert communissima aliorum scribentium sententia, *quam Augustini, & omnium Theologorum* esse dixit P. Suarez posteà appellandus: atque ideò temeritate non vacat adversus Ecclesiæ Patres ita exponētes Scripturam, torrentemque omnium Doctorum castitati coniugali tantam licentiam tribuere quærendi libidinosam sui congressus voluptatem, eaque sola perfruendi, quantam in damnato lemmate contineri notabamus. Neque vllus (vt opinor) alicuius nominis Theologus, præter Ioannem Sanchez, & Maiorem, exhiberi poterit, qui assensum plenè tribuerit isti laxitati, vt iacet. Nam quod Filguera *in præsenti prope fin.* id imputat Aversæ suo, Basilio Legio-

gionenſi, Almayno, Kelliſono, Dianæ, Gaſpari Hurtado, alijſque multis, quos Pontificia cenſura contendit eſſe notatos (vt inferiùs demonſtrabitur) ex minùs accurata eorum lectione proceſſiſſe videtur, vel certè ex minùs exacta conſideratione maximæ amplitudinis, qua luxuriandi facultas in eo lemmate indulgetur coniugatis. Vnde nullus ex eis ſumit menſuram moderationis, ac debitæ temperantiæ ex eo, quòd coitus ſaluti propriæ, vel alienæ non noceat (vt volebat cum Maiore Ioannes Sanchez) nam id ad caſtitatem non ſpectat, vt capite præcedenti in ſimili tradebatur; ſed ex commenſuratione illius cum bonis matrimonij, quorum cauſa voluptas iſta permittitur, quamvis rationem abſorbeat, & ſit alioqui brutalis, pudenda, & prorſus indigna, vt ſuimet gratiâ appetatur, neceſſitate ſecluſa.

CAPVT III.

Qua temperantiæ menſura diſcernendus ſit vſus coniugij honeſtus a vitioſo, ſeu moderatus ab immoderato?

28. TEmperantiæ coniugalis eſt, modum imponere venereis delectationibus, etiam cum vxore propria, ne limites rationis egrediantur, & aſſignare menſurã frænandi concupiſcentiam libidinis, quæ, irrationalis cùm ſit, ex ſe nullam habet taxam; ſed voluptati capiendę, ſaturandoque appetitui inhiat fortiter, & valde inſtanter. Viſum eſt autem hucuſque, & exemplo iuramenti, alijſque eiuſmodi cum Auguſtino, & Sanctis confirmatum, eam non eſſe bonum per ſe expetendum, ſeu ratione ſui duntaxat; ſed ex cauſa, qua ſecluſa, neque eſt liberum, nec licitum acceſſui coniugali operam dare. Cauſa autem ſufficiens non eſt, vti etiam diximus circa concupiſcẽtiam cibi, aut potus, quòd expletio illius non noceat ſaluti propriæ, aut alienæ; ſed ex fine matrimonij, & bonis, quæ ex illo hauriuntur, ſumi debet: nam exinde habet, quòd liberè, ac licitè exerceri poſſit, quamvis alioqui non differat ab opere fornicario ſecundum ſpeciem naturæ, vt pulchrè explicat Angelicus Doctor *in 4. diſt. 31 q. 1. art. 1.*

29. Eſt autem præcipuus finis matrimonij conſervatio ſpeciei humanæ per generationem prolis, ſicut finis comeſtionis eſt conſervatio individui: atque adeò non pauci affirmant, concupiſcentiam acceſſus, ac delectationis eius in coniugibus ſic eſſe moderandam, vt non tranſcendat hos limites, & ſiquid amplius ei fortè indulgetur, abſque peccato, ſaltem levi, exerceri non exiſtimant. Quare neque propter ſolum bonum Sacramenti, neque ad rebelles motus incontinentiæ ſedandos, nec ſanitatis conſervandæ deſiderio, neque ob alios fines matrimonio extrinſecos, quorum intuitu plures actus viſus, vel auditus honeſtè exerceri poſſent, putant licere iſtum actum. Cui doctrinæ nimis favere videtur S. Auguſtinus *citat. ſermon. 41. de Sanctis*, inter minuta peccata recenſens: *Quoties aliquis, excepto deſiderio filiorum, vxorem ſuam cognoverit*: & plenius *lib. de bono coniugali. cap. 6. & 7.* ibi: *Reddere debitum coniugale nullius eſt criminis; exigere autem vltra generãdi neceſſitatem, culpæ venialis.* Acceditque S. Thomas *diſt. 31. q. 2. art. 2. corp.* ibi: *Duobus ſolis modis coniuges abſque peccato conveniunt, ſcilicet cauſa prolis procreandæ & debiti reddendi; aliàs autem ſemper eſt ibi peccatum, ad minus veniale.*

Annu-

30. Annumerat quoque S. Thomas *ibidem in solut. ad 2.* inter causas vsum matrimonij cohonestantes studium vitandi fornicationem in coniuge, *quia hoc*, inquit, *est quædam redditio debiti*; sed aliter sentit de intentione evitandi illam in se ipso, *nam sic*, ait, *est ibi aliqua superfluitas, & secundum hoc est peccatum veniale; nec ad hoc est matrimonium institutũ, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.* Cœterũ etiam in coitu ordinato ad evitandam incontinentiam in alio, admiscerí potest superfluitas, & frequentia nimia vsque ad saturitatem, nec propterea damnatur illius vsus, cùm iuxta indigentiam cognitam, prudenterve præsumptam exercetur. Vnde, servata proportione, idem affirmari debet de accessu coniugali ad evitandam incontinentiam in se ipso, & eo certiùs, quò propriæ tentationes, ac pericula notiora sunt, quàm aliena, & quò maior obligatio incumbit vnicuique, cœteris alioqui paribus, præcavendi occasiones sui peccati, quàm alterius. Nec est cur accessus factus animo evitandi in alio peccatum incontinentiæ reputetur quædam debiti redditio decens, ac munda à peccato, & non pariter putetur cuiusdã debiti exactio licita, ac decens accessus factus animo servandi exactè castitatem coniugalem, & cavendi in semetipso commixtionem cum alienis.

31. Propterea absque vllo discrimine incontinentiæ propriæ, vel alterius, nullum in ea intentione peccatum agnoscunt Caietanus, Navarrus, Richardus, Durandus, Angles, Vgolinus, Azor, Lessius, Coninc, Sa, Gaspar Hurtado, Layman, Fagũdez, Aversa, Diana, Basilius Legionensis, Leander, alijque non pauci, quibus etiam suffragatur S. Thomas *in 4. dist. 30. q. 1. art. 3. corp.* Atque ex ipsa conditione nuptiarum videtur colligi satis apertè. Nuptiæ namque licitè, ac honestè ineuntur iuxta doctrinam Apostoli 1. *Corinth.* 7. ad fornicationem vitandam, & præcavenda in se ipso pericula incontinẽtiæ; & hic finis sufficit ad illas cohonestandas, quamvis coniuges sint senes, aut steriles. Ergo pariter sufficit ad cohonestandum accessum coniugalem, quo mediante, ardor libidinis quiescit, & fervor concupiscentiæ sedatur. Quare non est opus, vt volebat Thomas Sanchez cum relatis *lib. 9 de matrim. disp. 9. num. 4.* quòd tententur alia media, & insufficientia inveniantur. Nam hoc promptius est, & efficacius, necessariumque proinde non solùm disiunctivè; sed ad melius esse. Et, si priùs tentari debent alia media, quàm ad ipsum deveniatur, vix vnquam eo vti licebit in statu coniugij, quia semper suppetent ieiunia, castigatio corporis, & alia, quibus etiam cœlibes concupiscentiam cohibent. Ac, deficiente spe gignendi liberos, vt evenit, cùm vxor est gravida, coniuges pro tunc, aut domo, aut lecto separandi essent, ne mutuo convictu concupiscentia accendatur, & coëundo venialiter delinquant, quia occasionem adeò proximam voluntariè retinuerunt, cùm potiùs deberent vti remedijs contrarijs.

32. Neque verum est, connubia non fuisse instituta ob hunc finem; sed solùm secundum indulgentiam permissa ad evitandas graviores incontinentias. Nam licet permissa sint quoad superfluitatem, intemperantemque excessum, quæ prætextu incontinentiæ vitandæ facilè possunt irrepere; quoad vsum tamen actus coniugalis moderatum, ac commensum huic fini non sunt permissa, sed directè, ac positivè concessa. Imò quia ad eum finem sunt à Deo instituta,

tuta, consequens est, vt gratiâ illius actus ipse coniugalis possit licitè exerceri: inordinata namque foret institutio ad eum finem, qui non nisi per peccatum esset de facto obtinendus. Qua de re S. Chrysostomus cum Apostolo egregiè philosophatur *lib. de Virginitate. cap.* 19. hisce verbis: *Est verò institutum liberos procreandi causâ connubium; sed multò magis, vt in natura insitum restinguat ardorem. Quod sanè Paulus ita testatur*: Propter fornicationem vnusquisque suã vxorem habeat; *non propter liberorũ procreationem. Et iterum eosdem iubet convenire, non vt multos liberos suscipiant; sed cur?* Ne tentet, *inquit*, vos Satanas. *Atque eo ipse progrediens, non cupiditate prolis; sed quamobrem?* Si se, *inquit*, non continent, nubant. *Duæ autem hæ fuerunt, quemadmodum initio dixi, coniugij instituendi causæ. Sed deinde, & terra, & mari, & vniverso terrarum orbe animantium inferto, vna relicta est coniungendi causa nuptiarum, vt libido, & continentia sedaretur.*

33. Pariter discriminantur Auctores circa finem sanitatis instaurãdæ, vel tuendæ. Nam S. Thomas *eo art. 2. ad 4.* & cum ipso S. Antoninus, Paludanus, Angelus, Sylvester, Tabiena, Petrus de Ledesma, Pedraza, Sylvius, vterque Sotus, & alij, venialis peccati damnant petere, non autẽ reddere debitum solius sanitatis causâ. Quod temperat, mediam viam sequutus P. Thomas Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 10. num. 3.* contestantibus Martino, ac Bartholomæo de Ledesma, Victoria, Filliucio, Ochagavia, Trullenc, Escobar, & alijs iunioribus, ne locum habeat casu, quo coniugij vsus sit petenti vnicum medium propriæ salutis retinendæ, vel recuperandæ: tunc enim licere existimant, quamvis proles desperata sit, & nullum vrgeat incontinentiæ periculum; sed solum procuretur bonũ sanitatis. Ac demum alij ob eum finem semper id licerè putant, debita alioqui moderatione seruata: nam & actus ipse de se non est illicitus, & ex fine petendi, vt pote honesto, & necessario, tàm ad debitum reddendũ, quàm multiplicandam speciem, nulla ratione vitiatur. Quinimò cùm matrimonium primariò sit institutum ad speciei propagationem, ex consequenti, & secundariò etiam ad conservationem individui præordinari debuit, quia nisi sanitas vtriusque coniugis indemnis seruetur, nũquam species propagabitur. Sic Caietanus, Rebellus, Basilius, Gaspar Hurtado, Coninc, Palao, Machado, Diana, Bauni, & qui omnes dabit, Leander *tom 2 de Sacram. tr. 9. disp. 25. q. 16.* assentiente insuper Aversa *q. 21. de matrim sect. 4.* vers. *Tertio*, & sentiente non esse improbabile Layman *lib. 6. tr. 10. p. 2. cap. 4. num. 3.*

34. Ex istis iam denuo inferes, etiam hîc locum habere, quod circa voluptatem cibi suprà prænotavimus, delectationem annexam exercitio actus coniugalis bono fine amari posse, sicut actus ipse, quem sectatur. Neque enim semper bona est, aut semper mala in genere moris; sed vt minimùm eamdem varietatem subit, quam ipsum opus materiale coniugij secundum se, & ex suis proprijs circumstantijs spectatum. Vnde delectatio annexa coitui secundum se illicito illicita etiam est, intemperanti intemperata, otioso otiosa, immoderato immoderata, atque superfluo superflua, & ideò neque propter se, neque propter aliud potest citra culpam experti in prædictis circumstantijs; ea verò, quæ ex coitu de se licito resultat, debito scilicet, aut necessario ad fines sibi præfixos, licita quoque est, & sine peccato amari, & exerceri potest, sicut opus

ipsum

ipsum sine peccato exercetur. Et vniversim verum est quoad turpitudinem, & honestatem *idem esse iudicium de delectatione, & operatione, quia operationis bona est delectatio bona, & malæ mala*, vt in propositō repetit iterum Angelicus Doctor *in* 4. *dist.* 31. *q.* 2. *art.* 3. *corp.* & plenius *dist.* 49. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. *corp.* estque doctrina Aristotelis 10. *Ethic. cap.* 5. quam *valde communem, ac certam* vocat Villalobos 1. *p. tr.* 12. *diffic.* 40. *num.* 2. & oppositam *insipientiæ* tribuit Caietanus *in summa verb. Gula, num.* 1.

35. Quocirca, quoties inquiritur, an opus coniugij exercitum propter solam voluptatem vacet penitus defectu, ac culpa? affirmativa responsio indistincta, & generalis, qualem exhibet propositio damnata, nec potest esse tuta, nec vera. Evidens namque est, opus coniugij non posse licitè amari ob voluptatem illicitam: & aliunde etiam est evidens, illicitam esse voluptatem coitus ratione sui immoderati, aut superflui, vel inutilis ad matrimonij fines, & solùm vtilis ad voluptatem. Vnde assertio restringenda erat vt minimùm, vel ad voluptatem aliàs licitam, vel ad coitum alioqui necessarium, aut vtilem ad fines coniugij, licitumque ex ipsius operis fine, ac reliquis circumstantijs. Neque iam est disputandum, vtrùm actus coniugalis propter solam voluptatē exercitus penitus, ac semper liceat, quia constat, non semper licere; sed an liceat in eo casu, quo omnis alia eius malitia secluditur, aut ex se honestus supponitur, vtpote debitus, vel necessarius; & nihilominùs pro arbitrio operantis ad hos fines non refertur, sed sola delectatio sensibilis ex eius vsu captatur.

CAPVT IV.

Vtrùm opus coniugij, alioqui honestum, aut licitum, vitietur, si ab operante propter solam voluptatem de facto exerceatur?

36. SEntentia affirmans vitiari, & esse culpam venialem, adeò communis est, vt P. Suarez 1. 2. *tr.* 3. *de bonit & malit. actuum hum. disp.* 9. *sect.* 3. *num.* 8. *in fin.* dixerit, esse Augustini, & Theologorum omnium, idipsum asserente Montelinos *tom.* 1. *in* 1. 2. *disp. & q.* 3. *num.* 65. Eam sequitur, & vltrà quinquaginta Auctores pro illa profert P. Thomas Sanchez *lib.* 9 *de matrim. disp.* 11. *num.* 4. eisdemque adiungit Leander *vbi suprà q.* 17. Bonacinam, Fagundez, Moure, Ochagavia, Villalobos, Coninc, Bauni. Quibus insuper accedunt Gonet *tom.* 3. *disp.* 5. §. 5. *num.* 39 & *dissert. de opin. probab. num.* 125. P. Antonius de Escobar *tom.* 3. *Theolog. moralis. p.* 2. *lib.* 25. *num.* 24 Tamburinus *lib.* 7. *in Decal. cap.* 3. §. 5. *num.* 10. Filguera *in præsent.* & alij scribentes passim, vt Layman *suprà num.* 4. Tānerus *q.* 6. *de matrim dub.* 3. *num* 42. Franciscus Amicus *disp.* 26. *num.* 36. Præpositus *q.* 6. *num.* 172. Dicastillo vt probabilius *disp.* 9 *num.* 14 *&* 15. præiverantque cum Magistro Sentētiarum Sanctus Bonaventura, & S. Thomas *lib.* 4. *contra gentes. cap.* 83. *num.* 7. & B. Albertus Magnus *in* 4. *dist.* 31. *art* 21. *q.* 4 *tom.* 16 *novæ edit.* his præter cœtera: *Cùm sola libido movet coëuntem, aut movet fervens extra honestatem matrimonij, & concessionem, & tunc quodammodo adulter est, vt paulò antè patuit: aut fervet intra metas honestatis, & concessionis*

sionis matrimonij, & tunc veniale dicendum est.

37. Fundamenta huius sententiæ sumuntur ex Augustino, & alijs Ecclesiæ Patribus, quorum plura verba satis indigestè agglomerat Gonet locis præcitatis. Accedit & ratio. Quia coitus non est institutus à natura propter voluptatem; sed voluptas propter ipsum, ne scilicet animantia pertœsa laboris desisterent ab officio multiplicandi suam speciem, & homines propter onera cõiugij eius vsum detrectarent. Vnde culpabilis inordinatio est, sic ista invertere, vt per modum finis proximi, atque principalis expetatur, quod natura sua non est, nisi medium, & quasi stipendium actus: & vice versa, quòd ad ipsum per modum medij ordinetur, quod deberet esse finis. Confirmatur. Quia voluptas sensibilis, & irrationalis, vtpote communis brutis, ac de se indifferens ad mediocritatem, & excessum, non est motivum honestum, nec condecens naturam rationalem; debet autẽ vnusquisque in suis operibus agere iuxta præscriptum rationis, & honestatem, quæ est bonum speciale ipsius, pro viribus consectari. Quò spectant præcepta illa, quibus nos instruxit Paulus 1. *Corinth.* 16.14. *Omnia vestra in charitate fiant.* Et *cap.* 10.31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite.*

38. Secunda sententia affirmat, opus coniugij, aliàs licitum, non reddi peccaminosum ex eo præcisè, quòd voluptas eius tanquam finis intenditur; sed licitè amari posse actũ reddendi, aut exigendi debitum intra fines matrimonio consentaneos, quãvis ab operante ordinetur ad voluptatem annexam tanquam ad finem proximum, & principalem. Ita Aversa *q.* 21. *de matrim. sect.* 4 vers. *Admitti tamen potest*, qui dubia fide alios refert, Gaspar Hurtado *disp.* 10. *de matrim. num.* 6 & 7. & probabile esse putat Diana *p.* 3 *tr.* 4. *resol.* 216. & iterum *p.* 11. *tr.* 2. *resol.* 41. cum Ioanne Pontio *in curs. Theolog. disp.* 49. *de matrim. q.* 2. *concl.* 3. *num.* 10. Vocat vtique Diana *ibidem* vers. *Hæc sententia insçios calumniatores* eos, qui carpebant probabilitatem huius opinionis, illamque denuo confirmat *tr.* 8. *resol.* 35. *q.* 2. licet tandem contrariam probabiliorem, & communiorem existimet. Suaderi autem potest primò. Quia PP. non damnant peccati intentionem coitus, aut voluptatis licitè amabilis; sed solam nimietatẽ, & excessum, quæ nequeunt sine peccato amari, nedum intendi, vt ex plerisque eorum locis *cap.* 2. consignatis manifestè deprehenditur. Secundò, quia in alijs operationibus licitis ex se, ac honestis culpabile non est propter se amare delectationem à natura institutam, vt homines ad ipsas provocentur: vnde musicam audire, spectareve prata virentia, aut flores olfacere solius recreationis gratiâ, nemini vituperatur, cùm eæ actiones, nec immoderato excessu, nec alijs pravis circumstantijs viriantur; sed, secluſa quavis alia malitia, aut prohibitione, exercentur.

39. Tertiò, quia longè aliud est, exercere opus coniugij propter solam voluptatem; aliud autem, exercere idipsum propter solam voluptatem licitam, & regulatam rectæ rationis iudicio. Illud enim ex se abstrahit à voluptate licita, aut illicita, necessaria, vel superflua, & à coitu duntaxat vtili ad libidinem explendam, vel vtili ad alios fines castitati coniugali consentaneos; neque attendit ex vi præsentis motivi ad regulas temperantiæ suasivas boni, & dissuasivas mali; imò eas positivè excludit, aut certè negligit: nam hoc importat vox *solam* ijs generalibus

terminis adiuncta, vt perinde sit copulam quæri propter solam voluptatem, ac quæri, secluſa alia neceſſitate, vel fructu. Iſtud verò omnem illicitam voluptatem excludit, & ſolam honeſtam captat, rectamque rationẽ conſulit, vt eas inter ſe diſcernat, & ad illam præciſè, quæ eſt ipſi conformis, dirigat ſuam intentionem, reiecta otioſa, vel nimia, & maximè procurata cibis, mediiſve exquiſitis. Quare non mirum, ſi ille modus agendi ſemper vt illicitus reijciatur, & damnetur tanquam pernicioſus, & contrarius caſtis moribus; hic verò illæſus perſiſtat; nec reputetur peccatum, ſiquis debitum reddere velit, aut filios procreare, non quia eſt opus debitum, aut neceſſarium; ſed quia eſt opus delectabile delectatione honeſta, & nullo ex capite illicita.

40. Quartò, quia non eſt illicitum operari propter ſtipendium, vel ordinare illud, quod eſt maius, ad conſequutionem alterius boni minoris, quando id fit abſque iactura eiuſdem maioris boni. In præſenti autem ſic contingit. Nam delectatio inſtituta eſt à natura veluti quoddam ſtipendium operis coniugalis, & quamvis pro arbitrio operantis hoc ad illam ordinetur, non ideò tollitur, quòd opus ipſum, v. g. officium reddendi debitum obligationi iuſtitiæ ſatisfaciat, & ſit actus ad eam ſpectans; neque obſtat, quominùs proſit ad procreationem filiorum, vel ad ſedandum ardorem concupiſcentiæ inclinantis ad actus coniugij illicitos. Sic quamvis actio pugnandi pro ſalute patriæ ſit finis militaris ſtipendij, & hoc ratione illius promittatur ſecundum rerum naturas, non ideò delinquunt milites, licet huic inſtitutioni non ſe accommodent; ſed gratiâ ſtipendij militent. Sic quamvis actus docendi ſuapte natura ordinetur ad inſtructionem audientium, & ea de cauſa merces conferatur, non ideò peccat Magiſter ex eo præciſè, quòd docendo intendat, non inſtructionem; ſed lucrum. Et, quod plus eſt, ſic Canonicus aſſiſtens choro, aut Beneficiarius recitans, vt lucretur fructus Beneficij, niſi altera malitia miſceatur, ex ea intentione non peccat, gravium Auctorum iudicio, quibus adſtipulatur Chryſoſtomus *homilia* 15. *in Matth.* dum tradit, propterea Deum bona temporalia promittere, vt moveantur imperfecti ad exercitium virtutis.

41. Atque, vt exempla ſcholaſtica id ipſum evincant, Oratio, quãvis ſit actus virtutis nobiliſſimæ, ſæpe aſſumitur vt medium ad pluviam, vel alia bona temporalia impetranda, quin proinde vitioſa fiat. Ipſum quoque iuramentum ſuis comitibus ſtipatum, opus religioſum eſt, ac magni cultus; & nihilominùs frequenter eo vtimur, non ad Deum colendum; ſed vt medio ad aliquam vtilitatem humanam, ex. g. ad recuperandam pecuniam nobis debitam, vel ad confirmandas veritates alias ordinis inferioris. Neque abſurdum, aut illicitum putatur adducere tantæ Maieſtatis teſtem, & teſtimonium ipſius ad eum finem ordinare. Quæ eſt ſententia D. Thomæ 2.2. *q.* 89. *ar.* 5. *ad* 2. his verbis expreſſa ſatis: *Ille, qui iurat, vtitur quidem veneratione, aut dilectione eius, per quem iurat; nõ autem ordinat iuramentum ad venerandum, aut diligendum eum, per quẽ iurat; ſed ad aliquid aliud, quod eſt neceſſarium præſenti vitæ.* Notandum eſt verbum *vtitur*, quod propriè ſignificat ordinationem medij ad finem, & maximè iuxta phraſim S. Thomę ſæpius repetitam 1.2. *q.* 16. vbi ſic ſcribit *art.* 3. *corp. Vti ſemper eſt eius, quod eſt ad finem:* atque hoc modo dicit, venerationem, aut dilectionem Dei in iuramento incluſam

ad

ad huius vitæ necessaria ordinari.

42. Tertia, & media sententia inter relatas fert, actum coniugalem, & aliàs licitum, per se, ac secundum se non vitiari ex eo, quòd solius voluptatis gratiâ exerceatur; vitiari tamen per accidens, effeque peccatum leve moraliter, & vt plurimum. Ita in primis Almaynus *in 4. dist. 26. q. 1. in fin.* & latè, ac eruditè Basilius Legionensis *lib. 1. de matrim. cap. 21. à num. 7.* Guilielmus Herinx *in summa Theologiæ p. 4. disp. 7. de matrim. q. 5. num. 29.* Leander à Sanctissimo Sacramento *tom. 2. de Sacram. tr. 9. disp. 25. q. 17.* Martinus à S. Ioseph *in Manual. Confessar. tom. 1. lib. 1. tr. 49. n. 9.* P. Martinus Perez *disp. 49. de matrim. sect. 2. num. 5.* Moya *in select. 1. p. tr. 6. disp. 2. q. 3. num. 11.* Tamburinus *vbi supra à num. 10.* nec longè abest Thomas Sanchez *ea disp. 11. num. 6.* vbi mentem suam pleniùs declarat. Et ratio est quoad primam partem, vltra expensas pro sententia proximè relata. Quia intentio finis ex se liciti, ac honesti nequit ex fine vitiari; delectatio autem naturaliter annexa operi, & honesto, & licito, qualis est actus coniugalis debitus, aut necessarius, etiam est honesta, & licita, vt *num. 25.* & alibi monstrabatur.

43. Quoad secundam verò exinde patet. Quia intendere solam voluptatem adeò fortiter trahentem ad illicita, mentemque exercitio suo inebriantem, & eam affectu præponere alijs bonis matrimonij, proximè disponit coniugatos ad excessum, & amorem nimietatis, raròque in praxi continget, quin saltem in continuatione crescat vltra modum amor eius, & metas temperantiæ transcendat, aut certè absque illius periculo, attenta vehementia ipsius, & innata hominum fragilitate. Quãobrem D. Angelicus *in 4. dist. 38. q. 1. art. 5. ad 4.* sapienter animadvertit, fœminis, quamvis violenter virginitatem amiserint, & extra culpam esse videantur, adhuc velum virginitatis ab Ecclesia non concedi, *quia valde difficile est, quòd in tali delectatione aliquis placentiæ motus non insurgat.* Si ergo id reluctantibus contingere creditur: quid, rogo, eveniet, non iam reluctantibus; sed intendentibus delectationẽ ipsam principaliter? Quò etiam à fortiori spectant, quæ expendebat S. Augustinus *num. 8.* appellatus, & latiùs ponderat *lib. 4. contra Iulianum cap. 14.* circa difficultatem sese continendi intra debitam cibi mensuram. Nescit siquidem cupiditas, vbi finiatur necessitas, & concupita voluptas sæpe abscondit illum limitem, quem transilire non licet, facitque, vt non discernamus, quando nam perventum sit ad illum terminum, quem præfigit temperantia. Imò sæpe fallit, ac superflua tãquam necessaria proponit, incautisque persuadet vincibiliter, se necessitatis causam prosequi, cùm non agant, nisi causam voluptatis.

44. In hac opinionum varietate, ni ego fallor, nulla omnino dissensio reperitur connivens propositioni damnatæ. Omnes namque earum Auctores tanquam indubitatum supponunt, actum coniugalem non posse exerceri licitè propter solam voluptatem indiscriminatim sumptam, aut secũdum se præcisè procuratam. Nam cùm licita, aut illicita esse possit, omnium consensu, neque sit per se expetenda; sed ex causa cohonestante vsum illius, & compensante iacturam vsus rationis, & alia incõmoda ipsam consectantia, id saltem discerni debet rectæ rationis iudicio, revocarique ad suam trutinam, ne in moribus error contingat, prius quàm voluntas illam amplectatur. Neque est vllus, qui hunc modum agendi adeò præcipitem, & inconsideratum

reputet à culpa immunem, præsertim in re adeò lubrica, vt iam anteà animadverti, & è re nostra optimè declarat S. Augustinus *lib. 6. contra Iulianum circa fin.* hisce verbis: *Satis est nobis, quòd confitearis, aliam esse illicitam, aliam licitam voluptatem. Ac per hoc mala est concupiscentia, quæ indifferenter vtrumque appetit, nisi ab illicita voluptate licita voluntate frænetur.* Frœnari autem nequit aliter, quàm rectæ rationis ductu, & applicando nostris electionibus regulas pudicitiæ coniugalis, quæ, vt ait Augustinus *ibi lib. 4. cap. 8. in medio, est mali limes*, frœnumque appetitus concupiscentis voluptates suas, nulla habita ratione turpitudinis, aut honestatis.

45. Quocirca inter hos Auctores controversia non versatur circa voluptatem solam ab honestate præscissam; sed determinatè circa voluptatem in se honestam, licitam, ac moderatam, notamque vt talem, & de hac quæritur, an possit licitè amari per modum finis præcipui, sicut proculdubio amatur licitè per modum medij inservientis fini honesto generandi, vel reddendi debitum, aut etiam per modum finis impulsivi, ac secundarij. Ita scilicet, vt opus coniugale alioqui honestum ad voluptatem inidem honestam ex illo resultantem referatur per modum medij, & ametur, non quia est opus vtcumque delectabile; sed quia delectabile est delectatione honesta, & castitati coniugali consentanea. Atque in hoc casu, sensuque tantummodò licere putat voluntatem generandi ex fine delectationis secunda sententia ex propositis, quæ nec tertiæ positivè contradicit, quatenus hæc affirmat, eum esse infrequẽtem, ac difficilem in praxi, nec tertia ipsi, quatenus contendit, esse licitum, si ita exerceatur: ideòque Auctores vtriusque se mutuò appellant, quasi in nullo discrepantes, & alij multi eas sententias non discernunt tanquam duas; sed referunt tanquam vnam, & eamdem.

46. Prima opinio est, quæ videtur eis opponi, maximè si ratio ipsius *num. 37.* proposita, vti par est, expendatur: probat enim, nullam voluptatem, etiam honestam, & regulis temperantiæ conformem, amari licitè vt finem exercitij coniugalis, quia ordo naturæ pervertitur, dum per modum medij amatur, quod deberet esse finis proximus, ac principalis, & propter modum amandi dissonum obiectis ipsis illicita fiunt, quæ alioqui non sordent labe peccati. Cœterùm rationem istam esse parum efficacem, planè evincitur ex fundamentis allatis pro secunda sententia, & ostensivè dissolvitur ex his, quæ *num. 40.* & 41. enucleantur. Ad confirmationem admitto, quemlibet debere agere ex motivo honesto opera sua, quod satis incertum est, & à multis probabiliter negatur; addo tamen, voluptatem alias licitam, & coniugio, necessitate, alijsque congruis comitibus associatam esse motivum honestum, & per modum finis licitè expetendum, sicut coitus ipse honestus est, dum eisdem circumstantijs adornatur. Nec sub ea ratione dici potest communis brutis, aut indifferens ad excessum, & mediocritatem, quia brutis coniugia desunt, & præcognitio honestatis, aut discretio liciti ab illicito, neque propriè propter finem operantur, nec rectam rationem cõsulunt, cùm hæc omnia reperiantur in his, qui coitum referunt ad honestam voluptatem. An autem sit in præcepto actualis relatio actionis in Dei gloriam, aut in finem charitatis, alterius subsellij est, neque modò deber refricari ea controversia, quia communis est omnibus actibus virtutum

tutum moralium, & peræquè vrget, quamvis dicamus, finem generationis intendi, & non finem honestæ voluptatis.

47. In fine disceptari posset de aliorum sensuum voluptatibus. Sed ex hucvsque dictis duo consectaria eliciuntur, quæ ad rem præsentem sunt satis. Alterum est, actum videndi, audiendi, vel olfaciendi, sine culpa amari posse ob recreationem honestam, & licitam voluptatem sibi annexam, quin, secluſa alia malitia, vitiosi fiant ex eo solùm, quòd ordinentur vt media ad eum finem cœteroqui honestum, & rationi rectæ consentaneum. Aliud verò, quod ex S. Augustino plenè sumitur *lib.* 4 *contra Iulianum toto cap.* 14. eosdemmet actus amari non posse licitè propter solam voluptatem sibi annexam. Nam exclusiva illa *solam* tot absurdos sensus habet iam anteà in simili expositos, & pariter applicabiles his actionibus, vt tolerari non debeat indistinctè, & sicut iacet. Et cùm illæ voluptates, quamvis multoties non sint communes brutis, sed propriæ creaturarum rationalium, vt delectatio, quæ ex picturis sumitur, vel ex musica harmonicè ordinata; adhuc licitæ, aut illicitæ esse possint, otiosæ, vel necessariæ, sicut ipsi actus, vnde oriuntur, id saltem discerni debet rectæ rationis mensura, prius quàm voluntas illas amplectatur. Quando autem sint ex se honestæ, aut indifferentes, & quæ sit differentia illarum à voluptatibus tactus, & gustus, tractat accuratè Card. Sforti a Pallavicinus 1. 2. *disp.* 9. *q.* 1. *art.* 4.



DIS-

DISSERTATIO VIIJ.

DE DILECTIONE PROXIMI.

Ad obligationem diligendi proximum generaliter ſpectant decima, & vndecima propoſitio ex profligatis à SS. D. N. Innocentio XI. quatuor verò ſequentes peculiaria officia eiuſdem dilectionis concernunt. Propoſitum autem in præſenti eſt omnes ſingillatim perſequi, & iuſtiſsima cenſura fuiſſe inuſtas, pro tenuitate noſtra declarare.

CAPVT PRIMVM.

An detur præceptum diligendi proximum actu interno, & formali, vel ſatis ſint ſoli externi?

1. NEgat abſolutè iſtud præceptum decima propoſitio hiſce verbis: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*: quæ vniverſalia ſunt, & tantumdem valent, ac ſi diceretur, nunquam nos teneri ad eum actum, ſive ex virtute charitatis, ſive alterius cuiuſcumque. Indiſtinctè etiam procedunt removentes obligationem diligendi proximum actu interiori, ſive in ſpeciali, ſive in communi; neque inter proximos alios ab alijs diſcernunt, v. g. parentes, aut vxorem à reliquis; ſed de omnibus indiſcriminatim agunt, & per negativam malignantem debitum interni amoris peræquè erga ipſos excludunt. Atquè ideò propoſitione vndecima, quæ eſt appendix conſectaria, & declarativa illius, ſic habetur: *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos*: quaſi verus, & internus amor beneplaciti, vt ſic loquar, nullatenus requiratur; ſed ſatis ſint ſigna, & opera apparentia exteriùs, & fallentia pluries.

2. Quo loci ſtatim occurrit, non ſolùm quantum extenuent, veriùs dixerim, extinguant præceptum amandi proximum hæ doctrinæ, ſicut iacent, & quàm pernicioſam negligentiam invehant ſeſe exercendi in eo actu, qui nominatim præcipitur tanquam valdè neceſſarius ad vitam ſanctè inſtituendam; verùm etiam quædam implicantia idipſum, quod adſtruit, deſtruens. Quia actio externa, v.g. corrigendi proximum, ex ſe, atque ratione ſui non eſt amor, aut dilectio, neque benevola dicitur per modum actus eliciti; ſed ab actibus internis imperantibus, vt fiat, haſce denominationes recipit: nam ſicut ab illis habet eſſe liberam, & eſſe voluntariam, non verò ex ſuis prædicatis intrinſecis, ac formalibus, ſic habet eſſe benevolam. Vel ergo re ipſa imperatur ab actu interno benevolentiæ erga proximum, vel non, ſed ab alio affectu impertinente, aut cõtrario, v.g. animo exprobrandi, aut infamandi, vel non ob bonum eius, qui corripitur; ſed purè, ac vnicè pro-

propter privatam vtilitatem corripientis? Si primum accidat, satisfiet quidem præcepto diligendi proximum; sed non per solum externum actum, sed per illum simul cum interno veri amoris, à quo imperatur, & ex quo procedit. Si secundum, actio illa non erit actus amoris eliciti, aut imperati, neque opus benevolentiæ; sed odij, vel proprij commodi. Quo ergo pacto per eam solam expresso præcepto amandi legitimè satisfiet? Aut quomodo ad eam tenebimur, quatenus est opus dilectionis, & amoris, si ad amorẽ ipsum, vnde id habet, nulla lege cogi credimur?

3. Iam verò quòd re ipsa detur præceptum amandi proximum distinctum à præcepto amandi Deum, sed ei *simile, secundumque* post illud, indubitatum est ex Sacris litteris, & maximè Matthæi 22.37. vbi tandem concluditur: *In his duobus mandatis vniversa lex pendet, & Prophetæ.* Proponitur autem bifariam. Primò, adhibendo vt exemplar, normamque huius dilectionis eam, quam vnusquisque habere debet erga semetipsum: & sic dicitur *ibidem* 39. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Altero autem, exhibendo vt mensuram, & exemplar summam illam charitatem, qua Christus dilexit nos. Ioannis 13.34. & 15.22. ibi: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis invicẽ, sicut dilexi vos.* Quæ cùm litteralia sint, & fide certa, adhuc reperti sunt, qui intrepidè affirmarent, non esse intelligenda de actu dilectionis interno, atque formali; sed eis satisfieri posse per solos actus externos. Et hoc est, quod in præsenti damnatur tanquam glossa omnino aliena à proprietate verborum, à mente Patrum, ac communi sensu Ecclesiæ.

4. Suadetur autem primum. Quia dilectio, quæ erga proximum præcipitur, non est solius operis; sed cordis, scribẽte B. Petro *epist.* 1. 1. 22. *Castificantes animas vestras in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius.* Atqui diligere ex corde, internum voluntatis nostræ affectum denotat, & hunc omnes postulari intelligunt, cùm Dei dilectio ex toto corde præcipitur. Confirmatur 1. *Quia finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, iuxta Apostolum 1. *ad Timoth.* 1. 5. At finis præcepti non est sola erga Deum charitas; sed etiam charitas proximi, vt meritò concludit Augustinus *lib.* 1. *de Doctr. Christ. cap.* 26. ex eo, quòd dicatur, in his duobus mandatis vniversam legem pendere, atque Prophetas: vnde sic scribit: *Finis itaque præcepti est dilectio, eaque gemina, id est, Dei, & proximi.* Vtraque ergo debet esse, non externa, & merè apparens; sed interior, & de corde puro, bonaque conscientia. Confirmatur 2. Quia instauratio charitatis, & iniuriarum remissio nõ debet esse conficta per signa apparentia exteriùs; sed ex animo, & affectu intrinseco, ac formali, & nisi hoc fiat, minimè erit satisfactum præcepto diligendi inimicos tanquam proximos, vt ex professo ostendit Christus *Matthæi* 18. proposita conservi parabola, qui traditus est tortoribus, eo quòd ignoscendo misereri noluit alterius conservi sui, atque ideò ait ibi 35. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

5. Suadetur 2. Quia præceptum charitatis erga proximum, vt Christus ipse attestatur, simile est præcepto charitatis erga Deum, atque in hoc maximè, quòd vtrumque est præceptum diligendi (dilectio enim similis est dilectioni) & cùm illa sint alioqui dissimillima, id est præcipuè, in

in quo ipsorum vniformitas, & similitudo cernitur, vt acutè prænonebat Caietanus *ad cap. 22. Matth.* 39. Non est autem verosimile, similitudinem istam esse merè nominalem, & sub vno eodemque contextu, præsertim doctrinali, esse mutatam significationem verbi *diligere*, vt in alio, atque alio sensu quasi vox æquivoca accipiatur, aut modò in sua proprietate, modò valde impropriè sumi debeat. Necesse igitur est, vt eodem sensu, & de eodem amoris genere vtrobique intelligatur: nam alioqui pervium erit, vocem *mandatum* aliter, & aliter ibi vsurpare, & contendere respectu Dei significare præceptum propriè, ac rigorosè tale; non verò respectu proximi, quod à recta fide esset alienum. Tum sic. Sed respectu Dei verbum *diligere* in sua proprietate accipitur, & internum, ac formalem actum amoris iniungit. Ergo etiam respectu proximi de interno, atque formali dilectionis actu sumi debet.

6. Suadetur 3. Ex verbis, quibus Christus apud Ioannem innovavit hoc præceptum. Iussit enim, vt nos invicem diligamus, sicut ipse nos dilexit, atque dilectionem suam voluit esse exemplar, ad cuius imitationem nos mutuò amare debemus, veluti fratres in Christo, cohæredes eiusdem regni, & membra mystica corporis, cuius ipse est caput summum. Foret autem manifesta hæresis negare Christo veram dilectionem nostri internam, atque formalem, & absurdissimum dicere suam internam dilectionem exclusisse, & præcepisse duntaxat imitationem externæ, quæ ab interna sunm præcipuè pondus, & æstimationem sumit. Ab interna nāque habemus *vnum cor*, & *vnam animam*: ab interna sumus inter nos, & cum Deo *vnus spiritus*: & ab interna desumitur vnitas, & concordia voluntatum, quam sola externa non tribuit. Porrò finis præcipiendi, vltra dilectionem Dei, fraternam, atque reciprocam dilectionem, qualem Christus ipse erga nos habuit, is est, vt vnitas ista animorum, & spirituum medianre amore impleatur, & omnes in Deo sint vnum, sicut vnum sunt Christus, & Pater, prout ex Ioānis 17. 20. satis apertè colligitur, & ex eius prima epistola, vbi mutua ista dilectio varijs modis actuum internorum proprijs sæpesæpius commendatur. Vnde S. Augustinus *tr.* 65. *in Ioannem*: *Ad hoc*, inquit, *nos dilexit, vt nos diligamus invicem, hoc nobis conferens diligendo nos, vt mutua dilectione constringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexis membris corpus tanti capitis simus.*

7. Suadetur 4. Quia illa verba: *Sicut dilexi vos*: ideò sunt addita, iuxta S. Augustinum *eo tr.* 65. *& tr.* 86. *in Ioannem*, vt dilectio, quæ hîc præcipitur, discerneretur ab omni alia dilectione, sive turpi, sive honesta, qua se homines sicut homines diligunt. Nequit autem ea discretio constare, si vis præcepti ad dilectionem internam formaliter non constringit, quia officia externa erga proximum bene, & malè fieri possunt, & quamvis honestè fiant, non sunt propria charitatis, sed communia alijs virtutibus. Præcepit itaque Christus non quamcumque dilectionem mutuam; sed specialem, & suæ internæ dilectioni similem, qua voluit, vt simus omnes filij Dei, ac fratres sui. Et propterea rectè notat Augustinus, præcepisse dilectionem *ab omni humana dilectione discretam*, nempe sanctam, spiritualem, donatā ex gratia ipsius, innovantem, ac dealbantem animas, ordinatam ad finem vitæ æternæ, atque in ea coniunctione fundatam, qua omnes eò destinamur, vt simus filij Dei, ac fratres Christi,

Chriſti, novi Teſtamenti hæredes, & homines novi in ipſo. His namque noris ſparſim, ſed perſpicuè traditis, & ex Sacro Textu acceptis illam diſcernit magnus iſte Doctor, non ſolùm ab ea damnabili, qua adulteros, & adulteras noxia turpitudo coniungit; ſed etiam ab illa honeſta, qua ſe ſe diligunt invicem mariti, & vxores, parentes, & filij, & quæcumque alia [illegible] ſe homines neceſſitudo humana devinxerit. Certum autem eſt, prædictas affectiones ſoli dilectioni internæ per ſe primò convenire poſſe, vti & illam, qua ſubiungit, hanc ipſam dilectionem eſſe *mortem noſtram ſæculo, & vitam Deo*, nemo namque mundo moritur, atque Deo vivit per ſolos actus externos.

8. Suadetur 5. ex re ipſa. Quia præceptum diligendi proximum *pertinere ad interiorem actum*, ex terminis notum videtur, & totidem verbis tanquam indubitatum ſupponitur ab Angelico Doctore *quodlib. 4. art. 24. ad 1.* id ipſumque de præcepto diligendi inimicos velut proximos tradit 2. 2. *q.* 25 *art.* 9 *corp.* Et ſanè, niſi *diligendi* verbum abſque vlla neceſſitate valde impropriè, & abuſivè accipiatur (quod in legibus per quàm abſurdum eſſet) ſatis foret dilectionem proximi abſolutè eſſe præceptam, vt interior, ac formalis iuncta eſſe crederetur. Quippe externa opera proficua alijs, ex. g. eleemoſyna, ſicut propriè non ſunt amor, nec propriè benevolentia; ſed ſigna, aut effectus eius, quæ ſæpe fallere poſſunt, & oriri ex alio affectu, ſic nec ſunt propriè dilectio beneplaciti, atque verè talis; ſed ſigni ſæpius fallentis. Dilectio namque, & amorem ſimplicem, & benevolentiam claudit in ſuo formali conceptu, & inſuper addit vnitatem quamdam, ſeu coniunctionem affectus, qua diligens dilectum æſtimat quodammodo vt vnum ſibi, aut aliquid ad ſe pertinens, & ita in ipſum movetur, vt ex profeſſo declarat S. Thomas 2. 2. *q.* 27. *toto art.* 2. Vnde *ad ſecundum* ſic illam definit: *Dilectio eſt actus voluntatis in bonum tendens, ſed cum quadam vnione ad amatum, quæ quidem in benevolentia non importatur*: nam ſimplex benevolentia ſæpe habetur erga illos, quos ad nos nihil attinere cogitamus, vt evenit, cùm inter colludentes, aut pugnantes vni potiùs, quàm alteri afficimur, quamvis omnes ſint ignoti, & ei præ alijs exoptamus fœliciorem exitum.

9. Suadetur 6. Quia non ſolùm eſt præcepta voluntas boni erga proximum, ſed etiam finis, & motivum eius, vt ſcilicet Deo, & propter Deum proximos diligamus, ſicut noſmetipſos diligere debemus. Atqui motivum, & finis amandi nequaquam ſpectat ſeorſim ad externos actus, qui pro libito operantis modò ad iſtum, modò ad alium finem ordinãtur; ſed per ſe primò ad internos. Aſſumptio ex Sacris litteris pleniſſimè conſtat 1. *Ioannis* 4. 12, *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt*, ſcilicet, quia dilectio ſolius Dei imperfecta eſt, & inſufficiens, ſi in eo ſiſtat, nec ſe extendat ad proximum amandum propter Deum, vt S. Thomas declarat 2. 2. *q.* 27. *art.* 8. *corp.* inde cõcludens, dilectionem proximi præeminere dilectioni ſolius Dei. Conſonat 1. *Petri* 4. 8. ibi: *Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorũ.* Parco alijs, quæ adeò frequentia ſunt, vt S. Auguſtinus *lib. 2. de Doctrina Chriſtiana. cap. 7.* ſcripſerit, *omnem Divinarum Scripturarum ſtudioſum nihil aliud in eis inventurum, quàm diligendum eſſe Deum propter Deum, & proximum propter Deum.* Et *lib. 1.*

cap. 36. adhuc contendit, Scripturas Divinas nondum intellexisse eum, qui geminam istam charitatem Dei, & proximi in eis nondum intellexit.

10. Confirmatur ex eodem *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 8. *fin.* ibi: *Ex una igitur, eâdemque charitate Deum proximumque diligimus: sed Deum propter Deum, nos autem, & proximum propter Deum.* Impossibile autem esset dilectionem Dei, ac proximi ex una, eâdemque virtute charitatis proficisci, nisi motivum vtriusque & vnũ, & idem esset. Confirmatur iterum ex ijs, quæ ex professo expendit inibi *cap.* 7. scilicet duo ista præcepta sæpe sæpius in scriptura Sacra proponi veluti vnicum. Interdum namque de dilectione Dei loquitur, quasi se sola sufficeret, & ea sola esset præcepta; interdum verò de sola dilectione proximi, tacendo de dilectione Dei, vt *Matth.* 7. 12. *Ad Galatas* 6. 2. & *cap.* 5. 14. ibi: *Omnis enim lex in vno sermone impletur, in eo, quod scriptum est: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum.* Cuius ratio est mutua connexio, qua *sine se invicem esse non possunt*, aut integrè servari ista præcepta, vt exponit tàm ibidem, quàm cap. subsequenti. Confirmatur 3. *ex lib.* 1. *de Doctrina Christian. cap.* 22. vbi hanc quæstionem proponit: *Præceptum est nobis, vt diligamus invicem. Sed quæritur, vtrùm propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud?* Et cùm respondisset, quemlibet debere propter Deum diligere semetipsum, & hoc esse specialiter præceptum, sic concludit: *Si ergo te ipsum, non propter te debes diligere, sed propter illum, vbi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deũ diligis. Hæc enim regula dilectionis Divinitus constituta est*: Diliges (inquit) *proximum tuum, sicut te ipsum: Deum vero ex toto corde, & ex tota anima, &c.*

11. Hinc colliges, quod accuratè pertractat, & ex D. Thoma, & alijs diligenter confirmat P. Luisius Turrianus 2. 2. *disp.* 98. *toto dubio* 3. & breviùs P. Molina *de iust. & iur. tr.* 5. *disp.* 59. *num.* 1. vnicuique etiam incumbere obligationem diligendi semetipsum propter Deum, & quod hinc sequitur, actu interno veræ charitatis, ac benevolentiæ erga ipsum. Eâdem namque charitate Theologica, qua amor Dei, & amor proximi nobis propter Deum iniungitur, præscribitur etiam amor nostri propter eumdem finem. Imò quia vnusquisque debet sese propter Deum amare, & hoc certissimum est, & naturali lumine compertum, ideò virtus charitatis erga Deum præcipit, vt alios diligamus, sicut nos ipsos diligimus. Neque enim tanquam exemplar proponitur dilectio sui inhonesta, vel indifferens, quæ potiùs est odium, quàm amor; sed honesta, atque perfecta, qualem charitas requirit. Quod subtiliter præ reliquis observavit S. Augustinus *dict. lib.* 1. *de Doctr. Chr. cap.* 26. his præter cætera: *Nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Cùm enim præcurrat dilectio Dei, eiusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita vt cætera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed cùm dictum est: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum: simul & tui abs te dilectio non prætermissa est.* Atque ex hoc principio posteà totum ordinem, ac modum huius præcepti deducit. Et sanè, vt se homo diligeret actu interno, atque formali, nullo præcepto opus erat: nam id connaturale est vnicuique; sed specialis iste modus diligendi nos, & alios omnino debuit præscribi, vt idem Sanctus prosequitur *cap.* 25. & pulchrè S. Thomas *in disputat. q.* 2. *de Charit. art.* 7. *ad* 10.

Viden-

12. Videndum præterea est *lib. 8. de Trinitate cap. 7.* (ne nomine *dilectionis* confundamur) quid ipse importari censeat ista voce, & quonam pacto illam à cupiditate distinguat. *Præcipuè*, inquit, *videndum nobis est in hac quæstione, quid sit vera dilectio; imò verò quid sit dilectio? Ea quippe dilectio dicenda est, quæ vera est, alioquin cupiditas est: atque ita cupidi abusivè dicuntur diligere, quemadmodum cupere abusivè dicuntur, qui diligunt. Est autem vera dilectio, vt inhærentes veritati iustè vivamus: & ideò contemnamus omnia mortalia præ amore hominum, quo eos volumus iustè vivere.* Quamvis autem satis esset, iustam, & honestam dilectionem nobis præcipi, vt internus, ac formalis actus per voluntatem elicitus sub præcepto esse crederetur, quia honestas, atque rectitudo actionis semper dependet ex fine; adhuc tamen clariùs explicatur, non quemcumque finem esse satis, sed vltimum, ac præcipuum, propriumque eximiæ illius charitatis, qua Deũ propter se, & nos, ac proximum ob Deum diligimus.

CAPVT II.

Variæ quæstiones ad vberiorem claritatem prædictorum.

13. QVæres 1. An satisfaciat præcepto affirmativo diligendi proximum ex charitate, qui diligit Deum super omnia? Affirmant satisfacere Bañez 2.2 *q.* 44. *art.* 2 *dub.* 2. Petrus de Ledesma *in summa. 2. p. tr.* 3 *de Charit. cap.* 5. *difficult.* 2. *conclus.* 1. *in fin.* & *concl.* 2. Villalobos 2. *p. tr.* 3 *diffic.* 5. *num.* 4. Palao *tom* 1. *tr.* 6. *disp.* 1. *punct.* 5. *num.* 4. Arriaga *disp.* 39. *de Charit. tota sect.* 1. Leander *tom* 1. *in Decal. tr.* 4. *dist.* 3. *q.* 7. & probabile dicit Trullenc *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 11. & 12. Ratio ipsorum est, quia dilectio Dei perfecta virtualiter est amor proximi. Ergo amando Deum ex corde iam proximus actu interno sufficienter amatur, quandoquidem amor eius specialis non est medium necessarium ad salutem, sicut est necessaria Dei dilectio. Confirmatur ex Leandro. Nam præcepto habendi contritionem satisfacimus amando Deum super omnia, quatenus contritio in hoc amore continetur virtualiter, quin sit opus alio actu, quo peccata formaliter detestemur. Ergo pariter sat erit, vt præcepto diligendi proximum satisfaciamus, virtualis amor internus in Dei dilectione inclusus absque alio distincto actu, qui formaliter circa proximum versetur.

14. Obsistit autem vehementer huic doctrinæ censura Pontificia 10. propositionis detrectantis obligationem diligendi proximum actu interno, atque formaliter nam qui internum virtualem solum sufficere putat, eo ipso internum, ac formalem indebitum esse existimat. Obsistit rursus textus sacer expensus *num.* 5. *& deinceps*, quatenus eodem sensu, atque contextu proponit mandata dilectionis Dei, ac proximi tanquã duo, quorum alterum est primum, ac maximum; alterum verò secundum, atque ei simile, non idem, neque æquale. Forent autem quoad internum actum lege præceptum formaliter sub nomine dilectionis non duo mandata, sed vnicum, si sola dilectio Dei formalis præciperetur; non verò dilectio proximi: neque iam *gemina charitas* (vt Augustinus aiebat) proponeretur vt finis totius legis, atque Prophetarum; sed vna, vnoque præcepto non habenti simile, neque se-

cundum circa dilectionem proximi, quod observandum superfit post observationem primi.

15. Obstitit præterea expressim S. Augustinus *lib. 1. de Doctrin. Christ. cap. 30. prope fin.* ibi: *Præceptum, quo diligamus Deum, à proximi dilectione distinctum est.* Et *lib. 8. de Trinit. cap. 7.* vbi ex professo contendit, duo esse præcepta, & dilectionis duplicis, quamvis *pro vtroque vnum ex ipsis*, non facta mentione alterius, in Scriptura sæpius apponatur. Non quia vnum sint; sed quia invicem connexa, & simillima quoad actum directè, atque immediatè præceptum à virtute Theologicę charitatis, vt ipse exponit ibidem: *Et quia bene intelligentibus vtrumque invenitur in singulis*, vt scribit *dicto tr. 65. in Ioannē: Nam*, ait, *qui diligit Deum, non eum potest contemnere præcipientem, vt diligat proximum: & qui sanctè, ac spiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit, nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus: Vt diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Confirmatur. Nam diligenti Deum adhuc præcipitur vera dilectio charitatis erga proximum. Sed non præcipitur dilectio virtualis, quæ in formali amore Dei iam habita, & inclusa supponitur. Ergo præcipitur dilectio formalis. Maior, quæ sola est difficilis, ex ipsa mandatorum distinctione colligitur: & ex Augustino habetur, tum verbis nuper propositis, tum *dicto cap. 7.* vbi sic scribit: *Qui diligit Deum, consequens est, vt faciat quod præcipit Deus, & in tantum diligit, in quantum facit. Consequens ergo est, vt proximum diligat, quia hoc præcepit Deus.*

16. Ex his, quæ valde communiter sunt recepta apud Doctores, ad argumenta contraria *in num. 13.* respondeo, sola dilectione virtuali nō satisfieri præcepto diligendi proximum, quod internam, ac formalem præscribit, vel nullum præceptū est, distinctum à præcepto diligendi Deum; sed idem ipsum circumscriptum alijs verbis. Quippe, cùm dilectio Dei formalis sit eo ipso, iuxta arguentes, dilectio virtualis proximi, consequens fit, vt vno, atque eodem præcepto, quo formalis Dei dilectio iniungitur, iniungatur etiam virtualis intimè in illa cōtenta. Ergo si non alia erga proximum interior, atque formalior debetur, sed præcisè externi actus, quorum nullus est vera dilectio, frustra secundum, aliudque præceptum de proximorum dilectione adiicitur, neque illud datur re vera. Quinimò neque Dei amor necessarius, & sufficiens ad salutem in rigore dici poterit virtualis dilectio proximi, nisi formalis intelligatur præcepta. Nam Dei amor ex concepto suo non debet esse amor virtualis exequendi omnia consilia; sed iorum præcepta gravia, & hoc est satis, vt Deus super omnia ametur, & præcepto isti satisfiat. Si ergo non est sub præcepto vera proximi dilectio interior, atque formalis; sed duntaxat sub consilio, neque virtualiter illam includet Dei dilectio, ad quam tenemur: atque ea propter S. Augustinus proximè appellatus recurrebat ad speciale, novumque præceptum diligendi proximum, vt ex dilectione Dei induci demonstraret etiam dilectionē eius. Quæ autem de hoc præcepto adstruimus, servata proportione dici debent de præcepto contritionis à dilectione super omnia distinctæ, cōsulenduſque P. Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 3 punct. 2.*

17. Quæres 2. An hoc præceptū sit speciale, ac distinctum non tantùm à præcepto diligendi Deum; sed etiam ab alijs, quibus bene erga pro-

proximum afficimur, & ſecundæ tabulæ dici conſueverunt? Sunt qui exiſtiment, non eſſe ſpeciale; ſed recapitulationem quamdam, vel aggregationem omnium ſpectantium ad proximos, idque inſinuaſſe videtur Apoſtolus *ad Romanos* 13.8. Sed dicendum eſt omnino, eſſe ſpeciale, ac diſtinctum, & per ſe obligans ad peculiarem dilectionis actum, qui ex vi aliorum non debetur. Moveor 1. ex his, quæ tradidi *ad propoſitionẽ* 5. quia idem prorſus dici debet de præcepto diligẽdi Deum, quod in ſacris litteris eodem contextu, ſeniuque proponitur, nec iam licet affirmare eſſe compendium aliorum, & non ſpeciale, & à tota ipſorum collectione diverſum. Secundò, quia dilectio proximi eſt actus, & valde honeſtus, & apprimè neceſſarius ad vitam rectè inſtituendam erga Deum, & erga alios. Erga Deum: quia, vt argumentatur Ioannes *epiſt.* 1. *cap.* 4. 20. *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Erga alios: quia ad rectè agendum cum ipſis amor animũ vehementer ſollicitat, excitat, & alijs virtutibus, puta miſericordiæ, aut iuſtitiæ, imperat officia debita. Porrò de actibus internis ita neceſſarijs ſemper dantur propria, & ſpecialia præcepta naturalia, aut ſupernaturalia iuxta ſtatum, & conditionem obiecti: atque in præſenti etiam dari præceptum ſupernaturale diligendi proximum, vt conſortem beatitudinis, ac vitę ſupernaturalis, & præſtandi ei pro loco, ac tempore ſubſidia neceſſaria ad illam, communis ſententia eſt contra Caietanum, cuius veritas conſtat ex dictis præſertim *num* 7. & traditis à P. Suarez *diſp.* 5. *de charit. ſect.* 4. *num.* 2. *&* 3.

18. Quæres 3. Cuius virtutis actus ſit ſpecialis dilectio, quæ hîc præcipitur? Reſpondeo, eſſe actum elicitum à charitate, quæ & ſpecialis eſt virtus, & ſpecialem actum ſibi propriũ præcipit, non ſolùm erga Deum; ſed etiam erga proximum, & erga ſemetipſum, omneſque propter Deum amat, & ſub vna, eâdemque formali ratione obiecti amabilis ex amicitia illius, & tãquam aliquid ad ipſum ſpectans. Plura huc attinentia exhibui *cap.* 1. maximè *num.* 9. *&* 10. & alia ſatis appoſita legi poſſunt apud S. Thomã *in diſputatis. q.* 2. *de charit. art.* 4. *corp.* neque omittenda ſunt verba Auguſtini *lib.* 3. *de Doctr. Chr. cap.* 10. in hæc ſcribentis: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe, atque proximo propter Deum.* Quocirca ſicut religio, quamvis vna virtus ſit cultui, atque honori Divino ſpecialiter intendens, adhuc plures actus habet inter ſe valde diverſos, eoſque præcipit, vt orationem, ſacrificij oblationem, actionemve gratiarum, ſic pariter Theologica charitas intra ſui obiecti ſphæram varios, ac diverſos actus præcipit, atque præceptos elicit circa Deum, & circa proximum, & circa ſe propter Deum. Quæſtio autem erit de voce, vtrùm illi ſint dicendi vnius ſpeciei ob vnitatem obiecti motivi, atque rationis formalis, ſub qua attinguntur ab ipſa, vel potiùs ſpeciei diverſæ propter alias diſſimilitudines, quas proclive eſt in illis cernere?

19. Quæres 4. An ſatisfaciat præcepto diligendi proximum, qui illum non diligit ratione Dei, & propter ipſum; ſed ratione bonitatis propriæ ipſius, puta, quia eſt vir probus, aut vxor, aut parens? Reſpondeo, non ſatisfacere. Quia dilectio, quæ hîc præcipitur, non eſt dilectio fundata in humana aliqua coniunctione, ex.g. conſanguinitatis, coniugij, profeſſionis, aut patriæ; ſed eſt potiùs ab omni mundana dilectione diſcreta, qua

ſe

se homines, tanquam homines diligunt, etiam amicitia honesta, vt cum S. Augustino suprà prænotabam. Extenditur etiam ad omnes quantumvis inimicos, aut ignotos, & cæteros, *qui nulla nobis speciali constrictione coniunguntur, vt puta illos, qui sunt in India, vel in Æthiopia*, vt S. Thomas observat *dict. q. 2 de charit. art. 8. corp.* Inseparabilis est à dilectione erga Deum, & ex veræ charitatis affectu procedit, qua Deus diligitur vt principalis amicus non solum in se ipso, sed in alijs, quatenus ad ipsum spectant, & cum illo coniunctionem habent. Quæ omnia ex dictis pervia sunt, & ex Sanctis Scripturis dilectionem istam commendantibus omnino manifesta. Porrò dilectiones illæ, quæ in humana coniunctione fundãtur, atque in proximum nõ tendunt, quia Deum habet, vel vt habeat, excellentias istas non participant, nec sunt virtutes Theologicæ; sed purè morales, quæ itidem haberi possunt ab illis, qui in Deo non manent. Quocirca illas non spectare ad charitatẽ Theologicam, nisi fortè vt actus imperati, sive circa semetipsum, sive circa proximum versentur, perspicuè habetur apud D. Thomam 2. 2. *q.* 19. *art* 6. *corp* & *quæst* 26. *art.* 7. *corp. prope fin.* vbi specialiter loquitur de imperio charitatis erga proximum circa alias inferiores amicitias, & hoc sensu docuit *in prædicta quæst. de charit. art.* 8. *corp.* necnon *art.* 7. *sub charitate comprehendi omnes alias dilectiones licitas.*

20 Quæres 5. Vtrùm hoc præceptum obliget ad dilectionem internam, quando non est necessaria ad exercenda erga proximum opera exteriora charitatis, v. g. ad evitandam iustam eius offensionem, inimicitiam, aut scandalum, vel ad subveniendum ipsi per actus misericordiæ corporalis, aut spiritualis? Sunt qui affirment, solùm obligare in hoc casu; nunquam verò ad dilectionem merè internam sistendo in ipsa, quia in eo statu occulta est ipsis, & deservire non potest ad reciprocum amorem conciliandum. Ego verò aliter censeo. Quia ex vi istiusmodi mandati non solùm tenemur diligere paucos illos, qui benevolentiam nostram, aut beneficentiam specialem experiri debent; sed saltem in communi omnes alios, qui in Deo sunt nobis coniuncti, vt vnius corporis membra ordinata ad eumdem finẽ, & tanquam invicem conservi, & fratres ad familiam Dei spectantes, & eiusdem beatitudinis consortes. Vnde coarctari non debet obligatio illius ad notos, vel ad amicos duntaxat, sed vniversim extendi, nullo excepto, ad omnes alios, etiam inimicos, aut ignotos, vel loco distantes, vt de Æthiopibus, & Indis S. Thomas affirmabat, & iterum confirmat 2. 2. *q.* 24. *art* 8. *corp* præeunte Augustino *lib.* 1. *de Doctr. Christ. toto cap.* 28. *&* 29. Et sicut pro omnibus istis quandoque orare debemus, sicuti pro nobis ipsis Iacobi 5. 16 *Orate pro invicem, vt salvemini*, & hoc præceptum ad internam, purèque mentalem orationem obligat, quamvis nulla adsit necessitas orandi pro illis vocaliter, ita similiter de præcepto dilectionis mutuæ loqui, atque sentire oportet.

21. Vrget autem eius obligatio per se, & per accidens. Per se quidẽ, quia dilectio proximi in charitatis coniunctione fundata, seu in vnione cum Deo, aut Christo est nobilissimus actus secundus post Dei amorẽ, ab eadem virtute elicitus, & ad eum proximè accedens. Est insuper valde necessarius, tum ad puritatem cordis, tum ad præcavenda peccata interiora adversus proximos, tum ad subveniendum singulis, cùm id tulerit

rit neceſſitas, tum demum ad totam vitam noſtram erga Deum, & erga alios, quinimò & circa nos ipſos, legitimè componendam. Quare ob ſuam excellentiam intra rationem virtutis, tanquam plenitudo, ac finis legis, Theologica charitate præcipitur, ſicut ipſa Dei dilectio, & ſecluſa qualibet neceſſitate extrinſeca propter ſe exerceri debet, multò potiori ratione, quàm oratio, vel quàm amor erga vxores, aut parentes, & quàm alius quivis, quo ſe diligunt homines, vt homines ſunt, etiam amicitia honeſta. Nec de his dicitur, quod de dilectione proximi, quatenus proximus eſt, Sacræ litteræ toties inculcant, & orthodoxi Patres paſſim clamitant, & ſoli dilectioni impropriæ, ac merè activæ, & exteriori convenire nequeunt. Nam, vt alia omittam iam anteà indicata: *Qui diligit proximum, legem implevit*, ait Paulus *ad Rom.* 13. 8. adiungens *verſ.* 9. omnia mandata in hoc verbo inſtaurari; *Diliges proximum, ſicut te ipſum*, & concludens *verſ.* 10. *Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.*

22. Obligat etiam per accidens ratione neceſſitatis pro loco, ac tempore ſupervenientis. Quia exercitiũ huius actus eſſe poterit interdum moraliter neceſſarium ad graves tẽtationes vincendas ipſi præcepto affirmativo contrarias, v.g. tentationẽ vehementer, & importunè inclinantem ad propoſitum nunquam diligendi proximos actu formali, & interno, vel excipiendi inimicos, vel non exhibendi ipſis ſigna vera dilectionis; ſed apparentia duntaxat, & compoſita ad fallendum, vel non ſubveniendi ipſis, niſi ſpecialiori alia amicitiæ ratione ſibi coniungantur, quamvis id facere poſſit abſque ſuo detrimento. Nec dubium, quin hæc dilectio tanquam robuſtior, ac fortior alijs dilectionibus humanis, vt pote fundata in Deo, & ſummam eius bonitatem immediatè reſpiciens vt formalem rationem diligendi, vi, atque imperio ſuo prævalere poſſit contra plures difficultates, & pericula, quibus alioqui ſuccumberent, qui præſidio ipſius vti nollent, poſtquam vident non proficere alia media. Conſulenda ſunt, quæ in ſimili propoſuimus, cùm de dilectione Dei ſpeciatim ageremus.

23. Quæres 6. Quandonam per ſe, ac formaliter obliget iſtud præceptum? Nam, cùm ſit affirmativum, non obligat ſemper, ac pro ſemper; ſed ſolum ſtatis temporibus. Quæſtio difficilis eſt; ſed communis tum præcepto affirmativo diligendi Deum, aut Chriſtum, quem etiam quatenus hominem inter proximos noſtros numerari, tradunt S. Auguſtinus *lib.* 1. *de Doctr. Chriſtian. cap.* 30. S. Thomas *dicta q.* 2. *de Charit. art.* 7. *ad* 18, & communiter Patres, ac Theologi: tum etiam præcepto naturali, atque Divino diligendi parentes, & vxores, alijſque eiuſmodi, quæ ex natura rei non habent tempus exequutioni ſuæ determinatum; ſed prudenti arbitrio ſunt determinanda, vt completè, ac integrè obligare poſſint. Quamobrẽ, quæ lato calamo circa præceptum Divinæ dilectionis diſcuſſimus in ſuperioribus *diſſert.* 6. huc referenda ſunt, ſervata proportione, ne ſcilicet dilectio hîc præcepta differri poſſit vſque ad finem vitæ, vel exerceri vnica vice duntaxat, vel protelari vltra quinquennium; ſed ſingulis quibuſque annis renovandam eſſe, ſecluſa invincibili ignorantia, & alijs, quæ excuſationem legitimam ſæpius ſolent exhibere. Atque hunc terminum præſcribunt Bañez, Petrus de Ledeſma, & alij, quorum arbitrio, ac prudentiæ merito deferre poſſumus, quamvis alij laxius ſentiant, & eò

tan-

tandem rem deducant, vt aliquoties actus iste exerceatur absque magna dilatione, prout recta, & prudens æstimatio tulerit.

24. Quæres 7. An, & quando teneamur vi huius præcepti diligere proximum speciali amore interno? Huic quæstioni sic respondet S. Thomas *dicta q. 2. de Charitat. art. 8. corp. Non tenemur ex charitatis præcepto, vt vel dilectionis affectu, vel operis effectu moveamur in speciali ad eum, qui nulla alia constrictione nobis coniungitur, nisi fortè pro loco, & tempore, vtpote si videremus eum in aliqua necessitate, per quam ei sine nobis succurri non posset.* Quo loci notandum est primò, S. Thomam nominatim loqui de obligatione præcepti charitatis, quia ex vi aliorum (vt ibidem explicat) non est dubium, quin nonnullis speciali aliqua ratione amicitiæ honestæ nobis coniunctis specialem itidem effectum impendere debeamus, & specialiter prodesse, vt parentibus, eximijs benefactoribus, & etiam vxoribus, monente Apostolo, *ad Colloss. 3. 19* & *ad Ephes. 5. 25.* eo titulo à suis viris esse diligendas, *sicut Christus dilexit Ecclesiam*, & *sicut ipsi diligunt se ipsos.* Notandum secundò, non loqui de communi amore, quo omnes proximos diligere debemus, qui nobiscum Deo frui possunt, & nobis in ipso vniuntur (vt sic loquar) quasi in vno tertio; sed agere de amore speciali erga aliquos, quamvis nulla alia necessitudine, præter istam, quæ dignior, ac potentior est omnibus alijs, nobis associentur. Notandum tertiò, eiusmodi obligationem specialis dilectionis, tàm internæ, quàm externæ, iuxta S. Thomam non vrgere per se, sed solùm in casu necessitatis pro loco, aut tempore fortè incidentis. Quod iam anteà S. Augustinus tradiderat *dicto cap. 28.* & est valde communis sententia inter Doctores cuiuscumque togæ, quorum plures exhibebit Leander à SS. Sacramento *tom. 1. in Decalog. tr. 4. disp. 4. q. 7.*

CAPVT III.

Perficitur totus discursus.

25. EX dictis iam denuo colliges, quàm sit absurda, & aliena ab his, quæ in Sacris litteris prostant, & apud Sanctos Patres, aliosque Doctores passim inveniuntur, decima illa propositio, quatenus vniversim proferebat, nos *non teneri diligere proximum actu formali, & interno.* Tenemur enim per se ex præcepto affirmativo charitatis quandoque ad amorem omnium, qui nobiscum Deo frui possunt, & velle, vt nobiscũ diligant ipsum, & æterna illius societate perfruantur. Neque ab hoc albo excluduntur Angeli, vel defunctorũ animæ, B. Virgo, aut ipse Christus, vt homo. Nam ad omnes (dempto diabolo, & damnatis) vnio charitatis extenditur, licet multò strictior sit inter Christianos, & adhuc inter eos strictior, qui Catholicam Fidem profitentur: atque omnes ea propter numerari inter proximos vera Theologia defendit, passimque Auctores Scholastici, edocti à B. Augustino, apud quem locis citatis perlustrari potest tota ista doctrina. Eamque breviter proposuit *eo cap. 29.* sic scribens: *Omnium autem, qui nobiscum frui possunt Deo, partim eos diligamus, quos ipsi adiuvamus: partim eos, à quibus adiuvamur: partim eos, quorum & indigemus adiutorio, & indigentiæ subvenimus: partim quibus nec ipsi conferimus aliquid commodi, nec ab eis, vt nobis conferatur attendimus. Velle tamen debemus, vt omnes di-*

diligant nobiſcum Deum, & totum, quod vel eos adiuvamus, vel adiuvamur ab eis, ad vnum illum finem referendum eſt.

26. Præterea, quamvis daremus, hoc præceptum minimè obligare ad actus merè internos, & occultos, adhuc negari non poſſet, obligare ad eos internos, qui prodire debent in opera exteriora charitatis, cùm neceſſarij ſunt ad ea exercenda, ex.g. ad odium, aut offenſionem proximi per ſigna, aut opera dilectionis evitandam, vel ad amovendum ſcandalum, aut beneficium aliquod purè exhibendum. Quod optimè advertit Suarius *diſp. 5. de Charit. ſect. 4. num. 4.* Valentia *tom. 3. diſp. 3. q. 19. punct. 2.* Theophilus Raynaudus *tom. 16. ſect. 1. punct 8. num. 8.* & alij ſatis frequenter. Ratio autem eſt, quia opera externa parvi ſolent æſtimari, ſi ſuperficialiter exerceantur, & ad oculum duntaxat; non verò ex amore interno. Et proculdubio iuſtè offenderetur parens, aut frater, aut coniux, qui ſciret, ſe non amari vero amore interno ab illis, qui ſua exteriora officia erga ipſos ſine illo explerent. Vnde *Malachiæ* 1. 6. ita Deus loquitur: *Si ergo pater ego ſum, vbi eſt amor meus?* Et ſicut in beneficijs præcipuè benevolentia æſtimatur, vnde creditur procedere, & accipere formalem beneficij rationem, ita in reliquis officijs, quæ ad reciprocum amorem diſponunt, & eum fovere, ac conciliare debent. Quinimò ipſa exterior actio, niſi interna dilectione formetur, neque ad proximi vtilitatem gratia ipſius referatur, ſed ad ſolam vtilitatem agentis, re vera non eſt opus dilectionis, aut amoris erga ipſum, quamvis ei profit de facto, & in bonum eius cedat. Vnde Seneca *lib. 6. de benefic. cap. 12.* ſic cenſet: *Ille, qui totus ad ſe ſpectat, & nobis prodeſt, quia aliter ſibi prodeſſe non poteſt, eo loco mihi eſt, quo qui pecori ſuo hibernum, & æſtivum pabulum proſpicit: eo loco, quo qui captivos ſuos, vt commodiùs vaneant, paſcit, & optimos boves ſaginat, ac defricat.*

27. Inſuper etſi abſtraliamus à peculiari affirmativa obligatione huius præcepti, nihilominùs non eſſet abſolutè, & indiſtinctè neganda obligatio diligendi proximum actu formali, & interno. Nam, vt rectè obſervat Gaſpar Hurtado *diſp. 4. de Charit difficult. 2. poſt init.* eiuſmodi dilectio interdum poterit eſſe neceſſaria moraliter ad obſervãtiam aliorum præceptorum, ex.g. ad deponendum atrox, & inveteratum odium contra inimicum, aut æmulum, quod alijs medijs eradicari non valuit. Tunc enim ex præcepto negativo abſtinendi ab odio proximi inducetur obligatio convertendi ſe in partem contrariam, vt rectitudo tandem obtineri poſſit. Amor enim omnia vincit, præſertim in Deo fundatus, & cùm longè fortior ſit alijs affectibus, & validioribus motivis nitatur, quæ charitas ipſa ſuggerit, plures difficultates ſuperabit, alioqui non ſuperandas, vel certè non niſi ægerrimè.

28. Idipſum de obligatione diligendi Deum orta per accidens ex præcepto negativo non proſequendi ipſum odio, omnes Auctores obſervant, & nos aliquid perſtrinximus *diſſert. 6. num. 44.* Erit autem caſus iſte circa dilectionem proximi multò frequentior, vt multò frequentius eſt ipſum odiſſe, vel in eiuſdem odij graviſſimo periculo verſari, quàm odiſſe ipſummet Deum. Atque, vt hoc obiter notem, cùm odium noſtrum, aut illius periculum eſt alijs occultum, ad actum merè internum ſpecialis dilectionis obligabimur abſque obligatione externi. Idemque, ſervata proportione, dici debet, cùm dilectio eſt neceſſaria ad evitã-

dum propositum nunquam diligendi proximum, aut inimicum, si id latet in corde, ac Deo soli est manifestum. Actus enim exteriores necessarij nõ sunt ad corrigendum vitia purè interna animi nostri, nec relatè ad hũc effectum præcipiuntur; sed vt proximis inserviant. Quamobrem sicut præcepta Decalogi, quibus concupiscere prohibemur bona, aut vxores alienas, non obligant nisi ad merè internum actum cohibendi concupiscentiam, totaque eorum observãtia ibi consummatur, sic similiter in alijs modò propositis in interna dilectione finitur tota obligatio, sicut finitur necessitas.

29. Addit insuper Acacius de Velasco *tom.* 1. *resol. moral.* verb. *Amare proximum. resol.* 55. *num.* 4. communem esse sententiam S. Thomæ, aliorumque Doctorum, quòd non teneamur diligere proximum actibus internis specialibus, nisi eo casu, quo id esset necessarium ad vitandum odium. Sed profectò S. Thomas *num.* 24. relatus hunc duntaxat casum non excepit; sed obligationẽ affectus, & effectus specialis ad omnes alios extendit, vbi ille, qui nulla alia necessitudine, nisi charitatis, ad nos attinet, constitutus est pro loco, & tempore in necessitate, per quam ei sine nobis succurri non potest. Suarez etiam, & relati nuper, quibus accedit Palao *tom.* 1. *tr.* 6. *disp.* 1. *punct.* 5. *num* 4. rectè considerant, specialem hunc affectum esse posse necessarium, non tantùm ad extirpandum odium nostrum; sed etiam odium alienum, scandalum, aut offensionem per signa benevolentiæ, necnon & ad quędam opera misericordię exequẽda. Nam re vera aliqua sunt difficillima ex se, vel ex circumstantijs occurrentibus, ex. g. pro fratribus animas ponere, Sacramenta administrare, vel curare peste infectos: & qui hæc debet ex officio, sæpe ad illa nõ movebitur ex solo affectu iustitiæ, nisi charitas eum vrgeat; charitate autem vrgente, haud difficilè periculum mortis obibit, & magna opera aggredietur, quia amanti nulla via est invia, fortisque est, vt mors, dilectio. Probabile etiam est, eumdem affectum specialem, & internũ quandoque desiderari ad satisfaciendum debito gratitudinis orto ex magnis beneficijs, & magna nobis charitate collatis: nam plurimi id ipsum asserunt de affectu charitatis erga Deũ. Ac tandem dilectio proximi haud rarò medium necessarium erit ad satisfaciendum præcepto affirmativo diligendi Deum ex toto corde, atque ex vi illius debita erit: quia, vt arguebat S. Ioannes suprà: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

30. Inde iam perspicuè apparet, quando, & ex quibus præceptis teneamur per se, aut per accidens ad dilectionem internam proximi, qua proximus est, in communi, aut in speciali. Apparet insuper evidentissimè, præcepto diligendi proximum non posse satisfieri per solos externos actus. Neque enim ij soli sufficiunt, cùm secundum se spectati bene, ac malè fieri possint; spontaneè, vel coactè; ex amore duntaxat sui ipsius, vel ex amore alterius; propter Deum, vel propter aliud motivum honestæ amicitiæ, quod proximum, qua proximus est, ac Deo coniunctus, non tangit. Quare Franciscus Amicus, qui *tom.* 4 *curs. Theolog. disp.* 28. *à num.* 14. contendit sequutus S. Bernardum *serm.* 30. *in Cantic.* hoc præceptum per se solùm obligare ad externa opera beneficentiæ præstanda proximis auxilio nostro indigentibus, non ideò putat, ea sola sufficere; sed sæpius inculcat, requiri internum

num aliquem virtutis actum, ex quo procedant, & à quo formaliter accipiant honestatem referibilem in Deum, & consonam charitati. Vt si quis proximo indigenti beneficiat amore concupiscentiæ propter præmium æternæ beatitudinis promissum bene operantibus, aut proper aliud motivum proprium virtutum moralium, vt misericordiæ, liberalitatis, pietatis, aut amicitiæ in bonis eius fundatæ.

31. Nec dubium, quin actus externi, quibus alios adiuvamus, omnibus his modis exerceri possint, si secundum se, ac soli spectentur, nam illorum omnium sunt capaces. Sed controversia est, an ij sufficiant, quoties vrget præceptum diligendi proximum naturale, atque Divinum à Deo, & Christo in Sacris litteris toties nobis commendatum? Et nostra sententia est, nullatenus sufficere; sed in eo eventu diligendum esse proximum tanquam aliquid Dei, & propter ipsum non præcisè vt finem vltimum, ac remotum nostri affectus; sed vt rationem formalem diligendi propriã Theologicæ charitatis. Tantum abest, vt sufficiant solummodò externi actus beneficentiæ erga proximum, vt neque ipsi satis esse possint, cùm inferiorum virtutum interno affectu informantur, nisi forsan ijdem ipsi à charitate imperentur, atque ex eius dilectione referantur in Deum tanquam principalem, & potissimum amicum; in proximum verò, vt in amicum secundarium ex Dei amicitia amabilem.

32. Contingere autem poterit non semel, vt qui ex prædictis motivis, non autem ex motivo charitatis succurrit proximo, iam non amplius obligetur ex præcepto charitatis. Nõ quia illi propriè satisfecit, & modum ab eo præscriptum observavit; sed quia cessavit necessitas per subventionem externam, & illa cessante, etiam cessat charitatis obligatio. Exempla obvia sunt. Nam siquis cõferat eleemosynam egenti casu, quo præceptum charitatis obligabat ad illam conferendam, quamvis invitus id faciat, aut ex turpi aliquo fine, & quamvis suam obligationem ignoraverit, adhuc tamen postea non tenetur vi præcepti affirmativi, sive misericordiæ, sive charitatis. Quia hæc in speciali non obligant, nisi tempore necessitatis; necessitas autem defficit, cùm illi erogatum fuit, quod satis erat ad illam sublevandam. Idem cõtingit, cùm facta est restitutio ex. g. per compensationem occultam, debitore nolente, seu invito: nam quomodocumque id fiat, debitum iustitiæ extinguitur, & re ipsa creditori est satisfactum. Alia dabit P. Suarez *lib. 2. de legib. cap.* 10. *num.* 9. idque à reliquis Doctoribus communiter observatur.

CAPVT IV.

De charitate exercenda circa proximum per eleemosynas collatas ex superfluo status.

33. IN proposito frequenter notant Auctores, ex temporalibus bonis sub dominio, & administratione nostra plenè constitutis quædam esse necessaria ad conservationem propriæ vitę, vel familiæ, vt vxoris, aut filiorum, vel similium, quibus de victu, vestitu, alijsque id genus subsidijs providere debemus; alia verò ad statum, & decentiam quamdam vsu communi receptam apud viros probos eiusdē conditionis, ac gradus; & demum alia superflua, hoc est, nulli istorum finiũ necessaria. Notant etiam, ex superfluis

vitæ, ac statui, quæ propriè constituunt divites, & abundantes in sæculo, maximè deberi eleemosynam: quia minori nostro detrimento, ac difficultate expenduntur, cùm illis non egeamus, & ideò sunt præ alijs aptiora ad donationes, non solùm sublevativas necessitatis alienæ; verùm etiam merè liberales, imò prodigas, nam & prodigalitas longè minus vitium æstimatur, cùm non fit, nisi ex divitijs, & opibus redundantibus, & in scrinio recludendis.

34. Cui doctrinæ ex se satis conspicuæ è diametro videtur refragari 12. propositio à SS. Innocentio profligata: reddit enim de subiecto non supponente obligationem istam respectu omnium sæcularium divitum, cùm affirmat, vix vnquam reperiri in ipsis bona superabundantia, seu superflua statui suo. Nam si hoc ita est, vix vnquam tenebuntur eleemosynã conferre ex bonis superfluis statui, cùm tantùm ex superfluo tenentur, vt ex terminis indubitatum apparet, & ipsamet propositio deducit. Verba illius sic se habent: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.* Ideò autem de sæcularibus loquitur, Ecclesiasticis exclusis, quia superflua non sunt statui ipsorum, quæ statui Ecclesiasticorum verè superflua creduntur. Illi enim, vt notat Vasquez *opusc. de eleemosyn. cap. 4. num.* 14. sequutus plerosque alios, de bonis patrimonialibus possunt sibi reservare necessaria ad statum suum, vel consanguineorum mutandum in alium altiorem sibi proportionatum, & quæ ad hunc effectum necessaria sunt, haudquaquam annumerantur inter bona superflua statui illi. *Vnde*, inquit, *vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui.* At verò Episcopi, alijque Ecclesiastici de patrimonio Christi non possunt statum mutare, & nobiliorem alium sibi quærere, vel consanguineis: datur enim ad decentem, congruamque sustentationem, & quidquid exinde supereſt, pauperibus ex misericordia debetur, quos ipsi debent inquirere. *Et ita*, inquit, *fere nullum invenies, qui pingue habeat beneficium, qui non habeat, aut habere possit, si parcè viveret, vt docet, superfluum statui, & decenti sustentationi.*

35. Hactenus Vasquez, apud quem, vt iam legisti, obiter, & per transennam litteraliter habetur prior pars thesis condemnatæ. Sed & secũda pariter in eo invenitur ibidem *cap. 1. dub. 3. num. 27.* Quo factum est, vt nonnulli, sternente viam Montaltio *epist. 12.* ex prohibitis à Pontifice Alexandro VII. hunc Auctorem acriter proscindant tanquam vnicum Magistrum laxitatis profligatæ. Cæterùm neque ipse totam propositionem, vti iacet, tradidit vno contextu; sed singulas partes eius in locis valde distantibus; nec secundam deduxit ex prima; imò primam, quæ loco antecedentis præmittitur, in fine opusculi expressit; secundam verò in principio; nec putavit, se absque Auctore loqui; sed potiùs cum Caietano, cuius allegationem suppressere, qui assuerunt singulas partes à suo contextu revulsas, & ex altera non nihil detraxerunt, vt graviorem invidiam Vasquio conciliarent. Ille porrò sic scripserat *eo num. 27. Licet Caietanus sentiat, de superfluo quemlibet teneri ad eleemosynam; sed non existimat superfluum, quando quis habet superfluum statui præsenti; illud tamen in futurum reservat, vt mutet statum digniorem: & ita vix aliquis tenetur, aut secundum opinionem Caietani, aut secundũ nostrã ad eleemosynam, quãdo tantùm tenetur ex superfluo status.*

Hinc

36. Hinc apparet, fere totam huius rei perplexitatem ortam esse ex modo computandi necessaria ad statum. Nam quo necessitas ad plura bona extenditur, eo superfluitas ad pauciora contrahitur. *Præceptum autem de eleemosyna superflui* (ait Caietanus 2.2. *q.* 32. *art.* 5. *ad* 2.) *supponit superfluum, non vetat mutationem status; sed in hoc falli contingit iudicium aliquorum, quod superfluum iudicant, non consideratis omnibus.* Cum autem de re ipsa constet, quædam bona esse nobis necessaria ad statum præsentem, ac decentiam eius tuendam, atque conservandam; alia verò, & longè plura non tantùm ad illum retinendum, verùm etiam ad augendum, & ascendendum ad meliorem alium, longè aliter circa hæc bona Auctores philosophantur. Quia plerique inter superflua computant, quę secundum statum præsentem necessaria non sunt, & necessaria ea solùm iudicant, quæ statui præsenti inserviunt secundum ea, quæ probabiliter, & vt in pluribus occurrũt absque specialiori alia solicitudine craſtini. Ita sumitur ex D. Thoma *eo art.* 5. *ad* 3. & iuxta mensuram istam superflui, atque necessarij haud dubium, quin plures divites in populis reperiantur, quibus bona sua superfluunt, & qui ex illis eleemosynam largiri debeãt, cùm tenentur ex superfluo status. Alij verò, qui inter necessaria status etiam ea computant, quibus est opus ad præsentem deferendum, & in meliorem alium commutandum, vix, aut rarò inveniunt homines, quibus divitiæ superfint, vnde titulo superflui indigentibus subvenire teneantur. Plures namque opes necessariæ solent esse ad præsentem statum retinendum, & si addantur istis necessariæ ad illum amplificandum, aut mutandum in alium commodiorem, aut digniorem, cumulus necessariorum adeò crescet, vt in paucis superflua status reperiri valeant: semper enim gradatim ascendere cupient, & ad maiora aspirantes cauſabuntur se licitè reservare in futurum, quæ de præsenti subtrahunt indigentijs pauperum.

37. In hoc sensu ampliori expressè accepit P. Vasquez necessaria, atque superflua ad statum, cùm dixit, *vix inveniri in sæcularibus, etiam in Regibus, superflua statui*: id ipsumque Diana probat *p.* 2 *tr.* 16. vers. *Quarto.* & *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 215. *ante fin.* & *p.* 5. *tr.* 8. *resol.* 20. ac fere pariter discurrit Navarrus non immemor Regum, ac Principum *in Manual. cap.* 24. *num.* 6. & *cap.* 23. *num.* 24. Præivit autem Caietanus *in summa*, verb. *Eleemosyna*, his præter cœtera: *Ita vt rarò videatur contingere, vt homo secundum statum gloriosè vivens superfluum habeat.* Palacios *in* 4. *dist.* 15. *disp.* 6. *fol. mihi* 95. *colum.* 1. ibi: *Si tot est habenda ratio, quot diximus, paucos reperias superfluis abundantes*: & propterea *fol.* 101. *colum.* 1. subiungit, non esse cur de præcepto eleemosynæ *solicitentur* divitum *pœnitentiarij, quia superflua ex multis causis necessaria redduntur, & rarò accidit, hominem habere superflua simpliciter, id est, superflua omnino, habita omnium consideratione circumstantiarum: & de rarò contingentibus non est cur solicitemur.* Accedit & Corduba *in quæstionar. lib.* 1. *q.* 18. *fol. mihi.* 172. *colum.* 1. *in fin.* ibi: *Rarò dicuntur in eis* (nempe in sæcularibus) *esse superflua decẽtiæ simpliciter, & consequenter rarò contingit tempus, quo sub mortali teneantur pauperibus erogare superflua decentiæ suæ.*

38. Concinit expressè affirmans, *raros esse divites, qui superflua habeant*, Ledesma 2.4 *ti. q.* 13. *art.* 3. *fol.* 116. *pagin.* 2. Nec non Malderus Lovaniensis Professor, & Antuerpiensis Epis-

Episcopus 2.2 *q.* 32. *art.* 6. *dubitation.* 4. *propositi.* 1. *circa fin.* ibi : *Quòd verò dicatur, rariùs contingere, vt quis habeat eiusmodi superfluum: esto, simpliciter loquendo verum sit; nobis tamen sufficit aliquando ita contingere, præsertim in Ecclesiasticis.* Petrus Navarra *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *num.* 320. ibi : *Vnde quia rari sunt, qui nolunt, vel statum maiorem habere, vel in infimo opulentiùs vivere, ideò, vt Caietanus notat, rari sunt, qui de superfluis status teneantur.* Paria omnino Caietanum appellantes tradunt Rodriguez *in summa tom.* 1. *cap.* 287. *num.* 2. Vega *in summa. p.* 2. *cap.* 27. *casu* 12. *colum.* 2. *post medium.* Idipsumque imputat Filguera in præsenti Ægidio Coninc, ac Palao. Sed Coninc longè alia tractat in loco, vbi ab eo refertur : & vterque, vt paulo infrà constabit, sic priorem partem lemmatis proscripti tradit, vt à secũda longissimè abscedat, potiusque iudicet in proposito ea duntaxat bona cum necessarijs esse computanda, quæ necessaria sunt ad statum conservandum, reijciendo inter superflua omnia ea, quibus est opus ad meliorem alium adquirendum. Legatur Palao *tom.* 1. *tr.* 6. *disp.* 2. *punct.* 2. *num.* 14.

39. Indidem inferes, propositionem istam : *Vix in sæcularibus superflua invenies ad suum præsentem statum decenter conservandum* : à veritate, ac mente omnium Doctorum esse alienam, nocivam, ac plenam scandali. A veritate quidem: quia nõ rarò, non vix, non in paucis tantùm, sed in multis invenimus divitias accumulatas, & longè plures redditus, quàm necessarij sunt ad retinendum splendorem, ac decentiam sui status; & quod aliquando eis desit, ex eo oritur, quòd ludo, luxu, ac alijs multis vanis pompis, & ostentationibus prodigunt, quod rectè expensum eos redderet divitijs superaffluentes, & opibus abundantes. A mente omniũ Auctorum : nam omnes proximè allati non ideò dicunt, vix in sæcularibus reperiri superflua, quia in pluribus superflua non sint ad conservationem status ; sed quia superflua ad hunc finem nõ tàm superfluis, quàm necessarijs adiudicant, eo quòd necessaria sint ad digniorem alium cõparandum : & quia Ecclesiasticis ad hunc effectum thesaurizare nõ licet, ex. g. ad consanguineos ditandos, aut exaltandos in sæculo, ideò frequenter in ipsis agnoscunt superflua statui.

40. Nocivam: Quia inde colligitur, *vix, aut rarò sæculares obligari ad eleemosynam, cùm ad eam solùm tenentur ex superfluis ad conservationem status.* Quòd si hoc verum est, consequens fiet, vt absolutè vix, aut rarò eleemosynam conferre debeãt, nam de necessarijs longè rarior obligatio solet esse, quàm de non necessarijs, sed superfluis ad tuitionem, & decentiam status. Est denique plena scandali in re maximi momenti: nutrit enim avaritiam divitum contra miseriam, & gemitum pauperum; miserendi obligationes citra casum extremæ necessitatis fere extinguit; & dum necessaria reddit ad præsentem statum conservandum omnium fermè bona sæcularium, atque ideò putat vix ad eos spectare præceptum erogandi ex superfluis, pernicioſam sternit viam ad sentiendum idipsum de Ecclesiasticis. Nam & isti pariter possent prætexere, vix in paucis inveniri vltra necessaria ad conservãdum splendorem, ac decentiam proprij status: & ex istis nil tenentur erogare, cùm tenentur tantum ex superfluis.

41. Quæ cùm ita sint, iam inde nullo negotio ostendetur, optimam fuisse censuram thesis, cui præcipuè intendimus. Esto namque illa expres-

se

ſè non loquatur de ſuperfluis ad ſolam conſervationem præſentis ſtatus; ſed abſolutè doceat: *Vix in ſæcularibus, etiam in Regibus, inveniri ſuperfluum ſtatui; & proinde vix aliquē ex ipſis teneri ad eleemoſynam, quando tantùm tenetur ex ſuperfluo*: adhuc tamen, ne amplius dicam, apertè cōſtare poteſt, illam ſub his ipſis terminis eſſe valde ſcandaloſam, & bonis moribus in praxi nocentem. Ratio autem eſt. Quia partitio iſta bonorum in neceſſaria ad ſtatum, & ſuperflua, ita demum debet fieri, vt nō vix, non ratò, aut in paucis ſæcularibus, ſed in multis inveniantur bona ſuperabundantia, ex quibus tanquam ſuperfluis eleemoſynam largiri teneantur, idque ex Sacris litteris, & SS. PP. adeò clarè deprehenditur, vt abſque vi manifeſta aliter exponi nō valeant. At prædicta propoſitio ſic dilatat neceſſaria ad ſtatum, vt vix vlli ex huius ſæcli divitibus ſuperflua relinquantur, vnde hoc nomine pauperibus ſubvenire teneatur. Ergo & bonis moribus Eccleſiæ nocet, & ſanæ illius doctrinæ contradicit.

42. Aſſumptio, quæ ſola poſſet in controverſiam vocari, patet primò ex verbis Pauli 2. *ad Corinth.* 8. 24. ibi: *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum*, hoc eſt pauperū, *inopiam ſuppleat.* 1. *ad Timoth.* 6. 17. *Divitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum; ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, facile tribuere.* Secūdò ex Iacobi 5. 1. *Agite nunc divites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus.* Multus eſſem, ſi omnia vellem coacervare, vbi ſæcularium divitum opulentia ſupponitur, & iram ſibi theſaurizare dicuntur, dum opes ſuas congregant, & pauperes deſerunt. Plura eleganter ponderat P. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 9. *punct.* 4. §. 2. vt illud Chriſti, Lucæ 3. 11. vbi interrogantibus, quid eſſent facturi, ne exciderentur, & mitterentur in ignem, reſpondit Chriſtus: *Qui habet, duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat*: & *cap.* 11. 41. *Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam*, quod à D. Thoma, & alijs communiter intelligitur, ſive ſit præceptum, ſeu conſilium, de eo, quod ſupereſt ad vitam conveniēter tranſigendam pro ratione ſtatus.

43. Pleraque alia iſtis affinia, & non minoris energiæ, ſumi poſſunt ex Deuteron. 15. 11. Eccleſiaſtici. 4. 1. Ioannis. 1. 3. 17. Dicere autem omnia iſta ex falſa quadam *abundantia* ſuppoſitione procedere, & extra rem, & praxim fuiſſe tradita, cùm fortaſſe nullus eſſet in illis c[illegible]itatibus, & in toto mundo rarus, [illegible]t vix vllus dives ſæcularis reperiatur, cui ſ[illegible] divitiæ ſuperfluæ, atque eo titulo e[illegible]moſynis obnoxiæ, & omnibus incredibile, & pijs auribus horrori eſſet. Maximè quia SS. PP. vnanimi conſenſu longè aliter prædictas comminationes, cohortationes, ac præcepta intellexerunt, eiſdemque vſi ſunt ad praxim pro concione, ac ſæpe aliàs, tanquam certum ſupponentes non vix, ſed ſatis frequenter locum habere in divitibus, eoſque ſpeciatim vrgere hoc ipſo nomine quod ſuperflua habeant, ne eleemoſynis ſubtraherent, quæ eroganda ex illis eſſent. Loca ipſorum paſſim obvia ſunt, & valde exaggerata, adeò vt interdum affirment furtum, ac rapinam eſſe, nō ſuccurrere indigentijs pauperum ex bonis iſtis ſuperfluis. Pleraque inſti-

turo

tuto nostro satis opportuna legi possunt apud Valentia *vbi suprà* ex Augustino, Basilio, Nysseno, Nazianzeno, Ambrosio, Hieronymo, Beda, & alijs Sanctis excerpta.

44. Quocirca si è duobus vnum in proposito opus esset, vel numerare inter superflua statui, quæ solùm necessaria sunt ad eius mutationem, vel sic contrahere præceptum miserendi ex superfluis vitæ, ac statui, vt vix vnquam vrgeat eius obligatio, potiùs prius eligendum esset, quam posterius affirmandum. Illud enim nulli incommodo est subiectum; sed valde consonum rationi, ac veritati, cùm re vera talia bona superflua sint ad præsentis status decentem conservationem, & alterius melioris adquisitio sæpe non sit necessaria, imò nec possibilis, aut per licita media comparabilis; istud vero Sacris litteris, ac Patribus longè aliter de huius præcepti amplitudine, ac frequenti praxi sentientibus, ac loquentibus haud obscurè refragatur. Quare probare non possum, quod aiebant Auctores præcitati, præceptum dandi ex superfluis tantò obligare sæculares, etiam Reges, quia vix vnquam in illis inveniuntur superflua ad conservationem, atque mutationem status. Nam si hoc ita erat, potius dici debuit præceptum illud superfluis, & obnoxijs eleemosynę adiungere etiam ea, quibus est opus ad statum præsentem commutandum in alium meliorem; necessaria verò ad statum, & non subiecta eleemosynis titulo superfluitatis ea reputari solummodò, sine quibus conservari nequit absque notabili imminutione, aut detrimento decentia debita præsenti statui.

45. Atque in hoc strictiori sensu accipienda esse necessaria ad statum, reliquis inter superflua absolutè computatis, cùm specialiter differitur de obligatione subvenièdi pauperibus ex superfluis statui, ac vitæ, non item ex necessarijs, mihi verissimum est, & planè consonum Scripturæ, ac PP. necnon & Doctori Angelico in proposito ea vocanti *superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest.* Quòd si in laxiori alio sensu necessaria velimus vsurpare, & nihil diiudicare superfluum, quod ad melius esse in posterum apparet necessarium, vix superfluum quidquam invenietur, quod sibi divites debeant subtrahere, vt pauperibus subveniant, & vix vnquã locus erit præcepto dandi eleemosynam titulo superfluitatis. Quod vtique Caietanus, & alij præcitati Auctores vltrò concesserunt; sed re vera est absurdissimum, & tale à plurimis reputabatur, etiam ante decretum Innocentij; imò aliqui, ne in istiusmodi absurditatem inciderent, expressè sibi cavebant ab hoc modo computanndi superflua, & necessaria vitæ, ac statui. Ita inter alios Coninc *disp. 27. de Charit. num. 130.* Palao *tom. 1. tr. 6. disp. & punct. 2. num. 14.* Luisius Turrianus *2.2. disp. 82. dub. 4.* vers. *In hac controversia.* Lorca *2.2. disp. 39. sect. 3. num. 7.* vers. *Addit præterea Caietanus.* Moya *in select. 1. p. tr. 6 disp. 6. q. 4. num. 13.* sibi rectè persuadens, *hanc fuisse antiquorum mentem*, idque mihi longè certius est de mente Scripturæ, ac PP.

46. Et quidem si sermo sit de paupere constituto in necessitate gravi patiendi infamiam, exilium, nuditatem, vel quid simile indecens personæ, ac statui ipsius, inhumanum prorsus videretur divitem nolle subvenire ipsi ex divitijs in futurum coacervatis, eo solo prætextu, quòd eis egeat ad amplificandum statum suum, vel ad alium digniorem comparandum. Nam sicubi, hîc maximè locum haberet, quod legitur 1. Ioannis

nis 3. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mũdi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Non dixit Ioannes *extremam*, ſed ſolùm *neceſsitatem*, vt vtramque ſimul comprehenderet, quia gravis neceſſitas propriè, & in rigore eſt talis. Et quidem quamvis iuxta S. Thomam *ea q 32. art. 6. corp. Inordinatum eſſet, ſi aliquis tantum ſibi de bonis proprijs ſubtraheret, vt alijs largiretur, quod de reſiduo non poſſet vitam tranſigere ſecundum proprium ſtatum, & negotia occurrentia: nullus enim inconvenienter vivere debet.* At verò longè alia eſt ratio de illo, qui iſtiuſmodi bona ſibi non ſubtrahit, neque detrimentum patitur ſubveniendo graviter egentibus in ijs, quibus abſolutè indiget ad cõſervandum decorem, ac decentiam proprij ſtatus. Aliud namque eſt non aſcendere, nec ſe ſublimare vlteriùs; aliud verò non decreſcere, ſed ſeſe in eodem ſtatu conſervare. Nam qui hoc duntaxat intendit, agit de damno vitando; qui autem vltra propriũ ſtatum aſcendere, & ſublimari procurat, agit de lucro captando. Recta autem ratio requirit, vt aliquando indebitum, ac minimè neceſſarium tibi lucrum differas, aut prætermittas, ne proximus, quem vt te ipſum diligere debes, grave incommodum, & afflictionem patiatur.

47. Propterea P. Suarez *diſp. 7. de Charitat. ſect. 3. num. 9.* iure optimo dixit quædam iudicari ſuperflua in ordine ad gravem neceſſitatem, quæ moraliter non cenſebuntur talia in ordine ad communem: *Quia*, inquit, *ſicut diverſa eſt neceſsitas, ita & obligatio, & facultas*: indeque deinceps concludit, ijs detractis, quæ ad ſtatum divitis, & integram eius decẽtiam cenſentur abſolutè neceſſaria, habita ratione eorum, quæ moraliter accidere ſolent hominibus in tali ſtatu conſtitutis, tàm reſpectu ſui, quàm reſpectu aliorum, quibus ex officio providere debet, aut ex debito pietatis, vt filijs, alijſque huiuſmodi, cœtera ſuperflua eſſe cenſenda in ordine ad neceſſitatem gravem proximi. Et ſpecialiter agens de progreſſu interdum licito ad nobiliorem, aut meliorem gradum, advertit, quæ ad hunc finem reſervantur, adhuc computari inter ſuperflua quoad effectũ eleemoſynæ tribuendæ, dum actu graves neceſſitates occurrunt, quibus aliunde providendum non ſperatur. Atque ex iſtis ex præcepto ſubveniẽdum eſſe, non tantummodò in extrema, verùmetiam in neceſſitate gravi, communis ſententia eſt, cuius oppoſitam *manifeſtè adverſari, non tantùm torrenti Doctorum, ſed etiam Scripturæ, PP. & rationi evidenti*, dixit Lorca *ſuprà diſp. 39. num. 23.* & Granado *controv. 3. de Charit. tr. 11. diſp. 2. ſect. 3. & 4.* poſt accuratam diſputationem concludit *num. 18. Non poſſe quempiam tuta conſcientia contrarium, aut conſ. lere, aut efficere*, ſubſcribente alijs relatis Moya *in dicta q. 4. §. 4. num. 19.*

48. In ordinarijs pauperum neceſſitatibus faciliùs ſolet permitti reſervatio ſuperfluorum ad præſentem ſtatum pro aſſequutione futuri: & maximè ſi deſit propoſitum formale, vel virtuale nunquam ſuccurrendi his indigentijs, quamvis graviores deficiant. Verumtamen hîc etiam inſpicere oportet, quis, & cuius ſtatus, & ad quem alium aſpiret. Neque enim fovenda eſt inſatiabilis ambitio mortalium nunquam plenè ſatisfacta, ſed ad altiora, & altiora ſemper irrequietè inhians: neque promovendæ ſunt ſpes aëreæ commutandi ſtatum ſuum in alium commodiorem, aut digniorem; nec ſubminiſtranda media illicita ſuborna-

tionum, ac similium impensarum, quibus divites suis opibus freti vltra meritum, ac modum se, ac suos sublimare cupiunt; sed in his omnibus magna moderatio est servanda, vt solicitudo coacervandi opes pro futuro statu præsentibus, ac communibus, nedum gravibus indigentijs pauperum, anteponi possit licite. Hoc sensu prohibuisse Dominum *Matthæi* 6. cogitare de crastino annotavit S. Thomas *eo art.* 5. *ad* 3. & P. Vasquez *in dict. cap.* 1 *num.* 26. ea solùm voluit non esse superflua, quæ necessaria sunt ad mutationem status, quē *possumus licitè acquirere, & dignè conquirere*, nam contendere ad eum statum, ad quem idonei non sumus, nec adspirare prudenter, nec honestis medijs pervenire ad illum, rectæ rationi non congruit, & nocivum est Reipublicæ.

49. Paria dabit Caietanus 2. 2. *q.* 118. *art.* 1. & *art.* 4. *ante fin.* Navarrus *locis citatis*, & *in cap. Ita quorundam de Iudæis notabil.* 2. *à num.* 8. Suarez *eo num.* 6. Et siquis pensiculatè consideret [illegible] ipsi requirunt, vt liceat congruae opes, alioqui superfluas, ad altiorem statum compandum sibi, vel familiæ suæ, proculdubio inveniet, non esse adeò raros, quibus pecuniæ superfint, etiam habita ratione status, ad quem possunt adspirare licitè, & sperare prudenter adeptionem eius; nam illius, quem ambitiosè, immerenter, aut temerè, vel malis artibus comparare intendunt, nulla prorsus ratio haberi debet, sive in sæcularibus, sive in Ecclesiasticis. Quocirca licet in istis etiam inveniantur sui proportionati ascensus à Clerico simplici in Parochum, aut Canonicum, aut Dignitatem, & hinc etiam ad Episcopatum, aut Archiepiscopatum dignè promoveri soleant, & magnas expensas facere in expeditione Bullarum, ac transportatione domesticæ supellectilis, aut informationibus prævijs de puritate sanguinis, alijsque id genus, non propterea dicimus paucos reperiri ex ipsis, qui careant bonis superfluis, vnde debeant subvenire indigentijs, tàm communibus, quàm gravibus.

50. Quousque autem possint suam familiam ex Ecclesiæ bonis ad altiorem statum evehere, aut ex sordido, & mechanico ad alium decentiorem extrahere, & quādo eis liceat summam aliquam pecuniæ pro futuris occurrentijs asservare, vel ad fundationem Capellarum, Hospitalium, aut aliorum piorum operum cum similibus quæstionibus annexis, plenè tractant Thomas Hurtado *de congrua sustent. Ecclesiastic. p.* 1. *lib.* 2. *à num.* 165. Theophilus Raynaudus *tom.* 12. *tractatu*, cuius est inscriptio: *Mala è bonis Ecclesiæ. lib.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. *à num.* 12. ac deinceps, & maximè *eap.* 5. vbi specialiter de consanguineis agit. Thomas Sanchez *tom.* 1. *consil. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. & 39. vbi Ecclesiasticos cum sæcularibus comparat, ac de obligatione istorum iam anteà fusè tractaverat *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *per totum.*

DIS-

DISSERTATIO IX.

DE ODIO VITÆ PROXIMI.

Ad hanc classem revocantur tres propositiones immediatè subsequentes, quæ invertendo verum charitatis ordinem, proximi vitam affectu, & appretiatione nostra postponi posse putabant aliquibus temporalibus commodis, quæ inde solent vivis resultare, vt hæreditatis adeptio, aut exoneratio ab aliqua pensione, vel censu vitalitio.

CAPVT PRIMVM.

An liceat alterius mortem optare, vel de ea gaudere ob temporale aliquod emolumentum inde à nobis reportandum?

1. REspondit iam olim Navarro *in Manual. cap* 15 *num.*10. *Secũdum omnes peccare, qui deliberatè alicuius mortem optat, vt in eius munus, aut officium succedat, vel ne reprehẽdatur, aut castigetur ab illo.* Idipsum tradunt agentes de assequutione hæreditatis, aliisque id genus lucris merè temporalibus Petrus Navarra *lib.* 2. *de restitut. cap* 3. *à num.*194. Montesinos *tom.*2. *in* 1.2. *disp.*7. *num.*77. Salon *tom.*1. *de iust. & iur. q.*76 *observat.*3. *colum.*1773. Trullenc *lib.*1. *in Decalog cap* 6. *dub.*2. *num.*13. ac, ni fallor, valde pauci Auctores invenientur, quibus meritò imputari valeat excusatio horum affectuum ab omni culpa, etiam levi, sicut opus est, vt liceant. Nonnullis Thomistis id imputat P. Moya *in select.* 1 *p tr.*6 *disp.* 6 *q.*5. *num* 2. nempe Conrado, ac Zanardo. Gilleri, & Paulo de Blanchis: Zanardo, quatenus 2. *p Director. cap.* 6. *de maledict.* ait: *Nullum quidem est peccatum, quando alteri malum optatur ratione publici boni, vel ratione boni privati.* Conrado verò, quia tradit *p.*1. *q.*392. *Vniversaliter quotiescumque propter bonum malum precamur, non est peccatum.* Duobus autem alijs, quia in proposito dicunt, *nos desiderare aliqua posse, quæ procurare non licet.* At reliquis non est controversia de peccato, sed de gravitate, aut levitate illius. Nam quod peccatum ibi sit, actusque illicitus, nec Palaus, neque alij inficiabantur, qui decimæ tertiæ propositioni ex nunc proscriptis assensisse videntur. Solum enim tradunt, ex eiusmodi motivis tẽporalibus mortem naturalem proximi desiderari, ac peti posse desiderio inefficaci *absque peccato mortali*, si displicentia personæ secludatur, & debita moderatio servetur; de peccato autem veniali, aut silent, aut potiùs exprimũt, illud re vera committi.

2. Decima quarta propositio est, quæ excessit omnem mensuram, quia nec parentibus parcit, nec peccatum vllum ibi agnoscit, nec excludit absoluta desideria; sed omnia licere putat: ita enim ait: *Licitum est absolu-*

to desiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris; sed vt bonum cupientis, quia nimirùm ei obvēturа est pinguis hæreditas. Quisnam fuerit exploratus eius Auctor, me adhuc latet. Iam dixi, imputari Zanardo, Conrado, & alijs Thomistis, quatenus sub vniversali, quam traduut, directè continetur particularis ista; sed mihi illorum contextum, vnde forsan excusatio sumeretur, nondum perlustrare licuit. Ad ipsam conatur trahere, seu volentem, seu nolentem, P. Thomam Tamburinũ *lib. 5. in Decalog. cap. 3. num. 31.* ex Belgis Ioannes Sinnichius *lib. 1. Saulis Exregis. cap. 109.* Sed eum exactè defendit Guilielmus le Mayre *in statera Saulis Exreg. sect. 1. cap. 14.* & contextus suus illum defendit: ex eo enim apertè patet loqui de culpa mortali cum Palao, cuius sententiam satis probabilem ducit *num. 33.* sed non excludit venialem; imò eam agnoscit, cùm postea tractat de invidia. Casparem Hurtado quidam alij appellant, quem exscribit, probatque Diana *p. 5. tr. 13. r solu. 99.* Sed Hurtado non affirmat, hos affectus esse licitos; sed solum vacare culpa saltem mortali in certis casibus, vbi motivum illorum non importat oppositionem gravem cum virtute.

3. Statuendum ergo est cum sententia receptissima, cui Pontifex suo decreto novum robur, & auctoritatem tribuit, illicitum prorsus esse absoluto desiderio cupere mortem naturalem vllius proximi, nedum Parentis, quamvis illud non feratur in necem, vt malum proximi; sed vt est bonum concupienti vtile ad hæreditatem, vel ad aliud lucrum simile. Ratio autem est, quia ea doctrina pervertit manifestè rectum charitatis ordinem scriptum in cordibus hominum, & ab eis agnitum ipso naturali lumine. Vnusquisque enim clarè agnoscit, se teneri plus diligere proximum quoad bonum vitæ, quod est superioris ordinis, quàm sua temporalia lucra, atque in hoc principio quasi per se noto, inconcussèque recepto omnes scribentes fundant obligationem subveniendi proximo extremè periclitanti, cùm id possumus præstare absque proprio præiudicio. At qui alterius mortem optat absolutè, vt illius hæreditatem maturiùs assequatur, vel aliud commodum simile, plus diligit suas divitias, suaque emolumenta merè temporalia, quàm vitam proximi, aut Patris. Ergo ordinem charitatis pervertit, & legibus illius contradicit.

4. Explicatur 1. Nam quamvis interdum liceat optare mortem alterius, vel odisse vitam sub ratione boni iusti, aut necessarij ad avertendum gravius malum, vel obtinendum aliud maius bonum, non ideò id potest extendi ad alia inferiora bona temporalia, quibus longè potior est proximi vita, & vnicuique æstimanti res secundum dignitatem suam debet esse longè charior. Quocirca ad servandam illam ex bonis, quæ iam habemus, tenemur illi succurrere: atque, vt rectè observat S. Thomas *2. 2. q. 25. art. 8. corp.* in animi præparatione ita esse dispositi erga alios, vt si necessitas ingruat, eis subveniamus de nostro. Si ergo pluris facere debemur iuxta legem charitatis opere, & affectu vitam proximi extremè periclitantem, quàm pecuniam nostram, à fortiori pluris facere tenebimur vitam eius, quàm habere eius pecuniam, & lucrum reportare ex illius morte. Porrò qui mortem alterius evenire exoptat, vt illius hæreditate potiatur, & ex eo fine prorumpit in hunc actum absolutum: *Vtinam is moreretur*, contrario modo se gerit: nam, optione data, potius mavult illum carere sua vita, quàm

quàm se carere illius hæreditate. Quod si hæc circa alios contingunt, quid erit dicendum de filio respectu Patris, cuius vitam speciali iure tueri debet, ac de suo necessaria alimenta ministrare?

5. Explicatur 2. Nam si ob capiendum lucrum ex aliorum bonis licet eorum mortem exoptare, à fortiori id erit licitum, ne ipsi ex bonis nostris lucrum capiant, & capiendo incommodent. Hoc autem absurdũ est, & satis pernicioſum: nam exindè valde frequens, & malesuada facultas concederetur parentibus, maritis, & plerisque alijs odio habendi illorum vitam, quibus alimenta, redditus, pensiones, & alia onera vitalitia præstantur, ac desiderandi eorum mortem, non quidem vt ipsis malam; sed vt sibi vtilem ad eiusmodi gravamina excutienda. Et, quod absurdius est, licitum esset tristari de vita proximi, vel de alijs eius bonis, quatenus nostram præcellentiam, aut honorem minuunt: nam depressio hæc, seu imminutio, sive vera, sive apprehensa, malum quoddam est, quod vitare homines cuperent relicti suæ inclinationi, plus quàm habere alia commoda, & plus quàm exonerari ab anteà dictis molestijs. Atqui hoc licere non potest, quia est actus proprius invidiæ, quam *semper* esse peccatum profitetur S. Thomas 2.2.*q.* 36.*art.* 2.*corp.* & *ad* 2. ad differentiam æmulationis, aut timoris præconcepti ex bono alieno, quod putat iuxta differentiam rerum, atque personarum interdum sine peccato, & cum peccato interdum exerceri.

6. Sed obijcies eumdem D. Thomam *ibi q.* 71. *art.* 1. *corp.* cuius expressa est sententia, *licitum esse imperare, vel optare malum alterius sub ratione boni, quia*, inquit, *principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum.* Tum sic. Sed in nostro casu principalis intentio optantis paternam mortem non fertur ad malum patris, nec mortem eius desiderat, quatenus ipsi malam; sed qua sibi bonam, & vtilem ad hæreditatem capiendam, qui est eius finis præcipuus. Ergo hoc modo licitum erit illam exoptare. Confirmatur 1. Quia ex eodem non solùm licitum est optare alicui malum *sub ratione boni iusti* (quod faciunt Iudices, dum aliquem sceleratum condemnant ad mortem, & Ecclesia anathematizans peccatores, & Prophetæ, cùm illis mala imprecantur, *quasi conformantes voluntatem suam Divinæ iustitiæ*) verùm etiam *sub ratione boni vtilis. Puta, cùm aliquis optat, aliquem peccatorem pati aliquã ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipse melior efficiatur, vel vt saltem ab aliorum nocumento cesset.* Atqui sub ista ratione, non verò intentione mali, mors patris exoptatur in præsenti. Licebit igitur eam desiderare. Confirmatur 2. *ex solut. ad* 3. *Quia optare alicui malum sub ratione boni non contrariatur affectui, quo quis simpliciter alicui optat bonum, sed magis habet conformitatem ad ipsum.* Ergo non erit actus peccaminosus; sed honestus, vtpote conformis charitati.

7. Respondeo, doctrinam S. Thomæ esse verissimam, & toto, vt aiunt, cœlo distantem ab illa, quæ illi imputatur. Ipse enim nunquam asservit, licitum esse exoptare grande malum proximo, nedum parentibus, sub ratione boni exigui; nec absolutè bonũ iudicavit, quod omnibus inter se libratis plus nocet, quàm prodest eidem ipsi, aut etiam alijs; nec licere credidit optare malum temporale alicui, nisi propter eius bonum, quem plus tenemur diligere iuxta ordinem charitatis. His autem contraria sunt, quæ

quæ in profligatis dogmatibus absolutè continentur: adeoque tanti Doctoris patrocinio non iuvantur. Imò ex eodem ipso apertè refelluntur. Quia proximum quoad bonum vitæ plus diligere tenemur, quàm nos ipsos quoad emolumenta, & lucra temporalia. Ergo si solum est licitum desiderare alterius malum, quatenus ei bono opponitur, quod anteferre debemus iuxta ordinem charitatis, consequens fit, vt nunquam liceat exoptare mortem proximi, quatenus vita ipsius impedimento est hæreditati assequendæ, aut alijs lucris privatis.

8. Ad primam confirmationem ex exemplis à D. Thoma prolatis cõstat, malum proximi desiderari posse sub ratione boni vtilis ad consequẽdum aliud maius bonum eidem ipsi, cui malum desideratur, v.g. emendationem peccatori, aut alia lucra spiritualia; vel ad impediendum nocumenta aliorum, quos plus debemus diligere, & is non definit iniustè vexare; cæterum q[uo]d etiam liceat innocenti morter exoptare vt vtilem ad l[u]cra priva hæreditatis, aut successionis in munere, neque in S. Thom[a] legitur, nec principijs eius adaptatur. Ad secundam. Illa potiùs probat, quod intendimus: quia, vt liceat optare malum sub ratione boni, opus est, vt ille affectus conformetur legi charitatis; non semper autem conformatur, neque conformari potest in casu thesis damnatæ; sed tunc solùm, cùm intenditur bonum honestum præponderans iuxta charitatis ordinem malo illius, cui id desideratur. Quocircà idem S. Doctor *in disputat. q. de Charit. art. 8. ad 10.* tres solas causas proponit, propter quas *possumus illis, quos ex charitate diligimus, velle, aut inferre aliquod malum. Primò quidem propter eorum correctionem. Secundò, in quantum aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicuius multitudinis, vel etiam totius Ecclesiæ. Tertiò, ad servandum ordinem Divinæ iustitiæ, secundum illud Psalmi: Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Hæc ibi.

9. Clariùs tamen, & exactiùs suam mentem proposuit, generalemque regulam exhibuit, qua nos vsi sumus, *in 3. dist. 30. q. 1. art. 1. ad 4.* his præter cætera: *Quia charitas ordinẽ habet, & plus debet diligere quisque se, quàm alium, & propinquos, quàm extraneos, & amicos, quàm inimicos, & bonum commune multorum, quàm bonum privatum vnius, potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius; sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenemur diligere, vel communitatis, aut Ecclesiæ. Similiter de malo etiam eius, qui in malum temporale incidit, secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ eius.* Hucvsque Angelicus Doctor, apud quem planè invenietur, gaudia, & desideria ista, vt liceant, semper regulanda esse iuxta ordinem charitatis præfigentis gradus personarum, ac bonorum, quæ anteponere debemus, cùm sese mutuò præpediunt, & alia adversantur alijs. Invenietur etiam, hunc ordinem nequaquam inverti, cùm aliena mala hoc boni habent, quòd impediant mala alterius opposita bonis illis, quæ plus optare debemus iuxta legem charitatis. At verò quòd istum ordinem non pervertat desiderium absolutum mortis proximi præcisè ad lucrum capiendum ex successione, vel hæreditate ipsius, neque leviter insinuat S. Doctor, nec potest dici absque scandalo, cùm omnibus pateat, proximum plus esse diligendum quoad vitam, quàm nos ipsos quoad privata, & nõdum debita commoda,

quæ

quæ ex eius morte ſperamus.

CAPVT II.

Quando liceat mortem alterius optare?

10. ROgas 1. An ſit peccatum velle proximis tẽporale aliquod malum, ex.g. ægritudinẽ, propter bonum ſpirituale ipſorum, ſcilicet vt fiant meliores, vel ſaltem ne fiant peiores ſua peccata continuando? Reſpondet negativè S. Thomas, & cum ipſo Soto *lib.* 5. *de iuſt. & iur q.* 12. *ar.* 1. verſ. *Contra tertiam*, Navarra *ſuprà num.* 193. Navarrus *loco citato*, Aragon. 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. *ante fin.* Azor *p.* 3. *inſtit. lib.* 2. *cap.* 20. *q.* 2. & cœteri communiter deſideriũ etiam mortis exprimentes nominatim. Ego autem puto diſtinctione vtendum, quam prædicti Auctores non negarent. Malum enim temporale interdum prudentiali iudicio neceſſarium putatur ad bonum ſpirituale vitæ æternæ adipiſcendæ, gravioris condemnationis vitandæ, adquirendi virtutes, aut deſiſtendi à peccatis; interdum verò non adeò neceſſarium creditur, ſed per alia media nullum, aut certè minus nocumentum temporale afferentia, iuxta ordinarium providentiæ curſum, idem finis obtinendus iudicatur.

11. Priori caſu deſiderium abſolutum mortis, aut alterius mali licitum erit, & charitati conforme, quia malum iſtud experitur intuitu maioris boni, quod commodiori alia via obtinendum non putatur. Vnde principalis intentio ſic gaudentis, aut deſiderantis, vt aiebat Sanctus Thomas, non fertur ad malum proximi; ſed potiùs ad eius bonum: boni enim rationem habet minus malum comparatione maioris, vt ex remedijs medicinæ patet doloriferis, ac faſtidioſis; ſed ex charitate applicandis, ne vita periclitetur, ſed recuperetur ſalus. Atque, vt Chriſtus ipſe docuit *Matthæi* 18. 8. *Bonum eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Iam verò in altero caſu mihi illicita videntur eiuſmodi deſideria omnino abſoluta, quia non ſunt optanda mala, vt veniant bona, quæ poſſunt haberi ſine illis malis. Quocirca neque ex intentione boni finis valet deſumi excuſatio, quia vbi plura media ſuppetunt ſufficientia ad eumdem finem aſſequendum, recta ipſa ratio præſcribit, vt illud, quod minùs nocet, præ cœteris eligatur: nemoque excuſaret medicum, qui infirmo manũ, aut pedem abſcinderet, ſi leviori alio remedio poſſet illum præſervare. Quapropter in iſtis caſibus adijcienda eſt deſiderio conditio iſta, vel potius exceptio: *Niſi alia commodiori via bono ſpirituali proximi Deo providere placeat*: ea [illegible] iuxta optantis affectum plerumq[ue] tacitè ſubintelligitur; tametſi non [illegible]rimatur. Quæ autem hîc diximus, ſervat[illegible] portione, dici debent iuxta Sotum, [illegible] gon, & alios de deſiderio minoris mali proximo eventuri ad evitandum aliud eius malum temporale gravius.

12. Rogas 2. Vtrùm liceat exoptare alteri mortem, aut aliud malum temporale propter bonum ſpirituale ipſius optantis? Caſus evenit, cùm aliquis puellæ honeſtæ pudicitiam vehementer ſolicitat, vel alios ad mala culpæ pravo exemplo, ſuggeſtionibus, alijſque id genus perniciioſis medijs trahere conatur. Sub eâdem diſtinctione reſpondendum videtur, & omnes concedent facilè, id eſſe prorſus illicitum, cùm mors alterius non videtur neceſſaria ad im-

impediendum damna nostra spiritualia. Cœterùm, quia sunt nonnulli, qui vita, & prosperitate temporali obstinatè abutuntur, & ab aliorum perversione cessaturi non sperantur, nisi morte præoccupentur, vel corporali ægritudine, alijsve flagellis impediantur, in hoc casu etiam licebit mala illorum exoptare, quatenus opus eis fuerit ad spiritualia bona nostra sartatectaque servanda. Ratio autem efficax sumitur ex doctrina nuper tradita cum D. Thoma. Quia, salva charitate, potest aliquis optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius; sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenemur diligere. Iam autem S. Doctor præmiserat, vnumquemque semetipsum plus debere diligere, quàm alios, & quòd te ipsum quivis plus amare debeat quoad bona spiritualia, quàm alios quoad temporalia incompossibilia eisdem, indubitatum apparet.

13. Rogas 3. An licitum sit optare malis, Turcis nimirùm, hæreticis, & alijs hostibus Ecclesiæ, Reipublicæ, vel iustorum hominum, mortem temporalem, ne Ecclesia, vel iusti opprimantur, vel ne iustitiæ æquitas, aut Divini cultus ratio conculcetur? Respondent licere Sotus, Aragon, Petrus Navarra, Navarro, Azor *vbi suprà*, & alij permulti, idque ostendunt Ecclesiæ preces rogantis Deum *vt gentes Paganorum, & hæreticorum dexteræ ipsius potentia conterantur*, necnon & pia desideria optantium Christianis victoriam in bello contra infideles; imò & contra alios iniustè persequentes rempublicam, nam ab ea edocti imploramus in Missa tempore belli Dei auxilium ad inimicorũ nostrorum deprimendam feritatem. Ostendunt rursus idipsum, quæ S. Thomas docebat locis superiùs citatis, nimirùm licitum esse optare alicui ægritudinem, vel impedimentum aliud, vt ab aliorum nocumento cesset, & maximè cùm prosperitas illius est in detrimentum alicuius multitudinis, vel etiam totius Ecclesiæ, & vniversim quoties alicuius malum eligitur sub ratione boni necessarij ad impediendum malum alterius, cuius bona anteponere debemus iuxta ordinem charitatis. Nam qui in ordine ad nos prior est gradu, data optione, etiam debet esse potior quoad affectum, & vbi bona ipsius incompatibilia sunt cum bono alterius, iure prælationis gaudet, ne occasione temporalis prosperitatis alienæ redundent graviora mala temporalia, aut spiritualia in illos, quos ordinata charitas ducit esse anteponendos.

14. Quocircà, etsi nunquam liceat exoptare alijs maius eorum malum ad impediendum aliud, quod est minus iuxta gradum charitatis; adhuc tamen licitè poterimus Turcis, hæreticis, alijsve iniustis persequutoribus nostris mortem absolutè optare, dedecus, adversitatẽ in bello, & alia similia mala redundantia in maius bonum Ecclesiæ, communitatis, aut aliorum innocentium, quando ab iniqua vexatione ipsorum aliter destituros esse non speratur. Si autem speretur, duntaxat sub conditione, quòd necessaria sint ad eum effectum. Neque enim in his affectibus vnquam transilire licet terminos necessitatis, vel plus mali optare, aut petere, quàm necessarium sit ad evitandum præiudicia aliorum, quos plus amare debemus, vt rectè exponit Suarez *disp. 5. de Charitat. sect. 5. num. 2.* Estque locus valde egregius totam doctrinam complectens, qui habetur apud S. Gregorium *lib. 2. moral. toto cap 6.* quẽ ex parte refert, probatque Angelicus Doctor *in*

disp.

disp. q de Charit. art. 8. ad 10. vbi inter alia, hæc Gregorij verba habentur: *Evenire plerumque solet, vt non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursum eius gloria sine invidiæ culpa contristet: cùm &, ruente eo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo, plerosque iniustè opprimi formidamus. Qua in re mentem nostram, neque eius iam defectus erigit, nec eius profectus addicit, si recta nostra cogitatio, non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur, attendit.*

15. Rogas 4. Vtrùm aliquando liceat, & ex quo motivo mortem exoptare alicui persequutori, quem putamus pariter cum temporali æternam quoque mortem subiturũ? Respondent Sotus, & Aragon *vbi supra*, & Trullenc *num. 9.* licere, vt nostræ Reipublicæ mala caveantur, paxque, & tranquillitas ipsi contingat: & Azor *q. 4.* tradit, id optari posse, ne Ecclesia, aut homines iusti iniquè ab illo vexentur. Accedit cum Dionysio Cistercienſi, & alijs, quos refert, Granado *controv 3. de Charit. tr. 6. disp. 4. num 8.* Et S. Thomas vniversim dixit, malum vnius licitè desiderari, vt ab aliorum nocumento cesset. Nec invenio, qui huic doctrinæ contradixerit, dummodò toties adhibita, & semper retinenda cautio præmittatur, scilicet quòd vita illius, sive Turcæ, sive Tyranni, valde noceat immerentibus, & perseverante illa non speretur alijs medijs occurrendum esse malis illis. Tunc enim mors illius desideratur sub ratione boni vtilis, ac necessarij ad præcavẽdum ea mala, quæ plus debemus odisse, quàm amare vitam eius, & vnusquisque ius habet petendi, ac exoptandi remedium vnicè necessarium ad indemnitatem Ecclesiæ, Reipublicæ, vel aliorum, quos plus tenetur diligere. Sibi autem debet imputare persequutor iste, quòd in statu damnationis hæreat; nec congruum est, vt quia ipse in sua perversitate obstinatur, innocentes non desiderent ab iniqua illius vexatione redimi, & in pacem, ac tranquillitatẽ asseri, Deo id disponente, ac causante per media haudquaquam illicita. Eò vel maximè, quia neqnam ille, cùm spes emendationis non subest, tandem tandem creditur esse damnandus, & anticipata morte pauciora facinora perpetrabit, levioremque proinde condemnationem subibit. Neque in hoc casu damnatio ei desideratur, aut gaudium de illa suscipitur; sed præcisè de minori malo, quod permissioni illius adiunctum cernitur.

16. Rogas 5. An liceat matri optare mortem filiabus, quia præinopia nequit illas nuptui tradere iuxta proprij status exigentiam, vel quia experitur se occasione illarum durè à marito tractari, castigari, vel contemni? Affirmat Bonacina *tom. 2. disp. 3 circa 1. Decal. præcept. q. 4. punct. vltim. §. 1. num 7.* idque tribuit Azorio *p. 1. instit. lib. 3. cap. [illegible] q. 1.* Sed illum meritò reijcit Trullenc *in act. dub. 2. num. 11.* idipsumque antèà præstiterat Petrus Navarra *vbi supra à num. 198.* Ratio autem est manifesta ex *dictis cap. 1.* quia maius proximi malum optat ad vitandum aliud malum suum longè inferius, quod apertè charitati bene ordinatæ adversatur, & cum propositione damnata proculdubio coincidere videtur. Regula autem generalis in hoc puncto ea esse debet, quòd proximis nunquam liceat malum desiderare, vel petere, nisi propter aliud bonum, seu publicum, seu privatum, quod attento charitatis ordine iustè illi malo præfertur. Et propterea tunc non agitur contra charitatem; sed potius *secundum ipsam*, vt aiebat S. Thomas:

quia malum sub ratione mali non desideratur; sed duntaxat sub ratione boni, non qualiscumque, sed præpõderantis, & iuxta rectam rationem præferendi tali malo, cùm aliter obtineri nequit.

17. Immeritò autem Bonacina suam doctrinam adscribebat Azorio, quia ille non tractat eo loci, vtrùm liceant, aut non liceant istiusmodi desideria; sed accuratè describit varios modos, & motiva, quibus possumus aliorum necem optare, scilicet ex odio, invidia, ira, indignatione, metu, aut ex affectu iustitiæ. Et quãvis statim adijciat, aliquando optari necem, non quidem ex odio personæ, sed ex odio rei alterius, & prædicta exempla proferat ad id explicandum, non ideò iudicat illa licere. Nam statim tradit, quosdam se ipsos interimere, non ex odio suæ personę, sed suarum adversitatum, & nemo propterea ei imputabit, quod licitum esse crediderit, sibi ipsi mortem inferre. Sed de mente huius Doctoris iterum redibit s[ermo].

C[APVT] VT III.

An sit peccatum mortale tristari de vita alterius, aut de illius morte naturali gaudere, vel eam petere, & desiderare, non ex odio, sed ob aliquod temporale emolumentum?

18. NEgabat esse peccatum mortale sub certis limitationibus 13 propositio ex proscriptis à SS. Innocentio, cuius hæc sunt formalia verba: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Sumpta est ex Castro Palao *tom.* 1. *tr* 6. *disp.* 4. *punct.* 1. *num.* 11. transcribente, subscribenteque Diana 3. *p tr.* 6. *resol.* 84. & vlteriùs affirmante *p.* 5. *tr* 13. *resol.* 99. vers. *Non desinam*, malè nonnullos ea propter contra ipsum obmurmurasse. Eamdem doctrinã dixere (Palaum ipsum appellantes) *satis probabilem* Basseus *in floribus Theolog.* 1. *p.* verb. *Charitas*, *num.* 23. vers. *An autem liceat*, & Tamburinus *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 3. *num* 33 & *probabiliorem* Moya *p.* 1. *select. tr.* 6 *disp.* 6. *q.* 5. *num* 8. illam tamen, antequàm condemnaretur, expressim reiecerat Trullenc *suprà num.* 13.

19. Et quidem in ipsa mihi semper apparuit difficile, & prorsus impractibile, quòd sub conditione respondeat, & affectus, quos describit, non iudicet oneratos esse semper gravis peccati malitia, vel semper exoneratos. Solùm enim eos excusat à lethali, cùm debita moderatio servatur. Neque satis esse putat, quòd in ijs ipsis exprimitur, prout in ipsamet propositione iacent, quòd inefficaces sint, & non ex odio personæ, sed ex amore proprij emolumenti in mortem naturalem ferantur, nisi nova alia moderatio accedat, quam debitam esse ducit; sed qualis sit, non declarat. Rogo igitur, quæ sit ista specialis moderatio, qua non servata, isti affectus mortalem malitiam contrahunt; servata verò, venialem? Nam quòd aliquam contrahere debeant, sufficienter indicatur, dum à lethali solùm eximuntur: &, si omnino liciti putentur, iam reciditur in aliam propositionem *cap.* 1. expugnatam.

20. An tanta moderatio esse debet, vt gaudium immediatè non sumatur de ipta morte nobis vtili ad emolumentum aliquod merè temporale;

porale; ſed de vtilitate ſola, quam ex illa reportavimus? Rectè quidem, & hoc tantùm Palao intendiſſe videtur, ſi contextus eius attendatur: ait enim, *eiuſmodi deſiderium, aut gaudium de malo proximi non tàm eſſe deſiderium, aut gaudiũ de malo illius, quàm de bono inde ſequuturo.* Cæterùm propoſitionis verba, ſicuti in decreto damnationis iacent, aliud præferre videntur, cùm expreſſè de gaudio mortis loquantur, & triſtitia vitæ alienæ (quamvis propter illud bonum) non verò alterius obiecti conditionati, ac reſultantis. Gaudere autem ex ſuppoſitione alienæ mortis, neque intentæ, neque amatæ, de temporalibus commodis, quæ inde nobis contigerunt, nec eſt peccatum mortale, nec veniale contra charitatem proximi, vt rectè diſtinxit Navarra *in dicto cap. 3. num.* 199. & Navarro *eo num.* 10. *& cap.* 20 *num.* 23. Tapia *in Caten. moral. tom.* 1. *lib.* 3. *q.* 7. *art.* 3. *num.* 2. Laymã *lib.* 2. *Theolog. moral. tr.* 3. *cap* 10 *num.* 3. verſ. *Deinde.* Filliucius *tom.* 2. *tr.* 21. *num.* 293. Tãburinus *in Decalog. lib.* 5. *cap.* 1. §. 3. *num.* 29. vltra alios, quos infrà dabimus *à num.* 49. vbi pleniùs exponemus hanc doctrinam.

21. An prædicta moderatio in eo conſiſtit, quòd affectus noſter non tendat ad Divinam voluntatem inclinandam, nec deſideret, aut petat abſolutè mortẽ proximi; ſed ſolùm, ſi Deo placuerit motu proprio, vel ſub conditione, quòd ipſi ad maiorẽ gloriam, & proximo ad ſalutem expedire videatur? Sed propoſitio id non explicat, & obiecta illius mutantur, moduſque tendendi eorum affectuum, quos excuſat à mortali. Neque affectus iſte, vt iacet, venialiter peccaminoſus eſt; ſed potiùs licitus, & charitati bene ordinatæ conformis, cum Divino beneplacito per omnia ſubordinetur per modum conformitatis, & exigua emolumenta ſua alienæ vitæ non præferat; ſed mortem duntaxat malit iis boni circumſtantijs veſtitam, qualem proximus ſibimetipſi quoad ſpecificationem velle debet, & poteſt quoad exercitium ſatis prudenter optare. Velle enim mori, quando Deo placuerit, & ſibi expedire duxerit ad æternam vitam comparandam, actus valde honeſtus eſt; contrarium verò rectæ rationi, huic ſanctiſſimæ diſpoſitioni poſitivè reſiſtere, & præ amore huius miſeliæ vitæ poſitivè ei adverſari.

22. Mutat ergo moderatio debita, ſi aliqua ex iſtis eſt, vel alia affinis, tàm obiecta, quàm affectus in theſi nominata deſcriptos, nec ſunt hi ipſi; ſed alij obiecto, fine, vel modo tendendi planè diverſi, nec iam veniales, ſed honeſti, ac licîti, qui dicũtur excuſari à mortali. Quod ſi moderatio nil iſtorum mutat, ſed re vera retinetur gaudium immediatum, ac directum de ipſa morte, aut verũ deſiderium illius, qu[illegible] motivum, ac finis non ſit ipſa, ſed hæreditas, aut aliud emolumentum pa[illegible] comparatione vitæ, tunc vtique nulla moderatio gravem malitiam auferre poterit, quam alioqui haberent iſti actus: nam ea tota, quanta eſt, iis retentis, retinetur, cùm ex obiecto, fine, ac modo ipſorum ſumatur. Vnde falſa omnino ſuppoſitione laborat, & nimis pernicioſa quoad praxim theſis damnata, dum tradit petere mortem alienam, vel de ea gaudere propter illum finem eſſe peccatum mortale, ſi debita moderatio non ſervetur; ſin autem, veniale tantùm. Supponit enim dari, atque ſervari poſſe moderationem ab illis, qui adeò immoderatè appetunt ſibi pecunias, vel alia commoda aliena, vt præ amore ipſorum impatienter expectent terminos vitæ aſſignatos, & potiùs eos

malint subire gravissimum malum mortis anticipatæ, & præproperæ, quàm carere parvis commodis sibi exinde resultantibus.

23. Propterea Scriptores alij, reiecta illa conditione, *si cum debita moderatione facias*, absolutè pronuntiant, desiderare mortem proximi, nō ex odio, neque quia ipsius malum est, sed ob hæreditatem, non esse peccatum mortale. Ita expressè Angelus Maria Verricelli *tom.* 1. *quæstion. moral. tr.* 5. *num.* 64. qui refert Palaum, & Azorium *vbi suprà*, Saa, verb. *Charitas. num.* 8 Ioannem Sanchez *in select. disp.* 2. *num* 9. Pasqualigum *decis.* 474. Sed quid Palaus senserit, nuper fuit dictum. Azorius valde immeritò adducitur, vt præmissum est *num.* 17. Saa non loquitur de bono hæreditatis; sed de bono illo, quod sequitur ex morte hostis valde alioqui nocituri. Ioannes Sanchez loquitur de tedio vitæ adeò ærumnosæ, vt mors quædam prolongata dici valeat. Pasqualigus parum cautè in ea decisione loquitur; sed eadem recurrit ad complacentiam conditionatam de mor[illegible] unde reportamus commodum, ex suppositione, quod sit disposita a Deo, & ideò dicit non videri malam.

24. Plus favent in speciem Cruz *in Directorio.* 1 *p. tr. de homicid. dub.* 3. Salas *tom* 2. *in* 1. 2. *tr.* 13. *disp.* 6. *num.* 191. Gaspar Hurtado *disp.* 4. *de peccat. difficil.* 9. & cum eo Diana *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 99. Mendo *in statera differt.* 4. *q.* 4. & Moya *loco citat.* Sed Cruz ibi non excusat à mortali desiderium mortis vtilis præcisè ad expiscanda temporalia lucra; sed ad labores vitandos. Salas non agit de desiderio absoluto; sed de conditionato duntaxat, & quidem sub conditione præscindente, aut excludente malitiam. Gaspar Hurtado, & Diana motivum delectationis postulant, sub quo elicita non opponatur bono virtutis: *Vnde*, inquiunt, *delectatio de occisione, quamvis iniusta, non est mortalis, quando est de illa, quatenus est honestè vtilis, sive occiso, sive ipsi, qui de ea delectatur.* Mendo mentem suam ita exponit: *Desidero, hoc est, gauderem, si Petrus moreretur, non quia eius mortem amo, nec ei malum desidero; sed quia, eo moriente, divitiæ illius ad meam potestatem devenirent.* Moya varia ex varijs miscet inibi *à num.* 8. sed semper contendit, in eo eventu mortem per se nō amari; sed tantùm vt est causa boni, & non affectu absoluto, qui sit voluntas simpliciter; sed conditionata solùm, & per modum velleitatis. Legendus *num.* 10. *ac deinceps*, vbi contendit hos affectus nihilominùs esse peccata venialia.

25. Quidquid autem sit de mente, ac contextu horum scriptorum, & vtrùm ratione illius possint commodè explicari, omnino tenendum est, neminem posse absque peccato mortali tristari de vita alterius, aut de illius morte naturali gaudere, vel illam efficaci affectu petere, ac desiderare ob hereditatem, vel futuram successionem, aut aliquod his affine emolumentum merè temporale. Ita sentiebant communiter (vt ipse Moya testatur) plures, & grauissimi Scriptores; imò omnes cum S. Bonaventura, Alexandro, & Caietano, si credendum est Navarro *in dicto cap.* 15. *num.* 10. nam de peccato lethali loquitur, vt constat ex epigraphe, quæ est ante *num.* 4. quibus accessere de nuo Trullenc *in dicto num.* 13 & *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 14. & Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. moral. cap.* 19. *q.* 1. §. 3. *num.* 21. & 22. nunc autem ab eis discedere nefas est. Quia Summus Pōtifex affectus istos, vt iacent, damnavit peccati grauis, etiam conditione adiecta, quòd cum debita moderatione fierent. Ergo à fortiori eiusdem

dem criminis damnati cẽſeri debent, moderatione ſublata. Peccat itaque lethaliter ſucceſſor Regni immediatus, ſi mortem Regis deſideret, neque eum excuſare valet inordinata cupiditas, & intempeſtivus amor proprij, atque indebiti commodi ab amore tanti præiudicij, quantum optat evenire alteri. Peccat itidem mediatus ſucceſſor, & quidem graviùs, ſi exoptet, vel à Deo poſtulet mortem integræ familiæ, aut eorum omnium, qui ad maioratum, aut hæreditatem pinguem ſunt vocati priùs, quàm ipſe, vt eâ confeſtim potiatur. Peccat ſimiliter quiquis parvis commodis adeò intemperanter inhiat, vt eapropter velit alios nulli nocentes, & invitos iuſtè, ac graviter, & vita privari, & bonis tàm poſſeſſis, quàm ſperatis. Et hęc potiùs ab Auctoribus ſupponebantur vt certa, quàm ab ipſis vocarentur in examen.

26. Rationes præterea, quibus *à num.* 3. contendimus, hos affectus eſſe illicitos, pariter oſtendunt eſſe illicitos mortaliter eo vel maximè, quia excuſationes, quæ obtendi ſolent ab aliis, & indicatæ ſunt anteà *num.* 21. *&* 22. aut nihil proſunt, aut obtinent nullam ibi culpam admiſceri, ſive levem, ſive gravem. Vtique affectus invidiæ peccatum eſt ex ſuo genere mortale; & tamen de bono alterius non triſtatur ex odio erga perſonam, nec quia bonum illius eſt; ſed ex inordinato amore ſuæ propriæ excellentiæ, aut ex odio mali illius, quo quis affici ſe exiſtimat ex eo, quod præcellat alius. Aſſerere autem invidiam nõ eſſe peccatum grave ex genere ſuo, quamvis id Lorca tentaverit, abſurdiſſimum videtur, & contra Apoſtolum Paulum *ad Rom.* 1. 29. *& ad Galatas* 5. 20. vbi inter opera carnis excludentia à regno Dei pariter cum homicidijs, ebrietatibus, & alijs ſimilibus *invidiæ* connumerantur, atque inter PP. Eccleſiæ res eſt omnino explorata. Legendi, ſi lubeat, plures apud Valentia *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 13. *punct.* 2.

27. Ipſe etiam ordo appretiativus rerum, atque perſonarum, quem lex charitatis indicit, & vnde arguebamus inibi, hoc ipſum perſpicuè oſtendit. Nam licet ille abſque peccato gravi inverti poſſit etiam quoad effectum, quando parvus eſt exceſſus, & exigua extremorum inæqualitas, quæ in comparationem veniunt, contrarium prorſus dici debet, quando eſt diſparitas magna; & notabilis exceſſus, qui inter illa reperitur. At in caſu, de quo loquimur, ita evenit, quia materia non eſt levis, nec parvus exceſſus mali, quod optamus immerenti, ſi comparetur cum bono, cuius gratia illud expetimus. Neque exceſſus ille compenſari valet, aut reduci ad inæqualitatem exiguam ex eo, quòd quiſque ſe ipſum plus aliis amare debeat. Nam quoad emolumenta merè temporalia non plus, ſed incomparabiliter minùs debet ſe amare, quàm inno[illegible]os alios quoad ipſorum vitam. Et cum teneatur ſub peccato gravi illis ſubvenire, etiam de ſuo, ne moriantur, à fortiori etiam tenebitur ſub pari reatu non velle cum tanta iactura aliorum locupletari ex alienis. Minus namque eſt nolle impedire alterius mortem cũ diſpendio eorum, quæ habemus, quàm directè illam expetere, vt alia plura habeamus, quæ [illegible] nobis debentur. Ergo aut illæ res ſunt antiæ ita compenſant exceſſum, vt ſolùm ſub veniali teneamur impedire mortem proximi extremè indigentis bonis noſtris, aut iſtæ illum nõ compenſant. At ipſius admitti non poteſt. Ergo hoc admitti non debet.

28. Dices 1. Charitatis ordinem obligare quidem graviter quoad affectus efficaces, qui ad executionem ten-

tendunt; & media ad illam disponunt; non verò quoad merè simplices & inefficaces, qui speculativi sunt (vt ita loquar) & nihil nocent, aut nocere tentant. Sed non satisfacit. Tum quia isti affectus non vtcumque veram amicitiam lædunt; sed valde graviter, magnumque motivũ præbent dissolvendi illam, si exteriùs manifestẽtur: nemo enim sciret, suam mortem ab alio desiderari, præcisè vt locupletetur, aut parvis incommodis careat, qui illum sibi amicum crederet, aut qui valde ægrè id non ferret, aut qui putaret, se amari ab illo, sicut ipse se ipsum diligit, & diligi ab alijs vellet. Tum quia sæpe sunt occasio captandæ mortis alienæ. Tum quia invidia in dicto sensu non est actus efficax; sed merè simplex; & tamen sub lethali est devitanda, cùm non excusat parvitas materiæ. Tum quia pari ratione dici posset, hos affectus propter suam omnimodam inefficaciam nullum esse peccatum: nihil enim nocent, aut nocere intentant; sed in se ipsis ce[illegible]mmantur, quin alium habeant effectum.

29. Tum denique, quia velle alterius mortem sistendo ibi, procul dubio grave peccatum est, quamvis sit per modum gaudij: spectat enim ad peccatum odij, & malum, de quo lætatur, grave est, nec diminui potest vsque ad veniale ex eo, quòd aliquod bonum nostrum pariter ibi expetatur implicitè, cùm nemo intendens ad malum feretur. Quocirca B. Iob 31. 29. in alias maximas iniquitates, à quibus sese expurgare contendit, hanc etiam enumerat dicens: *Si gavisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultavi, quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.* Quem locũ S. Gregorius *lib. 22. moral. cap 6 ante fin.* ita commentatur luculenter: *Peccaret quippe, si hoc optaret à Deo fieri, quod ipse facere vel omnino non posset: vel si posset, minimè deceret. Nam qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud in illo facere Deum volunt, nisi quod ipsi facere, aut nequeunt, aut erubescunt? Mortem namque adversario exoptant, quam etsi possunt, inferre metuunt: ne aut perpetrati homicidij rei teneantur, aut iniqui appareant, etiam cùm sint. Quid est ergo Deo dicere: Occide quem odi, nisi apertis ei vocibus clamare: Hoc fac meo adversario, quod me in illum facere nec peccatorem decet.*

30. Dices 2. Obiectum horum actuum non esse mortem proximi violentam, aut illicitè inferendam ab eo ipso, qui eos exercet, vel ab alijs; sed naturalem sanctè, ac iustè à Deo disponendam per congruentes causas. Ergo ex isto capite præcisè gravem malitiam non habent. Sed neque ex motivo eam haurire possunt, cùm motivum sit hæreditas, aut aliud commodũ simile, quod absque lethali culpa nobis evenire optamus, & evenisse gaudemus. Igitur neque ex obiecto, neque ex fine accipiunt pravitatem criminalem. Respondeo primò, inquirendo, vnde sumatur qualis qualis malitia horum affectuum, ab obiectis, an aliunde? Nam ex eodem capite ostendetur, iuxta dicta, non esse levem, sed gravem. Secundò Vasquez, & alij permulti asseclæ ipsius respondebunt, malitiam delectationis, tristitiæ, aliorumque affectuum similium non semper derivari ab obiecto; sed immediatè æstimari ex oppositione ipsorum cum bono alicuius virtutis, quæ oppositio in præsenti gravis est, & in re magni momenti cõtradicens ordinatæ charitati. Tertiò, si fortasse plus arrideat, malitiam cuiusque actus semper desumi ab obiectis, dici debet, mortem naturalem, nisi ex causa valde gravi

co-

cohoneſtetur, ſemper eſſe obiectum pravum, ſicut hominis occiſſio, aut diffamatio, quæ interdum malè, interdum bene fiunt; ſed nunquā bene, niſi aliunde accedat cauſa valde rationabilis, ex cuius præponderantia ſumi poſſit legitima excuſatio. Atqui hæreditatis aſſecutio, & ſimilia emolumenta merè temporalia nobis obventura ex morte proximi nec legitimam excuſationem præbent, nec ſunt cauſa rationabilis optandi illā, ſed potiùs valde contraria, ac difformis recto charitatis ordini. Ergo ex morte naturali, vt eſt ſub adeò degeneri, & inæquali motivo, abſque dubio poterit criminalis malitia derivari.

CAPVT IV.

Vtrùm ſit licitum filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas?

31. LIcitum eſſe enuntiabat totidem verbis decima quinta propoſitio à SS. Innocentio condemnata. Et ſuaderi exinde poſſet, quia parricidium tempore ebrietatis patratum non imputatur perpetranti ad culpam; ſed coram Deo legitimè excuſatur, perinde ac ſi eſſet commiſſum ab amente, vel ſonniante, aut ab ignorante factum penitus invincibiliter, & iuſtis de cauſis credente ſe feram occidere, & non patrē. Ergo de eo gaudere vt ſic ob alia commoda licita, quæ conſequuta ſunt ipſum, non poteſt eſſe peccatum ex obiecto materiali, aut ex motivo, neque eſt vnde aliunde contrahat malitiam levem, aut gravem. Confirmatur 1. Quia pollutio eſt graviſſimum peccatum fornicatione deterius, & iuri naturali contrarium, non minùs, quàm homicidium; & nihilominus Doctor Angelicus *in 4. diſt 9. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. ad 5.* ab omni peccato excuſat gaudium de pollutione habita in ſomnis (parque eſt de ebrietate ratio) ſi non ſit propter delectationem veneream; ſed ob alia bona inde ſequuta, & ideò inquit: *Si autem placeat vt naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.* Cui doctrinæ iam priùs ab Alenſi traditæ, ipſo laudato, ſubſcripſit S. Antoninus *2. p. tit. 6. cap. 5* & ex profeſſo eam defendit ſub debita correctione Navarro *in Manual. cap 16 num 7.* & vterque pariter de deſiderio diſcurrit, cùm merè ineffica x eſt, & nihil influit in actū. Confirmatur 2. Nam gaudere de eſu carnium vt determinatè facto in die Veneris ob morbū, vel ob aliam cauſam legitimè excuſantem, puta amentiam, oblivionem, aut inadvertentiam prorſus inculpabilem, nullum peccatum eſt; ebrietas autem peræquè peccato excuſat actum, ea durante e citum, quamvis alioqui eſſet pravus.

32. Confirmatur 3. Quia gaudere de parricidio à ſe commiſſo in ſomnis, aut ebrietate, propter ingentes divitias ex paterna hæreditate conſequutas non eſt per ſe de malo alterius gaudere; ſed de proprio bono, quod adiunctum eſt ei malo. Hunc autem modum gaudendi immunem eſſe à peccato, à fortiori colligi videtur ex doctrina S Thomę *in 3. diſt. 30. q. 1. art. 1. ad 4.* vbi eā lem ratione excuſat tàm deſideriū, quàm gaudium alienæ condemnationis, vel alterius mali ſpiritualis, in quantum in eis relucet bonum Divinæ iuſtitię, inquiens: *Sed hoc non eſt per ſe de malo gaudere; ſed de bono, quod eſt adiunctum malo.* Confirmatur tandem. Quia illicitum non eſt delectari de com-

commodis, & vtilitate reportata ex aliquo delicto in ebrietate commisso, vt omnes fatentur, & nos iam antea adnotavimus. Tantumdem autē valet de his obiectis delectari, ac gaudere de delicto ipso tantùm vt fuit eorum causa, vt notat peculiariter Vasquez *tom.* 1. *in* 1. 2. *disp.* 111. *num.* 8. *ac* 10. & cum ipso P. Salas *tom.* 2. *in* 1. 2. *tr.* 13. *disp* 6. *num.* 52. Ratio autem ea esse videtur, quia homicidium tunc non placet, quatenus fuit opus injustum, aut malum proximi (nam ab his omnibus gaudium præscindit, eaque respicit merè materialiter) sed præcisè sub ratione causæ, quæ fuit vtilis ad nostram cōmoditatem; sub hac verò ratione nullam habet obiectivam malitiam potiùs, quàm effectus eius, quia vtrobique vtilitas sola placet. Et cùm gaudium non sit causa cædis, aut effectus consequentis ipsam, & in hoc maximè differat à voluntate efficaci, mirum non est, si nec noceat, neque aliunde incurrat vllam dissonantiam.

33. Specio a sunt hæc, fateor; sed, pr[illegible]peciem, nihil solidi habent, adeòque censuræ Pontificiæ insistere debemus tanquam rectæ, & optimo iure inustæ, cuius doctrinam iam antea Azor vt certam præmiserat 3 *p. lib.* 3. *cap.* 24. *q* 3. *&* 4. & à fortiori colligitur ex hucusque dissertatis. Nam, si scandalosum est, & pernicioſum in praxi approbare tanquam licitum gaudium de morte naturali alterius ob hæreditatem, vel ob alia temporalia emolumenta, quæ inde nobis contigerunt, longè deterius id erit, cùm non iam de morte naturali, sed violenta gaudium sumimus ex motivo adeò degeneri, & non de morte violenta cuiuscumque, sed patris, & illata non iam ab extraneo quopiam; sed à filio, qui præ cæteris eum servare tenebatur. Vnde etiam licitum esset (quod exhorrent piæ aures) filijs tristari de eo, quòd in ebrietate, aut somno non occiderint suum patrem, quò citiùs bonis eius potirentur; aut de eo quod non occiderint, (si quem fortè occiderunt in eo statu) illum, à quo sunt progeniti; sed potiùs alium extraneum. Et cùm desiderium merè inefficax, & nullam dans causam actui, in sententia horum Auctorum, merè speculativum videatur, & gaudio, atque tristitiæ æquiparetur, pari licentia indulgebitur filijs eo modo desiderare, quòd parricidium sibi in somno, aut ebrietate contingat, vt fructus eius sequatur, & operis excusatio non desit.

34. Arguo rursus. Quia negari nequit, longè difficiliùs excusari hos affectus, cùm versantur circa actiones ex se malas, licet citra peccatum commissas ob ebrietatem, aut somnum, quàm cùm versantur circa actiones de se licitas, qualis est mors naturalis parentis, aut malefactoris occisio à potestate legitima ob bonum publicum facta. Hæ namque nullam malitiam obiectivam, aut formalem in se involvunt, & propterea ex bono fine compensante damnum proximi, quod ex suo conceptu important, solet excusari earū affectus. Illæ verò, ex. g. parricidium per se, ac de se pravum obiectum est, rectæ rationi contrarium, & ratione sui prohibitum ipsa naturali lege. Quamobrem nunquam licere videtur ex quocumque bono fine ipsum velle, aut approbare cum sufficienti advertentia, ac morali libertate, qualem habere supponimus, qui de eo gaudet vt præterito, vel evenire desiderat, quamvis merè inefficaci affectu. Nam quòd ratione ebrietatis non imputetur perpetranti ad culpam, nec odio, aut damnatione dignum coram Deo censeatur, nil potest prodesse illi, qui malitiam eius

ma-

materialem agnoſcit,& liberè, ac advertenter ipſi adhæret per affectum, & ſuo conſenſu illud approbat. Imò quia alium excuſabat à formali peccato ſola ebrietas, defectuſque vſus rationis, ex hoc ipſo conſtat, iſtum nullatenus excuſari, cùm idem obiectum velit, ac poſitivè amplectatur, & neque ebrius ſit,neque ratione careat;ſed ſui compos in eo quieſcat.

35. Ita generaliter diſcurrunt de his obiectis, & illorum gaudio,ac ſimplici deſiderio, vltra Adrianum, Paludanum, Sotum, & quamplures alios,quos appellat Salas *tom.2.in 1.2.tr.13.diſp.6.num.216.* P.Azor *vbi ſuprà, & p.1.lib.4. cap 6 q.9.* Tapia *in Caten. moral. 1. p. lib.3.q.7.art.2. num.5.& art.3.num.2.* P.Suarez 1.2. *diſp 5. de peccat. ſect.7.num.14.* Valentia *tom.2.diſp.6.q.6.punct.1.* verſ. *Quare ad argumentum.* Monteſinos *tom.2.in 1.2.q.84.art.8.diſp.7.à num.* 108. Malderus 1.2.*q.74.art.10.* verſ. *Quæritur decimo tertiò.* P. Sanchez *in ſumma. lib.1. cap 2.num.16.& 18.* Baldellus *p. 1. Theolog. moral. lib. 4. diſp. 6. num.8.* & latè Raynaudus *in diſcip.moral. diſt.4. q.3. art.4.* legendus præſertim *num.307. & 315.* vbi ſic ſcribit: *Quis non cohorreat, ſi audiat filium de patris cæde gaudere,tametſi addat, ſe de ea cæde delectari, quia pater in gratia obijt? Quantacumque enim adhibeantur condimenta, cædes iniqua parentis nulli probo filio vnquam dulceſcet.* Priori verò loco dixerat: *Quis excuſaret eum,qui vigilans cuperet, aut procuraret patrari abs ſe cædem inter dormiendum? Quamvis enim cædes non foret ei mala,niſi materialiter;tamen volitio, qua in huiuſmodi cædem materialiter tantùm malam deliberatè ferretur, eſſet mala formaliter:* deincepſque ex profeſſo oſtendit, quoad hoc nō eſſe diſcrimen inter actus efficaces, & inefficaces.

36. Demus tamen, actus iſtos, cùm inefficaces ſunt, ob bonum finē maximi momenti poſſe interdum excuſari à peccatō, quod ſolum intendiſſe videntur Vaſquez, Leſſius, Salas, ac nonnulli alij, quamvis profectò ſit valde difficile, quia boni finis intentio non purgat à labe affectum immediatum, ac directum circa obiectum ſuapte conditione pravum. Demus,inquam,hoc,& adhuc iuſtiſſimè inuſta videbitur cenſura theſi damnatæ. Nam, vt anteà monui, & ex Angelico Doctore confirmavi,ſalva charitate, nunquam licet anteferre bonum proprium bono alterius,quod plus debemus amare:nec tanti facienda ſunt ſingula quæque temporalia emolumenta noſtra, vt eorum adeptionem præferamus eſtimatione, & affectu malis valde gravibus aliorum, quos tenemur, ſicut nos ipſos, amare. Debemus autem proculdubio plus amare bonum vitæ noſtris genitoribus, quàm nobis ipſis divitias,etiam proprias, pluſque eiſdem odiſſe malum mortis, quàm amare nobis commodum hæreditatis. Et quò ſtrictius ei hoc vinculum, ac fundamentum amoris, eò gravior eſt obligatio cohibendi quovis affectum appretiativè maiorem erga talia emolumenta, quàm erga vitam parentum, qui ſunt noſtræ vitæ auctores. Quocirca,etſi ob bonum publicum aliquando permittatur privatis bannitos occidere,idque ipſi licitè exequantur; nihilominùs hoc ipſum non licere filijs reſpectu parentum bannitorum, tenent Iulius Clarus, Bonacina, atque Diana *p.5. tr.4. reſol. 25. fin.* eſtque ſententia valde recepta apud alios boni nominis Auctores.

37. Quæ autem diximus de parricidio,ſervata proportione, dici debent de adulterio,aut homicidio, & alijs per ſe pravis operibus ebriorū,

atque somniantium, vbi malitia non deest, sed sola eius imputatio ob defectum inculpatæ advertentiæ. Quocirca de illis sic factis gaudere, vel illa sic fieri optare cum sufficienti advertentia, aut semper erit peccatum (vt fert sententia communis) aut saltem quoties motivum gaudendi non compensat bonitate sua illud malum, de quo immediatè gaudemus; neque est illi præferendum iuxta charitatis ordinem; sed potiùs parvi faciendum, si cum ipso conferatur. Plus autem laxare habenas his affectibus, ac velle, quamlibet vtilitatem sufficere, vt ratione illius exerceantur licitè circa prædictas actiones de se illicitas, quamvis aliunde excusentur, & solùm sint peccata materialia, intolerabile est, ac bonis moribus aperte contrarium. Quia alioqui licitum esset delectari de periuriis, aut blasphemijs contra Deum à se dormiente prolatis, si ex illis quodcumque commodum temporale reportaret, aut se minùs propensum in vigilia experietur ad similia perpetranda. Liceret etiam gaudere de copula adulterina, incestuosa, vel sacrilega ob filium inde susceptum à somno, aut ebrietate contingendo duello, aut bello iniquo ob victoriam inde partam, si ignorãter fuit illatum; de sententia male iuste lata, quia mihi profuit, esto alijs nocuerit, & ita pariter in alijs plerisque tàm desideriis, quàm gaudijs. Quæ ex terminis absurda videntur, & ideò non esse asserenda monebat P. Azor *vbi suprà*, etsi aliqua ex eis admittat Salas & alij apud ipsum *dicta disp. 6. sect 32. num 222.*

38. Cautius igitur Leonardus Lessius, qui hosce affectus interdum excusavit, tunc tantùm licere voluit, cùm subest aliquod magni momenti bonum sufficiens ad compensandum materiale illud incommodum, quod inseparabile est ab his operibus, tametsi in furia, aut ebrietate patratis. Ita se ipsum explicat, ac pluries repetit *l. 4. de iust. & iur. cap 3. num 106.* sed longè melius suam mentem adhibitis exemplis declarat, his verbis: *Si aliquid per se sit illicitum, si cum iudicio rationis fiat, ac proinde non possit desiderari ob bonum finem, vt ita fiat; tamen si fiat absque iudicio, seu culpa, poterit aliquando desiderari causâ alicuius magni boni, quod inde proveniat: v. g. vt tyrannus pereat manu furiosi; vt matrimonium inter duos Principes incautè contrahatur, quamvis invalidè, & proles suscipiatur, si inde pax regni sequutura putetur.* Hæc Lessius, cui subscribit Salas *suprà à num* 217. & consentit Vasquez *tom. 1. in 1. 2 disp 115. prope fin.* licet aliis exemplis vtatur. Alij generaliùs loquuntur, vt Curiel *1. 2 q 74. art 8 ante fin.* & Salas, qui plures refert *ea sect. 32.* quia existimant, delectari de his operibus ob bonum eorum effectum in re ipsa esse tantùm delectari de bono effectu sequuto: quod vtrùm verum sit, postèa videbitur.

CAPVT V.

Dissolvuntur argumenta contra doctrinam propositam.

39. EA præmisimus *à num.* 31. & satis vtilem doctrinam continent. Ad principale respondeo, eiusmodi gaudium illicitum esse ex suo obiecto materiali, nempe ex parricidio, cuius voluntaria approbatio, ac ratihabitio nulla ex causa cohonestari potest, aut certè non nisi ex causa tanti momenti, vt malo ipsius meritò sit præferenda iuxta rectum charitatis, & pietatis ordinem. Et licet quilibet ex illis titulis sufficiens

sit

sit ad illud condemnandum, & vterque concurrat, cùm in parricidio ob hæreditatem delectamur, mihi placet absolutè nulla ex causa posse cohonestari talem delectationem, vt fert communis sententia tutior, & omnino consulenda *à num.* 34. comprobata. Est namque obiectum illius intrinsecè pravum, & materiale peccatum, nec malitiam eius obiectivam tollit, quòd de facto non imputetur operanti ad culpam dignam vituperio, aut odio: quia id non accidit ex indifferentia, aut bonitate propria illius; sed ex eo, quòd aliunde desint propter ebrietatem conditiones necessariæ ex parte agentis ad imputationem. Neque item refert, ne ab ipso malitiam hauriat, quòd gaudiũ sit actus inefficax. Id enim solùm probaret, nõ sumere ab eo malitiam tanquam ab effectu, aut circumstantia; malitia autem ex obiecto, vt præcisè obiectum est, inde non pendet; sed in actus ipsos derivatur, quamvis efficaces, seu exequutivi non sint, neque vllam operationem respiciant tanquam obiectum, circa quod versantur.

40. Tristitia vtique de bonis Dei internis ex obiecto habet malitiam, vti gaudium bonitatem, suntque affectus efficaces affectivè, ac sese mutuò excludentes, sicut prosequutio, & odium, quamvis nulla applicent media, neque vllam exequutionem moliantur. Et cùm actus efficaces efficaciâ procurativa sui obiecti, v. g. hi, quibus filius intenderet necem paternam in somno aut ebrietate patrare, ab eo obiecto suam habeant malitiam penitus inexpurgabilem, idem prorsus dici debet de actibus inefficacibus. Nam istorum idem etiã est obiectum circa quod, atque ex se pravum, & solùm differunt ratione modi tendendi intrinseci eisdemmet actibus. De eo enim ipso gaudemus, quod assequi intendebamus, sicut tristamur de his ipsis, quæ cõtingunt, illa nobis aversantibus. Atque vtrique actus respiciunt, quamvis aliter, & aliter, parricidij exequutionem in ebrietate patratam, & ad ipsam tanquam ad obiectum directè, & immediatè terminantur; esto, alij exequutivi, aut intentivi non sint, sed adhæsivi, & approbativi duntaxat; alij autem, quantum est ex parte sua, maiorem energiam habeant, quæ necem respicit tanquam effectum, & ad genus causæ efficientis revocatur.

41. Imò affectiva efficacia non rectè ab inefficacia secernitur à toto genere ex virtute intrinseca efficiendi suum obiectum, aut applicandi media ad illius assequutionem; sed ex adhæsione ad ipsum adeò firma, vt sit incompossibilis cum nolitione contraria. Vnde quamvis circa impossibilia cognita vt talia dari nequeant actus intentivi, aut applicativi mediorum; adhuc tamen solent dari affectus valde efficaces, atque ardentia desideria exclusiva actus contrarij, & determinantia voluntatis indifferentiam tantummodò ad vnam partem: vt cùm iusti non peccasse desiderant, aut diu vivere, qui ob vulnus, vel infirmitatem lethalem de suæ vitæ duratione sunt omnino desperati. Quippe desideria ista, quantumvis à medijs abstrahant, efficacia sunt, & non se habent, sicut complacentiæ, aut displicentiæ merè simplices voluntatem inclinantes, quæ apprehensionibus positivis, atque negativis intellectûs comparantur, nec sibi invicem repugnant; sed ad instar assensûs, & dissensûs, qui per modum vltimæ sententiæ intellectum determinant ad vnam partem. Videatur Card. de Lugo *disp. 7. de Pœnit. sect. 9.* & P. Ripalda *tom. 2. de Ente supernatur. disp. vlt. à num. 322.* qui etiam in Deo affectus similes circa impos-

sibilia agnoscunt, & ex ipsis extrinsecæ condonationis obiectum explicare conantur.

42. Ad primam confirmationem plerique de gaudio, ac desiderio, io non procurativo pollutionis ita pariter discurrunt, ac de gaudio, & simili desiderio homicidij, vel fornicationis inter dormiendum commissę, aut in tempore ebrietatis; atque ita procul dubio dici debet, si per se, ac ex se mala censeatur, & solummodò excusetur à peccato ex defectu vsus rationis, sicut excusantur fornicatio, & homicidium, nam omnino est eadem ratio. Quocirca Azor, Montesinos, & alij suprà appellati, qui existimant, desiderium, aut gaudium deliberatum de eiusmodi operibus in ebrietate commissis nunquam excusari à peccato formaliter imputabili propter bonum finem, aut effectum inde resultantem, de pollutione idem censent. Qui verò ex adverso iudicant, ob finem præponderantem nocumento incluso in ijs operibus licitum esse gaudere de eis iam factis, vel desiderare, vt fiant prædicto modo inculpabili, consequenter possent dicere, & ex D. Thoma confirmare, damnum prolis, quod ex pollutione sequitur, non esse tanti momenti, vt ob naturæ levamen, sanitatem, vel mitigationem molestarum tentationum nequeat sufficienter compensari, quamvis damnum parricidij, aut homicidij graviorem causam requirat, & minimè compensetur ob bonum hæreditatis.

43. Quæstionis autem est inter Doctores, num pollutio, seu effusio seminis humani sit semper ex natura sua peccaminosa, & dissona naturæ rationali, vel tunc solùm, cùm contingit, alio movente naturam, & ad ipsam provocante? P. Sanchez *eo lib. 1. cap. 2. nu.* 18. & 19. plures referens, quibus subscribit, & alios adiungit Diana *p. 3. tr. 5. resol. 87.* putat, illam non esse peccatum, neque habere ex se malitiam obiectivam, cùm contingit opere solius naturæ, nullo impellente, evacuatis semen noxium, aut superfluum, sicut evacuatur sudor, vrina aut, mediante vomitu, cibus nõ bene digestus. Nam tunc est quidpiam indifferens, atque, vt notant Medici, sæpe contingit, etiam vigilantibus, ac renitentibus ob nimium calorem, & renum debilitatem: vnde non mirum, si, excluso venereæ delectationis affectu, & consentiendi periculo, licitum sit de ea gaudere ob bonum finem, aut ipsam desiderare. Homicidium vtique, vel fornicatio nunquam hoc modo contingunt, nec sunt opera solius naturæ; sed per se subiecta libertati nostræ, sicut alij actus humani, atque adeò quoad hunc effectum inter ipsa, & pollutionem tali modo contingentem satis aperta est disparitas. Foret autem planè æqualis comparatio, si pollutio etiam in somnis, amentiâ, aut ebrietate contingeret, non solius naturæ opere; sed alio eam provocante, aut excitante, & ea propter de ea sic habita illicitum esse gaudium, ac desiderium etiam merè inefficax, tradunt Sanchez, ac Diana cum cœteris, quos appellant, idemque omnino est sentiendum, quod de reliquis operibus per se, ac intrinsecè pravis.

44. Ad 2. confirmationem sic habeto. Quoties causa excusans tollit malitiam materialem actionis, de qua deliberatè gaudemus, hoc gaudij non est illicitum; secùs verò, si eam non tollat, sed solùm auferat imputationem illius, retenta materiali pravitate. Rem exempla declarabunt, tàm in his, quæ iure naturali prohibentur, quàm quæ iure positivo, sive humano, seu Divino. Auferre alienum, cùm extrema necessitas id excusat, malum non est, nec prohibitum;

bitum; sed sub illa circumstantia honestum, ac planè licitum, ideòque licitè intenditur, ac procuratur, nedum gaudio, aut desiderio excludente exequutionem diligitur. Gaudere igitur de ablatione rei alienæ ita facta nullum erit peccatum, quia de obiecto bono sumitur, & per se loquendo, delectatio est talis quoad turpitudinem, aut honestatem, quale est obiectum illius, vt latè è re nata ostendimus *differt. 7. & præsertim num. 34.* Quæ, servata proportione, militant in nece alterius facta ob defensionem propriam cum omnibus circumstantijs, quas requirit inculpatæ tutelæ moderamen. Item in propalatione defectuum alienorum, quę ex causa præponderante à vitio detractionis excluditur; in comestione carnis necessaria ob morbum; in omissione Missæ ob assistentiam infirmi graviter periclitantis, & plerisque alijs similibus.

45. Est autem diversa ratio, cùm causa excusans non tollit malitiam materialem actionis, de qua gaudemus; sed solùm imputationem illius, nec tenet se ex parte obiecti; sed ex parte agentis, cui deficiunt libertas, & advertentia necessariò requisitæ ad vituperium, aut laudem: tunc enim quicumque affectus liberè, & advertenter elicitus circa ipsam imputabilis est, quantumvis illa ex defectu vsus rationis, aut ignorantiâ invincibili nõ fuerit verè imputabilis. Quòd si prædictus affectus circa parricidium, aut periurium v.g. in ebrietate commissum imputabilis est, vtique non nisi ad culpam imputari poterit, cùm obiecto pravo adhæreat, illudque immediatè diligat. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*, aiebat Propheta Oseas; is autem, qui sibi complacet in opere parricidij, rem diligit Deo abominabilem, & quia talis est, ab eo prohibitam. Quare licet bono fine id faciat, nunquam à peccato per se displicente excusabitur, sicut non excusaretur reus, quo de illo gauderet, quando fuit perpetratum ex malitia. Aut certè, siquando potest excusari ex mente aliorum, quos *à num. 36.* adducebamus, id nõ erit propter finem, aut bonum hæreditatis, vt damnata propositio contendebat; sed propter alterum tanti momenti, vt eius bonitas plenè cõpenset pravitatem materialem in eo opere repertam, & iuxta rectam rationem præferenda videatur ei malo, cui est coniuncta.

46. Porrò ratio iam adducta pariformiter procedit in delectatione scienter terminata ad quodvis opus prohibitum lege naturali, aut positiva, vt rectè animadvertit Thomas Sanchez *dicto cap. 2. num. 16.* Quis enim impunè exerceri credat, aut non imputabit culpę desiderium, gaudiumve deliberatum de erroribus inculpatis contra fidem, aut de operibus iuri Divino, positivo contrarijs circa vsum Sacramentorum, aut circa officia virtutum? Nec ego excusare auderem gaudium de transgressione ieiunij Quadragesimalis, aut manducatione carnium, vt determinatè facta in die prohibito, quamvis formale peccatum nõ fuerit ratione inadvertentiæ, aut ignorantiæ. Licebit vtique in die Veneris gaudere de comestione facta die præcedenti, aut faciendâ die Dominica, quia pro tunc non est prohibita, nec materiale peccatum. Sed vice versa non licet die Dominica gaudere de illa, vt ignoranter facta in die prohibito, quia vt sic est violatio legis, & detecto errore, obijcitur voluntati tanquam prava. In coniugatis non licet gaudium de copula habita ante coniugium; quousque autem viduis liceat, aut non liceat delectari de congressu honesto tempo-

re

re coniugij habito? rectè exponit P. Suarez *dicta sect. 7. num.* 13. & legi potest Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 2. qui in vtramvis partem plures refert, & *p.* 9. *tr.* 8. *resol.* 44. vbi agit de id genus delectationibus, dum coniuges sunt absentes.

47. Ad tertiam in *num.* 32. Esto admittatur, gaudere de parricidio inculpato ob bonum hæreditatis non esse per se gaudere de malo alterius; sed de bono proprio, quia malum secundùm se non diligitur, nec ratione sui, nec ad ipsum ordinatur principaliter intentio gaudentis; adhuc tamē id non sufficit, vt à peccato excusetur. Verè namque, ac propriè sumitur delectatio ex malo alterius, & de actione per se prava, tanquam de obiecto directo, & immediato, quāvis non formali; sed materiali duntaxat; sicut verè amatur furtum, cùm id expetimus ob finem eleemosynæ, & proximus verè amatur, cùm gaudemus de eius bono propter Deum. Quocirca excusatio ista neque vnica esse potest, neque se sola sufficiens, quemadmodum insufficiens foret casu, quo ob talem motivum filius iniquus gauderet de parricidio culpabili. Vnde S. Thomas nunquam dixit, gaudium de opere peccaminoso præsertim suapte natura esse licitum; imò oppositum generaliter asseruit 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *corp.* & *ad* 5. specialiter applicavit eam doctrinam delectationi de opere externo homicidij, eamque lethalem putavit, sicut lethale est obiectum eius.

48. Insuper neque vnquam docuit, desiderium, aut gaudium mali alieni, etiam causandi per actionem de se licitam, vt mors disposita à Deo, excusari à peccato, nisi ob finē præferendum iuxta ordinem charitatis illi malo: atque tunc dixit gaudium per se non haberi de malo; sed de bono adiuncto, vt constabit recolenti eum ipsum locum, qui obijcitur, cuius laciniam ad mala temporalia spectantem adduximus *num.* 9. nunc autem illa afferemus, quæ spectant ad mala opposita bonis gratiæ, de quibus ita disseruit: *Bona gratiæ mutuò se non impediunt, quia spiritualia bona à pluribus integrè possideri possunt. Et ideò quantum ad hoc nullus, salva charitate, potest malum alteri optare, vel de malo gaudere, nisi in quantum in malo culpæ, vel damnationis alicuius relucet bonum Divinæ iustitiæ, quod plus debemus diligere, quàm aliquem hominem. Sed hoc non est per se de malo gaudere; sed de bono, quod adiunctum est ei malo.* Hæc S. Thomas, quæ, vt patet, nil favent doctrinæ oppositæ; sed ei potiùs adversantur.

49. Ad vltimam. Mihi omnino displicet ea doctrina Patris Vasquez, illamque ex professo impugnat Arriaga *tom.* 1 *in* 1. 2. *disp.* 47. *sect.* 3. *sub sect.* 4. licet apud plures invaluerit, ipsamque expressè sequantur, præter Salas *eo num.* 52 & *num.* 218. Basilius Legionensis *lib.* 10. *de matrim. cap.* 16. *num.* 2. & 12. Palao *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 2 *punct.* 10. *num.* 10. & 11. Falsum namque est, gaudium de effectu semper esse gaudium causæ illius, saltem vt fuit eius causa, quia opus non est de eo gaudere sub eo respectu, cùm habeat bonitatem absolutam sibi propriam, & intrinsecam, penes quam est dignum gaudio, & apta delectationis materia, præscindendo à causis eius, aut penitus ignorando illas. Imò sæpe sæpius contingit, vt placeat bonus effectus, & displiceat eius causa. Quo pacto David gaudebat de filio per adulterium suscepto, illumque vivere optabat, quamvis de adulterio à se commisso seriam pœnitentiam ageret, potiùsque vellet filium non habuisse, quàm habuisse ex tali causa. Pariterque, etsi

etsi Ioseph gauderet de principatu Ægypti, non ideò gaudebat de sua iniqua venditione, vel perfidia suorum fratrum. Vtique de Christicidio, & offensis Dei in eo commissis nemo placet, si Deum amat, quantumvis de hæreditate gloriæ, & a ijs fructibus, quæ ex illa suppositione nobis contigerunt, possit, debeatque exultare. Et quis dicat, omne gaudium de bonis mundialibus esse amorem Dei, & gaudium de essentia, atque potentia ipsius, quæ est præcipua illorum causa? Aut quis non videat, ingratos sic frui bonis ex aliorum dono acceptis, vt sæpe benefactores ignorent, & neque beneficia esse meminerint? Cuius rei palmare exemplum suggerit Rex ille novus Ægypti, *qui ignorabat Ioseph* Exodi 1 8. etsi tributis gauderet partis beneficio illius.

50. Propterea Auctores communiter duo hæc inter se distinguũt, & gaudium de bono effectu separabile esse iudicant à gaudio terminato ad causam eius, & propterea censent, non esse peccatum gaudere de bono effectu secundum se, ac solitariè, ex.g. de filijs ex adulterio susceptis, quamvis iudicent illicitum gaudere de ipso adulterio, quatenus fuit medium vtile ad illos de facto habendos. Ita fere omnes relati *num.* 35. & ex professo Navarrus *in cap. Inter verba.* 11. *q* 3. *concl* 2. *num* 9. & maximè *à num* 12. Petrus Navarra *lib* 2. *de restitut cap* 3. *num* 199 Trullenc *lib.* 1. *in Decalog. cap* 6. *dub* 2. *num.* 13. Arriaga *dict a subsect* 4. *num* 20 vbi putat, *id à nemine negandum esse.* Quapropter ita gaudenti non placet esse, vel fuisse peccatum à se commissum. Imò comparatione facta, potius vellet non commisisse adulteriũ, quàm habere optimos filios, & de non occisione patris plus gauderet, quàm de hæreditate illius: atque, data optione, plus eligeret carere ijs bonis, quàm dedisse causam ipsis, mediante parricidio, aut adulterio. Non ergo propter effectum delectabitur in causa, præsertim involvente Dei offensam materialem, aut formalem; sed, si rectè sapiat, potiùs de existentia talis causæ tristabitur, & propter causam displicebit ipsi effectus, quem ex tali causa habuisse nollet, quamvis secundum se non displiceat; sed delectationem afferat, præscindendo ab eo respectu.

51. De eo tamen lætari poterit, quòd ex suppositione adulterij, aut parricidij sibi positivè displicentis, aut nullo modo placentis talia bona resultaverint. Neque hoc est de illo gaudere: nollet enim fuisse, aut esse secundum se, & absolutè; sed de eo, quòd non contigerit absque vllo bono: nam ita proculdubio prius esset, tanquam opus omni commodo, & vtilitate destitutum. Vnde suppositio ipsa adulterij, aut parricidij non placet absolutè, nec comparatè ad suum contradictorium; sed duntaxat sub ratione minori mali, & gaudio comparativo ad aliud deterius malum. Sic placet adventus Christi detestantibus Adæ peccatum, quod fuit causa illius; sed materia gaudij est, peccatum fuisse causam tanti boni potiùs, quàm fuisse non causam: & hoc sensu Ecclesia exultans prædicat, fœlicem esse illam culpam, quæ habere meruit Redemptorem talem. Sic filius, quamvis absolutè doleat de morte patris, atque viram eius æstimatione, & affectu præferat hæreditati, ex suppositione mortis gaudet, illam fuisse sibi vtilem potiùs, quàm inutilem. Sic ex amore erga patrem sibi complacet in eo, quòd mors eius non fuerit improvisa, nec violenta; sed præmeditata, & naturalis. Quòd si ipse fortè eam commisit, actum veræ charitatis exercere potuit,

rit, si de eo gaudeat, vt minori malo, quòd sui compos id non fecerit; sed potiùs in ebrietate.

52. Quæ, seruata proportione, applicanda sunt illis operibus, quæ excusantur à peccato meritorio pœnæ, ac reprehensionis ob ignorãtiam prorsus inculpabilem. Gaudere enim licet de eo, quòd potiùs cum excusatione contigerint, quàm sine ipsa, & potiùs cum laude, ac merito, quàm absque illis. Et quamvis contigisse non placeat, ex suppositione quòd contigerint, melius est excusationem adfuisse, quàm defuisse, & Deum non fuisse formaliter offensum, quàm fuisse offensum formaliter, satiusque id egisse laudabiliter, ac fructuosè, quàm egisse illaudabiliter, & absque merito.

CAPVT VI.

Quando liceat propriam mortem petere, aut desiderare?

53. EGregiè demonstrat S. Thomas 2.2. *q.*64. *art.* 5. nullo vnquam casu licere occisionem directam sui ipsius, quia charitati sibi debitæ aduersatur, ac naturali inclinationi, qua omnia suam conseruationem amant, & destructioni repugnant. Opponitur etiam charitati, imò iustitiæ erga Deum, qui nos creauit, & conseruat, vt ei in hac vita seruiamus toto tempore ab ipso prçstituto: vnde, qui se ipsum interfecit, priuat Deum seruitio sibi debito, ac si occideret alienum seruum, vel sicut seruus aufugiens, & se subtrahens ab obsequijs, quæ debet domino suo. Propterea absque peccato mortali intendere, aut procurare non licet opus istud, nec desiderare, aut petere, vt in tempore ebrietatis, vel amentiæ à nobis fiat. Neque de hoc est modò quæstio; sed de desiderio mortis anticipatè disponendæ à Deo, & de oratione, qua conamur impetrare ab ipso, vt id disponat tanquam verus dominus tàm mortis nostræ, quàm vitæ.

54. Est autem difficultas præcipua circa desiderium mortis ex fine præcauendi mala temporalia, & huius vitæ miserias. Nam, si ea expetatur, vt medium necessarium, vel vtilius ad beatitudinem adipiscendam, vel ad alia lucra spiritualia, non dubium, quin expetatur licitè; imò valde honestè. Hinc Apostolus *ad Philippenses* 1. 21. mori lucrum reputauit, & vers. 23. *Desiderabat dissolvi, & esse cum Christo*: atque hoc eius desiderium mirificè commendat Chrysostomus *ibidem homilia* 4. egregijsque Sanctorum testimonijs, & exemplis ex professo comprobatur à P. Francisco Arias *de imitatione Christi. tr.* 7. *cap.* 7. Sic plures sanctè desiderant pro Christo sanguinem fundere, & martyrio vitam perdere, quia melius est ita mori, & tanti operis aureolã reportare, quàm vivere absque isto merito. Sic denique plures optãt nunquam fuisse potiùs, quàm peccasse graviter, & potiùs mori, quàm iterum Deum offendere. Neque immeritò id à Deo postulatur, quia magnũ est beneficium rapere ex hac vita iustum, ne malitia mutet intellectum eius, & ne fictio decipiat animam ipsius: & sicut quilibet prudenter optat, cùm Reipublicæ non est necessarius, declinare pericula moriendi, ac esse in tuto, etiam cum iactura aliarum commoditatum, sic pariter optare potest, etiam cum vitæ iactura, declinare pericula peccandi, moriendique morte æterna, nisi populo Dei sit necessarius.

55. Quinimò & ex solo affectu non displicendi Deo, vel venialiter, id

id licere, expressè affirmant P. Ildephonsus Rodriguez *tom.* 1. *de profectu spirituali. tr.*8. *cap.*20. & P. Granado *controv.*3.*de Charit. tr.*6.*disp.*2. *num.*19. Est enim maximum signum perfecti erga Deum amoris, amicitiæ, vel concupiscentiæ, si super omnia prorsus amabilia, aut concupiscibilia diligatur. Et, cùm peccata venialia frequenter ad mortalia disponant, habent ex hoc etiam capite, vnde valde exosa fiant viris perfectis, atque vt potiùs placeat eis carere, quàm huius lucis vsuram illa committendo prorogare. Notat autem optimè Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*1. *de Orat.cap.*19. *nu.*2. in his affectibus virtute saltem involvi conditionem illam: *Si ita mihi expedit*, quamvis ab ipso petente non cogitetur, neque adhibeatur. Ideò enim totum negotium Divinæ dispositioni committitur, quia ipse rectè novit, quid expediat bono nostro, ac gloriæ suæ; nos verò sæpe decipimur, & erramus circa hæc ipsa, & quamvis illa exoptemus, cùm id fiat sub ratione boni cõducentis Deo ad gloriam, nobisque ad æternam vitam, non essemus illa exoptaturi ex vi præsentis affectus, si cognosceremus, hisce finibus iuxta suavem Dei dispositionem non conducere; imò obstare.

56. Accedo iam ad desiderium mortis ex motivo evitãdi mala temporalia. Vbi Abulensis *lib.*3. *Regum, cap.*19. *q.*4. vers. *Sed considerandum*, contendit, esse peccatum mortale hoc genus desiderij, aut orationis, sive fiat ex motivo recusandi laborem, qui reperitur in pugna contra passiones internas animum assiduè vexantes, sive ex fine evitandi alias miserias huius vitæ, puta ægritudines, aut paupertatem: additque, gravius peccare, qui ex hoc motivo, quàm qui ex illo mortem optant, & plus qui petunt, quàm qui desiderant tantùm. Ratio autem est illa ipsa, qua S. Thomas ostendit *in dicto art.*5. *ad* 3. grave peccatum committere illos, qui ob prædictas causas semetipsos interficiunt. Quia petere, aut optare sibi mortem ad quascumque alias huius vitæ miserias evadendas est maius malum eligere ad minoris mali vitationem: mors enim iuxta Aristotelem *lib.*3. *Ethicor. cap.*6. est inter illa omnium maximum, & præ cæteris terribilissimum. Confirmatur 1. Nam sicut ad virtutem fortitudinis spectat se morti exponere, vel alijs terribilibus propter honestum, ita spectat ad vitium timiditatis mortem fugere, ne terribilia patiamur, Ergo sicut peccat graviter, qui mortem sibi conscisceit, ne ab alio duriorem patiatur, ita graviter delinquit, qui eam petit, aut optat, ne toleret vitæ ærumnas. *Fugere enim sequentem inopiam, vel aliquid triste, non fortis, sed magis timidi est: mollities enim est fugere laboriosa*, vt Aristoteles scripsit *eo lib. Ethicorum.*3. Confirmatur 2. Quia vt pro concione differebat Nabarzanes apud Curtiũ *lib.*5 *de rebus Alexãd. longè post med: Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quàm vitam odisse. Sæpe tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi. At virtus nihil inexpertum omittit. Itaque vltimum omnium mors est, ad quam non pigrè ire satis est.*

57. Hisce tamen non obstantibus, sunt alij plures, qui existimant, mortem peti, aut desiderari posse absque peccato, vt ab aliquo magno malo temporali liberemur: puta à severiori morte infligenda per carnificem, à gravi infamia, tetro carcere, nimia paupertate, à morbis, aut doloribus continuis, vel alijs id genus diuturnis malis, quibus vita præsens redditur nimis laboriosa, & perdifficilis. Ita Aragon *de iust. & iure. q.*83.

art.8.in fin. Granado *suprà num.21.* Martinez de Prado *tom.1. resol. mor. cap.15.q.1.§.3.num.24.* Ioannes Sanchez *in select.disp.2.num.9.* Trullenc *lib.1.in Decalog.cap.6.dub.2.num.12.* Verricelli *p.1.tr.5. num.66.* Diana *p.5.tr.14.resol.92.* Moya *in select.1.p. tr.6.q.5.num.11.& 12.* Azor *p.1.lib. 9.cap.35.q.3.* qui id licere existimat, si magnæ aliquæ, & iustæ causæ huius desiderij, & petitionis existant, annuẽte rursum Trullenc sub his terminis *eo lib.1.cap.7.dub.5.num.3.* Arias etiã *vbi suprà cap.8.* certum putat, id non esse peccatum mortale; imò nullum, si conditio adhibeatur, & debita subordinatio nostræ voluntatis ad Diuinam seruetur: & hanc etiam cõditionem exegit, vt ea liceant, Soto *in 4.dist.50.art.5.* vers. *Est tamen*, vt omittam Tamburinum, qui fidentissimè affirmat, non esse peccatum mortale, nil de veniali determinans.

58. Suadetur autem. Quia iudicio Sapientis *Ecclesiastici* 30.17. *Melior est mors, quàm vita amara*; è duobus autem bonis melius prudenter eligitur, atque è duobus malis contrarijs alicui fini, aut subiecto id, quod minus est, rectè eligitur, dum eius bonum attenditur. Vnde iterum *cap.* 41. 3. sic Sapiens exclamat, & rem adornat exemplis: *O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdit patientiam!* Non est ergo terribilior, nec deterior mors, quàm vita amara; sed potiùs eligibilior secundum rectam rationem, quatenus est privatio vitæ calamitosæ, ac molestæ, quam homines non tàm viuunt, quàm tolerant laboribus, ac doloribus pleni. Quare huic iudicio Sapientis meritò acquieverunt alij viri sancti à Deo illustrati, & referti salutari scientia, atque prudentia. Hæc namque est vox illa Tobiæ 3. 5. cùm videret contribules suos captivos, & nationibus traditos in direptionem, fabulam, & improperium: *Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quàm vivere.* Hæc illa Iudæ Machab. 1. 3. 59. *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ.* Nec dubium, quin sit nonnullis mors præmium, & vita supplicium, de quibus S. Ambrosius luculenter dixit non esse permissos diu vivere; sed compulsos tardè mori. Caino sanè ob fratricidium in pœnam data est vita diuturnior, signumque appositum, ne ab vllo interficeretur. Legesis eumdem Ambrosium *lib.2. de Cain, & Abel, cap. vltimo*, vbi hæc appositè expendit.

59. Accedunt Sanctorum exempla. Nam Moyses *Numeror.* 11. 15. pondere gubernationis oppressus, & populi pervicacia contristatus ita est alloquutus Deum: *Obsecro, vt interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Elias quoque 3. Regum 19.4. dum à facie Iezabelis fugeret, *petivit animæ suæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Nec huius petitionis alia causa proxima assignari valet, nisi ea ipsa, quæ erat ei causa fugiendi, scilicet Iezabelis dira persequutio, & nova comminatio, qua mortem ei denuntiaverat quanto citiùs inferendam. Beatus etiam Iob, qui labijs suis non peccavit, neque stultum aliquid contra Deum locutus est, hoc eodem desiderio flagrabat, tædio vitæ adeò ærumnosæ. Ita enim ait *cap.6. 8. 9. Quis det, vt veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me?* Ionas insuper præ afflictione magna, & metu infamiæ, quia parcente Deo Niniuitis, & populi per-

perturbator,& Propheta mendax videretur, ſic clamavit *cap.* 4. 3. *Et nunc, Domine, tolle quæſo animam meã à me: quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Ac tandem Paulus Apoſtolus 2. *Corinth.* 1. 8. de ſe ipſo in hunc modum atteſtatur: *Nolumus vos ignorare de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam vivere.* Porrò tot præclaros viros accuſare peccati, præſertim criminalis, aut excuſare duntaxat propter vehementem paſſionem,& defectum plenæ deliberationis,ac iudicij,ſicut tentat Abulenſis, neque Sacro textui congruit, nec pietati. Quare neque is ſibi conſtat. Nam *ad dictum cap.* 11. *q.* 36. Moyſem culpare non audet; loco verò anteà citato putat peccaſſe venialiter.

60. Ratum igitur manere debet, mortem in his circumſtantijs, & alijs æquipollentibus licitè poſtulari à Deo vitæ noſtræ Domino, vt ſpeciale beneficium, atque ideò & optari poſſe. Nam ex Auguſtino *epiſt.* 121. *ad Probam: Illud tantùm licet petere orando, quod licet optare.* Nec iam obſtant argumenta ponderata in favorem Abulenſis *num.* 56. Quia inter mala temporalia ſunt aliqua, quæ maiora morte poſſunt rectè iudicari, & quæ viventi ſub illis duriora apparere valent, ac moraliter loquendo cenſeri mors quædam prolixa, & graviſor. Hinc illud Apocalypſis 6. 9. *In diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam, & deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Atque, vt Philoſopho alium etiam magni nominis Philoſophum opponamus: *O ignaros malorum ſuorum* (ait Seneca *de conſolat. ad Marciam, cap.* 20.) *quibus non mors, vt optimum naturæ inventum laudatur. Omnibus enim finis eſt, multis remedium, quibuſdam votum, de nullis meliùs merita, quàm de his, ad quos venit antequàm invocaretur.* Et poſt pauca: *Hæc eſt, quæ efficit, vt naſci non ſit ſupplicium*: quod perbellè congruit cum ſententia illa Sapientis *Eccleſiaſtes* 7. 2. *Melior eſt dies mortis die nativitatis.*

61. Ad primam confirmationem. Sicut non ſemper eſt vitium timiditatis,aut cordis puſillitas timere mortem,& vitam deſiderare, ſic non ſemper eiſdem vitijs ſubiacet odiſſe vitam, & optare mortem. Neque enim ſemper eſt digna tanto labore ſalus, & tunc maximè cùm vita noſtra non eſt alijs neceſſaria; nobis verò perdifficilis, & gravium malorum cauſa. Conſciſcere ſibi mortem nunquam licet,etiam ad vitandam aliam atrociorem certò imminentem ab alijs,vt præmiſimus iam anteà. Ratio eſt, quam anteà propoſuimus: &, ſi attenderetur tantùm conceptus maioris, aut minoris mali temporalis noſtri, proculdubio id eſſet licitum, quia maius malum naturæ eſt mors atrox, quàm mors mitis: & gravius, amaram vitam diu ſuſtinere, quàm traduci ad aliam,vbi ceſſant hi dolores. Ad ſecundam ſimilis eſt ratio. Nam ſicut non ſemper eſt virtus fortitudinis, ſed potiùs vitium audaciæ, ac temeritatis, vitam contemnere, & aggredi gravia pericula mortis, ita non ſemper eſt puſillanimitas,aut vitium timiditatis optare mortem ad fugienda mala huius vitæ; ſed tunc ſolùm, cùm mala ſunt parvi ponderis, ſi cum malo mortis conferantur.



CAPVT VII.

De desiderio, aut petitione mortis ob leves afflictiones, aut calamitates.

62. EX dictis insurgit quæstio minimè dissimulanda. An scilicet sit grave peccatum petere, aut optare sibi mortem ad evitanda mala temporalia minoris momenti, quàm sit vita? Puta ad evitandas cõmunes huius sæculi miserias, vel aliquas afflictiones peculiares citò trãseuntes, aut, si durabiles sint, non valde amaras. Negat fidenter esse peccatum lethale Thomas Tamburinus *lib. 5. in Decalog. cap. 1. § 3. num. 34.* Ioannes de la Cruz *in Director. 1. p. tr. de homicid. dub. 3.* & qui rem exactè discutit, P. Arias *vbi suprà cap. 8.* vbi certum esse ait, istiusmodi desideria, quantumvis absoluta, solùm esse peccatum veniale; nullum verò, si fiant sub conditione, ac resignatione propriæ voluntatis ad Divinam. Fundamentum ex eo sumitur, quia etsi mors sit quoddam malum naturæ, sicut alia mala pœnæ; in genere tamen boni honesti, aut mali turpis, neque est bona, neque mala; sed indifferens, atque adeò bene, ac malè potest expeti, & esse bona simpliciter, si propter bonum finem expetatur. Quocirca, vt à lethali excusantur absoluta desideria, quibus bona temporalia à Deo obtinere cupimus, vel evitare mala eisdem opposita per media ex se non illicita, sic excusare debemus desiderium evitandi alias miserias mediante morte à Deo infligenda. Nam neque finis, nec medium pravum est; sed tota deordinatio vtrobique in eo consistit, quòd bonum aliquod temporale expetamus absolutè, & absque debita resignatione: & ad summũ, genus quoddam pusillanimitatis in nostro casu admiscetur, vt notat Cruz, quorum neutrum transcendit limites noxæ venialis.

63. Nihilominùs Granado *vbi suprà num. 22.* & cum sequutus Diana *ea resol. 92.* non audent excusare à mortali istiusmodi desiderium extra casum magnæ amaritudinis, aut gravis calamitatis. Et hæc sententia, sicut tutior, etiam mihi probabilior videtur circa mortem, mutilationem membrorum, ægritudines, & alia mala privantia bonis, quorum domini non sumus: nam de divitijs, honoribus, ac commodis temporalibus, quibus nos ipsi licitè privare possumus ob bonum virtutis; imò ea respuere, & abijcere tanquam occasiones mali, diversa ratio est, vt de se patet. Moveor primò, quia maius malum assumere ad minoris mali vitationem peccatum mortale est, & ea ratione specialiter probat Angelicus Doctor *in dicto art. 5. ad 3.* esse peccatum mortale conscisceere sibi mortem ad miserias huius vitæ declinandas. Porrò hæc ratio, aut nihil probat, aut idipsum pariter evincit de desiderio, & oratione, qua mediante mortem procuramus ex motivo evitandi exiguas afflictiones, aut leves calamitates. Secundò, quia eiusmodi desiderium est contra inclinationem naturalem, & charitatem, qua vnusquisque debet se ipsum conservare, & diligere quoad bonum vitæ multò fortiùs, quàm quoad alia bona, aut privationes malorum, quæ tanti non æstimantur. Nam re vera se ipsum odit, qui absque vllo alio emolumento, ne vni incommodo subiaceat, vult longè plus mali habere.

64. Tertiò, inquirendum est ab adversarijs, num minitante aliquo mor-

mortem, ni levem aliquam moleſtiã patiamur, peccatum mortale ſit nolle ei obſtare; ſed ſinere ſe potiùs occidi, quàm talem moleſtiam perpeti? Si dicant, eſſe mortale nolle impedire ſuam mortem in eo eventu, vtique & mortale erit illam deſiderare directè cauſâ evitandi idem malum. Nam illa cauſa, quæ inidonea apparet ad non impediendam mortem, ad illam deſiderandam non eſt idonea, aut ſufficiens. Licitum namque eſt per ſe loquendo nolle impedire, quod licet deſiderare: nec concurſus indirectus vlli ad culpam imputatur, niſi aliunde ſupponatur obligatio impediendi eventum ipſum. Obligatio autem impediendi tollitur per cauſam proportionatam, quæ non impedienti præbeat excuſationem legitimam; & ideò quam ſæpius licet non impedire ſuam mortem, tametſi nunquam liceat ſeſe occidere, vt paſſim obvium eſt apud Auctores, & inter alios legi poteſt apud Leſſium *lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 9. à num.* 27. Si verò propterea dicant, id non eſſe culpam gravem, rem dicent à nullo admiſſam, & quæ ex ſola terminorum apprehenſione videtur ſatis abſurda. Atque exinde ſequeretur (vt alia quamplura omittam) non eſſe lethale infirmis ſinere ſe potiùs mori, quàm remedia ordinaria ſuſtinere, v. g. nolle ſumere pilulas, aut potionem aliquantulum amaram, quam Medici ad imminentem mortem evadendam prorſus neceſſariam judicant.

65. Quartò idipſum oſtenſivè evincitur innitendo generalibus principijs à D. Thoma præiactis *quodlibet. 9. art. 15. corp.* Quia ex obiectis, quæ non habent turpitudinem intrinſecè inſeparabilem, qualem habet adulterium, aut mendacium, ſed interdum bene, interdũ malè abſque errore amari poſſunt, & in hoc ſenſu indifferentia ex ſe dicuntur, quædam ſunt, quæ in ſuo conceptu nullam conformitatem, aut difformitatem important cum recta ratione, ſicut levare feſtucam, aut fricare barbam; alia verò, quæ in conceptu ſuo difformitatem quamdam præſeferunt, aut inconvenientia magna; ſed non talia, vt amoveri, aut compenſari nequeant accedente idonea cauſa, vt ſimultanea poſſeſſio plurium præbendarum, vel occiſio, aut diffamatio alterius, quæ iuſta cauſa compenſante eorum defectus honeſtè poſſunt amari; ea autem ſecluſa, aut præſciſſa per intellectum omnimodis, peccaminoſè appetuntur, & cum peccato non levi, ſed ex genere mortali. Porrò huius generis eſt mors, tàm propria, quàm aliena, atque eapropter eſt lethale abſque cauſa valde idonea optare, vt illa contingat, nobis nihil cooperantibus, ictu tauri, incendio, aut ruina. Quæ verò ſint cauſæ idoneæ, ſuprà viſum eſt, ac modò oſtenſum, huius generis non eſſe afflictiones illas, aut ærumnas, quarum perpeſſio nihili æſtimari debet, ſi cum malo mortis conferatur. Quocirca ratione illarum mors honeſtè optari nequit, nec mediante oratione procurari; ſed pro mali magnitudine, & contrarietate ad regulam ordinatæ charitatis peccata mortalia erunt deſiderium, & oratio, niſi fortè cauſæ parum deſit ad veram idoneitatem: nam tunc parvitas materiæ proderit, vt ſint venialia.

66. Indidem ad argumentum oppoſitum *num.* 62. reſponderi valet multipliciter. Et primò per inſtantiã, quia ſimili forma differendi poſſent Auctores propoſitionis 13, & 14. contendere, licitum eſſe, aut certè nõ illicitum mortaliter, deſiderium abſolutum mortis alienæ ex motivo devitandi quodvis temporale incommodum, aut adquirendi divitias.

Se-

Secundò pro omnibus dicere possumus, mortem secundum se consideratam, & à causa magni momenti præscissam, non esse obiectum indifferens; sed valde turpe, ac contrariũ naturali inclinationi,& propriæ charitati vniuscuiusque. Tertiò,semper, & in omni eventu illam esse obiectum turpe,si sumatur, vt est bonum appetibile cõtra charitatis ordinem, & præscriptum fortitudinis, cuius est passiones metus, & audaciam moderari, ne exorbitent affectu, aut opere circa ipsam mortem, & alias afflictiones huius vitæ. Nam cùm appetibile, ac bonum reciprocè convertantur, quodvis bonum tale debet iudicari, qualis est ipsius appetibilitas;iam autem vidimus, mortem, vt est bonum vtile ad molestias leves evitandas, non habere appetibilitatem honestam, aut indifferentem;sed turpem, & fortitudini adversam; sed charitati præcipuè. Quartò, si enixè contendas, malitiam tunc non desumi ex obiecto,aut fine nudè sumptis; sed ex modo tendendi ipsorum actuum, inde non multum gravabimur. Nam ille modus tendendi,præsentivus cùm sit,ita versatur circa obiecta maximè disparia, vt anteferat, quæ contemnenda forent, & contemnat, quæ essent præferenda: odio habeat eximium bonum præ amore alterius boni levidensis:& præ nimia ignavia plus timendo, quàm mortem, parvum incommodum. Hæc autem rationi dissonant, & cum vera fortitudine,& ordine charitatis (vndecumque illa proveniat) apertam oppositionem important.

67. Pro praxi tamen Confessariorum addiderim, quod Abulensis notavit *q.* 36. istiusmodi desideria,etsi ex se lethalia sint, sæpe excusari à mortali propter vehementem passionem tempore afflictionis insurgentem,qua plena deliberatio præveniri solet,& causa apparere maior, quàm re vera est in se ipsa. Potior tamen mihi est alia excusatio, quia isti non desiderant mortem nudè sumptam; sed bonam,& ratione sui optabilem: neque eam respiciunt præcisè vt terminum calamitatum suarum,ac si ad instar iumentorum morituri essent, obliti immortalitatis; sed vt transitum ad vitam beatam, quam à Deo petere, ac sperare sunt assueti. Rari enim sunt, præsertim inter Christianos,qui optent mortem,nisi bonam, & qua mediante perveniant ad gloriam cœlestis patriæ, quam se adepturos supponunt ex Divina clemẽtia, & bonitate. Neque enim se reprobos iudicant;sed in partem sortis Sanctorum computandos; nec, si id scirent, vllus esset adeò stultus, qui optaret præveniri mortem suam, & temporalem vitam,quantumvis afflictam, cum æterna morte commutare. Solent quidem isti affectus oriri ex ira, impatientia, desperatione remedij, defectu resignationis, nimio sui amore, aut alia veniali causa; sed ex morte sic concepta gravem malitiam non trahunt.

68. Addiderim præterea longè cautiùs mala temporalia peti,vel desiderari posse alijs, quàm nobis metipsis, etiamsi id fiat intuitu boni spiritualis ipsorum. Nam cùm quilibet naturali propriæ inclinationis pondere sit ad se meliùs affectus, quàm ad alios, minus periculi subest invidiæ,vindictæ,odij,alteriusve affectus pravi occultè moventis ipsum, cùm hæc mala sibi optat,quàm cùm alijs, esto id agere videatur prætextu maioris boni. Scio, Azor,Cruz, Verricelli, & Trullenc locis anteà consignatis indiscriminatim loqui de vtrisque.Et hoc verum mihi est,quoties ex obstinatione,nimiave fragilitate subiecti, aut ex alijs circumstantijs personarum, vel locorum moraliter

liter certum, aut quasi certum supponitur, contraria bona ipsis fore, iuxta ordinarium rerum cursum, occasionem periculosioris reincidentiæ, deterioris vitæ, aut damnationis saltem gravioris, vt fere semper contingit infantibus, qui apud Turcas adolescunt, & illis, qui apud hæreticos perveniunt vsque ad annos discretionis. At verò cùm incertum nobis est, quidnam potius sit alijs profuturum ad istiusmodi damna devitanda, vivere, an mori, sanum esse, vel infirmum, divitem, aut pauperem, & ipsi licitè possunt esse inviti, noluntque re ipsa subiacere dictis malis, sed habere potiùs bona opposita, longè alia videtur ratio. Et ideò tunc non licebit talia mala ipsis optare, nisi adiecta conditione, quòd ita oporteat ad illorum incolumitatem. Et sic sentiunt P. Suarez *in dicto cap.* 19. *num.* 5. ac eum sequutus Layman *lib.* 4. *tr.* 1. *cap.* 1. *q.* 4. *concl.* 3.

69. Vnde quamvis nobis liceat propter maius bonum nostrum, & profectum in virtutibus nolle habere dignitates, aut divitias, vel honores, seu magni nominis famam, imò optare mala eisdem opposita, non ideò licebit absolutè velle ex eodem motivo, vt alij non consentientes, sed inviti, ac iustè recusantes careant supradictis bonis, vel contraria mala perpetiantur. Iuri enim nostro liberiùs cedere possumus, & longè meliùs agnoscere tàm dispositionem, ac præparationem propriam, quàm vocationem internam, qua ab ijs bonis tanquam nocituris spirituali saluti removemur, & ad mala temporalia eisdem opposita tanquam magis profutura incitamur. Cœterùm alieno iuri cedere haudquaquam valemus, vt saluti ipsius prospiciamus; neque adeò exactè cognoscere, quidnam ipsi plus expediat. Et propterea contra voluntatem proximi rationabilem, ac licitam malè ipsi desideramus calumnias, falsa testimonia, opprobria, paupertatem, aut statum vitæ ignobiliorem, vel privationes bonorum, quæ istis malis opponuntur, & quibus fortasse meliùs vteretur, cùm alia valde impatienter, & iniquè toleraret. Quare satis non est, quod ipse possit ista mala sibi optare licitè, vel etiam mortem, intuitu maioris boni, vt ea nos illi absolutè desiderare possimus; sed opus est, vt re ipsa hoc eodem desiderio teneatur, & propterea conformemur voluntati illius. Cùm verò etiam potest licitè illa recusare, ac esse rationabiliter invitus, & est invitus de facto, disparitates adductæ ostendunt, eiusmodi desideria non esse opus charitatis erga ipsum, quidquid dicat in contrarium Granado *dicto tr.* 6. *disp.* 3. *num.* 3.

70. In fine concludes tandem (ne sophismate vulgari in hac materia impliceris) non licere nobis ea omnia facere, quæ desiderare licet. Desiderare namque possumus, non tantùm agere; sed etiam pati: & se habentibus merè passivè quamplura accidere possunt absque peccato proprio, & alieno, quæ eisdem positivè cooperantibus sunt planè illicita. Quocirca licitè optamus, quod desiderabat Paulus, dissolvi, & esse cum Christo, vel pro ipso martyrium pati, quin propterea nobis liceat, vt talia bona assequamur, interficere nos ipsos. Quod à nullo fieri potest licitè, vt mentiri, aut deierare, nunquam licitè desiderari valet, sive ab ipso, sive ab alio; sed sæpe vsuvenit, vt quæ à nobis fiant illicitè, fiant ab alijs iustè, ac sanctè: & tunc, nisi quidpiam aliud obstet, ea desiderare possumus ex fine præponderante. Neque enim desideramus, vt fiant à quocumque, aut quomodolibet; sed vt fiant modo inculpato: nimirùm ab eo, cui licet ea facere, aut iubere, vt fiant. Sic

Cle-

Clericis, aut privatis peccatum est malefactores occidere; non verò desiderare, vt id fiat, observato iuris ordine à iudice sæculari. Sic is, qui votum emisit non ambiendi dignitates, illicitè illas procurat; sed non exoptat illicitè, vt ab alio sibi conferantur. Et sic demum cùm Tyrannus, vel Rex alioqui legitimus tyrannicè gubernat Rempublicam, nefas est eum morti tradere; fas verò desiderare eius mortem, vel de illo mortuo gaudere, quatenus necessarium est ad bonum publicum, vt inter permultos alios tradit Layman *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 17. *notab.* 2. & Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 87. *in fin.*

DISSERTATIO X.

DE PRÆCEPTIS FIDEI.

Huius subsellij sunt, inter damnatas, propositiones sequentes vsque ad decimam octauam, & eas omnes complectemur vnica dissertatione, quia non multùm operosa est doctrina ipsarum, & ex principijs iam antea præiactis facilè, ni fallor, decidetur.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm fides cadat sub præceptum speciale, & secundum se?

1. DArs negans his verbis traditur *propos.* 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Quis autem ita censuerit, non ita facilè dignosci valet. Acceptam esse quoad verba ex quibusdam thesibus Scholasticis Antuerpiæ defensis *die* 16. *Aprilis anno* 1674. haud immeritò contendunt Wilhelmus Sandæus *in confutat. trium vir. fol. mihi* 154. & *Specimē Theolog. manant. per Belgium p.* 4. *cap.* 5. §. 1. Vtrobique tamen additur, comprobaturque ex contextu, à delatoribus Belgis minùs syncera fide fuisse denunciatam, vt eo pacto odiosior fieret. Expressè quoque haberi apud Thomam Tamburinum *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 1. *num.* 9. tradit Filguera *in præsenti.* Sed certè neque eisdem verbis habetur eo loci, vti ad expressionem erat necessarium, nec aliis manifestè æquipollentibus. Idque iam antea notarunt ab hac impostura Tamburinum vindicātes Sandæus *suprà fol. mihi* 153. & Lucius à S. Marco *in germana doctrin. Tambur. cap.* 3. nosque in simili adnotavimus *dissert.* 6. *cap.* 6. quænam fuerit mens illius, & quod præceptum negaverit, completum solùm, & determinatum iure Divino quoad tempus, & quoad alias circumstantias, an incompletū etiam, & indeterminatum?

Quòd

2. Quòd ſi res ad amuſſim expendatur, nemo potiori titulo debebat ſuſcipere patrocinium doctrinæ Tamburini, quàm Filguera, quia ipſe tandem in eamdem ipſam relabitur. Probat ſiquidem hac vnica ratione, dari præceptum ſpeciale Fidei Diuinæ, quia neceſſaria eſt neceſſitate medij ad ſalutem. At de fide hoc modo neceſſaria non negat Tamburinus præceptum per ſe, ac ſpeciale determinatè exequendum, cùm primùm fuerint ſufficienter propoſiti articuli ad ipſam attinentes; imò illud agnoſcit *eo num.* 9. *&* 8. De ea parte fidei duntaxàt, quæ neceſſaria non eſt neceſſitate medij, diſertè loquitur, cùm diffitetur præceptum per ſe, ac ſpeciale ad virtutem fidei ſpectans. Porrò de hac parte nil omnino probat ratio illius Auctoris, cùm ad ſolam fidem reſtringatur, quæ neceſſaria eſt neceſſitate medij. Imò hoc ipſi Tamburinus anteſtat, quia expreſſè animadvertit, nos ſæpiſſime obligari per accidens ad actus fidei exercendos ex vi præceptorum, quibus debemus elicere actus aliarum virtutum neceſſariò ſupponẽtes eiuſdem fidei exercitium. Filguera autem de hac obligatione, quæ ſolius præcepti eſt, non verò medij, aut non meminit, aut admonere noluit, ſed ſilere, quamvis maximè conducat ad intelligentiam rei, de qua decernitur.

3. Cuius cuius tamen fuerit illa aſſertio, ſcandaloſa eſt, & pernicioſa vt minimum, ſicut in decreto Pontificio iacet, & contra ipſam abſolutè tueri debent omnes Catholici *fidem Theologicam cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.* Nam de hoc præcepto teſtatur ſatis apertè Ioannes Apoſtolus *epiſt.* 1. 3. 23. hiſce verbis: *Hoc eſt mandatum eius: vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis.* Quo loci obſervandum eſt, eodem contextu, ac modo abinvicem independente proponi nobis tanquam Dei mandata, vt credamus, & vt diligamus alterutrum, & vtrumque ab Apoſtolo parificari. Atqui mandatum diligendi proximos ſpeciale, ac proprium eſt illius virtutis, ad quam ea dilectio ſpectat, ſcilicet virtutis charitatis. Ergo & mandatum credendi proprium erit, ac ſpeciale virtutis Fidei: nam ipſius eſt credere, ſicut charitatis eſt amare, atque pœnitentiæ pœnitere. Porrò præcepta credendi, & pœnitendi eodem modo ſunt à Chriſto impoſita in ipſo ſuæ prædicationis initio Marci 1. 15. ibi: *Pœnitemini, & credite Evangelio.* Quamvis enim in hoc loco nullum verbum eſſe videatur, quod expreſſè contineat vim præcepti; tamen pro ratione materiæ, ac modo loquendi Chriſti ſufficienter propoſitum intelligitur, vt notavit S. Thomas 2. 2. *q.* 22. *art.* 1.

4. Suadetur ſecundò ex verbis Chriſti Ioannis 14. 1. *Creditis in Deũ, & in me credite.* Quæ imperativa ſunt, in illiſque præceptum contineri credendi in Chriſtum, tradit Angelicus Doctor *ibidem lect.* 1. *litt. B.* Atqui hoc præceptum non eſt alterius virtutis, quàm fidei: nam de ſolo actu credendi ſecundum ſe, & abſque reſpectu ad alia opera ex præcepto debita, nobis iniungitur. Ergo ex præcepto proprio, ac ſpeciali virtutis fidei tenemur ad actum credendi in Chriſtum propter ſe, ac ratione ſui, & independenter ab eo, quòd per modum medij ad exercitium diverſarum virtutum requiratur. Idemque dicendum erit de opere credendi in Deum, ſi loco illius verbi *creditis* ſupponatur hoc imperativum *credite* cùm S. Auguſtino, Hilario, Chryſoſtomo, & omnibus Græcis Patribus, qui hoc modo legendum cenſent, &

vtramque fidem inibi imperari. Firmiùs tamen id deducitur ex Paulo *ad Hebræos* 11.6. vbi scribit: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Rationem autem impossibilitatis non sumit ex necessitate fidei ad exequendum præcepta aliarum virtutum, v.g. spei, & charitatis, quibus homo fiat Deo placens quoad personam; neque ex eo, quòd sine fide nihil possimus mereri, aut impetrare apud Deum, eidemve placere quoad actiones cõplacentia positivè conducente ad salutem, quamvis id foret verissimum; sed ex eo, quòd ipsa fides, præscindendo à quovis alio, propter excellentiam suam necessaria sit, ac debita, ita enim immediatè subiungit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

5. Arguo insuper. Quia nisi detur speciale præceptum proprium fidei secundum se spectatæ, distinctũque à præceptis aliarum virtutum per se, ac proximè ad fidem non pertinentium, consequens erit non dari vllum speciale peccatum fidei contrarium, vt distinctæ à reliquis. Nam speciale peccatum contra quãcumque virtutem necessariò præsupponit speciale illius præceptum, & cùm actus aliquis studiosus non est debitus ratione sui, sed solùm ratione alterius specie distincti, peccatum, quod illius prætermissione committitur, non refertur, nisi ad speciem vitij oppositam illi actui, ratione cuius debetur. Dubitari igitur non potest, ex doctrina adversariorum hoc consequens rectè inferri. Quòd verò sit absurdissimum, & nullo pacto ferendum ex eo constat, quia infidelitas, hæresis v. g. aut Iudaismus speciale peccatum est fidei contrarium, & propterea id habet peculiare ex Tridentino *sess. 6. cap.* 15. vt habitum fidei destruat. Nec dubium, quin hæresis, aut apostasia à fide eidemmet fidei directè, & immediatè repugnent, quin spectandum sit aliud præceptũ, vi cuius abstinere ab illis debeamus, quasi liberum esset positivè dissentire rebus fidei, cùm non est alia prohibitio vetans infidelitatem.

6. Ad hæc, non sola infidelitas, qua fidei rectè propositæ voluntariè contradicitur, verùm etiam incredulitas in Sacris litteris proponitur vt peccatum privans vitâ æternâ, & sub his terminis de fide est, eos damnari, qui non credunt. Damnari autem nõ contingit absque peccato mortali, nec peccatum mortale absque præcepto. Quod verò hoc præceptum sit speciale, ac proprium fidei, non verò alterius virtutis ab ea diversæ, satis perspicuè monstratur ex eisdem Scripturæ textibus, vbi non credere secundum se, & absolutè pro causa sufficiente damnationis assignatur independenter ab eo, quòd non credendo transgrediamur alia Diuinæ legis præcepta. Ioannis 3. 36. aiebat Christus: *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Et vers. 18. præmiserat: *Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Filij Dei.* Marci 16. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui non crediderit, condemnabitur.* Explicatur. Nam ex similibus verbis Sacræ paginæ colligi solent præcepta specialia, & propria orationis, iustitiæ, virtutumque aliarum: &, nisi hoc fiat, proclive erit ea inficiari, & omnia tandem reducere ad vnicum præceptum charitatis: omnia namque charitati famulantur, & ipsa est finis aliorum, atque plenitudo legis.

7. Sed obijcies. Præceptum speciale, ac proprium virtutis fidei non datur de his eius actibus, qui sunt necessarij ad salutem necessitate medij, nec de his, qui isto modo non sunt neces-

neceſſarij. Ergo de nullo actu fidei datur præceptum ſpeciale. Antecedens quoad primam partem inde patet, quia præceptum obligans ad finem, conſequenter obligat ad media, quibus opus eſt ad illum conſequendum; neque alio præcepto eſt opus ad ea eligenda, præterquàm eo ipſo, quo ad eumdem finem tenemur. Præceptum autem procurãdi vitam, ſalutemque æternam non eſt proprium, aut ſpeciale fidei; ſed charitatis erga noſmetipſos, vel, ſi mavis, erga Deum. Non igitur ex fide, ſed ex charitate obligabimur ad actum fidei, quatenus per modum medij eſt nobis ad ſalutem neceſſarius. Quoad ſecundam verò partem idem fere redit argumentum. Quia actus fidei nõ eſt neceſſarius neceſſitate præcepti, niſi quatenus eo eſt opus ad præcepta aliarum virtutum, prout oportet, obſervanda. Quocirca vt ſpecies malitiæ, quam contrahit omiſſio fidei, Theologicè diſcernatur, non eſt inſpiciendus actus ipſe ſecundum ſe, ac ſeorſim (nam vt ſic pro tunc nec eſt neceſſarius, nec præceptus) ſed attendi debet, vnde oriatur neceſſitas eliciendi ipſum ad evitandum peccatum.

8. Nam, ſi neceſſarius ſit ad cultum Numinis ex præcepto religionis per ſe debitum, malitia omittendi illum ſoli religioni erit contraria. Si ad ſpem, aut contritionem, contraria erit ei præcepto, vnde incumbit horum actuum obligatio. Si ad reſiſtendum gravi alicui tentationi, v. g. contra caſtitatem, fidei obligatio ex caſtitate ſumetur, & ita in reliquis malitia omiſſionis ad illam ſpeciem vitij pertinebit, pro quo pugnabat tentatio. Cuius ſignum eſt, quòd ibi non detur duplex peccatum ſpecie diſtinctum, aliud contra fidem, aliud contra caſtitatem; ſed vnicum ſoli caſtitati oppoſitum, & præcepto illius contrarium. Sumere enim debebamus in eo conflictu *ſcutum fidei*; *in quo poſſemus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*, vt ad Epheſios 6. 16. ſcribebat B. Paulus, ac *reſiſtere fortes in fide* ex 1. Petri 5. 9. Et quia id non fecimus, cùm videretur medium moraliter neceſſarium, contra caſtitatem deliquimus; ſed præcepta propria fidei non violavimus.

9. Difficile primo aſpectu eſt hoc argumentum; ſed retinenda nihilominus aſſertio tradita, quam *certam*, *& communem Theologorum* etiã ante Innocentij decretum appellaverat Suarez *diſp.* 13. *de Fide. ſect.* 2. *num.* 3. *Certiſſimam* verò *apud omnes Theologos, & Canoniſtas* Ioſephus Rocafull *in praxi Theolog moral* 3. *p. lib.* 3. *num.* 27 *fol. mihi* 177. Et profectò, cùm ex Biblia, ſeu volumine legum ſacratum adeò convincenter conſtet, ibi extare iſtud mandatum, eſſeque ſpeciale, ac proprium fidei; non parvæ temeritatis foret detrectare id ipſum ob coniecturas extrinſecas, quæ prævalere non poſſunt contra claritatem facti. Vt autem illæ extricentur, recolenda ſunt, quæ cum Azorio proponebamus iam pridem *diſſert.* 6. *num.* 42. ſcilicet actum credendi bifariam conſiderari. Primò vt peccati remedium, ſive vt medium neceſſarium cuivis adulto ad ſalutem, vel ad veniam impetrandam, vel ad alia opera exequenda, quæ abſque fide, prout oportet, nunquam exerceri valent. Secundò, vt eſt actus ſpecialis nobiliſſimæ virtutis, qua intellectum noſtrum captivamus in obſequium Dei, aut Chriſti, & primæ veritati, quamvis obſcurè loquenti, plus deferimus, quàm cuivis alij credentes abſque formidine oppoſiti, vel metu cuiuſcumque falſitatis. Porrò argumentum propoſitum ad ſummum poſſet probare, fidem ſub prima inſpectione, & quatenus

tenus est medium præcisè, non cadere sub præceptum sibi proprium, ac speciale; sed ex fine suo æstimandam esse. Quòd verò sub posteriori, atque vt est actus excellens, pars iustitiæ, & fundamentum totius vitæ Christianæ, aut præcipi non potuerit, aut non fuerit nobis præcepta de facto quoad speciem, & exercitium, neque inde suaderi potest, neque censeri probabile.

10. Propterea negandum est antecedens argumenti quoad vtramlibet sui partem. Quoad primam, quia potiùs probat contrarium, & inductione constabit, dari præcepta specialia affirmativa, & negativa de his omnibus virtutum actibus, qui necessarij sunt necessitate medij ad salutem, vt de actu spei, orationis, dilectionis Dei, ac cæteris. Quippe non sunt purè media, quemadmodum potio amara, cuius nulla est æstimatio, nulla bonitas, nisi relativa ad finem sanitatis; sed secundum se, ac ratione sui propriam excellentiam habent, ex vi cuius possunt expeti, & imperari, sicut potio dulcis, independenter ab eo, quòd hîc, & nunc sit medium necessarium ad corporalem salutem obtinendam, aut recuperandam. Quoad secundam verò, quia falsum est omnino, actum fidei nunquam esse necessarium necessitate præcepti, nisi præceptum ipsum sit extraneum à virtute fidei, & non ex ipsa proximè, ac directè oriatur obligatio illius; sed ex debito exercendi aliam virtutem, aut consequendi alium finem, qui absque fide minimè obtineri valet. Non inficior, hoc sæpe sæpius contingere, vt exemplis ibi adductis, & alijs passim obvijs deducatur; sed ea non probant, fidem semper esse necessariam necessitate præcepti alieni, cùm necessaria esse possit etiam necessitate præcepti sibi proprij, ac specialis, & hoc modo interdum necessariam esse ex Sacris litteris, & vniformi consensu, tàm Patrum, quàm Theologorum, liquidò ex præmissis pateat.

11. Vnde, cùm speciale præceptum credendi simul concurrit cum speciali alio præcepto, quod sine actuali fide nequit observari, actus fidei necessarius erit necessitate duplicis præcepti, nimirum proprij, ac alieni. Et illius omissio duas malitias contrahet specificè diversas, alteram contra præceptum affirmativum credendi, quod per se, ac ratione sui tunc obligare supponitur; alteram contra illum finem, quem tunc temporis mediante fide procurare tenebamur, & à quo sponte deficimus prætermittẽdo medium necessarium ad consequutionem eius. Cùm verò credendi actus necessarius non est ratione sui, quia fortè paulò anteà credidimus, & speciali præcepto affirmativo fidei satisfecimus, tunc valde probabile est, & communiter receptum ab Auctoribus, quibus nos sæpius subscripsimus, fidei omissionem non esse duplex peccatum, nec speciale contra fidem; sed id ipsum, quod committitur deficiendo ab illo fine, propter quem actus credendi reddebatur necessarius, cùm alioqui esset indebitus. Videantur, quæ dixi in simili *disser. 6. num. 27. & num. 40.*

12. Verumtamen hæc doctrina non est vsqueadeò certa, vt opposita sua probabilitate destituatur. Dici enim posset, præceptum speciale fidei etiam in eo casu obligare ad actũ credendi, quamvis non per se, & independenter à quovis alio præcepto; sed per accidens, & occasione accepta ab alia extrinseca necessitate, per quam necessitas fidei nobis proximè innotescit. Nam sicut virtutes ipsæ, quantumvis specie distinctæ, sunt mutuò inter se connexæ, ita etiam

etiam præcepta illarum, ſeque invicem confortare poſſunt, atque in ſuis officijs adiuvare: ſicut fortitudo martyrum ſuis præceptis adiuvat illorum fidem ad ſuſtinenda tormenta. Et quamvis fidei neceſſitas hîc, & nunc non ſuboriatur ex ſola virtute fidei, ſed ex accidenti aliquo extrinſeco; illo tamen præſuppoſito, fides eſt, quæ eum actum imperat, & occaſione inde accepta propriam eius bonitatem tanquam ſibi propriam exerceri curat. Vnde tunc fidei exercitium non tantùm videtur debitum ratione neceſſitatis extraneæ, & vt medium purum omni deſtitutum bonitate, præterquàm relativa ad illum finem; ſed vt actus per ſe excellens, ac Deo placens immediatè, quem propterea Deus inſtituit in remedium, ac ſubſidium prædictæ neceſſitatis. Videſis, quæ ſuprà ſcripſimus ex mente P. Azor *ea diſſert. 6. num. 45.*

CAPVT II.

An ſit ſatis actum fidei ſemel in vita elicere?

13. ID ſatis eſſe pronuntiat abſolutè, & indiſtinctè 17. propoſitio inter damnatas, non diſcernens, cui ſufficiat, nec quando, neque ad quem effectum; ſed omnia inter ſe confundens. Quare meritò damnari debuit vt regula pernicioſa impunitatem promittens multis, & in multis caſibus, vbi nulla eſt excuſatio, & nulla prorſus impunitas. Et quidem, ſi non tantùm illis, qui fidem ſemel acceptatã retinent, id ſufficere putetur, verùm etiam omnibus abſque diſcrimine (nullum enim ibi traditur) aſſertio longè plus quàm ſcandaloſa, & in praxi pernicioſa reputari valuit. Conſtat enim, eos, qui crediderunt, ſi poſtea fidem retractent, vt Lutherus, aut Calvinus, novo actu fidei indigere, vt Eccleſiæ iterum reconcilientur, quin eis proſit ſemel, aut multoties ante lapſum credidiſſe. Abolita namque fuit anterior fides per ſequentem apoſtaſiam perinde, ac ſi nunquam fuiſſet, & ideò novis actibus inſtaurari debet, ac denuo reædificari fundamentum anteà dirutum, vt vitæ ſpiritualis ædificium ipſi ſuperponi valeat, & ex ſuo intrinſeco initio, atque radice inchoari melioris vitæ inſtitutio.

14. Quare, vt theſis illa fieret vel in ſpeciem tolerabilis, hoc ſaltem addendum erat, ſatis eſſe ſemel credidiſſe, & fidem non retractaſſe. Verumtamen neque id ſufficit. Nam, ſi ſatis eſſet actum fidei ſemel elicere in vita, & nil aliud à nobis poſtularetur, licitè differri poſſet vſque ad mortem talis præcepti exequutio, quia ad credendum ſemel id eſt ſatis, & cætera arbitrio noſtro in eo caſu relinquuntur. Conſequens autem eſſe *valde abſurdum* meritò dixit Suarez *diſp. 13. de Fide. ſect. 5. num. 4.* & oppoſitum *certiſſimum* vocat ex omnium mente Leander à SS. Sacramento *p. 1. in Decal. tr 2. de Fide. diſp. 2. q. 38.* quia eſſet contra inſtitutionem rectam vitæ Chriſtianæ eius initium, ac baſim differre vſque ad illud tempus, in quo iam deficit locus ad exercitia virtutum. Rogo præterea, ad quid ſit ſatis ſemel credidiſſe in vita? An ad non peccandum omiſſione novi actus credendi? Id vtique ſonat propoſitio. Sed certiſſimum eſt, omittendo opera fidei frequenter delinqui graviter, ſaltem contra alia præcepta [illegible] poſſunt obſervari abſque eiu[illegible] dei ductu. An ad non peccandum adverſus præceptum proprium, ac ſpeciale fidei? Sed id diſcerni debebat, & theſi proſcriptæ adiungi. Nam illa,

illa, vt iacet, non loquitur de præceptis obligantibus ad fidem; sed de actibus, neque distinguit inter obligationem credendi per se, aut per accidens; sed absolutè pronuntiat, vnicum duntaxat fidei actum satis esse in tota vita.

15. Quocirca vt huiusce obligationis modus, tempus, ac subiectũ assignetur, & ab incertis certa secernantur, præ oculis haberi debet illa duplex obligatio Fidei Diuinæ exercendæ, cuius paulò anteà meminimus: alia scilicet, quam vocant per se, & ratione ipsiusmet fidei; alia, quã vocant per accidens, seu ratione alterius finis postulantis vsum eius. Nam alterutro ex his modis nos ad exercitium fidei non semel, sed sæpe sæpius decursu vitæ obligari, indubitatum videtur. Neque enim adultis sufficit in vita semel orasse, semel speraſſe, semel dilexisse, aut semel coluisse Deum; sed pro variis occurrentijs oportet frequentare hos ipsos actus, & Christianos mores exercere. Porrò istiusmodi virtutum exercitiũ absque vsu fidei non datur, atque adeò illa ipsa præcepta affirmativa, quibus ad ipsum constringimur, etiã obligant ad fidem exercendã. Vtrùm autem pro tunc obliget simul speciale præceptum credendi quasi in subsidium, ita vt omissione fidei duplex grauis malitia contrahatur, altera contra præceptum fidei, altera cõtra eam virtutem, quæ actum fidei præexigebat, in vtramvis partem disputari valet, vt proximè anteà indicavimus. Sed quidquid circa hoc dicatur, ad præsens institutum parum refert. Quia, vndecumque oriatur obligatio, temperatum, firmumque manebit, actum fidei sæpesæpius esse à nobis renovandum, quin sufficiat credidisse semel.

16. Iam verò si sermo sit de obligatione credendi per se primò, ac ratione ipsiusmet fidei, adhuc affirmari debet, illam non finiri vnico actu; sed eum in diuturna vita sæpius frequentandum esse propter excellentiam suam, quamvis demus, nullam aliam extrinsecam necessitatem occurrere, quæ ipsius exercitium exigat. Nam, si satis non est semel orasse, semel speraſſe, aut semel amasse Deum; sed præcepta specialia harum virtutum pernicioſam istam negligentiam removent, & obligant ad suos actus frequentandos, quin patiãtur eorum vsum multo tempore differri, cur, quæso, aliter sentire audebimus de eximia virtute fidei, cuius actus omnes alias præire debet? Vtique si hoc ita erat, proclive fiet, aut negare fidei speciale præceptum, quod Pontifex Innocentius seperatim condemnavit *propoſit.* 16. aut asserere, illud non obligare in tota vita, quod iam anteà reprobatum fuit *propoſit.* 1. ab Alexandro VII. Quippe semel credidisse necessarium est necessitate medij ad salutem, atque eo titulo præceptum: vnde istiusmodi obligatio, si tergiversari licet, facilè posset referri, non ad fidem, sed ad solam charitatem erga Deum, aut erga nosmetipsos, ex vi cuius salvationem nostram per media congrua procurare tenemur. Non ergo ad eum vnum actum opus esse videretur præcepto speciali fidei; sed satis esset præceptũ charitatis. Atqui neque ad alios fidei actus eo opus erat, cùm primus ille satis esse censeatur, & reliqui sint indebiti ex præcepto proprio fidei. Igitur illud vel omnino removendum foret, vt superfluum, vel si datur, adeò ignavum esset, ac imbelle, vt in tota vita, etiam longissima, nunquam obligaret ad suos actus eliciendos.

17. Egimus suprà ex professo *dissert. 6. cap* 1. & deinceps de speciali obligatione diligendi Deũ pluſquàm semel, & ostendimus, ei non satisfieri, quam-

quamvis singulis quinquennijs dilectio repetatur, idque certum esse duximus varijs rationibus, faventè insuper Pontificio decreto, vbi oppositum merita censura inuritur. Addidimus præterea, licet iure naturali, vel Diuino non sit designata in individuo certa temporis mensura, v.g. menstrua, aut annua, neque certa multiplicitas actuum, puta decem, aut viginti, quibus huic obligationi satisfacere adstringamur; nihilominùs ad id constringere, vt non multùm differatur horum actuum repetitio, ex.g. vltra annum. Sed iudicio Ecclesiæ relinquendum esse (aut, cùm illud deficit, prudenti arbitrio) vel quæ sit longa dilatio, vt eapropter prohibita censeatur, vel quæ nimia repetitio, vt sub præcepto mandetur.

18. Quæ autem de hoc præcepto diximus, communia sunt omnibus alijs sub eadem forma præscriptis, & seruata proportione accommodari debent præceptis spei, ac fidei. *Neque enim Deus de sola nobis dilectione mandauit, vt alia non requiramus*, ait sapienter S. Augustinus *tr.* 83. *in Ioannem*, in hęc immediatè scribens. *Tria certè commendat Apostolus dicens: Manent autem fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum charitas. Etsi in charitate, hoc est, in dilectione concluduntur duo illa præcepta; maior tamen dicta est esse, non sola. De fide igitur nobis quàm multa mandata sunt, quàm multa de spe, quis potest cuncta colligere, quis enumerando sufficere?* Quocirca, cùm innominati quidam dixissent, esse probabile, postquàm aliquis habuit primum spei actum, non teneri ad reiterandum illum; sed satis esse, si eum non retractet, *id apertè falsum* dixit plus quàm centum ab hinc annis M. Aragon *tom.* 1. *in* 2. 2. *q.* 22. *art.* 1. *fol. mihi* 476. *colum.* 1. & post ipsum Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 33. *num.* 2. Fagundez, & alij, quos laudat Leander *suprà tr.* 3. *disp.* 2. *q.* 4. existimans esse *certum.*

19. Vnde neque verè, neque consequenter processisse videtur idē Aragon, cùm docuit *ibi q.* 2. *art.* 6. vers. *Cæterùm. fol.* 142. *colum.* 1. *postquàm aliquis semel actu credidit, non teneri amplius actu credere, nisi cùm adest necessitas confitendi, & protestandi fidem; in alijs autem casibus satis esse habitu, & animi præparatione credere.* Etenim cùm longè ampliorem obligādi vim attribuat præcepto speciali spei, & apertè falsum iudicet, illud non obligare nisi semel, idem consequenter debuit dicere de præcepto fidei, quæ est *sperandarum substantia rerum.* Quare præfatam doctrinam vt absurdam, singularemque reiecit P. Sanchez *ed lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. & meritò, quia inde fieret, secluſa necessitate per accidens contingente, præceptum speciale fidei internæ per se primò solùm obligare semel. Per accidens enim est, quòd fortè occurrat necessitas protestandi exteriùs fidem, & innumeri sunt, quibus nunquam contingit talis necessitas, adeòque omnes illi satisfacerent præcepto interioris fidei semel duntaxat credendo. Imò & reliqui, quamvis in ea occasione constituti supponantur. Nam obligatio eliciendi actum interiorem fidei (siqua datur in eo eventu) neque per se, neque per accidens oritur ex præcepto speciali fidei internæ; sed ex præcepto confitendi exteriùs fidem, quod tunc vrgere supponitur, & absque actu interno fidei syncerè obseruari nequit. Quare id [illegible] violatur talem actum omittendo, & sola transgressio illius exprimenda est in confessione, vt fert communis sententia, quam suprà in simili pluries attigimus, maximè *à num.* 7.

&

& specialiter pro hoc casu traditur cum Gregorio de Valentia à P. Sanchez *in dicto cap. 1. nu. 3.* vers. *Quintum tempus.*

20. Propterea placere nequeunt Vincentius Candidus *disquis. 24. art. 24. dub. 25.* & alij affirmantes, hoc præceptum vi sua solùm obligare ad repetitionē suorum actuum, cùm fideles graviter vexantur tentationibus contrarijs fidei. Ratio autem, cur id non placet, præcedenti est planè similis. Tum quia exinde sequeretur, per se solùm obligare semel, nam quod graves illæ tentationes incidant, per accidens est, & multi eas non patiuntur, nec B. Virgo illas habuit, dum fuit in mortali vitâ. Tum quia licet scutum fidei sit medium valde conducens ex dictis *num. 8.* ad tentationes vincendas contra quamcumque virtutem, & propterea optimè faciant, qui exercitio fidei ad resistendum se diligenter fortificant, plerumque non est medium adeò necessarium, vt sub præcepto determinatè debeatur: resisti namque potest alijs medijs, v.g. sese divertendo ad alias occupationes externas, aut avertendo mentem ab ijs cogitationibus, vnde tentatio consurgit. Tum demum, quia esto vsus fidei sit aliquando medium determinatè necessarium ad vincendas tentationes contra fidem, obligatio ista non spectabit ad præceptum affirmativum fidei internæ, de quo in præsenti tractamus; sed ad negativum semper, ac pro semper obligans ad non dissentiendum fidei.

21. Sed neque approbari potest, quod scribebat Leander *suprà tr. 2. disp. 7. q. 41. probabilius esse, quòd præceptum positivum, & affirmativum fidei per se, & ex vi sua, ac natura solùm obligat ad eliciendum eius actum eo tempore, quo fides alicui primùm sufficienter proponitur.* Quia, etsi verissimum sit, ac communiter receptum, pro illo tempore obligare adultos anteà infideles, imo & pueros etiam baptizatos, cùm ad eam ætatem perveneruntur, in qua moraliter possint capere, quæ proponuntur, nullo pacto admitti debet, solùm obligare eo tempore per se, atque ex natura sua. Moveor. Quia probabile non est, præceptum diligendi Deum *per se* semel tantùm obligare in vita, vel differri posse vltra quinquennium exequutionem illius, vt constat ex damnatione propositionis 5. & 6. quas suo loco declaravimus. Ergo neque erit probabile aliter philosophari de præcepto proprio fidei, virtutis adeò excellentis, & adeò placētis Deo propter suam honestatem, ac bonitatem intrinsecam, vt sit pars valde præcipua totius vitæ salutaris, ac fundamentum illius.

22. Quoto autem tempore licitè differri possit, secluſa necessitate accidentali, & extrinseca, repetitio actuum ipsius, minùs exploratum est, vt anteà prænotabam, quia præceptum eius determinatam moram nō præscribit. Constat tamen, primum eius actum, aut nullo, aut valde exiguo tempore differri posse, cùm illa sufficienter proponitur, quia id tempus esse opportunissimum omnium ad inchoandam novam vitam, iaciēdumque fundamentum, sine quo non est possibile Deo placere, satis patet ex ipsis rerum naturis: idque prudenti, ac cordato omnium Theologorū iudicio adeò receptum est, vt solum controvertant, vtrùm vrgeat ea obligatio in eo instanti metaphysico, quo fides primùm sufficienter proponitur, vel potiùs in morali permittente scilicet aliquam morulam; sed adeò brevem, vt moraliter loquendo dici possit, illum statim credidisse, de quo videndus Leander *vbi proximè q. 34.* Constat insuper ex illis, quæ de præ-


præcepto charitatis per se obligante dicuntur, quinquēnalem dilationem vacantem ab vsu fidei esse nimis longam, ac valde imprudens arbitrium permissivum eius; sed intra hosce terminos quidam plus spatij permittunt, puta duorum, triumve annorum; alij verò longè minus.

23. Mihi autem in re arbitraria maximè placent, qui dicunt, præceptum speciale fidei saltem semel obligare per se, atque natura sua quovis anno ad exercitium illius. Ita Petrus de Ledesma *in summa tom. 2. cap. 8. conc. 4.* affirmans, sibi esse certum, eum peccaturum mortaliter adversus istud præceptum, qui ab opere fidei interno tam longo tempore otiaret. Accedit Petrus Hurtado *disp. 93. de Fide. nu. 5* & qui vtrũque refert, & non improbat, Diana *p 5. tr. 13. resol. 29* Ecclesia vtique tantumdē spatij præscripsit ad adimplenda præcepta Divina Confessionis, atque Communionis: & in ordine ad præceptum diligendi Deum communior Theologorum opinio idemmet annale spatium per se assignare consuevit: neque respectu Orationis moram vlteriorem patitur, & quibusdam nimis desidiosa apparet eius procrastinatio vltra duos menses, vt iam alibi annotabam. Non videtur autem permittenda per se protractior dilatio credendi, quàm deprecandi, sive dignitas ipsorum actuũ attendatur, sive specialis vtilitas, sive communis necessitas exercendi ipsos ad componendos mores nostros iuxta exigentiam Catholicæ religionis, quam per modum status profitemur. Nam iustus ex fide vivit, & absque illa multò minùs potest à morte suscitari iniustus.

24. Pro praxi tamen observa ex P. Suarez *dicta disp. 13. de Fide. sect. 5. num. 6. ante fin.* & M. Ioanne à S. Thoma *q. 1. de Fide. disp 4. art. 2.* vers. *Circa tempus*, non esse, cur sint fideles admodùm scrupulosi, aut soliciti circa determinatum, ac præcisum tempus, vltra quod differri nequit exercitium actuum fidei semel habitæ. Quia regulariter omnes illud præveniunt, & non iam semel in anno, sed multoties intra ipsum illos repetere solent, sive orando Deum in suis tribulationibus, sive recitando symbolum Apostolorum, sive actus spei exercendo, sive resistendo tentationibus, sive eliciendo attritionem, aut actum contritionis de peccatis, sive frequentando Sacramenta, sive sese disponendo in periculo mortis, aut articulo ad ea ritè suscipienda, & ad moriendum in gratia. Hæc namque omnia, atque alia id genus, quæ passim in vita occurrunt, absque vsu fidei actualis regulariter non fiunt; sed actum eius supponunt, & quædam aliter non possunt fieri. Fiunt autem sæpesæpius omnia, vel aliqua illorum intra annum à quocumque adulto, qui se Christianum agnoscit, & non est penitus immemor alterius vitæ, & status, religionisque, quam profitetur. Vbi autem opera fidei absque magna interruptione exercētur, iam cessat determinata, ac præcisa huius præcepti obligatio, eique satisfactum creditur anticipata exhibitione actus iniuncti, & ex tunc incipit computari novus annus ad non differendum illum.

25. Moneo tandem, actum fidei, vt necessarius est necessitate medij ad iustificationem, & salutem, per se non deberi tot vicibus, quot debetur, quatenus est necessarius sola necessitate præcepti. Nam necessitate sola præcepti proprij, aut [illegible] virtutis, vt constat ex anteà dictis, frequentissimè debetur. At verò necessitate medij, atque præcepti simul solùm debetur, cùm vrget obligatio procurandi finem ipsum iustificatio-

nis, ac salutis, cuius obtinendi intuitu requiritur, & mãdatur sub præcepto. Vnde iustus, qui per multos annos non est sibi conscius vllius peccati mortalis, non tenetur repetere actum fidei, ex.g. erga Deum vt remuneratorem, considerando eum actum vt remedium recuperandæ salutis: nam remedia non sunt necessaria, vbi deficit infirmitas: & necessitas mediorum, prout præcisè media sunt, ex necessitate finis mensurari debet. Nec propterea possum approbare, quod absolutè, & indistinctè legitur apud Tamburinum *lib. 2. in Decalog. cap. 1. num. 3. & 8.* scilicet vt necessitati medij satisfiat, & præcepto propter ipsam superaddito, satis esse credidisse semel ea mysteria, quorum fides tali titulo debetur. Quippe necessitas finis mediante ea fide obtinendi, non semel in vita occurrit fidelibus adultis; sed sæpe, & toties, quoties gratia semel habita, per peccatum denuo amittitur, & iterum recuperari debet. Vrgente autem de novo necessitate comparandi finem gratiæ, ac gloriæ [illegible] deperditæ, nova itidem recurrit necessitas, & obligatio instaurandi illa media, sine quibus recuperari non potest, sicut nequit primùm obtineri. Videatur Azor *p. 1. institut. moral. lib. 8. cap. 7. q. 6.* & *cap. 27. q 8.* Quo autem pacto tàm peccatores, quàm iusti debeant in mortis periculo fidem suam renovare, servata proportione, accipi debet ex ijs, quæ circa obligationem diligendi Deum eo tempore *differt. 6. cap. 4.* præmisimus.



CAPVT III.

De præcepto non tacendi, sed confitendi fuam fidem, si à potestate publica quis interrogetur.

26. COntẽdebat decima octava propositio inter dãnatas, taciturnitatem in hoc casu per se non esse peccatum, & externam fidei cõfessionem in illis circumstantijs non tàm esse opus præcepti, quàm consilij: ita enim habet: *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, vt peccaminosum per se non damno.* Desumpta est autem ad litteram ex thesibus Antuerpiæ defensis *die* 16. *Aprilis anno* 1674. præside P. Arnoldo Marchant Minorita docto, prout refert Wilhelmus Sandæus *in confut. trium viror. fol. mihi* 161.

27. Fundamentum eius esse potuit, quia silentium per se nihil significat; sed ex circumstantijs occurrentibus interpretationem sumit. Non videtur autem in eo eventu taciturnitas sumenda pro denegatione fidei: nam si illam negare vellet, expressis verbis id facere posset, & ita tormenta effugere, quæ à Tyranno interrogante non respondentibus imminent. Sed neque tunc silentium denotare potest vitiosam erubescentiam propalandi fidem suam, aut aliquem cõtemptum eius, quia id potest meritò attribui metui acerbæ mortis, ac fragilitatis suę, qui in virum constantem cadit, & fortasse erit occasio deserẽdi eamdemmet fidem, si illam palam fateatur. Ergo per se loquendo nulla est ratio accipiendi in malam partem taciturnitatem eius, nisi ex novis cir-

circumſtantijs per accidens occurrentibus ſumatur aliud indicium. Quod etiam in fuga accidit, quia non ſemper eſt peccatum, aut argumentum malæ fidei fugere à perſequutoribus Eccleſiæ; ſed ſæpe licet ſe occultare, ne ab ipſis interrogari, & excruciari poſſimus.

28. Auget difficultatem, quia non cuilibet interroganti debemus manifeſtare directè veram fidem, quam in corde gerimus *& ſiquis fortè ſe ingeſſerit, & provocaverit nos dicere, quæ eum minùs rectè agentem non oportet audire, prudenter eum debemus eludere*, vt expreſſis verbis traditur à S. Clemente Papa & Martyre *epiſt. 3. ante fin.* & refertur *in cap. In mandatis. 2. diſtinct. 43.* Atqui Tyrannus iſte ſic ſe habet, nam iudicialiter interrogando malè agit, & ea interrogat, quæ ei non expedit audire, cùm ideò inquirat, vt in odium fidei noceat, tàm reſpondenti, quàm ſibi. Non ergo oportet reſpondere ipſi directè, & proijcere margaritas ante porcos adverſus præceptum Chriſti, quod etiam Pontifex inibi expendit; ſed eum potiùs prudenter eludere, ſive ſilentio, ſeu verbis: nam, cùm illud non eſt ſatis, etiam verba eluſoria ibi permittit. Prudentiæ vtique eſt, nolle manifeſtare fidem noſtram privatis inveſtigantibus, vtrùm Catholici ſimus? Eoſque licitè contemnere poſſumus, reſpondendo: *Quid tua intereſt?* Atqui de perſona publica eadem videtur ratio, cùm interrogando poteſtatem ſibi indebitam vſurpet, & maximè ſi Rex proprius non ſit; ſed Tyrannus, aut extraneus, vel ſi privatim interroget, ſicuti Pilatus Chriſtum, qui ſæpius nihil reſpõdit; ſed ad inſtar agni ſiluit.

29. Statuendum nihilominùs eſt per modum regulæ contradictorium propoſitionis exhibitæ, & damnandi, qui non damnant vt per ſe peccaminoſum tacere, & non profiteri fidem, dum à poteſtate publica fidelis de ſua fide interrogatur, ſive ille ſit Rex, ſeu Tyrannus, ſive Hæreticus, ſive Gentilis, ſeu quicumque alius Catholicæ religionis perſequutor. Ita Pontifex declarat in præſenti, & ante declarationem ipſius extra controverſiæ aleam videbatur, vt eximiè prænotavit P. Franciſcus Suarez, & ipſe Doctor Eximius *lib. 6. contra Regem Angliæ cap. 9. nu. 25.* vbi de iſtiuſmodi aſſertione ſic ſcribit. *Communis eſt Theologorum cum D. Thoma 2. 2. q. 3. art. 2. vbi Caietanus, & omnes moderni expoſitores non ſolùm conſentiunt; ſed etiam tanquam certum dogma illud tradunt. Nam licet aliqua controverſia ſit, an quælibet interrogatio ſufficiat (quæ ad præſens non refert) tamen cùm interrogatio eſt à publicâ poteſtate, nullum eſt dubium de obligatione confitendi fidem, quia tunc maximè imminet neceſſitas honorandi Deum, & Chriſtianam religionem, & ideò qui tunc tergiverſatur, ſubtrahit Deo debitum honorem, & verè Chriſtum erubeſcit.*

30. Accepere autem Scholaſtici hanc doctrinam, tum ex praxi, ac vſu primitivæ Eccleſiæ martyrum hiſtorijs comprobato, tum ex SS. PP. qui ſilentiarios iſtos vehementer exagitant, & ſpeciatim S. Auguſtinus relatus *in cap. Quiſquis. 80. 11. q. 3.* ibi: *Quiſquis metu cuiuslibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe provocat, quia magis timet hominem, quàm Deum.* Et poſt pauca: *Vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodeſſe nõ vult, & iſte nocere deſiderat.* S. Cyprianus *in lib. de lapſis.* his præter cætera: *Chriſtus in præceptis ſuis dicit: Qui confeſſus me fuerit coram hominibus, confitebitur eum filius hominis. Et Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut ve-*

retur? *Quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere, aut erubescit, aut metuit?* Latè, & optimè S. Chrysostomus *homil. 25. imperf. in Matth.* vnde excerpo pauca ista: *Sicut Sacerdos debitor est, vt veritatem, quam audivit à Deo, liberè prædicet: sic laicus debitor est, vt veritatem, quã audivit quidem à Sacerdotibus probatam in Scripturis, defendat fiducialiter. Quod si non fecerit, proditor est veritatis. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ac demum S. Isidorus *lib. 2. sentent. cap. 2.* ibi: *Sicut nihil proficit fides, quæ ore tenetur, & corde non creditur, ita nihil est profutura fides, quæ corde tenetur, si ore non proferatur.*

31. Suffragatur etiam ratio. Quia in illis circumstantijs perinde esset occultare fidem silentio, ac negare iudici se esse Christianum, vel erubescere Christum, & præ timore humano exteriùs dedignari discipulatũ eius, atque seruitutem. Est autem graue piaculum quodvis istorum admittere, atque in Diuini honoris detrimentum cedit, vt etiam in humanis contingit. Negare siquidem se esse Christianum, seruum Christi, vel discipulum, tantumdem valet, ac negare Christum, vt circa externam B. Petri negationem ex professo demonstrat Augustinus *tr. 118. in Ioannem.* Indubitatum est autem, eos grauissimè peccare, qui, etsi in corde rectè sentiant, exteriùs abnegant Christum, Matthæi 10. 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Neque quidquam refert in proposito, quòd negatio sit tacita, aut expressa, interpretatiua, vel formalis, quia taciti, & expressi eadem est ratio, quoties effectus est idem.

32. Et quamvis erubescere Christum minus esse videatur, quàm negare, non enim tantùm, qui negat, sed etiam, qui non audet profiteri alterius seruitutem, aut discipulatum per signa proportionata, eum erubescere dicitur; adhuc tamen sub verbo erubescendi exegit Christus confessionẽ sui, Lucæ 9. 26. ostendens, non esse prætermittendam, cùm periclitatur honor suus, etsi oporteat vitam perdere, aut non superlucrari totum mundum. *Nam*, inquit, *qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua.* Neque *erubescentiæ* nomine, cùm illam sibi ipsi tribuat, aliud denotare voluit, quàm nolle agnoscere palam, quod in hominibus præ tumore accidit; in Christo autem præ iustitia, qua non vult in ijs gloriari, qui gloriati non sunt in fide ipsius. Ac profectò nisi Martyres ista regula vsi fuissent, cùm de fide illorum quæstio mouebatur, sed pertinaci silentio occultassent gloriã Christi, in maximum vilipendium Diuini honoris cessissent, & medium apprimè aptum ad propagandam Ecclesiam ipsi Ecclesiæ esset subtractum.

33. Vtique negari nequit, Apostolis incubuisse præcisam obligationem profitendi fidem Christi, cùm ad Præsides, ac Reges traherentur: ad id enim ex officio tenebantur, idque Christus eis præcepit, & aduersus metũ mortis, quam propterea erant passuri, spe præmij, ac metu pœnæ æternæ, alijsque argumentis illos cõfortavit Matthæi 10. *vers.* 17. *& deinceps.* Atqui in ea occasione eadem est ratio de reliquis, nam omnes peræquè tangit affirmativum præceptũ credendi corde ad iustitiam, & ore confitendi ad salutem. Quòd verò nullum sit tempus, in quo certiùs hæc confessio debeatur, quàm tempore persequutionis, & factæ interrogationis à potestatibus publicis, inde

ri de conſtat, quia ipſe Chriſtus eamdem regulam, quam Apoſtolis præſcripſerat, extendit ad vniverſum cœtum fidelium; imò id intulit per particulam *ergo* ex eo ipſo, quod diſcipulis mandaverat: ita enim concludit *verſ.* 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Cuius illationis ratio apta nulla reddi poteſt, niſi apud Reges, & Præſides eadem obligatio incumbat omnibus fidem ſuam declarandi.

34. Addit præterea Abulenſis *ad eum locum q.* 129. non tantùm intra, ſed extra perſequutionem teneri quemvis Catholicum, à quocumque ſeriò interrogetur, palam profiteri fidem ſuam, ne Chriſtum erubeſcere credatur, & parvi facere ſe eſſe Chriſtianum, cùm ſit valdè magna dignitas. Cœterùm hoc alijs non placet, variiſque diſtinctionibus vtuntur ſecernentes interrogationem iudicialem ab extraiudiciali, publicam à ſecreta, factam à priuato magnæ auctoritatis, vel non niſi ab ignoto, aut contemptibili. Verumtamen hæc omnia materialia ſunt, ſolùmque oſtendunt tempus præciſum huiuſce obligationis multùm dependere à circumſtantijs rerum, loci, temporis, ac perſonarum, & pro illarum varietate vrgere poſſe, vel ceſſare omnino.

35. Regula autem generalis, ac formalis ea eſſe debet, quam S. Thomas præſcribit *in dicta q.* 3. *art.* 2. affirmans, præceptum iſtud *tunc obligare, quando ex dimiſsione huius confeſsionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda, vt ſi aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non eſſet vera, vel alij per eius taciturnitatem averterentur à fide. In his caſibus confeſsio fidei eſt de neceſsitate ſalutis.* Quocirca occultare fidem apud alios nunquam licet cū notabili detrimento Diuini honoris, aut exiſtimationis, quam merentur dicta illius, & Sacroſanctæ noſtræ religionis dignitas, nec item cum ſpirituali diſpendio alienæ, aut propriæ ſalutis. Et quia aliquid iſtorum ſemper accidit, quoties ſilentium interrogati de ſua fide denotat abnegationem, indeciſionem, inconſtantiam, aut erubeſcentiam tacentis, ideò in hoc caſu abſque maximo piaculo confeſſio omitti non poteſt. Secùs verò, ſi habita ratione omnium circumſtantiarum, ſolùm indicaret illū contemni, qui interrogat, quin tacendo contrariè ſubtrahatur aut Deo debitus honor, aut proximis neceſſarium ſubſidium, vt firmi in fide permaneant, aut ad illam revertantur, vel ne exemplo erubeſcentiæ noſtræ ſcandalùm ſibi accipiant.

36. Sed obijcies. Ergo etiam interrogante poteſtate publica, accidere poterit, vt ex ſilentio noſtro nullum ex his incommodis contingat, & tunc fidei confeſſio non erit neceſſaria; ſed ſatis erit non negare illam. Reſpondeo, per ſe loquendo id contingere non poſſe, vt conſtat ex anteà dictis, atque adeò meritò damnatam eſſe doctrinam, quæ per ſe peccaminoſum non putabat in illis circumſtantijs occultare ſilentio fidem ſuam. Neque aliter licebit arbitrari abſque magno ſcandalo, & temeritate, maximè ſtanti in contrarium communi SS. PP. ac Theologorum iudicio, qui taciturnitatem in eo eventu pro ſigno retractationis, aut erubeſcentiæ acceperunt, & præ alijs omnibus hunc caſum deſignarunt, in quo eſt moraliter neceſſaria fidei confeſſio, ne fides vilipendatur, aut ſalus proximi periclitetur. Nam pro proximi ſalute etiam deberi hanc confeſſionem, & non tantùm ad

vitam

vitandum Dei contemptum, aut iniuriam fidei, indubitatum apparet, & apertè habetur apud Augustinum *serm.* 81. *de temp. & lib. de Fide, & symbol. init.* his verbis: *Salvi esse non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum etiam ore profiteamur fidem.*

37. An autem saltem per accidens evenire valeat, quod in argumento assumitur ob extraordinarias aliquas, & rarò contingentes circumstantias, quæ aliquando possunt intercurrere, exploratum nō est apud Doctores. Plures enim absque vlla exceptione tradunt, illicitum esse silentium, interrogante potestate publica; alij verò, neque pauci, neque ignobiles, non semper necessariam esse credunt fidei confessionem in eo eventu, sed solùm regulariter, atque communiter. Ita M. à S. Thoma *q.* 1. *de Fide. art.* 2. *disp.* 4 *in fin.* Card. de Lugo *disp.* 14. *de Fide. à num.* 37. Lorca *in dicto art.* 2 *disp.* 24. *num.* 21. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 49 *prope fin.*, vbi appellat Bañez, Tannerum, & alios. Quibus addendi sunt Gonet *tom.* 4. *disp.* 7. *de virtutib. Theolog. art.* 2. *num.* 112. Malderus 2. 2. *q.* 3. *art.* 2 *memb.* 2. *conclus.* 2. Baldellus *tom.* 2. *Theolog. moral. lib.* 1. *disp.* 12 *à num.* 5. Palao 1. *p. tr.* 4. *disp.* 1. *punct.* 14. *prope fin.* Georgius de Rhodes *tom.* 1. *Theolog. Scholast. disp.* 2. *de Fide. q.* 4. *sect.* 2. §. 2. *ad* 1.



CAPVT IV.

Argumenta contraria dissoluuntur.

38. EX his ad fundamenta contraria parvo impendio satisfieri valet. Nam ad primum *in num.* 27. dici debet, in eventu ibi proposito nihil profuturum silentium ad occultationem fidei, quia Iudex tormentis extorquebit claram, & expressam confessionem eius, neque illi erit satisfactum, quousque fidelis, vt reus in iudicium vocatus, affirmativè, aut negativè respondeat: atque eò fortiùs eum vrgebit, quò certiùs ex taciturnitate præsumserit, aut ex alijs indicijs coniectaverit veram fidem, quam ipse delictum reputat, in corde eius latitare. Interim autem ac interrogatus cunctatur, & testimonio suo convinci renuit, suamque mentem intendit occultare, nequaquam vult tacendo consentire, aut haberi pro Christiano, sed negativè se gerere, & ita effugere damna confessionis manifestæ. Quare is status non est animi æstimantis, aut tuentis pro dignitate suam fidem, & consulentis summo honori, qui debetur Deo, vt magistro illius; sed fluctuantis, ac erubescentis ipsum, & nescientis, quò se vertat, ad denegationem exteriorem fidei, sive veram, seu mēdacem, vel ad confessionem eius, vnde mortem timet, & tormenta gravia. Ac de illo, si parva licet componere magnis, haud incongruè dici potest, quod in simili dicebat Tacitus: *Qui deliberant, desciverunt*: nam re vera illa cunctatio in iudicio, aut negatio fidei est, aut ei accedit quam maximè, & nunquam, aut vix vnquā cōtinget absque ipsius fidei dispēdio.

Ad

39. Ad ſecundum *in num.* 28. conſequenter eſt dicendum, quamvis interrogatio non fiat à publica poteſtate, ſilentium ſæpe eſſe illicitum, & ſemper, cùm attentis circumſtantijs involvit interpretativè, aut virtualiter denegationem, aut erubeſcentiam fidei, vel cùm expreſſior confeſſio moraliter neceſſaria apparet ad ſcandalum evitandum, vel tuendum Chriſtianæ religionis honorem, dignamque exiſtimationem, & auctoritatem Dei, vt eſt Magiſter eius. Quare ſemper eſt ſervanda regula ex Doctore Angelico propoſita *num.* 35. à quocumque fiat interrogatio, neque enim ipſe diſtinxit ab extraiudiciali iuridicam, aut publicam à privata; ſed ad id, quod eſt formale, ac neceſſarium, attendit, vt præceptũ confitendæ fidei obligare cenſeatur. Et ſanè, cùm Iudex interrogat, præſertim infidelis, aut Tyrannus, noſtra obligatio non oritur ex iuriſdictione illius, aut poteſtate legitima inquirẽdi in odium fidei, quæ nulla eſt; ſed ex eo ſolùm, quòd in illis circumſtantijs tacere Divino honori, cœleſtique doctrinæ præiudicet, aliſque occaſionem præbeat errandi circa veram fidem, & parum dignè ſentiendi de Auctore, ac Magiſtro illius.

40. Eadem autem ratio erit, cùm ſimile præiudicium ex ſilentio noſtro infertur, quamvis qui nos interrogat, non ſit Iudex; ſed privatus: quia eſto non ſemper ſub peccato teneamur promovere honorem fidei, vel directè augere dignitatem eius; ſemper tamen debemus procurare, ne noſtra dicta, vel facta alijs occaſionem præbeant, aut vilipendendi ipſam, aut minuendi auctoritatem eius. Quocirca, etſi S. Petrus non fuerit interrogatus de Chriſto ab aliquo Iudice, ſeu putativo, ſeu vero; ſed à privato milite, aut ancillula, adhuc contendit Ambroſius *lib.* 10. *in cap.* 22. *Lucæ*, debuiſſe reſponderé apertè, ac profiteri ſe eſſe eius diſcipulum, & ex eo capite fuiſſe inexcuſabilem, licet alioqui prætendat (piè potiùs, quàm probabiliter) illum nõ negaſſe Chriſtum corde, aut ore; ſed ambiguis verbis vſum eſſe: *Sed nos*, inquit, *excuſamus Petrum; Dominus autem non excuſavit. Non enim ſatis eſt involuta reſponſio confitentis Ieſum; ſed aperta confeſsio.*

41. Atque hoc ipſum toto progreſſu paſſionis nobis demonſtravit, Chriſtus, ſeu loquendo, ſeu tacendo coram Præſide, ac Summis Pontificibus. Conſtanter enim reſpondit, vbi Dei honor, aut publica vtilitas id poſtulabant, & oportere videbatur ad refellendas calumnias obiectas ab adverſarijs contra ſuam perſonam, innocentiam, aut doctrinam: Licet alioqui ſiluerit, & interrogationes ſibi factas contempſerit quaſi inutiles. Quando autem ſilere licet, & fidem noſtram interroganti occultare, ſi ſilentium non ſufficiat, etiam licebit eludere illum, à quo interrogamur, verbis citra mendacium ambiguis, vt animadvertit Thomas Sanchez *in ſumma. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. *ante fin.* Filliucius *tom.* 2. *tract.* 22. *num.* 64. Diana *ea reſol.* 49. Azor, & alij communiter. Et hoc eſt, quod Clemens docuit loco, qui nobis obiicitur, prudenter ſcilicet eſſe *eludendos* interrogantes de ſecretis fidei, quæ eos audire non oportet: *Nam nihil*, ait, *omnino reſpondere, auditorum cauſâ vtile non videtur: ne ſi fortè exiſtiment nos reſponſionis penuria declinare certamen, & [illegible] lædatur non intelligentium propoſitum noſtrum.*

42. Mitto, quæ ſpectant ad fugam tempore perſequutionis, quia paſſim obvia ſunt apud Auctores, & attentis circumſtantijs, ſolent eſſe longè

longè remotiora à vilipendio Divini honoris, aut fidei, quàm silentium, dum interrogamur à potestate publica. Nam *miles, qui fugit, iterum pugnabit*, vt proverbio Græco dicitur. Et sæpe expedit sese in meliorem occasionem reservare, vt Christus suo exemplo docuit fugiendo tempore infantiæ in Ægyptum, & sæpe alias cautè declinando adversariorum insidias; quia nondum venerat hora eius. Atque, vt scitè præmonebat Chrysostomus *homilia* 35. *in Matth. Christum fugiendo non negat, qui ideò fugit, ne neget*, veritus scilicet infirmitatem suam. Videatur Maldonado *in Matth. cap.* 10. *vers.* 23. Baldellus *vbi suprà tota disp.* 13. Et, qui satis minutè rem examinat, Leander à SS. Sacramento *in Decalog. 1. p. tr.* 2. *de Fide. q.* 13. *& deinceps*, necnon Suarez *disp.* 14. *de Fide. sect.* 3. *num.* 8. *& sequent.*

43. Deprehendes autem peculiariter ex ipso *ibidem sect.* 2. *num.* 7. præceptum cõfitendi exteriùs fidem, secluſa interrogatione, aut alio quovis accidente extrinseco, per se, atque ratione sui obligare adultos Baptismi tempore, & illos, qui in infantia baptizati sunt, cùm ad annos discretionis perveniunt; imò in decursu vitæ alijs temporibus, ita vt quis sese Christianum, atque fidelem non semel, sed pluries ostendat fidelibus, inter quos vivit: nam, si solitarius esset longo tempore, vti Paulus Eremita, illa obligatio cessaret. Quoto autē tempore differri possit eius exequutio ab ijs, qui degunt socialiter, & quomodo illi satisfieri valeat exercendo alias virtutes proprias fidelium, v.g. frequentando templa, aut Sacramenta, sumi potest ex ijs, quæ iam anteà scripsimus circa obligationem repetendi actus interiores fidei.

* *
*

DISSER-

DISSERTATIO XI.

DE CERTITVDINE FIDEI.

Hanc fidei prærogativam in Divinis litteris multoties commendatam labefactant tres propositiones, quæ sequuntur, & ideò meritò reiectæ sunt ab Innocentio, omnesque ab illis abstinere debent tanquam ab scandalosis, & pernicios is vt minimum.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm voluntas possit efficere, vt assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium?

1. VOluntatem id efficere non posse, totidem verbis tradebat decima nona propositio inter damnatas, desumpta ex thesibus sæpius citatis, defensisque Antuerpiæ *die* 16. *Aprilis anno* 1674. à R. P. Arnoldo Marchant Minorita. Integer contextus eius habetur *in specimine Theologiæ manantis per Belgium. p.*4. *cap.*5. §. 2. *prop.*5. quem præ oculis exponere iuvat, vt damnationis sensus meliùs deprehendatur, & lapsus assertionis notior fiat. Ita igitur *thesi* 11. ibi scriptum invenitur: *Iudicium credibilitatis, quo iudicamus de honestate fidei, eiusque necessitate, voluntati servit, vt firmè, invictèque assensum imperet; non intellectui, vt certiùs, firmiùsque assentiatur. Voluntas non potest efficere, vt assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

2. Quo loci notare oportet, duas diversas firmitates condistingui in fidei assensu; alteram, qua firmus est ex se ipso, & in se ipso; alteram, qua firmus est ratione alterius. Illa prior convenire debet assensui ratione sui, & ex proprio modo suæ tendentiæ, motivo, ac prædicatis intrinsecis intellectum afficientibus; posterior verò illi competit formaliter ratione voluntatis constãter imperãtis ipsum, & obfirmato animo volentis credere: nam ab illius firmitate firmus dicitur, sicut à voluntarietate voluntarius, & meritorius à merito. Vtraque autem appellari solet firmitas adhæsionis; sed oportet in præsenti illas suis notis distinguere, & firmitatem affectivam ab intellectuali secernere, ne æquivocatio terminorum confusionem pariat: quia propositio non loquitur de firmitate affectiva, quam habet assensus fidei per denominationem quasi extrinsecam à proposito credentis firmo, ac constanti; sed de illa, qua firmus est in se ipso ex proprio motivo, ac meritis.

3. Firmitatem adhæsionis affectivæ nuper à nobis descriptam S. Bonaventura luculenter explicat *in* 3. *distinct.* 23. *art.* 1. *q.* 4. dicens, eam esse, qua viri fideles amplectuntur id, quod credunt, voluntate adeò obfir-

mata, vt neque per argumenta, neque per tormenta, aut blandimenta recessuri sint ab illa; sed invicti, atque constantes in ea permansuri semper. Firmitas verò adhæsionis intellectualis, ac intrinsecæ, seu essentialis ipsimet actui credendi nihil aliud est, quàm eius certitudo, si S. Augustino credimus, & Angelico Doctori ex communi hominum placito energiam harum vocum exponentibus. Quocirca Angelicus Doctor certitudinem, firmitatemque adhæsionis intellectualis convertibiliter dici, & tanquam definitionem, ac definitum comparari, expressit *in 3. dist. 26. ar. 4. corp.* sic definiens certitudinem: *Certitudo propriè dicitur firmitas adhæsionis virtutis cognitivæ ad suum cognoscibile.* S. autem Augustinus *serm. 27 de verbis Apostoli. toto cap. 4.* promiscuè his vocibus vtitur accipiens sermonem firmum pro certo, & firmiorem pro certiori. Nam, cùm Apostolus Petrus *epist. 2. 1. 19.* dixisset, se audisse vocem de cœlo, qua Pater Divinitatem Filij testabatur, atque addidisset: *Habemus firmiorem Propheticum sermonem*, ipse refert, eum dixisse: Habemus certiorē Propheticum sermonem: & maiorem istam certitudinem ad maiorem firmitatem, & confirmationem veritatis revocat. *Certiorem*, ait, *esse dixit. Certiorem, non meliorem, non veriorem. Tàm enim verus ille sermo de cœlo, quàm sermo Propheticus, tàm bonus, tàm vtilis. Quid est ergo* Certiorem, *nisi in quo magis confirmetur auditor?*

4. Perinde ergo fuit asserere, voluntatem facere non posse, vt assensus fidei sit in se ipso magis firmus, quàm mereatur pondus rationū ad assensum impellentium, ac dicere, eam non posse efficere, vt sit in semetipso magis certus. Hoc autem absurdum est, & inter alios Manichæorum errores ab Augustino refellitur *toto lib. de vtilit. credendi*, tanquam dogma valde pernicioſum, & infallibilitati fidei nostræ multum derogans. Quippe certitudo, ac firmitas, qua assensus fidei per se ipsum Divinæ revelationi, & rebus revelatis adhæret, non commensuratur rationibus merè humanis, ac plerumque fallibilibus, quæ eorum veritatem persuadent; sed ex suo proprio motivo, atque tendentia illam obtinet: nam alioqui non esset firmior, nec certior assensus Fidei Divinæ à pia affectione imperatus, quàm assensus, quo homo rusticus, aut puer parvulus existimaret Divinam revelationem existere, & res in ea contentas veras esse propter rationes, aut coniecturas humanas sibi à Parocho propositas; non verò propter auctoritatem Dei obscurè revelantis, & de sua revelatione, ac materia ipsius fidem facientis.

5. Cuius rei gratiâ diligenter est notandum, in eo pondere rationum, de quo loquitur assertio, non includi auctoritatem Dei testificantis, quia ista non est ratio impellens; sed motivum principale credendi, specificativum fidei nostræ, ac formale obiectum eius; assertio autem firmitatem fidei ad rationes impulsivas revocat, vt constat ex verbis illis: *Quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Sicut autem respectu voluntatis distinguimus finem, seu motivum principale ab impulsivo, & rationes boni propter se moventes ad amandum à coadiuvantibus, & inducentibus; ita etiam in intellectu, servata proportione, distinguuntur rationes veri principaliter, ac ratione sui moventes tanquam obiectum formale à rationibus veri, quæ non movent principaliter, vt vi ipsarum assentiamur; sed solummodò impellunt, ac facilitant,

tant, vt formali motivo adhęreamus, & ratione illius præcipuè, ac vnicè accommodemus assensum. Quod in discursibus nostris sæpesæpius experimur; sed in rebus fidei omnium clarissimè deprehenditur. Nam rationes merè humanæ veritatem eius persuadentes, & Divinæ revelationis existentiam comprobantes quamplurimæ sunt, & ex vi illarum plures difficultates removeri solent, quæ assensum eius retardarent, aut prohiberent; & nihilominùs nulla ex eis spectat ad formale obiectum eius, neque vltima fidei resolutio ad eas devolvitur; sed vnicè sistit in Divini testimonij auctoritate, quam sine dubio, aut formidine amplectitur mens credentis, non obstante obscuritate, propter se, ac ratione sui.

6. Ex quo iam viribus novis argumentum pręmunitur. Quia voluntas imperando, mediante pia affectione, assensum fidei Theologicæ, re ipsa facit, vt intellectus certissimè, ac indubitanter credat actu supernaturali tàm mysterium revelatum, quàm revelationem ipsam. Rectè ergo facere potest, vt credat firmiori assensu, quàm rationes impellentes mereantur propter se, ac ratione sui. Hę namque ex se non merentur assensum in se certissimum, neque supernaturalem, neque dignæ sunt, vt propter solas ipsas revelationi, aut mysterio assentiatur intellectus absque formidine errandi, vt veris infallibiliter. Quocirca aut assensus fidei non est in se ipso certissimus ex obiecto formali, & modo suo, aut voluntas, quæ illum causat, certiorem assensum facit, quàm ex se, & ratione sui meretur pondus rationum impellentium ad credendum, quod menti vt verum obijcitur. Dici autem nequit absque gravi errore, assensum fidei Theologicæ non esse in se ipso certissimum, cùm sit supernaturalis, & formale obiectum eius sit auctoritas Divina. Necesse igitur est, vt voluntas possit eum certiorem facere, quàm suo pondere merentur rationes merè impulsivæ.

7. Illustratur. Quia rationes impellentes ad assensum fidei suo merito, ac pondere nunquam ostendunt evidenter, Deum esse, qui loquitur per Prophetas, aut Pontificem, neque intellectum convincunt, aut demonstrant, esse omnino certum, & Divinæ attestationis suprema auctoritate firmatum, quod fide credendũ dicitur: nam alioqui eiusdem fidei obscuritatem auferrent, & meritum eius perimerent. Quinimò frequenter accidit propter difficultatem mysterij, vel alijs de causis, quas incredituli sæpius obtrudunt, vt contrarijs rationibus ad dissensum impellentibus validè præpediantur, vt in Eucharistia, Trinitate, & alijs videre licet. Et ad summum rationes ita impellentes, Divinamque revelationem applicantes, moralem quamdam evidentiam generare valent, maiorem, aut minorem iuxta suam efficaciam, & capacitatem audientis. Porrò certitudo intrinsica ipsemet assensui fidei, atque adeò firmitas eius longè maior est quacumque certitudine morali; imò & maior quavis naturali evidentia metaphysica, vt Theologi communiter tradunt, & probat optima ratione S. Thomas *q.* 14. *de verit. art.* 1. *ad* 7. in hæc scribens: *Certitudo duo potest importare. Scilicet firmitatem adhæsionis. Et quantum ad hoc fides est certior omni intellectu, & scientia, quia prima veritas, quæ causat fidei assensum, est fortior causa, quàm lumen rationis, quod causat assensum intellectus, vel scientiæ. Importat etiam evidentiam eius, cui assentitur, & sic fides non habet certitudinem; sed scientia, & intellectus.*

8. Illustratur iterum. Nam voluntas potest facere, vt intellectus credat Deo loquenti ea firmitate, quam meretur summum pondus Divinæ auctoritatis: facit enim, vt credamus propter ipsam tanquam ob formale obiectum, & non propter argumenta, aut rationes merè humanas. Atqui dignitas, & pondus auctoritatis Divinæ longè maius est auctoritate, ac pondere cuiusque alterius rationis impellentis ad credendum. Ergo facere potest voluntas, vt intellectus assentiat longè maiori firmitate, & adhæsione, quàm rationes impulsivæ mereantur. Neque enim solùm movet intellectum per modum causæ imperantis assensum ex eo motivo, & cum illa firmitate; sed etiam alias concausas necessarias ad exequutionem eius, v. g. habitum fidei, aut aliud auxilium transiens. Nam habitibus vtimur, cùm volumus: &, sicut credere, aut non credere, vt oportet ad salutem, constitutum est in nostra potestate, sic in nostra potestate constituitur, vt cæteræ causæ coëfficientes pariter cum intellectu eumdemmet actum credendi, prout oportet, exequantur. Nihil igitur iam deest, sive ex parte principij, sive ex parte obiecti (præsuppositio iudicio sufficiente talis credibilitatis) quominùs voluntas honestè, ac prudentissimè imperet ipsum credere actualiter propter auctoritatem Divinam nescientem fallere, aut falli, neque vt imperando faciat, vt intellectus adhæreat rebus creditis ea summa firmitate, quam dignitas sui motivi specialiter requirit, & cuius expertes sunt aliæ rationes humanæ.

9. Illustratur tertiò. Quia ad credendum fide salutari necessarium est putare absque dubitatione, ac formidine partis oppositæ, rem, quam credimus, esse certissimam, & eidem toto corde, & super omnia credibilia appretiativè adhærere, vt manifestis testimonijs Sacræ paginæ, & Conciliorum evicimus *differt. 5. cap. 4.* Vel ergo hic modus credendi à voluntate imperatur intellectui vltra meritum, & capacitatem motivi intellectualis sibi ad assensum propositi, vel non, sed iuxta eius meritum? Si vltra meritum, neque assensus erit fidei Theologicæ, ac salutaris, cùm careat motivo digno tantæ adhæsionis, & Divinæ auctoritati non nitatur; sed rationi infirmæ, ac debili: neque affectus illum imperans, erit pius, aut honestus; sed pertinax, obstinatus, & imprudens, qualem habent erga sectas suas Turcæ, aut Hæretici, & erga mores aliorum, qui de illis iudicant temerè. Si iuxta meritum, necesse erit, vt motivum formale assensus imperati sit quidpiam in se certissimum, rationabilis formidinis, ac dubitationis expers, & super omnia credibile: neque enim alia ratione promereri poterit, vt simili firmitate eidem inniratur intellectus. At rationes merè humanæ impellentes ad assensum has proprietates non habent; sed sola Divini testis suprema, & maxima auctoritas. Ergo huic inniti debet intellectus credens fide salutari, & hoc est, quod pia voluntas ei debet imperare, dum iubet tantæ firmitatis assensum: imperat enim motivum essentialiter connexum cum mysterio obscurè revelato, neque fieri potest, vt mens nostra tali motivo innitatur, sepositio voluntatis imperio.

10. Illustratur quartò. Quia rationes impellentes ad iudicium fidei ratione sui non merentur, iuxta thesim profligatam, plusquàm opinativum assensum: nam, si firmiorem alium mererentur, omnino malè intulisset eius Auctor propositione sequenti, illum posse prudenter repudiari. Dicere autem fidei assensum

non

non esse in se ipso firmiorem, quàm opiniones humanæ prudenter repudiabiles, atque fallibiles, Sacræ Scripturæ repugnat, Tridentino, ac toti Ecclesiæ. Pervertitur etiam iudicium credibilitatis honestæ, dum mysteria revelata non proponuntur credere volenti, vt certiori iudicio credibilia, quàm opiniones humanæ: nam ita non crederẽtur prudenter absque formidine, neque ab oppositis sectis dignum foret velle dissentire toto corde, ac tota mente. Ipsa quoque pia affectio voluntatis, quæ ex hoc iudicio dirigitur ad imperandum assensum, nullo pacto esse deberet cõstans, aut invicta vsque ad perpessionem mortis pro secura veritate eorum, que creduntur. Nam pro veritate assensus merè opinativi, aut prudenter refutabilis imprudens est tanta adhæsio, & obstinationis potiùs, quàm veræ honestatis. Eadem autem ratio est de adhæsione ad quodvis aliud iudicium, cuius intrinseca firmitas hos limites non transcendit.

11. Illustratur quintò. Nam, si vox illa *rationes*, vti propriè sonat, accipiatur, quia, vti iacet, sumi debet, adhuc erit longè absurdior thesis condemnatæ sensus. Nam argumenta suadentia nostræ fidei veritatem, partim à ratione sumuntur, partim ab auctoritate, & inter locos arguendi omnes, tàm Theologi, quàm Philosophi, ac Rhetorici distinguũt locum ex ratione sumptum, & locum ab auctoritate acceptum. Si ergo propositio velit ita inhærere rationibus impellentibus ad fidem, vt omnem auctoritatem excludat, multò improbabilior erit: quia tollit vnum è maximis, ac præcipuis argumentis, vnde quoad nos comprobatur incõcussa fidei veritas. Quantam enim fidem promeretur auctoritas merè humana Ecclesiæ consideratæ duntaxat, vt est cœtus innumerabilium hominum fidedignorum propter suã virtutem, & sapientiam? Quantam Martyrum historiæ, qui pro eiusdem fidei veritate mortem, & acerbissima tormenta sustinuerunt? Quantam miracula, & gesta Sanctorum hominum eamdem veritatem contestantia? Quòd si hæc omnia separentur, & rationes solæ relinquantur impellentes ad credendum, profectò nostræ fidei credibilitas summè extenuabitur, & valde infirma reddetur: nec dubium, quin vox illa possit facere exclusivum istum sensum, & scandalo esse multis, qui ita intelligendam crederent.

12. Fatendum nihilominùs est, non posse voluntatem efficere, vt intellectus firmiùs assentiatur rebus fidei, quàm promeretur auctoritas Dei testificantis, quia hæc meretur firmissimam adhæsionem, & appretiativè summam. Cœterùm, quàm certum est, voluntatem à Deo adiutam posse facere, vt intellectus ex hoc formali motivo mysterijs revelatis, prout oportet, assentiatur, tàm certum est, posse efficere piè, ac honestè, vt firmiori assensu credat, quàm mereantur rationes impellentes ad assensum.

CAPVT II.

An possit aliquis prudenter repudiare assensum supernaturalem, quem habebat?

13. EX propositione nuper cõfutata inferebat eius Auctor *eadem thesi* 11 id fieri posse prudenter, his verbis, quæ immediatè subsequuntur, & *proposit.* 20. exhibentur: *Hinc potest quis prudenter repudiare assen-*

assensum, quem habebat supernaturalem. Quæ illatio, vt possit firma subsistere, ad hanc formam debet redigi: *Voluntas nequit efficere, vt assensus fidei supernaturalis sit in se ipso magis firmus, quàm mereatur gravitas, seu pondus rationum impellentiũ ad assensum. Sed pondus harum rationum non meretur assensum adeò firmum, vt prudenter nequeat repudiari. Ergo neque fidei assensus supernaturalis adeò firmus est in semetipso, vt prudenter repudiari nequeat.* Consequentia evidens est, si supponatur præmissarum veritas. Maior autem eadem ipsa propositio, quam adversarij assumebant: nam, licet fidei meminerint, & supernaturalitatem eius non expresserint, de fide supernaturali proculdubio loquebantur, cùm de fide salutari differerent; & alioqui intentum consequens, vbi assensus supernaturalis exprimitur, nequaquã possent inferre. Minor etiam absque dubio tacitè subsumi debet. Nam, si põdus rationum impellentium adeò grave foret, vt intellectum convinceret, & physicam evidentiam veritatis rerum credendarum, aut saltem moralem gigneret, prudenter repudiabiles non essent. Hoc enim duntaxat competit rationibus topicis, ac merè opinabilibus, habentibusque in contrarium adeò grave fundamentum, vt quamvis anteà fuerint acceptatæ, meritò valeant posteà reprobari, ac reijci vt parum firmæ.

14. Quamobrem illatio ista manifestissimè detegit sensum, & absurditatem thesis immediatè præcedentis, illamque simul redarguit cuiusdam implicationis occultè ibidem latentis. Nam ex vna parte præsupponit, voluntatem posse efficere, vt assensus, quo intellectus credit, sit in se ipso supernaturalis, qualem esse oportet ad salutem promerendam; & aliunde contendit, eam non posse facere, vt tanta sit propria eius firmitas, quanta requiritur, vt prudenter repudiari nequeat. Hîc autem satis aperta terminorum implicantia conspicitur. Quia omne iudicium intrinsecè supernaturale, sive obscurum, sive evidens, est propterea in se ipso certum, atque adeò firmum, ac stabile, si attendantur eius merita. Dicere ergo, illum posse prudenter repudiari ex defectu firmitatis intrinsecæ sibi, ac propriæ, nil aliud est, quàm negare supernaturalitatẽ eius. Nam retenta supernaturalitate intrinseca iudicij, eo ipso retinetur intrinseca eius certitudo, ac firmitas cuivis falsitati ex se repugnans, atque ideò cuilibet repudiationi prudenti. Perinde igitur est, inspectis omnibus, adstruere assensum intrinsecè supernaturalem, & prudenter repudiabilem ex intrinseco defectu firmitatis, ac afferere, illum esse simul intrinsecè supernaturalem, & naturalem, firmissimum, & infirmum, infallibilem, atque fallibilem, certum prorsus, & incertum. Atque hæc chimæra tribuitur voluntati, dum asseritur, eam posse facere, vt intellectus credat supernaturaliter, & negatur ei potestas faciendi, vt credat assensu intrinsecè certo, irrepudiabili, ac firmo.

15. Quocirca illa propositio, quam præ manibus habemus, sive vt illativa sumatur, sive vt causalis à præcedenti dependens, & certitudinem fidei, & eius supernaturalitatem excludit. Sed & absolutè sumpta meritò notari debuit. Nam re vera est *absurdissima*, vt rectè docuit Suarez *disp.* 4. *de Fide. sect.* 2. *num.* 5. & absque vlla exceptione reijcienda, vt iterum refricat *disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 6. nosque idipsum varijs rationibus stabilire conabamur *dissert.* 5. *num.* 41. quibus nunc alias adijcimus. Nam, si repudiari potest prudenter, atque adeò licitè, assensus fidei iam habitæ,

pru-

prudenter, atque adeò licitè, quis apoſtatare poterit à fide voluntariè ſuſcepta, quia apoſtaſia in eo receſſu conſiſtit, quem vox repudij præſefert, & perinde eſt repudiare aſſenſum fidei iam habitum, atque recedere, ſeu alienari ab illo. Quòd ſi homo iuſtus id faceret, cùm abſque culpa contingat, habitum gratiæ retineret, & habitum fidei amitteret, qui conſervari non poteſt cum actu abijciente fidem. Vel, ſi fortè contendas, fidei habitum adhuc in eo caſu retineri, quia demeritoriè tantùm poteſt, ac debet excludi, ſaltem ſequetur, poſſe apoſtatam eſſe fidelem, ac iuſtum, quamvis ab illis diſcedat, quæ, ſecluſo errore quovis, aut ignorantia invincibili, priùs vt certa erat amplexus, & toto corde crediderat.

16. Refellitur præterea ex Sacris litteris. Nam *qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*, ex Ioanne *epiſtol.* 1. 5. 10. Porrò qui teſtimonium Dei habet in ſe, ac pro ſe, illud repellere nequit abſque graviſſima culpa, cùm ſit teſtis omni acceptione maioris, & auctoritatis ſummæ. Confirmatur. Nam fides eſt fundamentum, cui ad inſtar petræ innititur tota moles ædificij ſpiritualis erigendi in corde noſtro, vt permaneat ſtabiliter. Ergo ex ſe, ac ratione ſui debet eſſe fortis, & invicta, ſicut petra, nullis ſcilicet ceſſura contrarijs, quantumvis validè oppugnent conſiſtentiam eius; ſed omnibus reſtitura immobiliter. Quippe ædificium, quod nititur fundamento parum ſtabili, ruinoſum eſt, & infirmũ; fundamentum autem fidei ideò petræ aſſimilatur, quia vim prævalendi habet adverſus quæcumque obſtantia, & ſemper firma conſiſtit. Vnde Chriſtus ita expoſuit Matthæi 7. 24. vtriuſque ſimilitudinem in hæc loquens: *Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuã ſupra petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram.*

17. Vrgeo præterea. Nam ſupernaturalis aſſenſus, qui iam habitus prudenter repudiabilis dicitur, aut evidens eſt, aut obſcurus? Quòd ſi evidens ſit, non niſi temerè evidentia repudiabitur. Si verò obſcurus, ad fidem per ſe infuſam ſpectabit. Atqui aſſenſum fidei infuſæ neceſſariò præire debet iudicium credibilitatis evidenter proponens, myſteriũ, & revelationem eius eſſe prudenter credibilem, non vtcumque, ſed abſque vlla rationabili dubitatione, aut formidine. Huic ergo evidentiæ repugnabit, qui repudiare voluerit aſſenſum fidei iam habitum, niſi omnino ſit oblitus eius. Sed nemo poteſt prudenter recedere, aut repudiare eum aſſenſum, quem evidenter agnoſcit, non niſi temerè poſſe retractari, aut elici cum formidine partis oppoſitæ. Nemo ego poteſt reijcere illum aſſenſum ſupernaturalem fidei, quem anteà ſemel habuerat. Etenim, vt poſſit prudenter eum aſſenſum velle repudiare neceſſarium eſt prævium iudicium prudentis repudiabilitatis, & conſequenter iuſtum, graveque motivum ad repudiandum inducens. Porrò hoc motivum in eo inveniri non poteſt, qui meminit ſe evidenter iudicaſſe aſſenſum talis obiecti prudenter potuiſſe haberi abſque vlla errandi formidine. Nam motivum, ex vi cuius poſſumus prudenter aliquem aſſenſum repu[illegible] etiam ſufficit ad diſſentiendum prudenter obiecto illius, & à fortiori ad dubitandum de eius veritate, aut certitudine. Nec fieri poteſt, vt quiſpiam prudenter exuat intellectualem formidinem, & toto corde, ac ſuper omnia

omnia assentiatur illi obiecto, quod prænoscit posse optimo iure vt falsum, aut incertum improbari, & ratione gravi, atque prudenti obnoxium esse formidini.

18. Objicies tamen 1. ex Auctore thesium damnatarum, cuius verba *num.* 1. retulimus. Iudicium credibilitatis, quo iudicamus de honestate fidei, eiusque necessitate, voluntati servit, vt firmè, invictèque assensum imperet; non verò intellectui, vt certiùs, firmiùsque assentiatur. Ergo quòd illud præcesserit, nil obstare potest, quominùs assensus fidei licitè, ac prudenter repudiari valeat. Respondeo ex dictis, iudicium credibilitatis non tantùm deservire voluntati, vt imperet fidei assensum imperio invicto, ac constanti; sed etiam ad imperandum prudenter intellectui, vt exequatur assensum in se certum, ac firmissimum; deserviendo autem voluntati immediatè ad hunc effectum, consequenter deservit intellectui, vt mediante tali imperio certiùs, firmiùsque assentiatur, quàm alioqui assentiretur, deficiente illo iudicio, vel considerando solùm rationes humanas veri ad assensum inclinantes. Et sanè, nisi hoc iudicium deserviret voluntati ad imperandum assensum tantæ certitudinis, ac firmitatis, neque ei deservire posset ad prudenter imperandum illum imperio semper invicto, & prorsus firmo, & constanti: quia vltra meritum illius foret tanta adhæsio voluntatis, atque adeò temeraria potiùs, & imprudens, quàm honesta, & regulis prudentiæ consentanea. Quinimò, si ratem debet voluntas credendi esse adeò invicta, & perdurabilis, vt nullis contrarijs cedat, id sufficeret, vt fidei assensus nunquam posset prudenter repudiari, quia prudenter repudiari nequit, nisi simul repudietur, retracteturque propositum semper retinendi invictè assensum fidei iam habitæ.

19. Objicies 2. Siquis in Hispania edoctus à suo Parocho, aut Episcopo de veritate Baptismi ab hæreticis collati, migrasset in Africam, dum vigebat controversia ista, ibique videret, S. Cyprianum, & alios plures Episcopos vitæ sanctitate, atque doctrina percelebres contrarium prædicare, ac practicare, absque dubio, magna illorum auctoritate permotus, posset prudenter suspendere, imò retractare eum assensum, quem anteà fidei præstiterat. Atqui assensus ille supernaturalis erat, ac veræ fidei Theologicæ. Ergo nil obstat, quominùs assensus supernaturalis fidei iam habitus possit prudenter repudiari, ac novo examini subijci.

20. Hunc casum specialiter proposuit Petrus Hurtado *disp.* 14. *de Fide.* § 57. agens tamen de illis veritatibus, quæ nondum erant ab Ecclesia vniversali decisæ, & ex eo arripuere quidam ansam sibi persuadendi repudiationem, de qua loquimur, non esse vsqueadeò impossibilem. Sed immeritò. Nam qui verè credidit, prout oportet ad salutem, adeò firmiter adhæsit auctoritati Dei testificantis, vt neque Apostolo ipsi, à quo priùs instructus fuerat, neque Angelis de cœlo (si fieri posset) contrariū asseverantibus, fidem licitè adhibere possit, aut retrocedere à fide semel habita, vt docebat Paulus *ad Galatas* 1. *vers.* 6. *atque deinceps*. Quare, aut peregrinus ille priùs in Hispania crediderat fide supernaturali, ac Theologica, validum esse Baptismum ab hæreticis collatum iuxta morem Ecclesiæ, aut ea fide non crediderat; sed propter auctoritatem humanam Parochi cathechizantis ipsum? Si propter auctoritatem Parochi, prudenter poterit hunc assensum repudiare quantum est ex parte illius, & de-

deferre plus auctoritati Cypriani, aliorumque Episcoporum, qui consentiebãt cum illo: neque enim tunc repudiabitur supernaturalis assensus; sed naturalis innixus motivo valde fallibili. At verò, si iam crediderat fide supernaturali, ac Theologica propter testimonium, & auctoritatẽ Divinam sibi à Parocho sufficienter applicatam, nulla iam auctoritate dimoveri poterit, vt prudenter transferatur in oppositam doctrinam.

21. Obstat enim evidentia credibilitatis in memoria conservata, quæ suggessit in Hispania ei veritati prudenter deferri, imò deberi assensum absque vlla prorsus formidine partis oppositæ, non pro tunc solùm, aut interim, ac aliud non apparet; sed pro semper, omninoque absolutè. Obstaret assensus ipse iam præbitus, idque duplici de causa. Prima est, q' in virtute illius, sicut non tantùm putamus esse verum, quod proponitur; sed etiam esse à Deo revelatum, captivando intellectũ in obsequium Christi, ita etiam non duntaxat credimus esse à Deo revelatum; sed etiam esse credibile propter testimonium eius, nam in ipso actu credendi hoc involvitur: & ideò ratione illius multò certiùs, atque firmiùs putamus credibilia esse, quæ credimus, quàm per quæcumque motiva credibilitatis merè humana præcedentia assensum ipsum, vt subtiliter animadvertit Suarez *disp. 6. de Fide sect. 8. num. 7.* Secunda, quia assensus salutaris in se ipso est infallibilis, & vt talis prudentissimè ab intellectu acceptatur adhærendo obiecto illius toto corde, & super omnia; nemo autem licitè, aut prudenter repudiare valet assensum, cuius obiecto tanquam omnino infallibili adeò firmiter adhæsit, nisi voluntariè decipiatur circa naturam illius, & putet se ita assentiendo temerè, ac imprudenter egisse.

22. Viteriùsque sequeretur, cum non tantùm posse, sed debere, & teneri sub peccato retractare assensum fidei tanquam temerè conceptum toto corde, ac super omnia: neque enim ita credibile esse potuit secundum rectam rationem id, cuius contradictorium ob auctoritatem Cypriani, & Aforum erat ipso credibilius. Atque in praxi isti doctrinæ se accommodare deberet sequẽdo partem tutiorem circa valorem Baptismi, & rebaptizando baptizatos ab hæreticis, quos prudenter iudicabat nondum esse baptizatos validè, quãvis contrarium antcà certò credidisset.

CAPVT III.

Vtrùm assensus fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stet cum notitia solùm probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus?

23. STare affirmabat 21. propositio inter proscriptas, cuius prima pars assensum fidei Theologicæ merè probabilem reddit; postrema verò formidinem prudentem, atque probabilem de illius veritate admittit, ac cum eo componi iudicat. Porrò ex vtrolibet capite, quorum vnum aliud explicat, longè plus quàm scandalosa, & pernicioſa videtur, atque his censuris vt minimum subiecta est indubitanter. Nam quòd eiusmodi assensus circa mysterium Euch ..st v.g. intrinsecè certus sit, imò certiss.. mus, & non duntaxat probabilis, e.. ipsa illius supernaturalitate, & vtilitate ad salutem manifestè deprehenditur, estque Theologis valde explo-

ratum. Quòd verò haudquaquam patiatur probabilem secum formidinẽ, aut rationabile dubium de sua, vel sui obiecti veritate, ex Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 9. fin.* satis conspicuè monstratur. Nam ex eo, quòd quivis possit, sua fragilitate inspecta, meritò timere, ac formidare, ne non sit in statu gratiæ, definit adversus hæreticos, neminem posse de eo statu esse certum fidei certitudine, cui nequit subesse falsum. Verba expendimus *differt. 5. num. 36.* & deinceps plura alia adduximus, vnde damnatæ propositionis absurditas manifestè demonstrabitur.

24. Illa quidem, sicut iacet, expressè duntaxat loquitur de probabilitate, ac formidine circa existentiam Divinæ revelationis, & hoc est illius obiectum directum, ac immediatum; non verò credibilitas moralis, ac honesta ipsius revelationis, aut obiecti per ipsam revelati; etsi vtrũque minùs rectè confundant Filguera, & alij. Cœterùm dum planè affirmat, fidem supernaturalem, & vtilem ad salutem (de hac semper loquemur) stare cum notitia solùm probabili Divinæ revelationis; imò & cum formali formidine de non existentia illius, sensum reddit nimis absonum. Quia perinde est, ac si dixisset, actum fidei dari posse absque vlla notitia certa Divinæ revelationis; sed solam merè probabilem, & actu formidolosam sufficere ad credendum fide salutari. Id autem nullo pacto sustineri potest. Nam saltem in ipso assensu fidei necessariò involvitur notitia revelationis obscura, sed prorsus certa, & exclusiva formidinis prudentis, atque probabilis de non existentia illius: nam certus de aliquo obiecto nequit putare prudenter cõtradictorium ipsius esse re vera probabile. Vnde sicut planè est evidens, assensum fidei stare non posse absque se ipso, sic pariter evidens est, non posse stare absque notitia certissima Divinæ revelationis, aut dari in rerum natura cum sola merè probabili. Ille namque per se ipsum attingit revelationem tanquam rationẽ formalem, & motivum assentiendi veritati revelatæ, vt revelata est: nec fieri potest, vt circa veritatem revelatam certus sit, ac infallibilis, & circa revelationem incertus, & non amplius, quàm probabilis.

25. Nam, vt modò prætermittam, supernaturalitati ipsius repugnare incertitudinem, & nullam Theologiam ferre opiniones falsitati expositas intrinsecè supernaturales, in præsenti vlteriùs premit, quòd revelatio sufficienter proposita fit iusta ratio assentiendi tanquam certæ, ac infallibili veritati revelatæ; implicat autem, assensum infallibilem, & certum fundari super rationem mere incertam, & fallacem. Quare, vel dicendum est, actum fidei dari posse in intellectu, quin detur vlla notitia certa, & prorsus infallibilis veritatis revelatæ, aut idipsum est negandum de revelatione illius. Sed primum concedi nequit, nisi tota fidei œconomia ad meras opiniones reducatur. Ergo nec secundum potest verosimiliter adstrui. Et quidem, si fides esset formaliter discursiva, necessariò præsupponeret assensum omninò certum Divinæ revelationis, vt necessariam præmissam ad credendum, prout oportet, veritatem revelatam: nam conclusio debiliorem partem sequitur, & ex altera præmissa opinativa, & incerta, omnino certa conclusio nequaquam inferri valet. Idem autem est quoad hunc effectum, quòd discursu non vtatur. Nam vno simplici assensu totum discursum cum suis præmissis complectitur: & tota ratio credendi certò, & absque vlla formidine mysterium revelatum

ea

ea eſt, quia reputat certum, illud eſſe à Deo dictum, qui nec fallere poteſt, nec falli. Recolantur, quæ præmiſimus *à num.* 38. loco ſuperiùs citato.

26. Rurſus arguo principaliter. Quia non ſolùm credi debet myſterium Euchariſtiæ v. g. verùm etiam, illud eſſe à Deo revelatum: vtrumque enim eſt de fide, & vtrumque neceſſarium ad credendum, prout oportet, & abſque dubio eſſet hæreticus, qui quodlibet ex iſtis pertinaciter negaret, aut in dubium revocare auderet; imò hæretici communiter non ideò detrectant fidem, quia de Dei veracitate in loquendo, & cognoſcendo formident; ſed quia timent, ne fortè non ſit loquutus, neque atteſtatus, quod ab Eccleſia proponitur, vt ab ipſo revelatum. Ergo ſicut fieri nequit, vt probabiliter iudicet, fortaſſe non eſſe verum myſterium, qui illud credit fide ſalutari, ita etiam fieri non poteſt, vt de ipſius revelationis exiſtentia, ac veritate probabiliter formidet, qui eiuſmodi aſſenſum habet. Nam credendo fide ſalutari, atque adeò certa, & prudenti, revelationem exiſtere, circa ipſam actu exerceret fidem ſupernaturalem; formidando verò, ac iudicando, illam fortè non exiſtere, circa eamdem revelationis fidem ſibi ſufficiēter propoſitam, & acceptatam pertinaciter erraret; &, quod hinc ſequitur, & contradictionem implicat, circa vnum, & idem ſub eâdem ratione ſumptum ſimul foret hæreticus, & fidelis.

27. Neque proderit, ſi dicas, revelationem non credi, dum creditur myſterium revelatum. Credi enim debet, vt firmitas fidei ſubſiſtat, & eſſe pariter res credita, & ratio formalis, atque motiva credendi: nam ea propter non tantùm myſteria, ſed Divina etiam *teſtimonia credibilia facta ſunt nimis*, Regio Pſalte id atteſtante. Ita cum Angelico Doctore, Capreolo, Caietano, Valentia, Vaſquez, & alijs communiter, ex profeſſo P. Suarez *diſp 3. de Fide ſect.* 12. maximè *à num.* 7. Ratio autem videtur evidens. Quia fides vltimò reſolvi debet in revelationem Dei vt actu cognitam, & affirmatam ab illo, qui ob ipſam credit. Sed non reſolvitur in ipſam vt cognitam cognitione aliqua infallibili, evidente phyſicè, vel metaphyſicè, cùm obſcurè cognoſcatur; nec cognitione fallibili, ſive probabili, ſive evidenti moraliter; neque vt creditam ſola fide merè humana, aut alio inferiori lumine, quàm fidei infuſæ: nam ita non eſſet æquè, ſed longè minùs certa exiſtentia ipſius, quàm fides eidem innixa tanquam fundamento, ac baſi. Ergo in eam debet reſolvi vt creditam eâdem fide, qua creditur myſterium revelatum. Nam Deus non tantùm revelat, v. g. incarnationem; ſed etiam dicit, ſe id dicere, & ſe eſſe, qui nobis loquitur, & hoc neceſſarium eſt, vt fide certa ei credamus: parum enim referret ad credendum Deo, audire loquutionem in abſtracto, niſi agnoſceremus, cuius eſſet, & quiſnam nobis loquatur. Loquitur autem per Eccleſiam, & per Sacram Scripturam, atque in actu ſignato revelavit, ſe dicere, ac loqui per ipſas: & ſaltem in actu exercito per ipſam revelationem, ſeu privatam, ſive publicam, qua manifeſtat myſterium, vt credendum fide ſalutari, manifeſtat, ſe illud dicere, redditque vtrumque credibile, & acceptabile à nobis, *vt eſt verè verbum Dei*, & non hominis docentis ipſum.

28. Neque item prodeſt, ſi dicat revelationem etiam credi fide certa & infallibili ab eo, qui credit myſterium, eo quòd fuerit à Deo dictum; ſed cū hac notitia ſimul ſtare alium aſſenſum diſtinctum eiuſdem revela-

tionis ex se duntaxat probabilem, atque merè opinativum. Non, inquam, prodest. Nam, si hoc tantùm intendisset condemnata propositio, non debuisset, nec potuisset addere particulam exclusivam *solùm*, & longè minùs asserere, tunc dari posse *formidinem, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus.* Quia particula illa *solùm* quamcumque notitiam certã revelationis excludit, & planè æquipollentia esse videntur, assensum fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stare cum notitia solùm probabili revelationis, ac stare solùm, vel cum sola probabili notitia illius. Et, siquid dubij forsan supereſſet, id omnino tolleretur addendo, stare etiam posse cum probabili formidine partis oppositæ. Nam actualis, intellectualisque formido, nisi temeraria sit, prorsusque imprudens, non sequitur assensum obiecti quantum est de se probabilem, si simul cum alio certo, sive obscuro, sive claro, in eodem Intellectu reperitur. Stultitia quippe est formidare, ne sint falsa, quæ prudenter iudicamus esse omnino infallibilia; aut vice versa putare esse infallibilia omnino ea, de quorum veritate formidamus ex prudenti, ac probabili motivo.

29. Et propterea Tridentinum laudatum anteà ex formidine, qua meritò homines timere possunt, ne non sint in statu gratiæ, colligebat eumdem statum non cognosci ab ipsis certa fide: atque ab oppositò consequentis ad oppositum antecedentis eâdem evidentia inferri potest, id quod certa fide creditur, sive sit revelatio, sive aliud, non credi cũ actuali contrariæ partis formidine. Neque distinxit Concilium inter actus salutares perfectos, aut imperfectos certos ex sua causa, vel aliunde; sed id assumpsit, quod commune est omnibus, nempe certos esse ea certitudine, cui nequit subesse falsum, & de ijs vniversim dixit non componi cum formidine rationabili partis oppositæ. Et alioquin, non obstante illius definitione, etiam nunc possent hæretici affirmare, se cognoscere fide certa, & infallibili se esse in statu gratiæ, quamvis non adeò perfecta, sicut illa, qua creduntur alia obiecta toto corde, & super omnia credibilia.

CAPVT IV.

Vberior prædictorum confirmatio.

30. DIsputant hinc indè Theologi, vtrùm fides, & opinio circa vnum, idemque obiectum simul reperiri valeant? Sunt autem plures, qui existiment, id esse omnino impossibile, qui consequenter negabunt, possibile esse, vt vera Fides Divinæ revelationis simul cõponatur cum assensu opinativo eiusdem. Sunt prætereà alij non pauci, qui id non repugnare iudicent; sed ijdem ipsi pariter affirmant, formidinem actualem partis oppositæ separari posse ab opinione, ac necessariò separandam esse, si cum actu certæ fidei simul coniũgatur. Quocirca tàm affirmantes, quàm negantes, in eo principio conveniunt, quod nobis in præsenti est necessarium, nempe intellectualem formidinem prudentem, ac rationabilem, qua quis timet, ne fortè sit falsum id, quod certa fide credit, cum actu eiusdem fidei repugnare.

31. Disputant prætereà, an sit hæreticus, qui actu opinativo assentitur rebus credendis per fidem sibi sufficienter propositis? Et affirmant esse hæreticum Castro, Aragon, Lorca,

ca, Azor, & alij bene multi, quibus ſtrenuè ſuffragantur Coninc *diſp.* 18. *de Fide.à num.*105. Palao *p.*1. *tr.*4. *diſp.*8.*punct.*2.*à num.*11. Iuxta quam ſententiam proculdubio erit hæreticus, qui ſimul cum actu fidei credente revelationem habet adhuc circa ipſam alium aſſenſum probabilem; imò omnis ille, qui videns credibilem eſſe honeſtè per fidem indubitatam, non hac fide, ſed opinativè ſolùm eidem aſſentiri mavult. Verumtamen, quia contraria ſententia probabilior viſa eſt alijs, vt P. Sanchez *lib.*2 *in Decalog.cap.*7.*num.*12. & vera Card. de Lugo *diſp.* 20. *de Fide. num.*20 *& diſp.*17.*num.*96. P.Suarez *diſp.*19. *ſect.*4. *num.* 16. P.Granado 2. 2. *controv.*1. *tr.* 15. *diſp.* 3. *num.*6. animadvertendum eſt, hos omnes expreſſè aſſerere, hæreticam eſſe formidinem, aut dubitationem, qua quis iudicat res fide credendas eſſe incertas, aut ſolummodò probabiles, & ideò tantùm putare aſſenſum opinativum ſolius fidei humanæ eiſdem licitè adhiberi poſſe, quia de ratione opinionis directæ non eſt formido ſubiectiva, & actualis, quam theſis proſcripta admittit cum aſſenſu fidei ſtare.

32. Quare in vtrâque ſententia condemnatio illius locum habet: ſive enim dicas, *fortè Deum non revelaſſe Incarnationem*, ſive dicas, *fortè revelaſſe*, ſive dicas, hoc, aut illud eſſe duntaxat probabile, vtrumque eſſe incertum iudicas, aut ſub opinione poſitum, & ideò veræ fidei contradicis, de cuius ratione eſt, prout ab opinione diſtinguitur, aſſentiri obiecto ſuo *cum certitudine, & abſque formidine partis alterius*, vt S. Thomas declarat 2.2. *q.*1.*art.*4.*corp.* Et ex ipſo etiam habemus 1.*p.q.*32.*art.*4. hæreſim eſſe opinari falſum de materia fidei agnitæ, & definitæ ab Eccleſia, negando ſcilicet myſterium aliquod iam ſufficienter propoſitum, aut revelationem eius. Nec ſolùm negando; verùm etiam affirmãdo id ipſum affirmatione permixta cum formidine actuali deferente parti oppoſitæ veram probabilitatem, aut falſitatem incertam. Quò ſpectat egregius Auguſtini locus, alibi à nobis expenſus; *lib.* 8.*de Trinitate.cap.* 5. dicentis: *Salva fide licet dicere, fortè talem habebat faciem, fortè non talem. Fortè autem de Virgine natus eſt Chriſtus, nemo ſalva fide Chriſtiana dixerit.*

33. Vnde patet, cùm formido in intellectu nil aliud ſit, quàm quædam dubitatio timorem falſitatis inducens, duas eius ſpecies ſecernendas eſſe. Alia enim formido eſt probabilis, & bene fundata, ſeu iuſtis de cauſis concepta: alia improbabilis, & malè fundata orta ex ſcrupulo, vel alijs motivis levibus. Prior re vera nequit dari contra res ex fide certas, quia certitudo infallibilis, ſeu fidei, ſeu evidentiæ, omnem contrariam rationem quantumvis apparentem enervat; ideòque de ratione cuiuſcumque probabilitatis eſſe dicitur, ſi verè talis ſit, & non falſò exiſtimata, vt nequaquam opponatur alicui principio certo, & hoc priùs debet inſpicere, ac examinare pro captu, & tempore quiſquis aliquam doctrinam cenſet verè, & abſolutè eſſe probabilem.

34. Poſterior, ſi indeliberata ſit, cum vera fide non pugnat, quia certitudo non aufert improbabilitatem partis oppoſitæ; imò ſua virtute, & efficacia eam improbabilem reddit: & propterea, licet ſæpe occurrant rationes, quæ ſeparatim valde efficaces videntur contra Trinitatem, Euchariſtiam, aut revelationem eius, nullam adhuc probabilitatem fidei contrariam conciliant, nec rationabile motivum dubitandi de illius veritate præbent, quia oppoſita credibili-

tas

tas totum earum pondus elevat, easque deprimit, vt plumbum deprimit exiguam paleam. Quod si eiusmodi formido deliberata sit, ac voluntaria, nisi desit pertinacia, aut sufficiens propositio rei credendæ, proculdubio erit hæretica, & eò magis imprudens, ac temeraria, quò minore fundamento rimet, vbi non est timor, & formidat, ne sint falsa, quę cognoscit, aut tenetur noscere esse infallibilia, & certa; imò toto corde, ac super omnia honestissimè amplexanda.

35. Nam quod *toto corde* debeat credere, qui credit, sicut oportet ad salutem, constat ex verbis Philippi ad Eunuchum baptizandum *Actor.* 8. 37. *Si credis ex toto corde, licet.* Perinde autem est Deo credere ex toto corde, ac credere super omnia credibilia opposita dictis eius: sicut perinde est diligere Deum ex toto corde, ac diligere Deum super omnia amicitiæ ipsius contraria: & eum ex toto corde sibi concupiscere, sicut fit per spem Theologicam, ac concupiscere ipsum super omnia concupiscibilia, & pluris ipsum, quàm cætera alia appretiare. Nec vox illa *ex toto corde* ad solam voluntatem immediatè refertur; sed etiam ad intellectum, dum tractatur de eius actibus. Isaiæ namque 6. 10. *corde intelligere* dicimur, & excæcatio, quæ ad voluntatem non spectat, cùm sit potentia cæca ex semetipsa, *excæcatio cordis* inibi appellatur, contestante idipsum B. Ioanne in Evangelio *cap.* 12. 40. Vnde, cùm scripsit Apostolus, *corde creditur ad iustitiam*, de intellectu, ac mente loquitur, supposita credendi voluntate: sicut planè differit de lin[illegible], & externa ipsa potentia loquen[illegible] statim subiungens, *Ore autem confessio fit ad salutem.*

36. Denique ex dictis concludes (quod aliquibus negotium facessit) huius propositionis damnationem non opponi; sed mirificè cohærere cum condemnatione quartæ, ac vice versa. Hîc enim agitur de illo, qui credit fide supernaturali, & conducente ad salutem; ibi de eo, qui non credit; sed sponte infidelis manet. Hîc de illo est sermo, qui credendo habet assensum affirmativum Divinæ revelationis, quamvis duntaxat probabilem: nam, si haberet negativum ei contradicentem, nullo modo posset credere, aut moveri ex testimonio, quod existimat non dari; ibi autem de eo, qui discredit ductus minùs probabili opinione negativa ipsius revelationis, aut mysterij revelati, ac proinde hæretica ex vi obiecti sui directi, contradicenteque formaliter Christianæ fidei. Hîc damnatur quisquis dixerit, notitiam omnino certã revelationis Divinæ non requiri in eo, qui credit; sed probabilem duntaxat, & actu formidolosam affirmationem sufficere; ibi reprobantur illi, qui opiniones negativas rerum fide credendarum, hæreticæ cùm sint, & improbabiles, probabiles esse posse supponebant, & eo prætextu sufficiẽtes ad infidelitatem excusandam. Quæ autem hîc sit oppositio, aut antinomia dictorum, impervium mihi est, neque, vt reor, vllus erit, re intellecta, qui illam invenire valeat.

37. Nam & illi, quos *differt.* 5. *cap.* 3. appellabam, etsi probabiliorẽ notitiam credibilitatis fidei putent obligare statim ad eam suscipiẽdam, vel certè in mortis articulo, non ideò negant, casu quo actu suscipiatur, in eodemmet actu fidei involvi assertionem certam Divinæ revelationis, nec censent affirmationem illius ita esse posse probabilem, vt eius contradictoria probabilis etiam sit, & iustum motivum præbens timendi, ne fortè credens revelationem existere, sic credendo decipiatur. Nos autem, qui ex adverso reputamus dubiam

bilem hanc propositionem non sufficere ad credendum, prout oportet; sed iudicium evidens saltem moraliter credibilitatis prærequiri, ideò præcipuè id asserimus, quia credibilitas formidolosa,& incerta non sufficit voluntati ad imperandum prudenter intellectui, vt actu adhæreat revelationi, aut mysterio, vt certis infallibiliter,& nulli expositis rationabili formidini de oppositæ partis veritate. Atque vtriusque ratum est, assensum fidei esse omnino inseparabilem ab affirmatione certa Divinæ revelationis, & non tantùm esse hæreticam enuntiationem negativam eius; verùm etiam formidinẽ actualem, qua quis timet, ne fortè talis enuntiatio sit probabilis.

DISSERTATIO XIJ.

DE NECESSITATE FIDEI.

Præcipuus scopus Apostoli tota epistola ad Romanos est ostendere necessitatem fidei supernaturalis ad salutem gratiæ in hac vita, & salutem gloriæ in futura comparandam. Sed quia duplex est necessitas, alia medij, alia præcepti, & fides ipsa alia explicita, alia implicita, alia stricta, & alia lata, circa hoc etiam impegerunt theses hoc loco damnatæ, præsertim 22. & 23. quarum examini accingimur.

CAPVT PRIMVM.

An fides explicita Dei vt remuneratoris necessaria sit necessitate medij ad gratiam iustificationis proprijs actibus in hac vita comparandam?

1. NEgat esse necessariam 22. *propositio* hisce verbis: *Non nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij; non autem explicita remuneratoris.* Vnde manifestè appareret, sermonem esse de iustificatione adultorum, qui proprijs actibus se ad gratiam disponunt. Nam parvulis, qui ante vsum rationis Baptismum suscipiunt, neque fides vnius Dei ipsorum propria potest esse necessaria ad fidem habitualem simul cum gratia obtinendam; hîc autem actualis fides,& explicita Dei, vt remuneratoris necessaria esse negatur necessitate medij eisdem ipsis, quibus fides vnius Dei eodem modo necessaria esse putatur.

2. Quare & de præsenti institutione, ac providentia intelligenda est asser-

assertio: nam de potentia absoluta haud dubium, quin possit Deus creaturæ vtenti ratione gratiam, aut gloriam conferre, quin ex parte illius præcedat vllus fidei, aut charitatis actus. Imò non desunt, qui affirment, tàm Angelos, quàm Adamum in statu innocentiæ de facto absque vlla prævia dispositione immediatè à Deo sanctificatos fuisse, vt Sotus *lib. 1. de natur. & grat. cap. 5.* & Molina *1. p. q. 62. art. 3. ad 1.* neque id possibile negant, qui oppositum opinantur. Nomine autem fidei *explicitæ* ea intelligitur, qua res in se creditur, & sub ratione propria correspondente his vocibus, vel alijs æquipollentibus, *Deus est remunerator*; implicitæ verò illa confusa, qua res creditur non in se ipsa; sed vt est in alio obiecto vniversali, aut materiali contenta, vt ijs contingit, qui generaliter credunt, quæcumque credit Ecclesia, aut Deus ipse revelavit.

3. Iam verò, cùm hi Auctores negant, eiusmodi fidem esse necessariam necessitate medij, non proinde diffitentur, necessariam esse saltem necessitate præcepti. Sed maximum est discrimen inter vnam, & alteram necessitatem. Nam quæ necessaria sunt sola necessitate præcepti, debent exequutioni mandari, cùm facultas, & occasio suppetit; sed non impediunt salutis assequutionem, si absque culpa ob ignorantiam, vel defectum occasionis de facto prætermittantur. Quæ verò necessaria sunt necessitate medij, sunt media saltem ex Divina institutione necessaria ad salutem consequendam: positivè namque ad eam conducunt, & ita vt eorum defectus, quantumlibet inculpatus, eius assequutionem impedire possit, vt contingit, quoties desunt media non præcisè vtilia ad quemvis alium finem; sed requisita omnino, vt ad ipsum perveniatur. Quo fit, vt necessaria etiam sint necessitate præcepti, nam volenti ad vitam ingredi fat est servare mandata, vt ipsemet Christus docuit Matthæi 19. 17. fat autem non esset, si media, sine quibus ingredi ad vitam non possumus, mandata nobis non forent; sed nostræ optioni relicta.

4. His explicatis, iam proclive erit ostendere thesim damnatam vt minimum esse obnoxiam censuris à Pontifice iustis, & fortasse mereri alias graviores. Neque enim solùm excludit necessitatem fidei explicitæ, qua Deus remuneraturus credatur præmio æternæ gloriæ bona opera nostra; sed sola Dei, vt est vnus, actuali fide contenta, nullius futuri præmij, sive naturalis, sive supernaturalis, fidem necessariam esse iudicat: *Non*, inquit, *nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij.* Vnde qua ratione tollit necessitatem credendi operum bonorum præmia, eâdem pariter excludit pravorum iusta supplicia, & vnâ operâ negat, esse necessariam spem, ac timorem Numinis, quarum altera fundatur in fide illius vt remuneratoris, alia in fide ipsius vt Vindicis. Nec iuxta hanc doctrinam opus erit credere, veniam peccatorum à Deo obtineri posse, animam esse immortalem, superesse alteram vitam, Deum curare res humanas, aut exaudire orationes, vel placari sacrificijs.

5. Quia ad credendum dari Deum, & non esse nisi vnum, necesse non est explicitè, & sub sua propria ratione credere quidquam istorum. Porrò nil illorum necessariò esse credendum necessitate medij, sive ad gratiam, sive ad gloriam obtinēdam, sive ad perseverandum longo tempore in iustitia, sed sat esse solam fidem existentiæ Divinæ, aut vnitatis, valde temerariè asseverabitur, & contra omnes SS. PP. ac Theologos longè

longè aliter differentes, cùm de fide ipsorum singillatim agitur. Imo multi omnia, vel pleraque ex istis in fide remuneratoris necessariò includi iudicant. Ratio autem est: quia, sublata illorum fide, vix, aut ne vix quidem vllus invenietur, qui ad Deum inquirendum sese ex toto corde applicet, & componat vitam suam, prout oportet ad consequendam salutem. Neque naturalis ratio eius defectum supplebit, sive circa supernaturalia, quæ sola Dei revelatione nobis innotescunt, sive circa eas veritates, quas perspicaciores aliqui longo tempore assequuntur lumine naturali. Quia Dei existentia, & vnitas est vna ex his veritatibus, & id non præstat, quominus explicita fides eius, etiam iuxta istos Auctores, sit medium necessarium ad salutem.

6. Iam verò, vt cum eis agamus, quatenus expressim diffitentur, fidem explicitam Dei, prout est remunerator, esse necessariam necessitate medij, illicò occurrit celebris locus Apostoli sic scribentis ad Hebræos 11. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quo loci observandum est, verbum *oportet* nõ denotare meram congruitatem; sed medij necessitatem. Tum quia ita sæpius sumitur in Sacris litteris, dicente Chrysostomo in simili *serm. de Moyse. tom. 1. Dum* oportet *dicit, necessitatem inducit. Necessitas autem tanta vi adstringit, vt quod necesse est, etsi nolis, præterire nõ possis.* Tum quia in præsenti idem verbum applicatur pariformiter Fidei Divinæ existentiæ, ac fidei remunerationis; respectu autem illius non congruitatem, sed medij necessitatem significat. Tum demum, quia exinde probat Apostolus, impossibile esse Deo placere sine fide; impossibile autem id non foret, si non esset necessarium placituris Deo habere fidem, sed absque illa possent obtinere iustitiam alijs actibus.

7. Notandum præterea, Apostolum inibi de Henoch differere, qui ante legem scriptam floruit, & eius fidei attribuere, quòd fuerit in paradisum translatus; & ante mortem ereptus ex huius vitæ periculis: ita enim air *vers. 5. Fide Henoch translatus est, ne videret mortem.* Porrò quia id difficile apparebat, quia in Sacris litteris nusquam fides eius nominatim commendatur; sed solùm dicitur Genes. 5. 22. & 24. *ambulasse cum Deo*, & Ecclesiastici 44. 16 *placuisse Deo*, ex hoc ipso argumentum sumit Paulus ad illius fidem adstruẽdam, subdens: *Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.* Inde autem planè concludit, eum præditum fuisse fide, *quia sine fide impossibile est placere Deo.* Probat autem, sine fide impossibile esse Deo placere, quia accedentem ad Deum necesse est credere, eum existere, ac remunerari opera inquirentium ipsum. Quò fit, vt de primo ad vltimum quasi ostensivè demonstret, Henoch credidisse vtrumque.

8. Hic est discursus Apostoli clarus ex illius contextu, planèque intentum concludens; sed qui valde infirmus redditur, imo impertinens iuxta doctrinam contentam in dicta thesi. Infirmus quidem: nam, si fides remunerationis non est medium necessarium ad placendum Deo accedentibus ad ipsum, non rectè colligeretur, Henoch eam fidem habuisse, ex eo, quòd illi placuerit. Imò si interdum contingeret, vt adulti aliqui absque tali fide gratiam Dei assequerentur, facilè posset occurri Apostolo, asserendo nõ constare, an Henoch fuerit ex illis, qui cum sola vnius Dei Fide Divinam amicitiam sunt

adepti, aut certè, malè deduci ex eo præcisè, quòd placuerit Deo, habuisse pariter cum fide illius, vt est vnus, fidem, qua remunerator creditur. Impertinens verò: quia ad probandum, eum habuisse fidem illam, sine qua impossibile est placere Deo, impertinenter se habet fides illa, quæ minimè est necessaria ad eum finem obtinendum. Atqui fides Dei, vt remuneratoris, ex doctrina adversariorū, necessaria non est ad eum finem, sed absque illa potest comparari, tàm iustitia, quàm æterna salus, sicut absque fide aliorum, quæ solùm est necessaria necessitate præcepti. Fruſtra igitur assumpsisset Apostolus oportere, vt qui Deo placent, non solùm credant, Deum esse; sed etiam, remunerari opera inquirentium ipsum.

9. Ideò autem pertinuit maximè ad institutum Apostoli huius actus necessitatem adstruere, quia de ea fide loquebatur, quam initio eiusdem capitis hisce verbis definierat: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Porrò substantia, seu radix, ac fundamentum sperandi bona nobis salutaria non est sola fides, qua putamus, Deum non esse nisi vnum; sed etiam illa, qua credimus, esse finem à nobis assequibilem, & assequēdum de facto merito bonorum operum, dum eum, vt oportet, quærimus. Vnde vterque actus iuxta Apostolum pari expressione, atque necessitate requiritur ad iustitiam comparandam in illo, qui ad Deum accedit. Nec ad bona merè naturalia coarctatur; sed ad supernaturalia ab ipso promissa extenditur. Hæc namque sunt illa bona, quæ præcipuè ab eo speramus, ... mè ipsummet Deum: quæ iu... optima non apparentia, quasi per ... tonomasiam dicuntur, & eo planè sensu, quo idemmet Apostolus 1. *ad Corinth.* 2. 9. scribebat: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum; nobis autem revelavit per Spiritum suum.*

10. Satis verò declaratur, vtrumque actum esse necessarium necessitate medij, dum æquiparantur substantiæ, seu radici, basi, ac fundamento vitæ spiritualis: nam hoc modo necessaria est substantia ad accidentia, radix ad arboris fructum, basis ad erigendam columnam, & fundamentum ad molem ædificij sustentandam. Idipsum satis planè colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 6. vbi idem locus Apostoli ad propositum expenditur, & speciatim notatur loqui de dispositione ad comparandam iustitiam. Præiveratque S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 5. his præter cœtera: *Ad fidem veram nos vocat, & hodierna lectio, viamque nobis præparat, quomodò oporteat & nos placere Deo. Quando enim accesserit homo ad serviendum Deo, non credens illum futurum remuneratorem? Quomodo continebit puella, & iuvenis sibi temperabit, si non crediderit, immarcescibilem esse castitatis coronam?* Hæc ibi. Quibus S. Thomas concinit *lect.* 2. *litt.* B. dicens, ad salutem necessariò esse credendum, non solùm, quòd Deus est; *sed quòd habeat providentiam de rebus. Aliter enim nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.*



CAPVT II.

Auctores, & argumenta.

11. PRæmisimus anteà, in propositione cõdemnata duas enuntiationes includi; alteram, qua vniversim affirmatur, non esse necessariam ad salutem necessitate medij fidem explicitam vllius obiecti, præterquàm Dei, vt est vnus; alteram, qua specialiter negatur, fidem explicitam Dei vt remuneratoris per modum medij requiri. Notavimus prærercà, primam longè esse absurdiorem. Quia, præter fidem explicitam Dei, vt est vltimus finis assequibilis à nobis per media supernaturalia, fonsque omnis gratiæ, & Auctor gloriæ, in qua essentialis iustorum remuneratio consistit, excludit etiam fidem totius providentiæ naturalis, atque supernaturalis, quam Deus habet erga mundum; fidem insuper Divinarum promissionum, ac minarum, & consequenter cum ipsis spei Theologicæ, orationisque necessitatem, tàm in statu legis Evangelicæ, quàm Mosaicæ, vel naturæ.

12. Vniversim namque, & absque exceptione loquitur, & neque in re, neque in voto quid istorum necessarium esse iudicat per modum medij ad salutem, sive adultis infidelibus, sive fidelibus, sive baptizatis anteà, sive lapsis post Baptismum. Quinimò, si fortè quispiam erraret inculpabiliter circa hæc ipsa, eaque negaret, posset nihilominùs habere fidem necessariam ad salutem. Quia adhuc posset instrui Fide Dei, vt est vnus, credendo plures Deos esse impossibiles, & non dari nisi vnum ens à se ipso existens, independens, atque necessarium, summèque perfectum. Istis namque essentialis, formalisque conceptus vnius Dei sufficienter explicatur, & cum eis componi valet error v. g. circa Trinitatem personarum, aut circa aliud attributum. De quo post Caietanum 2. 2. *q.* 2. *art.* 2 *in fin.* P. Suarez *disp.* 12. *de Fide sect.* 3. *num.* 3.

13. Ideò sub hac amplitudine nullum ego Auctorem competi, qui thesi condemnatæ subscriberet. Nam Guilielmus Parisiensis, Altisiodorensis, & nonnulli alij, qui significarunt, sufficere rudi populo fidelium credere in generali quod credit Sancta mater Ecclesia, eo ipso postulabant vltra fidem vnius Dei, fidem Ecclesiæ, atque potestatis ei tributæ loquendi, ac proponendi credenda nomine, & auctoritate ipsius. Neque inficiabantur, esse necessariam expressam Dei remuneratoris fidem, vt ex eorum verbis constat, & iam olim Sylvester prænotaverat verb. *Fides. q.* 3 *circa fin.* & P. Suarez *disp.* 12. *de Fide. sect.* 4. *num.* 1. Qui verò fidem explicitam Dei, vt est remunerator, non iudicant necessariam semper, & in omni eventu, adhuc adijciunt necessariam esse vt plurimum, ac regulariter, & maximè ad iustificationem adultorum infidelium, aut fidelium, qui desperatione habitum spei amiserunt. Et quamvis fidem, aut spem gloriæ vt coronæ non postulent; nihilominùs non sunt contenti sola Dei fide, vt est vnus, sed vlteriùs exigunt fidem pœnarum, vnde timor excitetur, necnon fidem necessariam ad spem veniæ concipiendam, quam ab explicita fide, & ab spe obtinendi præmium gratiæ, aut gloriæ condistinctam esse censent. Videndus P. Arriaga *disp.* 12. *de Fide. sect.* 5. P. Ripalda *disp.* 17. *sect.* 9. præsertim *num.* 229. & qui ipsis præluxerãt, de spe remunerationis, illiusque necessitate differentes, Vega *in Trident. lib.* 6. *cap.* 27. Dominicus

Soto *in 4. dist. 14. q 2. art. 5. §. Hinc ergo.* Petrus Soto *lib. 10. de Pœnit.* Valentia *tom. 2. disp. 8. punct. 4. §. 1. vers. Quibus ita.*

14. Carpit insuper hac occasione Laurentius Maria Pisani *in Gladio Gedeonis propos. 22. num. 2.* Emmanuelem Sa verb. *Fides. num. 1.* eidemque imputat non fuisse ausum improbare eam sententiam, quæ docebat, hoc tempore legis gratiæ non esse necessarium necessitate præcepti credere aliquid explicitè de articulis fidei; sed sufficere, si implicitè, & in confuso credatur totum, quod credit Ecclesia. Sed certè Sa verb. *Parochus. num. 5.* ad salutem necessarium reputat credere symbolum Fidei, & Decalogum, ac *Pater noster*, vehementerque incusat eos, qui *Fidei mysteria, præsertim Trinitatis, & Incarnationis, tantopere ad salutem necessaria*, suos subditos docere negligunt. *Væ*, inquit, *Parochis! Væ Episcopis! Væ Prælatis!* Eo autem loco, qui in contrarium allegatur, istiusmodi necessitatem non negat, sed potiùs adstruit. Nam proposita sententia S. Thomæ, aliorumque affirmantium, explicitè esse credenda mysteria fidei, quæ publicè in Ecclesia celebrantur, adiungit, alios putare, *multos excusari ignorantia, præsertim cùm deest, qui doceat.* Et hæc est illa sententia, quam non audet improbare. Porrò obligationem non detrectat; sed agnoscit, qui legitimam excusationem prætendit: nam vbi obligatio deest, excusatio frustra adjicitur, vt ex se patet, notatque in proposito cum Valentia Thomas Sanchez *in summa. lib. 2. cap. 3. num. 18.* apud quem *num 20.* super videre poteris, an eiusmodi ignorantia, saltem defectu magistri, vel capacitatis, possit esse adeò inculpata, vt verè à peccato excuset?

15. Quidquid autem sit de mente horum Auctorum, & an mens, ac censuræ Pontificię in rigore satisfiat, improbando solam primam thesis propositæ partem, mihi etiam omnino displicet secunda, quatenus absolutè inficiatur, fidem Dei, vt est remunerator, esse medium necessarium ad salutem. Censeo enim cum D. Thoma *2. 2. q. 2. art. 8. ad 1. Omni tempore, & quoad omnes necessarium fuisse, duo illa explicitè credere de Deo*, quæ S. Paulus proposuit, nempe *quòd sit, & inquirentibus se remunerator sit.* Ita sumitur ex anteà dictis, & vlteriùs confirmatur. Quia saltem fides implicita Dei, vt est remunerator, dicenda esset necessaria per modum medij ad salutem, atque vt minimum id asseri debet, vt Apostoli verbis satisfiat. Atqui fides Dei vnius non est implicita fides Dei, vt est remunerator, neque connectitur cum promissione, aut revelatione gloriæ, vel alterius præmij supernaturalis. Ergo aut nulla omnino fides Dei, vt est remunerator, requiritur vt medium iuxta Apostolum, vel ea non est nisi explicita.

16. Obijcies tamen. Ad iustificationem cuiuscumque adulti satis est, Deum super omnia diligere, & propter ipsum detestari peccata. Sed ad exercitium horum actuum sufficit fides, qua Deus vt summum bonum cognoscitur, atque summo amore dignum, nec requiritur notitia regni cœlestis, aut alterius præmij actibus studiosis comparandi. Frustra igitur ad eum finem fides remunerationis explicita, vel notitia illius desideratur. Quia amor charitatis non est mercenarius, vt retributionis intuitu debeat exerceri; sed ab illo etiam, qui de præmio gloriæ nihil cogitat, aut nil audivit, sed præcisè de infinita primi entis bonitate instructus est, optimo iure concipitur, & quò magis ab affectu proprij cōmodi elongatur, cò purior est, ac

Deo

Deo dignior. Vnde maximè laudatur eorum charitas, qui ſervire Deo proponunt, aut de peccatis dolent propter ipſum, expreſſè proteſtantes, idem ſe facturos, quamvis nullum præmium expectare poſſent propter ſua bona facta, nullamque timere pœnam ob peccata à ſe commiſſa.

17. Reſpondeo 1. argumentum, aut nil concludere, aut pari efficacia evincere, nec timorem pœnæ æternæ, nec ſpem veniæ à Deo obtinendæ, aut amicitiæ ipſius conciliandæ, nec amorem concupiſcentiæ erga Deum, & regnum eius eſſe medium neceſſarium ad ſalutem primam, aut ſecundam, etiam regulari, aut ordinario modo comparandam, quod eſt contra Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. & *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Satis namque eſſe dicetur fides Dei, vt ſummum bonum vnicum, & increatum, vt propter ſe ipſum ametur perfectiſſimo amore charitatis formaliter iuſtificante, aut per modum vltimæ diſpoſitionis ſecum afferente gratiam iuſtificationis penitus inſeparabilem. Et, deficiente notitia promiſſionum, & comminationum Divinarum (quæ omnino neceſſaria eſt ad firmam ſpem retributionis, aut veniæ, ad timorem honeſtum pœnæ æternæ, ad concupiſcentiam, & fiduciam inveniendi ſuum vltimum finem inquirendo illum per media proportionata) omnes hi affectus deficient. Neque ex eis vllus reputari poteſt neceſſarius per modum medij ad ſalutem, niſi neceſſaria ſit cognitio fidei omnino prærequiſitæ, vt à voluntate exerceantur: ad modum, quo Dei dilectio, aut perfecta contritio ad iuſtificationem extra Sacramentum neceſſaria eſſe non poſſet, niſi fides Dei, vt ſummi boni averſantis ſuas offenſas, quæ illis actibus prælucet, neceſſaria quoque eſſe dicatur.

18. Reſpondeo 2. Eſto aliquando contingeret iuxta providentiam ordinariam caſus ille, qui in argumento proponitur, vt evenire poſſe contendit Granado *controv.* 2. *de Spe. tr.* 5. *diſp.* 6. *num.* 3. *in fin.* non ideò negandum eſſet, fidem remunerationis eſſe medium ad ſalutem neceſſarium. Nam in eo eventu non ſolùm fides remunerationis deficeret ante iuſtificationem obtentam media contritione, aut charitate; ſed etiam ſpes Theologica, & amor ille, quo Deum vt vltimum finem noſtrum ſuper omnia concupiſcibilia nobis ipſis exoptamus. Et tamen negari nequit, ſpem Theologicam, & præcipuum eius actum, qui eſt amor concupiſcētiæ erga Deum, eſſe medium ad rectam vitæ inſtitutionem aptiſſimum, & nobis ad ſalutem neceſſarium, vt Granado ipſe profitetur ibidem *tr.* 3. *diſp.* 1. *num.* 1. ac velut res *certiſſima* egregijs Sacri inſtrumenti teſtimonijs confirmatur à P. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 4. *punct.* 1. Quare iuxta illam ſententiam ſaltem debet affirmari, tàm fidem, quàm ſpem remunerationis in re, aut in voto requiri per modum medij ad iuſtitiam comparandam; & actus ille perfectæ charitatis, qui interdum abſque eiuſmodi ſpe, ac fide haberi poſſe putatur, ſaltem vt votum vtriuſque iuſtificare cenſebitur.

19. Cuius rei aptum exemplum ſumi poteſt ex doctrina illorum, qui cenſent, in lege gratiæ explicitam fidem Chriſti pro nobis demotui, ac paſſi eſſe medium neceſſarium ad ſalutem, & iuſtitiam compatandam. Nam abſque iſtiuſmodi fide etiam nunc poſſe exerceri actus ſpei, & charitatis ad iuſtificationem ſufficientes vti in lege naturæ exercebantur; ſimili argumento valet perſuaderi ei, quod habemus præ manibus; illi autem non pauci occurrunt adſtruendo neceſſitatem eius fidei in re, aut in

voto:

verò in re per se, atque communiter; in voto autem, aliquando. Legatur P. Suarez *disp.* 12. *de Fide. sect.* 4. *à num.* 11. & maximè *à num.* 18. necnon & *sectione* 3. *num.* 19. vbi simili distinctione componit necessitatem credendi, etiam ante adventum Christi, immortalitatem animæ, & indigentiam auxilij, gratiæque Divinæ ad iustitiam, & ad peccatorum veniam. Quæ solutio etsi P. Raynaudo displicuerit *tom.* 2. *de attribut. Christi. sect.* 4. *cap.* 11. *num.* 792. multò expeditior videtur ei, quam ipse ibidē tradit, ne perfecta Dei dilectio, & iustificatio vnquam contingant absque fide Christi prævia. Sicui autem illa plus arriserit, eâdem quoque vti poterit ad præsentem difficultatem expediendam.

CAPVT III.

Solutio mihi verior, & exactior.

20. ILlam expono per partes, & primum adverto, quamvis, cognito per fidem Deo, & summa eius bonitate, adesse videatur, quidquid ex parte obiecti necessariū est ad illum super omnia diligendum amore benevolentiæ, ad amorem amicitiæ plus requiri. Quia amicitia debet esse mutua benevolentia non latens; ne autem peccatorem lateat hæc benevolentia mutua, seu concordia voluntatum, qua fit, vt idem sit velle, idem nolle vtriusque amici, non est satis peccatori credere Dei vnitatem, aut bonitatem intrinsecam; sed adhuc desideratur notitia, qua præcognoscat, illum condonare suas offensas, & se diligentes diligere. Atque idcirco inter dispositiones necessarias ad amorem charitatis semper recensetur spes veniæ, ac reconciliationis, vt apertè habetur in Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 6. & *sess.* 14. *cap.* 14. Neque fieri valet, vt qui sola fide instructus Dei, vt est vnus, aut bonus, adhuc inculpatè iudicat, Deū neque remittere offensas, nec redamare dilectores suos, amicitiam eius promereri intendat, aut esse cum eo *vnus spiritus*, sicut est, qui eidem adhæret per amorem amicitiæ, iuxta doctrinam Apostoli 1. *Corint.* 6. 17.

21. Rursus. Amor ille noster benevolentiæ erga Deum, qui ad iustificationem requiritur, non est mera complacentia speculativa in bonis eius, neque qualecumque gaudiū de existentia, aut vnitate ipsius; sed voluntas seria, & efficax includens retractationem vitæ anteactæ cum proposito ei serviendi semper, & vbique gratia ipsius, ambulandique in vijs eius, abnegando, imò odio habēdo semetipsum in hac vita, gerendo perpetuam luctam cum diabolo, mundo, ac carne, & crucifigendo ipsam cum suis vitijs, ac concupiscētijs, seque, & omnia alia posthabendo, ne eum offendat. Porrò hic actus adeò difficilis est, attenta indispositione, atque debilitate subiecti sese vltra modum amantis, & proni in malum ab adolescentia sua, vt moraliter impossibilis appareat, nisi metu pœnæ, aut spe magna præmiorum voluntas præmoveatur, & ex proprij boni amore ad ipsum solicitetur. Quocirca, & Dei providentia huic nostræ fragilitati se accommodat, paulatimque animum promovet, deducendo illum per hos actus ab imperfecto ad perfectum. Nemo enim repente fit summus. Et sicut illa dilectio perfectissima, qua propter Deum vellet aliquis vitare omnia peccata gravia, & levia, & omnes imperfectiones elicitas cum plena advertentia, non habetur absque magno vsu,

&

& exercitio virtutum ; & specialissima Dei gratia, etsi Deus præcisè cognitus, vt summum bonum, eo ipso appareat dignissimus omnibus illis obsequijs, ita pariter perfecta illa dilectio, quæ ad iustificationem requiritur, & est plenitudo legis, sola eiusmodi notitia nullatenus comparatur, nisi Deo aliquando placeat per privilegium speciale subitò cohonestare pauperrimum, vt bono latroni, ac Paulo plures censent contigisse.

22. Sanctus vtique Augustinus *lib. de Catechizandis rudibus. cap.* 5. scribebat, *de timore Dei charitatem esse ædificandam, quia rarissimè accidit, imò verò nunquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui nō sit aliquo Dei timore perculsus.* Eadem est mens SS. PP. non iam de Catechumenis solùm ; sed peccatoribus generaliùs loquentium, vt videre licet apud Bellarminum *lib.* 1. *de iustific. cap.* 13. sumiturque ex Ecclesiastico *cap.* 1. 27 ibi: *Timor Dei expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Quòd si de timore ista dicuntur, qui solùm est via, & præparatio quædam ad iustitiam, quid, rogo, de spe dicemus, ita spectante ad iustificationis complementum, vt Concilium Tridentinum dixerit *ea sess.* 6. *cap.* 7. *Fidem, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque vnire perfectè cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficere?* Fit namque iustificatio adulti peccatoris, vt traditur etiam inibi, *per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorū, vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Hoc autē nequit voluntariè contingere, nisi spei actus tunc præcedat re ipsa, aut moraliter maneat non retractatus, neque omnino oblitus. Nam & illa est immediata, & proxima dispositio ad recipiēdum suum habitum, etiam ante receptionem gratiæ, & tanquam intentio optimi finis sibi concupiti, & amati super omnia concupiscibilia optimè disponit ad amandum Deum propter ipsum. Quippe amicabilia ad alterum, vt Philosophus aiebat, ex amicabilibus ad se proficiscuntur.

23. Replicabis tamen. Attritio, quæ ex gehennæ metu, atque pœnarum concipitur, si excludat voluntatem peccandi, est dispositio sufficiens ad gratiam cum Sacramento impetrandam. Ergo, quamvis spes, aut fides remunerationis in adultis non præcedat, poterit iustificatio contingere. Neque enim est minùs efficax metus pœnæ, quàm spes præmij distantis, & invisibilis; imò experientia ipsa constat fortiùs movere ad vitæ emendationem timorem incurrendi gravis mali, quàm spem adquirendi bona per modum præmij promissa. Respondeo, cum eiusmodi attritione etiam requiri à Concilio locis citatis *spem veniæ*, atque *fiduciam Divinæ misericordiæ* impetrandæ nostris actibus, quin sola Dei, vt est vnicus, fides absque fide promissionum, & comminationum eius ibi putetur sufficere. Et, cùm venia sit inseparabilis ab statu gratiæ, filiationisque adoptivæ conferentis ius ad gloriæ hæreditatem, in spe illius impetrandæ virtute saltem continetur spes impetrandi omnia hæc munera. Metus etiam gehennæ includit metum amittendi ius ad gloriam, & incurrendi pœnam damni, quæ consistit in privatione summi boni nostri, atque possessionis eius, vt proinde etiam præsupponat scientiam, amoremque illius.

24. Et, quod plus est, & omnem difficultatem evacuat, esto fides remunerationis nullatenus requiratur ad attritionem ex fœditate peccati aut metu inferni conceptam, saltem erit necessaria ad propositum susci-

piendi

piendi Sacramentum tanquam medium, in quo salus nostra continetur, & impetratur translatio ab statu peccati ad statum gratiæ, iurisque ad gloriam æternam obtinendam. Porrò propositum istud necessariò præsupponit fidem, tàm veniæ, quàm salutis, iurisque ad gloriam à Deo remuneratore impetrandę per eiusmodi remedium. Ideòque Concilium Tridentinum docuit *in dicto cap. 7.* ex Apostolorum traditione Cathecumenos ante Baptismum non petere ab Ecclesia qualemcumque fidem; *sed fidem vitam æternam præstantem, quam*, inquit, *sine spe, & charitate fides præstare non potest.* Idemque, servata proportione, debet dici de peccatore fideli accedente ad Sacramẽtum Pœnitentiæ: nam in illo etiam contineri restitutionem status gratię, & adoptionis filiorum, eoque mediante impetrari, in eodem Concilio habetur *sess. 14. cap. 4.* & hæc est fiducia illa Divinæ misericordiæ, cum qua peccator accedit ad Deum tanquam ad finem. Videsis P. Suarez *lib. 8. de grat. cap. 19.* vbi hæc omnia latè, & optimè perpendit, & ex quo capite oriatur, vt ad iustificationem impij minùs necessarius sit actus timoris, quàm spei, idque nos antèà indicavimus *num. 22.*

25. Addiderim tandem, fidem remunerationis de congruo, aut de condigno obtinendæ fore necessariam moraliter, quamvis per possibile, vel impossibile daremus, prævium actum spei Theologicæ non semper requiri ad Deum ex amore charitatis super omnia diligendum. Ratio triplex est. Tum quia eiusmodi fides non solùm iuvare potest ad amorem charitatis inducendo ad spem, quæ est amor concupiscentiæ; sed etiam facilitando immediatè ad amorem charitatis, & tollendo displicentias, quæ necessariò exoriuntur, cùm prænoscitur, laborem nostrum non fore remunerandum, aut penitus ignoratur, redditurum esse fructum. Tum quia experientia ipsa constat, retributionem prævisam, quamvis non sit intenta, neque amata, valde inclinare ad obsequia merè liberalia, atque gratuita, ex. g. ad beneficia præstanda amore benevolentiæ ijs, quos agnoscimus non esse ingratos; sed scimus esse munificos: sicut vice versa, ipsa notitia beneficiorum, quæ accepimus, non solùm inclinat ad actionem gratiarũ propter commodum ipsius beneficij; sed etiam ad amicitiam cum benefactore, & ad rependendam ei benevolentiam amãdo ipsum propter ipsum.

26. Tum demum, quia actus sperandi retributionem non tantùm haberi potest ex motivo concupiscẽtiæ, quod propriè ad spem Theologicam spectat, vt distinctam à virtute charitatis; verùm etiam ex motivo amicitiæ, vt si à Deo expectemus, aut petamus, & impetrare velimus bona nobis, aut alijs salutaria, non quia talia, neque intuitu nostri; sed vt media ad serviendum ipsi propter ipsum. Porrò ex quocumque motivo is actus oriatur, quamvis propriè, atque formaliter ad virtutem spei non spectet, semper supponere debet remunerationis fidem,



CA-

CAPVT IV.

De necessitate fidei strictæ ad iustificationem.

27. PAucis ab hinc annis audiri, legique apud Theologos incepit divisio fidei Christianæ in latam, & strictam. Anteà enim de fide semper absque eiusmodi additamentis loquebantur, cùm de vtilitate fidei, vel necessitate tractabant, atque eo nomine eam exprimebant, quæ Diuinæ auctoritati, ac reuelationi initiur, & veracitatem, ac sapientiam Dei fallere, aut falli nescientis respicit tanquam obiectum specificativũ, ac formale. Modò autem aliqui hanc fidem strictam, rigorosamque appellarunt, & vltra ipsam invexerunt, seu potiùs applicuerunt nomen *fidei* alijs notitijs nostris per se infusis, atque supernaturalibus ad pietatem conducentibus, quarum obiectum formale non sunt auctoritas, & reuelatio Diuina; sed testimonium creaturarum, aut simile aliud motivum sibi commune cum cogitationibus honestis, quæ naturali discursu possunt comparari. Et hanc vocant fidem latam. Fidem quidem, quia per analogiam, seu attributionem quamdam ad fidem strictam reducitur; latam verò, quia non nititur motivo ipsius; sed inferioribus alijs, quæ ex creaturis accipiuntur ostendentibus Diuinam bonitatem, peccati turpitudinem, aut honestatem virtutis, & testimonia, aut loquutiones solent appellari. Quo sensu Psalmista dixit, *Cœlos enarrare gloriam Dei*, & *diem diei verba eructare.*

28. Copiosus est in promovenda hac partitione fidei supernaturalis Ripalda *disp.* 12. *de Fide per totã*, atque stabilienda ex Scripturis, Ecclesiæ Patribus, rationibusque Theologicis; sed non ideò ausus est dicere, eiusmodi fidem latam ad iustificationem sufficere, vel ad illam non requiri fidem strictam; imò hanc esse necessariam absolutè, ac decretoriè pronuntiat *num.* 204. ne à communi Theologorum sententia discedat, & minùs tutam cogitationem sequatur. Idipsum alijs consuluit *num* 211. semperque tum ibi, tum alijs in locis protestatur, se pro sententia negante, nil assertivè afferre; sed omnia disputativè proponere, ac relinquere Doctorum examini, solùmque contendere, fidem strictam non esse necessariam ex natura eorum affectuum, qui ad iustificationem concurrunt; sed ex lege Dei extrinseca, prouidentiaque ordinaria.

29. Quam vtique moderationem, & consilium, si voluisset sequi, ac imitari Auctor propositionis 23. inter damnatas à SS. Innocentio, non adeò intrepidè, ac fidenter proponeret doctrinam in ea contẽtam, atque, vt ibi iacet, optimo iure proscriptam. Latet me, quis ille fuerit, & video nonnullis tribui, qui nil tale pronuntiarunt. Cuius cuius autem sit, thesis ipsa sic se habet: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad iustificationem sufficit.* Vbi illicò occurrit lapsus maximi momenti. Quia ibi non tantùm negatur implicitè necessitas fidei strictæ ad iustificationem; sed explicitè affirmatur, sufficere fidem latam. Hoc autem longè est absurdius, & ex doctrina Lutheri, aliorumque eiusdem furfuris hæreticorum mutuatum. Ipsi enim sunt, qui affirmabant, *impium iustificari sola fide*, subintelligendo ijs vocibus *nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam cooperetur*, & *sequendam cooperetur*, & propterea fuere in Tridentino *sess.* 6. *canone* 9.

tanquam manifestè hæretici anathemate perculsi.

30. Perinde autem dictu est, fidem sufficere ad iustificationem, ac nihil aliud requiri; sed eam solam esse satis: nam habenti illud, quod sufficit ad aliquam gratiam obtinendam, nil aliud est necessarium. Quòd si absurdum foret dicere, etiam loquendo de stricta: *Fides sufficit ad iustificationem*, quia adhuc desiderantur spes, & charitas, quonam pacto dici poterit, ad eum effectum sufficere non iam strictam, & propriam; sed etiam analogicam, & latam? Vtique is modus loquendi multis posset esse in laqueum, pluresque incautos decipere, nam Lutheranismum redolet, phrasimque eius imitatur; imò illius doctrinam ampliat. Quare vel hoc solo titulo debuit proposita thesis vt minimum scandalosa censeri, & iudicari pernicioſa in praxi. Possent enim, qui ad præscriptum eius vellent suos mores dirigere, nec de alia fide curare, neque alios motus elicere spei, aut charitatis, quibus se ad gratiam disponerent, contenti sua fide lata.

31. Rursus, dum non explicatur, debere illam latam fidem esse supernaturalem, magna alia labes incurritur. Quia vox illa *latæ fidei* nova est, & non habet fixam significationem, aut terminum latitudinis certa lege designatum. Ideò sapienter Ripalda multoties eo loci inculcat, cognitiones de Deo, & alijs, quas appellat fidem latam, non esse illas naturales, quæ circa eiusmodi obiecta comparantur ex creaturis; sed alias obiecto similes intrinsecè supernaturales, quæ ex Dei gratia eas comitantur, & per se sunt necessariæ, vt ad merendum proficiant. Nihil horum declaratur in propositione damnata, neque in ea, vt iacet, imbibitur aliquid, vnde præsumi possit, vel suppleri: quia generalibus terminis, & omnino abstractis vtitur, & vox ipsa *fidei latæ* naturales cognitiones non excludit. Analogica enim est, satisque impropria, & in verbis analogicis magna potest esse latitudo, vt est maxima inter loquutionem cœli, & loquutionem Divinam, quæ est proprium obiectum fidei; & quamvis illa prior sit merè naturalis, ac valde impropria, adhuc lata quadam, & analogica ratione appellatur enarratio, atque loquutio. Profectò notitia illa, quæ naturali discursu ex creaturis comparatur, naturalis esse potest absque dubio; vtrùm autem supernaturalis esse valeat, nimis controversum est, quia nullum habet supernaturale motivum. Igitur, dum nil aliud explicatur, aut de sola naturali est sermo, aut ea certè non excluditur, & cùm de fide requisita ad iustificationem agitur, fidem merè naturalem non sufficere ex Augustino, ac SS. PP. est indubitanter manifestum, & satis expressè in Concilio Tridentino traditum *ea sess.* 6. *can.* 3. & *c.* 6. & 7.

32. Inquirendum est prætereà, an sufficiat lata fides ad iustificationem ei infideli, qui potest, si velit, habere strictam, vel ei solùm, qui nō potest, quia nihil de fide audivit, nec de testimonijs Dei perducentibus ad ipsam? Lemma censuris inustum indiscriminatim loquitur. Sed aberrare videtur, præsertim quoad primam partem. Quia esto demus, fidem strictam non esse necessariam ad salutem necessitate medij, quod verissimæ Theologiæ refragatur, atque receptissimæ apud omnes, saltem negari non potest, illam esse necessariam necessitate præcepti, cùm primùm est infideli iam sufficienter proposita. Peccabit ergo lethaliter non credendo fide stricta in prædictis circumstantijs, & fides lata nil pro-

proderit, vt assequatur iustitiam, resistenti contumaciter. Neque posterior eventus magno incommodo vacabit. Quia, fides lata non datur de rebus, quas naturalis discursus testimonio creaturarum solùm probabiliter assequitur, & cum formidine, aut dubitatione quadam. Ita autem valde communiter Deum, ac eius bonitatem super omnia diligendam singuli quique cognoscunt, etiam docti, atque sapientes, si suo ingenio relinquantur. *Ratio enim humana in rebus Divinis est multùm deficiens*, vt egregiè S. Thomas annotavit 2.2. *q.* 2. *art* 4. *corp.* atque ideò rectè concludit, *vt esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuisse, quòd Divina eis per modum fidei traderentur, qui mentiri non potest.* Porrò fides, quæ Dei dictis, ac veracitati innititur, stricta fides est; non verò lata.

33. Vlteriùs, cùm fides lata dicitur ad iustificationem sufficiens, eo ipso asseritur non esse necessariam cognitionem earum rerum, quas naturalis discursus non assequitur; sed sola fide stricta sciri valent. Quare necessaria non erit certa fides rerum supernaturalium, vt mysterii Trinitatis, aut Incarnationis, aut Dei, vt est finis noster nunc per media supernaturalia quærendus, posteàque inveniendus in gloria cœlestis patriæ. Omnia quippe obiecta ista rationem merè naturalem sibi relictam transcendunt, & neque certò sciri, neque addisci possunt testimonijs, aut argumentis acceptis ex constitutione rerum naturalium. Nihil ergo ipsorum sciri potest fide illa lata, cuius materiale obiectum, atque motivum restringitur ad ea, quæ ex creaturis possunt naturali ductu investigari, & quidquid supernaturalitatis ei tribuitur, non ratione obiecti competit; sed ex principio duntaxat. Atqui ad iustificationem necessariò requiritur certò agnoscere supernaturale aliquod obiectum, & aliquid de Deo credere, quod ratione naturali certò sciri, aut disci nequit. Ad illam ergo non sufficit, nisi accedat fides stricta, illa, quæ impropria cùm sit, cœpit appellari lata.

34. Cætera, præter hanc vltimam minorem, planè videntur constare; eam autem *omnino veram, & satis certam* vocavit, non tantùm post Evangelicam lucem; sed pro omni tempore, ac statu, P. Suarez *disp.* 12. *de Fide sect.* 3. *num* 8. præeunte Angelico Magistro *dicta q.* 2. *art.* 3. & 5. alijsque Theologis valde cõmuniter *in* 3. *dist.* 23. & 25. Atque, vt modò omittam plurimos ægerrimè laturos, excludi fidem certam mysterij Trinitatis, & Incarnationis, atque redemptionis per Christum pro nobis passum, cuius veritas per fidem latam neque explicitè, neque implicitè deprehenditur, & validis argumentis necessaria existimatur necessitate medij ad iustitiam in hoc statu legis gratiæ. Vt, inquam, hæc modò omittam, saltem non debet negari (quidquid dicat Lumbier in præsenti *num.* 1778.) fidem remunerationis supernaturalis quovis tempore ad iustificationem fuisse, ac esse necessariam. Nam locum Pauli in superioribus vbertim propositum *de remuneratione supernaturali intelligendum esse omnes exponunt, & ex contextu ipso apertè colligitur*, vt Suarez scribit post Canum, & perspicuis argumentis confirmat *in dicto num.* 8.

35. Ad hæc. Fides lata non est illa fides, quam ibi descripsit Paulus dicens, *eam esse substantiam sperandarum rerum, argumentumque non apparentium* Nam fides ista cœlestem patriam cognoscit, docetque eam inquirere, ac expectare, Divinisque revelationibus, ac promissionibus niti-

tur rerum supernaturalium, vt manifestè liquebit percurrenti totum caput. Fides autem lata nequit esse fundamentum inquirendi, vel sperandi bona supernaturalia, cùm sint indebita, imò impossibilia naturæ, cuius solis testimoniis, atque motivis innititur qualisqualis ea notitia, cui latè, & maximè impropriè nomen *fidei* accommodatur. Nequit præterea nos facere filios, ac hæredes Dei *secundum spem vitæ æternæ, quam promisit* (teste Paulo *ad Titum* 1. 2) *qui non mentitur Deus*: quia gloria æterna, summaque fœlicitas, & eius promissiones ex vi illius non cognoscuntur, neque nobis possibiles putantur; sperari autem non potest, quod impossibile creditur, aut penitus ignoratur. Nequit insuper esse probatio, aut argumentum illorum non apparentiũ, de quibus agebat Paulus, siquidem nec patent sensibus, nec rationi naturali, nec in cor hominis ascendunt, vt ipse exponebat alibi.

36. Igitur re vera lata fides non est illa, de qua Apostolus differuit; sed fides stricta subnitens revelationibus, ac promissionibus supernæ beatitudinis, ac earum rerum, quas naturalis discursus investigare non valet. At de hac ipsa fide dicit impossibile esse Deo placere sine illa, necessariumque, vt eam habeat, quisquis Deum inquirit, & ad eum accedit. Ergo sine fide stricta secundum mentem Apostoli nihil horum obtineri valet. Et quis dubitet, de fide stricta remunerationis supernaturalis loquutum eo *cap.* 11. 27. dicendo, Moysen, *quia in remunerationem aspiciebat*, magis elegisse affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, & maiores divitias æstimasse thesauro Ægyptiorum improperium Christi?

37. Omnia tandem ista confirmari possunt ex Concilio Tridentino locis anteà põderatis circa fidem remunerationis. Et ex eo insuper, quòd fides, quæ ad iustificationem requiritur, debet esse obscura, & libera, cùm sit impetratoria apud Deum, vt obsequium valde voluntarium. At verò notitiæ illæ, quas appellant fidem latam, aut supernaturales non sunt, aut debent esse evidentes, ac proinde necessariæ: nam actibus naturalibus inevidentibus, atque merè probabilibus nullus dicet concomitanter adiungi actus supernaturales eiusdem inevidentiæ, atque motivi probabilis. Sed de his plura Scholasticis relinquimus, vltra ea, quæ accuratè in hanc rem disputat Card. de Lugo *disp.* 12. *de Fide.*



DISSER-

DISSERTATIO XIIJ.

DE MENDACI, ET FICTO iuramento.

CAPVT PRIMVM.

An ſit peccatum mortale Deum invocare in teſtem mendacij levis?

1. NEgavit olim Goffredus, quem refert, nec plenè improbat Angelus verb. *Periurium*, & hanc eius opinionem antiquatam, & extinctam reſuſcitaſſe videtur Auctor *propoſitionis* 24. cuius iſta ſunt formalia verba: *Vocare Deum in teſtem mendacij levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* Tribuit eam Stephano Bauni *in ſumma pag.* 96 infamis ille, infamatoriuſque libellus Gallico idiomate ſcriptus, & iure optimo proſcriptus *anno* 1644. qui inſcribitur *Theologia moralis Ieſuitarum.* Sed immeritò. Quia Bauni *ibidem pag.* 80. omne periurium aſſertorium mendax reputat peccatum grave, & appellat *grande ſcelus*, *in lege, & Prophetis, & Evangelio prohibitum, puniendum poſt hanc vitam morte æterna.* Quare dum ex dicta *pag.* 96. proferuntur eius verba in ſpeciem ſimilia verbis propoſitionis damnatæ, mala fide cum eo agitur, avellunturque eius dicta à ſuo contextu, ne ex illius inſpectione deprehendatur legitimus eorum ſenſus.

2. Quippe eo loci ipſe nō loquitur de iuramento aſſertorio vocante Deum in teſtem mendacij iuramento ipſo de præſenti exerciti (quod iam dixerat non excuſari à lethali ob parvitatem materiæ) ſed de iuramēto vero, quatenus eſt aſſertorium de præſenti; promiſſorio autem mendacij in poſterum committendi. Non eſt autem eadem ratiō vnius mendacij, & alterius: quia illud eſt iuramēti circumſtantia; iſtud duntaxat obiectum: illud reddit ipſum falſum tollendo veritatem de præſenti; iſtud veritatem retinet: illud eſt menti difforme; aliud conforme, nec poſſori alia ratione iuranti illicitum, quàm alia quævis iuratio promiſſoria verbi otioſi, aut alius peccati levis. Et in ſumma, ſicut valde differunt advocare Deum in teſtem mendacij merè præteriti, iurando cum veritate nos anteà fuiſſe mentitos, aut iurare mētiendo de præſenti, ſic valde differre poſſunt iurare præſens mendacium, aut non præſens, ſed futurum, committendumque alio tempore. Quantum autem, qualeve piaculum is modus iurandi res venialiter illicitas involvat in ſuo conceptu, non conſtat inter Auctores, definietur autem paulò inferiùs.

3. Nunc verò ſatis ſit dicere, iuramentum aſſertivum cuiuſcumque mendacij, etiam leviſſimi, eſſe peccatum mortale, & æterna pœna dignū. Sic ſumitur *ex* 2. *præcepto Decalogi*, Levitici 19. 12. ibi: *Non periurabis in nomine meo*: iuxta vnanimem expoſitionem Patrum, atque Theologorū,

cui

cui valde temerarium esset refragari in re tanti momenti, & ab eis tradita vt omnino certa. Et quia oppositum apertè sonat præallegata propositio sumpta, vt iacet, iure optimo suæ temeritatis pœnas luit, estque condemnata vt minimum tanquam scandalosa dirigenti suas actiones iuxta illam, & multùm derogans Divinæ reverentiæ, totique humano convictui, dum religionis prætextu homines firmiùs decipiuntur, & mendacia nostra credi volumus, non iam nobis; sed Deo vt testi. Quocirca, licet in alijs peccatis ex genere suo mortalibus, v.g. in furto, dari soleat parvitas materiæ, qua sint venialia duntaxat; in hoc genere peccati nullo pacto admitti debet: sicut neque admittitur in infidelitate, odio Dei, desperatione, blasphemia, Simonia, pollutione, & alijs plerisque id genus.

4. Ratio autem satis evidens apparet. Tum quia licet in homine mẽdacium officiosum, vel iocosum, aut nocivum in re levi, veniale peccatum sit; in Deo autem sic mentiri magna deordinatio foret, quia eo ipso amitteret primæ veritatis excellentiam, & non forent eius dicta digna summa fide, ac reverẽtia. Igitur, qui illum adducit in testem mendacij, etiam leviſſimi, & vult credi tanquam ab eo dictum, quantum est de se illum privat primæ, ac summæ veritatis eminentia, magnamque propterea offensam adversus ipsum committit, dum tacitè protestatur, eum posse fallere alios, si testificando mentitur; aut posse falli, si quod ipse arbitratur esse falsum, Deus id attestans existimat non esse falsum, sed verum. Tum quia medio iuramento veritas adeò firmatur, vt omnis controversia terminetur, & hic est finis illius, vt sumitur ex Apostolo *ad Hebræos* 6. 16. quodlibet autem periurium isto fine illud evacuat, quod non est malitiæ levis.

5. Tum demum, quia mendacium esse grave, aut leve ex eo accipitur, quòd materia illius sit magni, aut parvi momenti, pernicioſa, aut officioſa, multùm, parumve nocens audienti; iuramentum verò nõ respicit suam materiam, seu assertionem iuratam sub hac ratione; sed quatenus est vera, aut falsa, digna, vel potiùs indigna, vt à prima veritate testimonio suo confirmetur. Atqui quodlibet mendacium, etiam minimum, omnino deficit à veritate, & indignissimum est, vt Deus sit testis illius. Ergo nullum potest putari materia levis, aut parva in ordine ad iuramẽtum. Quare, sive bono, sive malo fine fiat, sive ad liberandum, sive ad condemnandum innocentem, sive pro bono publico, sive privato, sive sponte, sive ad tuendam propriam vitam, aut quacumque alia vrgentissima necessitate ingruente, semper erit peccatum criminale. Imo S. Thomas rectè animadvertit 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *ad* 2. *eum, qui iocosè periurat, non evitare Divinam irreverentiam, neque peccatum mortale; sed quantum ad aliquid magis augere.*

6. Obijcies tamen 1. Mendacium sub propria mendacij ratione parvum potest esse, ac magnum: neque enim malitia illius in indivisibili cõsistit, quia vna falsitas est maior, quàm alia: & proculdubio plus mentitur, qui affirmat, se habere in manu centum digitos, quàm is, qui dicit non habere nisi quatuor. Sed periurium vt sic suam totam malitiam sumit ex falsitate, quam iurat. Non ergo sumere potest gravem, aut magnã malitiam, cùm versatur erga levem, & exiguam falsitatem. Respondeo, argumentum omnibus esse solvendum, quia falsitas mendacij, quãtumvis magna sit, præcisè intra suum genus

nus non est peccatum mortale; sed veniale, ac leve: debet enim transire in perniciosam, vt gravem malitiam habeat. Ergo leve solùm, ac veniale foret quodvis iuramentum assertorium, etiam maximi mendacij non pernicioſi, si eius gravitas pensanda foret, non ex veritatis defectu; sed ex granditate, aut parvitate falsitatis.

7. Quare pro omnibus respondeo, deordinationem periurij non diminui ex diminutione assertæ falsitatis, sicut diminuitur deordinatio furti ad diminutionem damni. Quippe diminuta falsitas re vera falsitas est, non minuens, sed tollens omnino assertionis veritatem, quæ in indivisibili consistit, & omnimodam adæquationem postulat ex suo conceptu formali. Porrò primæ veritati, & infallibili auctoritati, qua pollet, non iam leviter, sed valde graviter repugnat non testificari verum, aut dicere quidpiam falsum. Neque in rebus istis protervire licet, aut inanibus argutijs ea dogmata vellicare, quæ Ecclesiæ communis sensus suo suffragio comprobavit. Illud autem, de quo loquimur, comprobarunt in speciali, tradideruntque vt certissimum innumeri, quos dabit Leander à Sanctissimo Sacramento *tom. 2. in Decalog. tr. 1. disp. 7. §. 1. q. 3. & 4.* Et in genere recepta sententia est in his, quæ circa Deum, & honorem eius directè, ac immediatè versantur, nullam dari materiæ parvitatem, vt videre licet apud Sanchez *in summa lib. 1. cap. 4. num. 1.* Castro Palao *tom. 1. tr. 2. disp. 2. punct. 7. num. 1. & 2.* Baldellum *tom. 1. Theolog. moral. lib. 3. disp. 14.* præsertim *num. 13.* vbi rem tractat exactè.

8. Obijcies 2. Iuramentum dicendi in futurum leve aliquod mendacium non est peccatum mortale, nec gravis irreverentia, quamvis auctoritate Divina ita iurans sese obfirmet in proposito mentiendi, & de mendacio futuro reddat securiores illos, in quorum gratiam mentiri promittit; vel longè timidiores, si mendacium leve ipsis nocivum iuramenti interpositione comminetur. Ergo pariter, non nisi leve peccatum erit, assertionem mendacem de præsenti in re parvi momenti iuramento confirmare. Explicatur. Quia iuramentum promissorium, aut comminatorium mendacij graviter peccaminosi, scilicet nocentis graviter in iudicio, aut extra illud, lethale peccatum est; veniale verò, si mendacium leve promissioni, vel comminationi subiaceat. Ergo in iuramentis assertorijs par norma servari debet, vt peccata levia sint, quoties mendacium est leve; gravia verò, cùm est grave.

9. Cœterùm hoc argumentum, licet circa mendacium sub iuramento promissum, aut assertum de futuro proponatur, re vera nullam specialem difficultatem importat; sed eam communem, qua inquiritur, an iuramentum de veniali aliquo peccato in posterum committendo sit peccatum leve, aut grave per se, & vi talis materiæ? Nam quod de reliquis peccatis levibus hoc modo iuratis dicitur, dicendum est de mendacio, adeòque nullus Auctorum illud peculiariter excepit; sed indifferenter de omnibus communem doctrinam tradunt. Supponunt autem, & meritò, vt quæstioni suus locus relinquatur, tale iuramentum fieri animo adimplendi ipsum suo tempore, mentiendi scilicet, si mendacium de futuro promittatur, aut leviter lædendi, si hoc iuretur. Quia, si eiusmodi voluntas desit, aut contraria potius adsit, certum est, ibi committi periurium assertorium valde grave, & præsens mendacium iuramento stabiliri.

Nam

Nam qui iurat, se aliquid facturum, etiam in materia licita, eo ipso affirmat, se actu habere voluntatem id faciendi, cùm faciendum sit sua voluntate. Mentitur ego de præsenti, si illa deest, & potiùs adest contraria. Atqui præsens hoc mendacium iurisiurandi religione confirmat. Ergo, quidquid sit de eventu assertionis de futuro, periurus est de præsenti.

10. Posito autem, quòd non desit animus implendi, quod iuratur, tunc specialiter procedit difficultas circa iuramenta dicendi leve aliquod mendacium, aut perpetrandi aliud quodlibet peccatum veniale. Assumit autem obiectio ex opinione communi id genus iuramenti non esse peccatum lethale; sed solùm veniale duplex; alterum contra veracitatem ob propositum mentiendi; aliud contra religionem, eo quòd iurans Divini testimonij invocatione abutatur, vt sese immobiliter obfirmet in eo pravo proposito exequendo. Cœterùm si exinde rectè posset colligi, iuramentum assertorium levis mendacij non esse, nisi peccatum veniale, satius foret discedere ab ea opinione, quàm consequens adeò absurdum vi paritatis defendere. Eatenus enim affirmant sui Auctores eam doctrinã, quatenus putant legitimam disparitatem ab vno casu ad alium adhiberi. Sicui autem ea non satisfaceret, inficiari deberet antecedens, & agnoscere etiam malitiam mortalem in iuramento de veniali committendo. Nam & eam expresè agnoscit Luisius Turrianus *in summa p. 1. cap. 168. dub. 6. num* 3. & ante ipsum Ambrosius Catharinus monebat apud Covarrubias *in cap. Quamvis pactũ. 1. p. §. 6. num. 6. in fin. à contraria opinione esse cavendum.*

11. Nec dubium, quin ea sententia contra se habeat argumenta difficilia, quæ proponit, diluitque Palao *tom. 3. disp. 1. de iuram. punct. 6. num.* 9. sapienter animadvertens, non ideò esse ab illa recedendum, cùm valde communis sit, & recepta in praxi vt tuta. Valentia etiam non est ausus ab ea discedere *tom. 3. disp. 6. q. 7 punct.* 3. vers. *Et hactenus*, quamvis non neget, creditu videri posse difficilem. Quare absolutè est tenendum, iuramentum de committendo veniali, cùm adest animus illud implendi, per se, & ex vi suæ materiæ non esse, nisi veniale. Ita Soto *lib. 8 de iust. & iur. q. 2. art. 3. concluf. 5.* Sylvester, alijs relatis, verb. *Iuramentum q. 7.* Malderus 2. 2. *tr. 10. cap. 6. dub. 3.* vers. *Tertius iuramenti comes.* Azor 1. *p instit. moral. lib. 11. cap. 5. q. 1.* Ioan. Wigers *de iure, & iust. tr 8. cap. 5. num. 142.* Diana *p. 5 tr. 5 resolut. 4.* Leander cũ plerisque alijs *ea disp. 7 q. 37.* Laymã *in summa. lib. 4. tr. 3. cap. 14. num. 9. assert. 6.* Caietanus 2. 2. *q. 39. art. 7.* Eumus verb. *Iurare num. 9.* Thomas Sanchez *in summa. lib. 3. cap. 4. à num.* 26. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de iuram. cap* 19. Stephanus Bauni, & Covarrubias locis iam anteà appellatis.

12. Vnde iam ad obiectionem propositam *num.* 8. admisso antecedenti, neganda est consequentia, nam est ratio valde dispar. Tum quia Deo non repugnat attestari mendacium fuisse, vel fore, sicut repugnat mentiri, attestando id esse verum, quod nos scimus esse falsum. Tum quia iurans v. g. se mentiturum die crastina, si tunc mentiatur, assertionem suam iuratam ipso mendacio verificat, verum namque fuit eum mentiturum, & hoc Deus summè verax confirmare potest testimonio suo infallibili. Tum quia mentiendo iuramentum suum adimplet, & novum periurij peccatum ea de causa nõ committit, licet aliunde graviter peccare possit peccato blasphemiæ, aut superstitiosi

ſtitioſi cultus, ſi id faciat quaſi Deo placens, & religione iuramenti conſtrictus. Tum quia, vt antea prænotauimus, eadem omnino eſt ratio de iuramento mentiendi, ac faciendi aliud quodcumque opus venialiter pravum; in aliis autem non læditur per ſe, ac directè Diuina veracitas; ſed ſolùm deficit comes iuſtitiæ.

13. Tum demum, quia ea ratione dici poſſet, veritatem his iuramentis deficere, quatenus ex ſententia S. Thomæ 2. 2. *q* 98. *art.* 1. *ad* 2. *Quocumque modo quis iuret illicitum, ex hoc ipſo falſitatem incurrit, quia obligatus eſt ad hoc quod contrarium faciat.* Deus tamen non adducitur tanquam teſtis huius falſitatis; ſed vt teſtis tranſgreſſionis futuræ, qua exiſtente, iuramentum adimpletur, & facta reſpondent dictis. Vlteriùs, quòd attenta obligatione deſiſtendi ab eo propoſito, vtpote operis illiciti, aſſertio de futuro verificari non debeat; ſed contrarium eius fieri, ſolùm probat, tantam eſſe obligationem evitandi hoc iuramentum; quãta eſt obligatio nõ verificãdi ipſum; hæc autem obligatio levis eſt, cùm non ſit, niſi obligatio abſtinendi ab opere venialiter illicito. Facere inſuper contrarium eius, quod iurando promiſiſti in re licita, ſed parva, non eſt peccatum mortale, vt plerique valde docti affirmant, ſive leve id, quod prætermittitur, ſit partialis materia iuramenti, ſive totalis. A fortiori igitur mortale non erit, teneri ſolùm in re levi facere cõtrarium eius, quod iureiurando promittitur. Minus enim læditur veracitas ſola obligatione non faciendi, quod iuratur, quàm non faciendo id de facto, cùm licitè poſſet, ac deberet fieri. Nam qui tenetur non facere rem promiſſam, quia erat prava, illam nihilominùs exequi poteſt, & opere adimplere, quod dixerat, atque ita verificare aſſertionem rei faciendæ in præcedenti promiſſione incluſam; qui verò contrarium facit, ipſo facto illam falſificat, tollitque conformitatem inter dicta, & facta ſua.

CAPVT II.

Quare in iuramentis promiſſorijs rei illicitæ detur parvitas materiæ; non autem in aſſertorijs mendacijs?

14. HAnc difficultatem poſtulat cõfirmatio *n.* 8. propoſita, eidemque libenter fateor, iuramentum promiſſorium de omiſſione, aut opere, quod eſt peccatum mortale, eſſe peccatum mortale cõtra religionem; veniale autẽ, ſi opus, aut omiſſio ſit venialis; nego tamen, eamdem regulam in iuramentis aſſertorijs poſſe, aut debere ſervari. Quia aſſertoria, vt anteà adverti, non reſpiciunt ſuam materiam, quatenus eſt licita, aut illicita, magni momenti, vel parvi; ſed ſolùm, quatenus veram, conſentaneamque menti iurantis, & ideò quamvis quis iuret, ſe magnum aliquod ſcelus patraſſe, vt cõtingit delinquentibus, dum ſua crimina in iudicio manifeſtant, non ideò peccant, aut contra iuramenti religionem faciunt, peccaturi vtique adverſus illam graviſſimè, ſi iuratum ſcelus ſibi falſò imponerent, cùm illud non perpetraſſent. Ergo non ex qualitate, aut quantitate materiæ æſtimari debet huius iuramenti obligatio; ſed ex veritate, aut mendacio. Atqui in ordine ad Diuinum teſtimonium omnia mendacia, ſive parva, ſive levia, eiuſdem rationis ſunt, nullumque teſtificari poteſt abſque magno præiudicio ſuæ ſupremæ auctoritatis in dicendo. Ergo ſemper

grave erit, seu res sit gravis, seu levis, eum facere testem mendacem.

15. In iuramentis autem promissorijs, aut comminatorijs alicuius rei illicitæ non militat eadem ratio, si facta sunt, vt supponimus, animo exequendi illud, quod futurum enūtiatur. Neque enim, cùm iuramentum emittitur, invocatur Deus in testem alicuius assertionis, quam nos reputemus falsam; sed omnino verum credimus, futurum esse illud opus, quod ex vi nostri propositi futurum esse iuramus. Neque posteà, cùm, mutata iniqua voluntate, resipiscimus, & illam non exequimur, facimus, vt contra mentem tempore facti iuramēti quidquam dixerimus, aut quòd Deum adduxerimus in testem alicuius assertionis, quam tunc falsam putabamus; sed tota falsitas, quæ inibi incurritur, in eo consistit, quòd facta non respondeant nostris dictis, servata semper dictorum, ac mentis conformitate. Vnde nunquā Deus adducitur tanquam testis alicuius falsi secundum existimationem loquentis, vt opus est ad mēdacium; sed falsi in ordine ad ipsam sese habentis merè materialiter, ac fere ad eum modum, quo dicitur Deum in testem falsi adduci in iuramento assertorio de præsenti, aut de præterito, cùm in re ipsa falsum est illud, quod dicimus; sed nos id invincibiliter omnino verum putamus. Semper igitur in istis iuramentis iura veracitatis Divinæ penitus illæsa manent, & ideò locus relinquitur, vt peccata levia fiant ob materiæ levitatem.

16. Sed tunc vrget difficultas ex alio diverso capite. Quia inde concludi videtur, non esse gravia delicta eiusmodi iuramenta, quamvis materia sit gravis, vt si quis iuret, se occisurum inimicum suum. Aut enim Deus solùm adducitur, vt testis nostri propositi, ac operis futuri ex vi illius, aut vlteriùs introducitur vt fideiussor, aut sponsor exequutionis futuræ, atque verbum eius traditur vt pignus securitatis alienæ, & maioris firmitatis, quam voluntas nostra alioqui haberet? Si hoc dicitur, vtrobique esse videbitur peccatum mortale. Quia ea ratione Deus inducitur vt approbator, & specialis promotor talis propositi, aut operis, vt eius exequutionem procuret, & non sinat eam frustrari; id autem gravis blasphemia est vt minimum, quantumvis res, quæ promittitur, sit solùm leve peccatum. Sin verò dicatur primum, & Deus tantùm vt testis adducatur, tunc nil referre videtur, quòd opus sit veniale, vel mortale. Nam, sive posteà fiat, sive nō fiat, nunquam producetur Deus in testem vllius mendacij. Neque enim nos ipsi mentimur, sive occidendo, sive omittendo occisionem priùs iuratam: neque antea mentiti fuimus, cùm ex vero animo occidendi homicidium fore iurabamus. Impossibile autem est, vt cùm iurans non mentitur, Deum faciat testem mendacij.

17. Præsensit difficultatem P. Lessius *lib. 2. de iust. & iure. cap. 42. num. 18.* & meritò fatetur, ibi non adduci Deum vt fideiussorem, sponsorem, promotorem, aut approbatorem, neque verbum eius dari in pignus alienæ securitatis. Pignus namque, sponsio, aut fideiussio, si propriè loquendum sit, eo fine adducuntur, vt creditor exinde sibi satisfaciat, si debitor id non præstet; certum est autem, eos, qui iuramentum rei iniquæ postulant, aut exhibent, nihil istorum intendere, neque ex Divino nomine sibi satisfacere, nec velle, vt approbatione sua tribuat immobilitatem proposito; sed præcisè, vt talem veritatem suo tempore manifestet, & idipsum dicat, quod nos dicimus, vt eo pacto fiat securior promissio-

missionis adimplétio, vt inter homines securior fieri solet pignore, aut fideiussore dato. Quare, his vocibus seclusis, quæ in proposito non nisi metaphoricè vsurpantur, solùm superest Divini testimonij invocatio adducta ad comprobandam veritatem assertionis de futuro, quam involvunt comminatio, vel promissio animo adimplendi facta. Et quia ex vi illius Deus nunquam adducitur in testem nostri mendacij, vt obiectio facta persuadebat, ideò Lessius *vbi suprà* nonnihil in eam partem inclinabat, quæ diceret, talia iuramenta intra suam propriam rationem non esse nisi peccata levia, licet materia sit gravis.

18. Absolutè autem communi sententiæ acquiescit asserenti, esse mortalia: & ab illa non esse recedendum, aut de eius veritate dubitandum, quamvis oporteret dicere, iuramentum de veniali committendo esse peccatum lethale, sapienter Suarez admonuit *in dicto l. b. 3 de iuram. cap. 19. num. 12. in fin.* Ratio autem, cur mortalia sint, ex inde sumitur, quia magnus est Dei contemptus retorquere illius auctoritatem in re gravi contra ipsum, & sese confirmare in proposito lædendi graviter honorem eius eo ipso instrumento, quod de se institutum est ad illum promovendum, & ampliandum. Porrò hoc modo se gerit erga Deum, qui eum adducit in testem suæ constantiæ, & firmitatis, qua intendit non desistere à pravo illo proposito gerendi inimicitiam cum ipso, donec ad exequutionem perducatur. Vtique ille, qui in humanis erga Reges, aut parentes sic se gereret, absque dubio illos offenderet graviter. Et vniversim non potest non censeri irreverentia, velle abuti auctoritate alterius ad resistendum eius voluntati in illis, quæ sibi displicere declaravit. Igitur, cùm displicentia non sit levis, sed dissolutiva amicitiæ, & inimicitiam afferens, irreverentia intra suam propriam rationem non erit levis, sed gravis. Denique is verificare nequit, quod Deū attestari voluit, nisi peccando mortaliter; sese autem sponte in eam necessitatem conjicere, non videtur levis deordinatio.

19. Ex dictis tamen concludes, iuramentum de futuro peccato cōmittendo à nobis, si fiat absque animo illud exequendi, semper esse scelus grave contra religionem, quia tunc Deus in testem mendacij adducitur, & contra mentem loquentis nomen eius invocatur. Non est tamen nisi vnum peccatum, & quoad hoc differt à iuramento peccati, quod re vera perpetrare intendimus, quia in eo eventu duplex peccatum specie diversum committimus; aliud contra religionem, quatenus iuramus rem illicitam; & aliud contra eam virtutem, cuius violandæ propositum habemus: ea enim malitia semper inesset proposito, ex. g. occidendi, licet non esset iuratum. Differunt præterea, quia omne iuramentum factum absque animo implendi, quod implendum affirmatur, iuramentum mendax est propriè, ac formaliter, atqueadeò peccatum grave, quæcumque tandem sit eius materia, sive modica, seu magna. At verò si animo adimplendi fiat, quamvis illicitum sit, quod de futuro iuratur, contingere potest, vt desit omne peccatum mortale, scilicet si iuramentum non cadat supra rem mortaliter illicitam; sed illicitam solùm venialiter. Iam enim vidimus, iuramentum de veniali in futurum committendo, si de præsenti sit verax, non esse nisi veniale. Quo fit, vt longè plus peccet iurans, se perpetraturum quodvis peccatum veniale absque intentione perpetrandi illud, quàm cum ipsa.

Quippe ille peccatum mortale incurrit propter admixtum mendacium; hic verò duo solùm venialia, alterum contra religionem iuramenti, & alterum contra eam virtutem, cuius levis offensio intendebatur.

20. Concludes præterea, iuramenta illa, quæ *vrbanitatis* dicuntur, v.g. cùm honoris causâ aliquis iurat, se non priùs altero ingressurum per ianuam, aut non sessurum in loco digniori, necnon illa, quibus parentes, aut domini leviter solent iurare, se castigaturos filios, vel servos, aut aliquid eis daturos, non posse excusari à mortali, si fiant animo iurandi, & absoluta intentione non implendi illud, quod dicitur. Iurant enim contra mentem, & periurium assertorium de præsenti incurrunt, quod in quacumque materia graviter offendit infallibilem supremi Numinis auctoritatem. Ideò autem hæc iuramenta communiter excusantur à mortali, quia supponitur adesse animus implendi, quod dicitur, sed id, quod dicitur, ex vsu communi, vel ex alijs circumstantijs aliquas subintellectas conditiones involvit, quæ tempore exequutionis deficiunt, & propterea cum eis deficit ipsa quoque iurisiurandi obligatio. Eiusmodi solent esse in iuramentis vrbanis: *Si per te licuerit. Si non nimium repugnaveris. Si tibi ingratum non fuerit*, atque alia id genus.

21. Iuramenta etiam de punitione filiorum plerumque conditionalia esse videntur, illudque tacitè important: *Nisi aliud posteà magis expedire appareat*. Contingit etiam, vt fiant animo indeliberato, seu impetu iracundiæ præveniente plenam advertentiam requisitam ad mortale, vel quòd sint de punitione leviter inordinata, aut de largitione aliqua indifferenti, & tunc ratione materiæ neque ad sui exequutionem obligabit, nec cùm fiunt, erunt peccata mortalia, si assertio de futuro veraciter iuretur, cùm levis sit materia, circa quã versatur. Ac demum, licet talia iuramenta interdum obligent, quia sunt de actu vndique honesto, & neque ad propriam vindictam, neque ad alium pravum finem ordinato, adhuc peccatum leve reputabitur transgressio illorum, si posteà mutetur animus, & materia levis sit, iuxta sententiam, quæ affirmat, veniale duntaxat esse rem levem iuramento promissam cum effectu non præstare. Quæ sententia valde communis est, cuiusque Auctores longo censu Leander refert *in dicta disp. 7. q. 33.* etsi plerique ipsorum minùs placeant, dum affirmant, ibi Deum non invocari vt testem exequutionis futuræ, quatenus fuerit in potestate iurantis. Id enim (vt alia omittam) esset tollere re ipsa iuramentum de futuro: quia iuramẽtum non datur, cùm Divinum testimonium in confirmationem veritatis non adducitur, vt ex illius definitione patet tradita post Augustinum ab Angelico Doctore 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. & communiter recepta ab alijs.

22. Concludes insuper, tametsi nunquam detur in iuramento assertorio peccatum leve ex parvitate materiæ, seu falsitatis iuratæ, dari tamen posse ex parvitate periculi iurãdi falsum, cui se exponit, qui iurat, si minùs diligenter, quàm par erat, veritatem rei examinaverit. Nam defectus diligentiæ debitæ ad veritatem rei dictæ indagandam magnus potest esse, ac parvus, & sæpe potest contingere, vt qui existimat rem aliquam sic se habere, sicut dicit, in ea existimatione culpabiliter erraverit, quia negligenter se gessit in examine, atque discussione illius. Ergo si negligentia fuerit gravis, iuramentumque interponat, grave peccatum cõmittet, licet iuxta mentẽ suam loqui,

atque

atque iurare videatur, quia seſe exponit periculo gravi adducendi Deũ in testem rei falsæ, ac persuadendi ipsam aliis auctoritate Divina. Sin verò negligentia fuerit levis solùm, & exigua, leve quoque erit peccatum: nam illud commensuratur periculo, & hoc non est nisi leve. Ita Sanchez, Suarez, Lessius, Valentia, Sylvester, Sotus, Navarrus, Sayrus, Salas, Tamburinus, Fagundez, Castro Palao, & alij relati, & subscripti à Leandro *suprà q.* 20.

23. Simile quidpiam invenies in veritatis examine, quod confessioni præmittitur: nam quò negotium est maioris ponderis, eò adhibenda est discussio maior. Vnde vtrobique est curandum, vt dicta nostra menti conformentur, non præcisè quoad substantiam; sed etiam quoad certitudinem, & modum confirmandi, quod asseritur, ne scilicet nobis dubia, aut merè probabilia dicantur tanquam absolutè vera, incerta, ac si certa forent, & inexplorata pro cõpertis. Quare mihi non arridet P. Sanchez *in Decal. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 13. quatenus ait, ad iurandum sufficere, vt quis prudenter iudicet, rem ita esse non levi argumento ductus; sed certo, verisimili, aut probabili. Aliud namque est iurare verisimilitudinẽ, aut probabilitatem (quæ nobis certa esse potest, quamvis incertum sit illius obiectum) aliud verò iuramento confirmare rem ita se habere in seipsa, sicuti nos opinamur. Et illud quidem sine præiudicio veritatis absque dubio iurari potest; hoc verò minimè, quia incertum cùm sit, & formidolosè tantùm reputetur verum, testimonium Dei apertè exponeret periculo falsitatis, & eò maiori, quo est maior probabilitas contrariæ partis.

CAPVT III.

Vtrùm cum causa licitum sit iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis?

24. SVb his ipis terminis legitur affirmativa sententia *in propositi.* 25. ab Innocentio damnata, eamque imputant Tamburino Sanichius, Gonet, & Pisani. Alij eum excusant, vt Le Maitre, Lucius à S. Marco, & Sandæus. Verba illius sic se habent, desumpta *ex lib.* 3. *in Decalog cap.* 3. §. 2 *num.* 1. *Certum est* (inquit) *secundò, iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis, vel iurare verbis æquivocis non esse licitum sine causa, licitum esse cum causa, iuxta ea, quæ diximus cap.* 2. §. 2. *& 3. quæ sunt recolenda, quia quantum ad hoc eadem est ratio assertorij, & promissorij.* Hæc Tamburinus breviter, ac remissivè, quæ, vt ipse monet, exponenda forent iuxta doctrinam contentam in loco, ad quem se remittit, si ille in eius libro extaret.

25. Non extat autem, neque in toto libro ipsius inveniuntur duo illi paragraphi secundus, & tertius, quos recolendos esse declaravit, atque ideò diiudicari non potest, quonam sensu, ac fundamento, aut quibus limitationibus sit tradita à suo Auctore illa doctrina, & longè minùs, an sit eadem ipsa, quam Pontifex in præsenti condemnavit. Quid enim, si non loquatur de iurante falsum absque intentione iurandi; sed præcisè de iurante verum? Id vtique non esse damnatum, cum alijs Pisani affirmat. Quid, si fortè verba illa: *Vel iurare verbis æquivocis*, distinctum casum à præcedenti non continent; sed potiùs illum

illum declarant, quasi vterque in idē recidat, & integer sensus sit: *Iurare verbis aequivocis ex sua significatione absque intentione iurandi licitum est, quoties subest idonea causa?* Sanè particula *vel* in hoc sensu sæpe accipitur, & declarativè, aut etiam correctivè vsurpatur, vt videre est apud Barbosa *de dict. vsufreq. dict.* 415. *num.* 5. & 10. Vt vt sit, satis apparet, huic Auctori valde displicuisse doctrinam ibi contentam, dum à libro suo expungi voluit, & neque typis mandari, nec publica luce donari permisit. Porrò, cùm sit eadem ratio vtrobique, vt ipse admonuit, consequens est, vt etiam retractaverit paucula illa verba, quæ obijciuntur, fuisseque ab ipso expungenda, si remanere advertisset.

26. Hoc ergo omisso, quidquid sit de thesibus, quæ veluti folia volantia citò pereunt, neque in orbem sparguntur, nullus, vt reor, liber invenietur, qui è re nata propositioni damnatæ, sicuti in decreto iacet, apertè non contradixerit. Illa porrò sic se habet: *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit gravis, sive levis.* Vbi tacitè supponitur ex communi omnium consensu, quem optimis rationibus firmat P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de iuram. cap.* 1. *à num.* 6. ad essentiam iuramēti, vltra voluntatem proferendi externa signa expressiva illius, vlteriùs desiderari animum internum iurandi, seu adducendi Deum in testem dicti, quod verbis exprimitur. Nam, si desit hæc intentio, quæ est velut verborum anima, non erit iuramentum verè tale; sed apparens, & simulatum, ac fictum, vt contingit in contractibus, Sacramentis, donationibus, ac alijs, quorum tota vis ex animi intentione dependet, & quoties contraria intervenit, nihil prosunt, vt sint valida coram Deo, & in conscientia, quæcumque exteriora verba significativa iuramenti, & apud homines recepta vt talia manifestè, & absque dubio.

27. De his igitur iuramentis ore tenus, & specie externa talibus, sed ex defectu intentionis, seu voluntatis iurandi essentiâ iuramenti destitutis, loquitur thesis proposita, illaque putat licere, cùm idonea causa subest & non licere, cùm abest. Quod prę oculis haberi debet, ne iuramenta illa subdola ex defectu animi interni cōfundamus cum alijs dolosis quoad solum vsum, & significationem verborum, vbi intentio iurandi non deficit; sed applicatur ad verba non iuxta significatum, in quo ab alijs accipiuntur; sed in alio, quem iurans sibi proponit, & tantùm iurare intendit. De istis quippe iuramentis, quibus vsitata vocum significatio pervertitur, aut per restrictionem mentalem immutatur earum sensus, propositione sequenti specialiter tractatur; hîc verò de his solùm differitur, quibus animus iurandi deest omnino, quamvis verba illum significent, & in sua iurativa significatione proferantur, ac si syncera animi intentione fierent. Vnde pariter excludi debent iuramenta facta quidem cum intentione iurandi; sed absque animo promittendi; imò etiam illa, quæ fiunt interdum à rusticis, & ignorantibus cum vero animo iurandi; sed cum positiva voluntate non obligādi se ipsos religione iuramenti. Nam de his omnibus suo in loco speciales quæstiones instituuntur ex principijs proprijs decidendæ: &, cùm animus iurandi supponatur non deficere, sed animus agendi quidpiam aliud, directè ad hoc subsellium non attinent.

28. Porrò ex ista explicatione patet, quàm longè ab scopo aberraverit doctrina proscripti lemmatis, dum putat licere ex causa iurare sine in-

intentione iurandi. *Nam est per se manifestum*, ait Suarez *vbi supra lib. 3. cap. 17. num. 1. in hoc genere fictionis aliquam culpam committi, quia non fit sine aliquo mendacio, vel fallacia, quia aliud verbis profertur, aliud mente retinetur.* Quare, sicut nulla ex causa mentiri licet, ita nec iurare absque intentione iurandi: nam qui sic iurat, mentitur, & affirmat, se iurare, cùm re vera haudquaquam iuret; sed potiùs nolit iurare. Vnde & manifestè contra mentem loquitur, quia ipsius verba ex se significant animum internum iurandi, & absque vlla restrictione in suo proprio, & vsitato sensu ab illo proferuntur, ac si ex animo iuraret. Ergo aliud habet in mente ab eo, quod se habere dicit, & verbis ad fallendum compositis, vt res credibilior fiat, loco veri iuramēti apud audientes substituit eius larvam, & imaginem. Explicatur. Quia promittere absque animo promittendi, baptizare sine intentione baptizandi, absolvere absque voluntate absolvendi, & iurare sine animo adimplēdi, quod iuratur, peccatum mendacij est, & nulla interveniente causa fieri potest, vt eiusmodi actus liceant, aut quicumque alij, quorum veritas ex interna animi intentione dependet, quam tunc adesse significant, cùm illa re vera absit. Ergo idem omnino eveniet iuranti absque intentione iurandi, atque simulanti, se eam habere, cùm re vera habeat contrariam.

29. Quo tandem planè colligitur, thesim propositam optimo iure inustam fuisse censuris à summo Christi Vicario. Neque enim potuit, aut debuit in Ecclesia tolerare doctrinam approbativam mēdacij maximè adeò pernicioſi, ac scandaloſi ex suo genere, elusivamque Divini testimonij falsa iuramenti imagine. Et, cùm ipsa non distinguat inter rem levem, aut gravem, veram, aut falsam, sed de omnibus indiscriminatim censeat licitè iurari posse absque intentione iurandi, temerè, & contra omnium mentem, qui de hac materia tractarunt, licita reddit quamplurima, quæ absque dubio sunt peccata enervantia vires iuramenti. & eius præcipuo fini apertissimè contraria, vt iam explico.

CAPVT IV.

Quantæ gravitatis peccatum sit iurare falsum absque intentione iurandi?

30. ASsero. Scienter iurare falsum sine intentione iurandi, ex quacumque causa fiat, lethale peccatum est cōtra virtutem religionis, sive mendacium sit leve, sive grave. Ita Theologi communiter, Bonaventura, Richardus, Caietanus, Aragon, Soto, Ledesma, Palao, Valentia, Thomas Sanchez *in summa. lib. 3. cap. 6. num. 10.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 42. num 43. in fin.* Card. de Lugo *disp 16. de Pœnit. num. 211.* Escobar *in Theolog. moral. vol. 4. lib. 29. num. 203.* dicens esse *fere certum*, & omnes alij, si credimus P. Suarez *eo cap. 17. num. 3.* necnon Angelo Maria Verricelli *in quæst. morali. 1. p. tr. 1. q. 12. num. 2.* asserenti, se nullum legisse Auctorem, qui in mendacio, etiam otioso, aut iocoso, id à mortali excusaverit. Ratio in promptu est. Quia esto animus iurādi desit, non deest tamen animus mentiendi, ac reddendi credibilius mendacium media invocatione externa Divini testimonij; hoc autem in magnam irreverentiam Dei cedit, quia eius auctoritate firmatur, & p'o certa veritate habetur, quod non est

nisi

nisi mendacium. Fictio namque in corde latens nequit tollere hos effectus, qui sunt proprij externi actus.

31. Et quemadmodum proferre in Deum verba blasphemiæ, quamvis sine intentione blasphemandi, aut mendaciter asserere eum testificasse aliquod dictum, quod nos scimus esse falsum, peccatum mortale est; & Deum inhonorat graviter, sic eum invocare exteriùs in testem dicti mendacis, & suprema auctoritate ipsius, cuius est maximè proprium confirmare veritatem, vti vt instrumento ad fallendum, gravissima iniuria est Divinæ veracitatis. Neque enim ad dehonorandum directa intentio requiritur; sed sat est, externũ actum ita fieri, & cum illis circumstantijs, vt meritò censeri possit in contumeliam eius esse factum. Vt in casu nostro omnes censebunt, si mẽdacium fuerit deprehensum, Deum adductum esse in testem falsi: &, si iuramentum fuerit promissorium, constetque de iuramento facto, & non de intentione occulta, proculdubio inhonorabitur Deus coram hominibus, si posteà videant, illud non servari. Quisnam autem gravius peccet, qui falsum iurat cum intentione iurandi, vel qui id iurat absque ipsa? obvium apud scribentes non est. Meritò autem P. Suarez *in dicto lib. 1. de iuram. cap. 1. num. 11.* decernit, minùs peccare illum, qui iurat absque intentione iurandi, sicut minùs peccat, qui ore tenus maledicit Deo, quàm qui maledicit ore, & animo. Et cùm altera malitia sit veri periurij, altera ficti, altera falsum iurantis re ipsa; altera verò mentientis, se illud iurare, quamvis vtraque lethalis sit, eo gravior illa censebitur, quò magis directè opponitur Divinæ veracitati.

32. Vnum tamen casum proponit *vbi suprà* P. Lessius, in quo, inquit, *videri possit non improbabilis sententia negans id esse peccatũ mortale*, scilicet *si per iniuriam cogaris, & falsitas sit prorsus occulta.* Quia nec re ipsa iuras falsum, cùm non intendas Deum in testem vocare; neque secundum prudentem æstimationem potes censeri iurare falsum, cùm falsitas sit ignota penitus, & coactio iustum motivum præberet altera mente iurandi. Ex qua doctrina ansam arripuisse videntur Minutulus, & Pisani imputandi pio huic scriptori propositionem damnatam. Sed valde immerenter. Quia ipse neque leviter insinuat, id esse vllo in casu licitum, nedum ea magna amplitudine, qua in proposita thesi continetur. De sententia negante esse mortale in casu ibidem expresso solùm loquitur, cùm ait non improbabilem videri posse. Cæterùm neque huic dicto acquievit; sed id reprobat, nam in fine sic concludit: *Verum satius est tenere cum communi ob rationem allatam.*

33. Quæ verba, nescio, quo fine suppressit Leander *suprà disp 44 q. 3.* cùm alia multa ad verbum excripsisset immediatè præcedentia. Profectò, si illa advertisset, non auderet imputare Lessio sententiam negantem, esse peccatum mortale iurare falsum sine intentione iurandi, siquis iurare cogatur. Et insuper non advertit, Lessium præterea exegisse, vt falsitas sit prorsus occulta, & adhuc nõ affirmasse absolutè id esse verum, aut saltem probabile; sed verbo dubitativo vsum fuisse dicendo, *non improbabile posse videri.* Sugillat autem hic Auctor P. Sanchez in hoc puncto, quasi non ita bene Lessium allegaverit. Sed non fuit ipse fœlicior, cùm Lessio tot imposuerit adeò aliena à mente illius. Nec lego apud Thomam Sanchez quidquam, quod ab ipsa dissonet, etsi cum

eum exactè perlegerim.

34. Ex alio etiam capite assertioni nostræ ex professo contradicere videtur Verricelli variis argumẽtis comprobare intendens *in dicta q.* 12. nõ esse peccatum grave absque intentione iurandi iurare falsum in materia levi. Verumtamen ratio proposita, si pensiculate expendatur, ea omnia solvit, ac refellit, & solùm probant, non esse ibi peccatum periurij, quod libenter damus, quia periurium propriè tale sine iuramento non datur, nec iuramentum absque intentione iurandi, quæ in prædicto casu deficit. Cœterùm quòd non reperiatur altera malitiæ species consistens in eo, quòd iurans exteriùs mentiatur, se iurare, cùm re vera nõ iuret, nulla ratione probatur, & longè minùs, quòd mendacium istud in ordine ad Dei honorem non sit valde perniciosum, nec contrarium è diametro fini principali iuramenti. Quapropter cautè iste Auctor à cõmuni sententia non discessit; sed rem doctis examinandam proponit: nam inquit, *non audeo asserere probabilem, neque tutam in conscientia eam sententiam, quæ affirmaret, non esse peccatum mortale, in materia levi, vt mendacio iocoso, aut officioso, iurare exteriùs sine interno animo iurandi.* Hæc *ibi num.* 2. vbi additur, sententiam contrariam apud Auctores non legi. Adeò temerè negavit thesis prohibita id esse peccatum mortale, aut veniale, & ex causa cohonestari posse credidit etiam in materia gravi.



CAPVT V.

Quale peccatum sit iurare verum absque intentione iurandi?

35. CAietanus 2-2. *q.* 89. *ar.* 7. *dub. penult.* putat esse peccatum mortale cõtra religionem, etiam in materia levi, quamvis iuramẽtum per iniuriam exigatur, eidemque sententiæ accedit novissimè, alijs relatis, Laurentius Maria Pisani *in gladio Gedeonis propos.* 25. *num.* 3. ac putat, esse probabilem, quamvis nimis tigorosam, Suarez *in dicto cap.* 17. *num.* 6. quia est quædam illusio Divini nominis primario fini iuramenti cõtraria: &, cùm absque mendacio non fiat, illud erit valde perniciosum, & proinde grave peccatum. Quamvis enim tale iuramentum cadat supra dictum, seu enuntiationem veram, ac propterea verum in dicendo possit appellari; in ratione tamen iuramenti falsum est, fictum, ac mendax, quia iurare nolens, & se non iurare sciens, nihilominùs affirmat, se iurare. Et hoc est, quod istiusmodi mendacij malitiam nimis intendit, ac irreligiosam facit: quia nomen Dei non assumitur vtcumque in vanum, sicut ab illis, qui iurant absque vlla necessitate; sed mentiendo in ipsa invocatione, atque ea vtendo ad decipiendos alios firmiter credituros rem dictam propter reverentiam Divini testimonij mendaciter interpositi, cùm re vera non interponatur.

36. Et hæc quidem satis probant, ex intrinseca ratione iuramenti oriri obligationem specialem non iurandi, sive falsum, sive verum, absque intentione iurandi. Nullusque, vt opinor, erit, qui audeat dicere, esse

licitum, quoties factum fuerit absque idonea causa. Pro nihilo namque habebunt homines interpositionem iuramenti externam, eamque penitus inutilem ad suas controversias decidendas reputabunt, si per religionem licet fingere, atque non iurare, & solùm ibi relinquitur communis malitia quibuscumque alijs mendacijs. Sed neque illa potest esse levis, cùm materia iuramenti est gravis, vt in contractibus, aut promissionibus frequenter vsuvenit: postulatur enim iuramentum ad plenam securitatem. Et sicut, conventione præsuppositâ, lethale crimen iniustitiæ est non iurare; sed iuramentum confingere: ita etiam nova malitia lethalis contra religionem ponitur, dum eiusmodi fictione vtimur, & debitam securitatem non præstamus. Idem evenit, cùm Iudex, aut Prælatus legitimè iuramentum postulat: neque enim ipsum decipere licet, atque eludere mandatum sola externa specie illius, cùm ius habeat verum in essendo iuramentum postulandi, quod sua religione dictis præbeat specialem certitudinem, atque securitatem. Et absque dubio iuramenti vires maximè enervaret, ac ipsius interpositio valde exiguam credibilitatem conferret rebus exterius iuratis, si homines sibi persuaderent, nullam, aut dùtaxat levem obligationem incumbere ex intrinseca ratione iuramenti iurandi citra fictionem, etiam in negotijs gravibus.

37. Propterea fictionem istam ex genere suo esse lethalem, quamvis cadat supra veram aliquam assertionem de præsenti, aut de futuro, recepta sententia est, atque in individuo ita contingere in iudicijs, ac contractibus gravioris momenti, ex ipsis terminis satis perspicuum apparet: quia est valde gravis, ac pernicioſa deceptio subvertens iuris iurandi vsum, ac finem humanis rebus adeò necessarium. Extra contractus autem, fœdera, ac iudicia, & quotiescumque fit fictio absque speciali obligatione iurandi, & sine gravi scandalo, damno, vel iniuria tertij, quamvis à malitia mendacij irreligiosi nequeat excusari, Sotus, Suarez, Bonacina, Lessius, Sanchez, Palao, Escobar, Leander, & alij permulti valde probabiliter existimant contra Caietanum, & Filliucium, non esse peccatum grave; sed veniale ob levitatem materiæ. Quamvis enim nomen Dei externo actu in vanum adducatur, non ideò adducitur in testem mendacij; sed enuntiationis veræ; nec tessera exploratæ veritatis, qualis debet esse iusiurandum, applicatur materiæ repugnanti, sicut est assertio mendax.

38. Quare nec ratione modi, neque ratione materiæ is modus iurandi verum, sive assertoriè, sive promissoriè (nam vtriusque eadem est ratio) graviter opponitur fini principali iuramenti, cui satis est, quòd ex animo, & absque fictione semper exhiberi debeat ob Divini nominis honorem, licet talis obligatio non semper sit in individuo gravis; sed accõmodata negotijs, ac gravitati materiæ. Vulgare, & satis aptum exemplum sumitur ex oratione vocali, quia esto peccatum sit virtuti religionis contrarium orare sine attentione, atque simulare exteriùs orationem, quæ non datur, deficiente animo interno; mortale non est, si fiat absque gravi obligatione orandi, & absque alio nocumento. Vnde nec vovere exteriùs absque intentione vovendi, semper est peccatum grave; sed, secluso scandalo, contemptu, iniustitia, & alijs accidentarijs incommodis, quæ sæpe deficiunt, veniale peccatum erit talis fictio, seu hypocrisis, vt rectè probant Suarez

tom.

tom.2.de Religion.lib.5.de voto.cap.1. à num.4. & Sanchez *in Decalog.cap. 1.num.38.* Videlicet, quia ex vi illius nullum attributum Dei graviter inhonoratur, nec eius deceptio intenditur; sed levis quædam irreverentia committitur, dum subdola religionis specie homines circumveniuntur, & supponitur pro vero Dei cultu cultus fallus, ac si vitrum traderetur pro adamante. Nec facilè ratio assignabitur, cur veniale tantùm sit, servata veritate de præsenti, iurare cum intentione iurandi exequutionem rei venialiter illicitæ, & non sit etiam veniale iurare idipsum absque intentione iurandi, cùm vtrobique pariter deficiat obligatio iuramenti. Priori casu ob incapacitatem materiæ, quia iuramentum nequit esse vinculum iniquitatis; posteriori verò ob defectum intentionis, sine qua non datur iuramentum, nec propria eius obligatio, quamvis materia sit capax, & possit licitè impleri.

39. Veniale quoque pronuntiant, non verò licitum opus, quantumvis ex causa fiat, iurare verum absque intentione iurandi, Auctores, qui de hac materia mitiùs scripserunt contra severiores, qui id semper censent mortale. Quare licet iuramentum per iniuriam, aut coactionem exigatur, apud omnes ratum est, inde non desumi causam idoneam ad excusandum delictum, etiam in materia levi, nedum in gravi, vt volebat propositio condemnata; sed quæstio inter ipsos est, non de licito, aut illicito; sed de mortali, aut veniali. Semper enim ibi intervenit mendacium irreligiosum, quod est intrinsecè malum; quæ autem sunt mala ab intrinseco, nulla ex causa cohonestari valent. Fieri autem interdum potest, vt ratione illius minuatur malitia actionis, vt sæpe sæpius minuitur ex alijs circumstantijs occurrentibus, quæ appellari solent alleviantes. Vna autem ex istis creditur, quòd iuramentum dicti, aut promissionis veræ violenter, aut insustè deposcatur, atque ideò multi probabilius iudicant, secluso gravi scandalo, aut alio tertij præiudicio, fictionem iuramenti tunc non esse, nisi veniale peccatum.

40. Ita Sotus, Suarez, Lessius, & alij nuper relati *num.37* & ex ibi dictis à fortiori deprehenditur: nam, si mortale non est ita iurare cùm nulla vrget peculiaris necessitas, longè minùs tale erit, vrgente metu, vel necessitate gravi. Vnde Filliucius, qui in priori eventu iuramentum fictum lethale esse censebat, in eo, de quo nunc loquimur, reputat esse veniale *tom.2.tract.25.cap.12.num.361.*

CAPVT VI.

Dubia quædam circa sensum damnationis Pontificiæ.

41. DVbitabis 1. An ageret contra decretũ Pontificis, & pœnas eius incurreret, qui asseveret, esse licitum ex causa iurare verum absque intentione iurandi? Negativè respondendum videtur ex doctrina Laurentij Mariæ Pisani nobilis Thomistæ *in gladio Gedeonis prop. 25.num.1.* vbi sic scribit, de hac propositione loquens: *Puto, intelligendam esse de iuramento cadente supra mendacium, vt loquebatur præcedens propositio: tum quia, qui iurat verum, nullam causam habere potest iurandi, sine animo iurandi in iuramento assertorio: & in hoc sensu absolutè esse damnatam.* Hæc tamen nihil suadent. Nam quòd antecedens propositio de iuramento mendacij determinatè loquatur, parum est, vt ista etiam ad

illud restringatur, cùm inter se nullam prorsus connexionem habeant, nullumque verbum sit eam indicans, neque ex eodem fonte sint desumptæ. Quod verò adijcitur, eum, qui verum iurat, nullam posse habere causam iurandi sine intentione, in iuramento promissorio manifestè fallit, vt etiam hic Auctor indicat; eadem autem ratio militat in assertorio, quia etiam illud potest extorqueri per vim, aut metum iniustum. Maximè quia, si res ipsa suis momẽtis expendatur, modus iste fictionis locum non habet in iuramento promissorio, nisi vt assertorium est, quãdoquidem tunc committitur, cùm verba iuramentum importantia proferuntur, & intentio debita ex vi ipsorum actu deficit, quidquid circa exequutionem in sequenti tempore contingat.

42. Propterea verum existimo, propositionẽ nullatenus esse restringendam ad iuramentum assertorium dicti mendacis; sed sumendam, sicut in decreto iacet, abstrahendo à dicto vero, vel mendaci, atque in sensu cõprehendente vtrumquẽ, & sub hac vniversalitate illam impugnat eiusdem almi instituti alumnus Ioannes Baptista Gonet *tom. 3 in dissert. Theolog. de opinion. probab. à num.* 110. Quare sensus damnationis erit, nullo vnquam casu esse licitum iurare sine intentione iurandi, sive verum, sive falsum, sive rem levem, seu gravem, sine causa, vel cum illa. Nunquam enim potest id licere, nisi irreligiosum mendacium vires iuramenti enervans approbetur tanquam licitum, & nulla irreverentia esse credatur assumere Dei nomen in vanum, simulando invocatione illius confirmari veritatem cùm re vera, & apud Deum nullam inde confirmationem accipiat, licet in foro externo contrarium præsumatur: quia illud de internis non iudicat; sed verba, vt sonant, intelligit.

43. Erit quidem gravior obligatio, aut levior iuxta varietatem casuum, vt constat ex antecà dictis; sed quòd nulla sit, dummodò ex causa id fiat, & manifestæ rationi, & torrenti omnium Doctorum valde temerè obluctatur. Eo vel maximè, quia *causa* solùm indiscriminatim, ac indefinitè exigitur, nec quanta, aut qualis esse debeat, declaratur: inde enim prædicta regula eius directione vtentibus magna posset esse occasio errandi in praxi, quasi quæcumque causa satis esset, etiam in materia gravi, vel mendaci ad confingendum iuramentum, quod non datur. Id vtique neque illi ferunt, qui ex causa licere putant restrictiones mentales purè internas; sed semper causam requirunt ex se non parvi momenti, & eò maiorem, quò materia est gravior. Et alioqui ad sic iurandum licitè in quavis materia satis esse crederetur levis scrupulus iurandi falsò, parva commoditas propria, aut aliena, vel exiguæ molestiæ declinatio, quod nemo cordatus dixerit, neque vllus Theologorum insinuavit.

44. Dubitabis iterum, quæ verba externa requirantur, vt illis vti non liceat absque intentione iurandi? Respondeo, ea verba requiri, quæ ex sua propria impositione, vel ex vsu, aut circumstantijs determinatè significent, Deum in testem invocari, ita scilicet, vt sola intentio desit ad verum in effendo iuramentum consummandum. Nam, si verba iuramentum verè tale sufficienter non significent, qui illis vtitur, quantumvis iurare velit, idque intendat, nisi hanc suam intentionem alio sufficiẽti signo manifestet, apud se, vel apud Deum interiùs iurare poterit; sed sensibiliter, & apud homines re vera haudquaquam iurabit. Cùm autem

verba

verba id significant ex se, vel ex circumstantijs, ex vi illorum necessariò est debita iurandi intentio ad evitãdum mendacium, ac Divini nominis abusum, quæ ab intrinseco repugnant honestati, & ideò nunquam eveniunt, secluso errore invincibili, absque fingentis peccato.

45. Simile quidpiam contingit in contractibus humanis, votis, ac Sacramentorum formis, alijsque id genus, quorum verba interiorem intentionem exprimunt, & ea re vera non datur: neque enim iuramentis solis peculiaris est ista doctrina; sed communis multis alijs. Quamobrem dum verba propriè quidpiam istorum significant, & illorum sensum caller, qui illa profert, recepta sententia est contra Alphonsum de Leone *de officio Confess. recollect.* 17. *conc.* 8. obligare iuxta significationem verborum, & verum votum, iuramentumve importare, istaque in vtroque foro æstimanda esse tanquam certò talia, quamvis nullo alio externo signo de interna intentione constet, dummodo non constet positivè de intentione contraria. Ratio autem est. Tum quia nemo dicere præsumitur ea, quæ non sentit *L. Labeo. §. Servius. ff de supellect. legat.* vbi interpretes. Tum quia dicta, sicut facta, in deteriorem partem exponi non debent, iuxta regulam Canonicam *in cap. 2. de reg. iur. lib. 6.* sumeretur autem aliàs dictum hoc in deteriorem partem, quia illa verba absque intentione, quam de se significant, proferri nequeunt absque peccato mendacij, & sæpe iniustitiæ, irreligiositatis, aut scandali. Vide, præter ordinarios, Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 9. num.* 11. Diana *p. 9. tr. 8. resol.* 17. Scildere *de principijs conse. tr. 3. num.* 83. & *tr. 4 num. 41.*

46. Dubitabis 3. Quale peccatum sit absque intentione iurandi his vti verbis in confirmationem alicuius dicti, quæ vt iuramentum adduci non solent, nec ab audientibus vt talia accipi. V.g. *In bona fide: In mea conscientia?* Respondet Thomas Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 6 num.* 11. cum Azor 1. *p lib. 11. cap. 12. q. 5.* post Aureolum, Angelum, ac Sylvestrum verb. *Periurium. num.* 1. veniale tantùm peccatum committi, quamvis falsum sit, quod dicitur, aut quamvis posteà promissum non servetur. Quæ doctrina, quatenus affirmat, leve peccatum ibi intercedere ratione dicti mendacis, aut actionis infidelis posteà subsequutæ, certissima est: quia idem contingeret, tametsi verba illa assertoria, aut promissoria solitariè, & absque vlla peculiari attestatione simpliciter prolata essent. Sed difficultas ad peccatum contra religionẽ devolvitur ob defectum intentionis iurandi, & aliqualem iuramenti speciem. Mihi autem satis difficile apparet, id genus peccati ibi admisceri. Nam qui sic se gerit, non mentitur in iurando, quamvis fortè mentiatur in dicendo, neque exteriùs affirmat, se iurare, cùm verba ex se id non importent, neque ex circumstantijs, aut consuetudine audientium. Nullo ergo ex capite debet, licet ijs verbis vtatur, habere intentionem iurandi, nec iurat, etiam exteriùs, neque contra iuramenti religionem plus delinquit, quàm si parili forma confirmaret absque intentione iurandi dictum sibi omnino verum.

47. Dubitabis 4. Quo pacto secerni valeant verba externa importantia iuramentum ab his, quæ illud non important? Respondeo, id nulla certa regula definiri posse, cùm formulæ sint innumeræ, & earum sensus dependeat ex vsu, & ex circumstantijs, quæ pro varietate temporum, locorum, ac personarum variantur in immensum. Quocirca P. Valentia

tom. 3. disp. 6 q. 7. punct. 2. vers. *Quare.* scite dixit, præter vsum patriæ, vel aliorum, de quo iam loquutus erat, *præcipuè considerandam esse in hoc negotio intentionem. Nam alioqui*, ait, *ex vi verborum vix vllum esset iuramẽtum, nisi cùm quis dicit: Testor Deum, vel Iuro, aut Invoco Divinum testimonium, & cætera.* Propterea inibi cum Caietano, & alijs non paucis indicat, eum, qui dicit: *Coram Deo conscientiarum inspectore, quia non mentior*, non idcirco iurare, nisi intẽdat invocare Divinum testimonium: potest enim velle absque fictione, vel alia speciali culpa solùm explicare ijs verbis, quanta cum circumspectione loquatur memor Divinæ præsentiæ. Idemque censent quamplures de modis alijs loquendi, quibus expressè nominatur Deus; sed non adeò clarè exprimitur illum invocari, vt attestetur veritatem in nostris dictis repertam. Cuiusmodi esse censentur illi: *Deus scit. Vivit Dominus. Testis mihi est Deus*, ac alij, qui, sua sola significatione attenta, in sensu merè assertivo vsurpari possent, & non invocativo Divini testimonij; sed præcisè ad denotandum perfectam animadversionem loquentis, & eum nõ fuisse ausurum mentiri, Deo id sciente, atque vidente, quod agit.

48. Sed de istis non est locus disputandi exactè. Adeat, qui velit, Suarium *lib. 1. de iuram. cap. 13.* Lessium *lib. 2. de iust. & iur. cap. 42. à num. 4.* Thomam Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 2. à num. 13.* & ex modernis Leandrum *dicto tr. 1. disp. 3. cum sequentibus.* Prætermitti autem non debent pro Confessariorum praxi aliæ formulæ valde frequentes, quibus Deus non nominatur; sed (quod ad iuramentum sufficit) virtualiter saltem, & implicitè videtur adduci in testem. De illis porrò Emmanuel Sa, verb. *Iuramentum. num. 1.* ita pronuntiat: *Iuramenta non sunt: In meâ fide: In meâ conscientia: In fide Christiani: In fide Religiosi: In veritate. Tantùm enim significatur: Ita est, seu, verum est; nisi quis intendat iurare.*

49. Qua de re vltra præcitatos, satis accuratè differit Raynaudus *tom. 15. in Heteroclitis Cœlest. & infern. sect. 2. punct. 1. à num. 8.* contendens, eiusmodi verbis solùm contestari expressè humanam fidem ijs personis debitam, revocarique in memoriam peculiarem obligationem non mentiendi, etiam absque iuramento, quæ incumbit Christianis, Religiosis, Nobilibus, aut alijs, qui verbis suis certam fidem adhiberi volunt, &, si fortè fuerint in mendacio deprehensi, id valde indecorũ iudicant. Quòd si proferens eas voces, Divinam Fidem invocare intendat, verum iuramentum erit, verumque periurium, si ad confirmationem falsi adhibeatur; sin autem non intẽdat hoc, sed illas in propria sua significatione velit vsurpare, falsò existimans in illa iuramentum contineri, tunc etiam propter conscientiam erroneam peccatum periurij incurret, vt ex Caietano, Azorio, & Sanctio confirmat Raynaudus ibi *num. 10. Quamquam*, inquit, *collidentibus sese iudicijs, qui ita se habet, & re ipsa quoad voluntatem iurat, & non nisi leviter fere delinquit, quia vix est, qui iuramentum illud censeat grave. Vnde, etiam si falsò fiat cum eo iudicio de levitate actus, lethali culpa hominem non commaculat, licet per se loquendo periurium sit mortale peccatum.*

Hæc ille.

DISSERTATIO XIV.

DE LOQVVTIONIBVS ADIECTA MENTIS restrictione veris.

Ferax est hæc disputatio subtilium cogitationum, & magnæ contentioni subiecta. Motivum ei præbet propositio 26. inter damnatas, cuius sensum, salvo semper Apostolicæ Sedis, ac Superiorum iudicio, variis dissertationibus exponere tentabimus, ne vnius longitudo confusionem, ac fastidium generet.

CAPVT PRIMVM.

Adducitur propositio cum aliquibus præambulis ad eius intelligentiam.

1. VErba illius sic se habent: *Si quis, vel solus, vel corã alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est periurus.* Hæc ibi, quæ ferè habentur totidem verbis apud P. Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 6. num. 15.* nisi quòd loco illius vocis *aliam viam* ipse habet *aliam diem*, quod ad rem præsentem nihil spectat, quia vtrumque est additum mente retentum, & quodcumque ex eis sufficeret ad veritatem assertionis prolatæ, si exterius exprimeretur. Qua autem ratione id limitaverit Sanchez, ne absurdum eum sensum redderet, quem præsefert propositio, vt iacet, separata, imò avulsa à suo contextu, *cap. 3.* explicabitur, & mens huius Auctoris exponetur.

2. Non loquitur autem propositio, vt ex contextu ipsius patet, de eo, qui vtitur verbis æquivocis duas diversas significationes habentibus, quarum vna vera est, altera falsa; nec de eo, qui profert generalia verba, si à iure, aut consuetudine, vel ex alijs externis circumstantijs tacitam aliquam limitationem habeant communiter subintellectam. Sed sermo est de restrictione insensibili, ac mentali limitante verba, quæ alioqui nullum verum sensum habent, qualia sunt ista: *Non feci*: prolata, & iurata ab illo, qui re vera perpetravit id, quod se fecisse negat; addita tamen interiùs limitatione aliqua mente retenta, vi cuius vera redduntur, vt si loquens ille subintelligat, se non fecisse die hesterna, quod re vera non fecit illa die; sed hodierna.

3. Ergo restrictiones istas mentales, ac purè internas asserebat thesis condemnata sufficere ad expungendam labem periurij, ac mendacij in omnibus, ac singulis casibus, qui in illa nominatim recensentur. Copulativè enim loquitur, & in tot propositiones resolvitur, quot sunt casus in illa

illa comprehensi. Quare nequaquam attendit, an restrictio fiat ex causa, vel absque illa, merè voluntariè, vel coactè seriò, an ex ioco, nullo interrogante, vel ad iniquam interrogationem alterius, ex hoc fine, vel ex alio; sed quomodocumque fiant, à peccato mendacij, atque periurij semper esse immunes censet. Perinde ergo fuit sic loqui, & tot casus recensere, ac si breviùs affirmaret: *Quisquis sola restrictione mentali sua dicta verificat, quamvis iuramento vtatur, nunquam mentitur, nec peierat.*

4. Porrò exinde apertè patet, non fuisse de mente Pontificis damnare mendacij, aut periurij eiusmodi restrictiones in singulis casibus ibi enumeratis; (neque enim omnium est eadem ratio) sed totam propositionem, vt iacet, rectèque componi posse, vt in aliquo casu ibidem recensito non inveniatur periurium, aut mendacium, dummodo in aliquo ex illis certò inveniri putetur. Ratio evidens est. Quia vnus ex his casibus, imo omnium primus, is est, cùm aliquis *solus*, & nullo audiente, præter ipsum, secum loquitur. In hoc autem eventu certo certiùs constat, eum nec deierare, nec mentiri, nec se exponere periculo decipiendi se ipsum, aut alios, nec officere convictui humano; sed quo voluerit sensu sua verba vsurpare posse absque præiudicio veritatis, quæ est pars potentialis iustitiæ, & non ad se ipsum; sed ad alterum refertur. Vnde Caietanus 2.2. *q.* 89. *art.* 3. vers. *Ad evidentiam primi dubij*, sic valde appositè affatur: *Cùm homo sibi ipsi loquitur, non habet locum mendacium, nec in materia, nec in forma; sed sola ibi intervenit vana, & fatua prolatio illorum verborum tanquam nihil significantium, ita quòd omnia verba, etiam ipsa iuratio, materialiter proferuntur, & supponunt.* Idemque evenire potest, si *coram alijs* loquatur; sed non cum illis: nam & coram alijs secum ipso loqui potest perinde, ac si solus foret, nec ex eo, quòd ipsi adsint, suum sermonem ad eos dirigere debet. Confirmatur. Nam reus, qui respondet iudici contra iuris ordinem interroganti, se non fecisse homicidium, quod re vera perpetravit, intelligendo intra se aliquod additum verum, v. g. non fecisse illud in carcere, ex sententia omnium, quam trademus latiùs *dissert.* 17. *num.* 21. & *dissert.* 18. *num.* 24 non mentitur, neque peierat, estque prorsus incredibile, sententiam adeò receptam, tàm in praxi, quàm scholis, damnatam fuisse in præsenti. Damnaretur autem procul dubio, si omnes, ac singuli casus, quos thesis damnata excusat à mendacio, & à periurio, potiùs reputandi forent esse periuria, & mendacia. Alter namque ex ipsis est, cùm quispiam *interrogatus* iurat, se non fecisse, quod fecit, intelligendo intra se aliquod additum verum; nec secernitur interrogatio iusta ab iniusta, iudicialis ab extraiudiciali; sed generaliter responsiones omnes excusantur ab his vitijs ob restrictionem internam.

5. Suadetur præterea à priori. Nam quoties damnatur aliqua vniversalis propositio, non ideò damnãtur omnes particulares contentæ in ipsa, neque vniversalis propositio eidem contraria ex vi condemnationis adstruitur. Sæpe enim accidit, vt ambæ vniversales sint falsæ; imo hæreticæ, vt si dicas: *Nullum iuramentum est periurium. Omne iuramentum est periurium.* Vel si doceas: *Semper licet alienas culpas detegere*, aut potiùs: *Nunquam id licet.* Nam vtrumque falsum est; verum autem, quòd aliquando liceat, & aliquando non liceat, iuxta varietatem causarum, negotiorumque occurrẽtium. Porrò pro-

propositio damnata vniversalis est, tam quoad vim restrictionum, quàm quoad fines illas exercendi: omnes enim comprehendit, ex quocumque fine fiant, omnesque, ac singulas liberat à peccato periurij, atque mendacij, ac de omnibus copulativè damnatis idipsum peræquè censet.

6. Vnde ad vim condemnationis fartam, tectamque servandam, & parendum illi in praxi, non est opus, vt in omni, aut quovis casu ex ibidem recensitis mendacium, atque periurium inveniri putetur, vt immeritò supponunt potiùs, quàm probant, Lumbier *in præsenti nu.* 1840. & Filguera *in lucerna huius decretal. propositt.* 26. vers. *Nihilominus*; sed satis est, eius contradictoriam defendere, assignando aliquam particularem in illa comprehensam, in qua vitium periurij, atque mendacij reperiatur, non obstante restrictione purè interna. Nam hoc ipso propositio, sicut iacet in decreto Pontificio, nullatenus defensabitur, aut docebitur; sed potiùs contradictoria illius, quia copulativam falsitas cuiusque enuntiationis in ea inclusæ falsam reddit. Neque omnium est par mensura, vt in decursu ostendetur. Quare Filguera *vbi suprà*, vers. *Ad loca autem* volens nolens hasce restrictiones Abrahamo licuisse putat ad secretum naturale de sui filij immolatione servandum, & eo asserto quidquid anteà ædificaverat, destruit.

CAPVT II.

An solùm damnatæ sint restrictiones, quæ adduntur verbo Non feci; *præservatæ verò à damnatione, quæ adduntur verbis* Nescio, *vel* Non memini.

7. SI propositio damnata, vt iacet, inspiciatur, solùm loquitur de illo, *qui iurat, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit*; de eo autem, qui iurat, se *nescire*, vel *se non meminisse* eius, quod re vera novit, aut certa memoria retinet, nullam penitus mentionem facit: vnde nisi ratione materiæ, & ob omnimodam identitatē rationis ab vno ad alium casum condemnatio extendatur, nec censura Pontificia, nec prohibitio deducendi ad praxim propositionem damnatam loquutiones istas comprehender.

8. Putat autem Sotus *lib. 5. de iustit. & iur. q. 6 art. 2 conclus 7.* vers. *Attamen*, inter prædictas loquutiones maximum esse discrimen. Quia scientia, & memoria ordinantur ad dicendum: quare qui non scit, vt dicat; verissimè iurat absolutè se nescire, & non meminisse. At verò *facere*, aut *videre* non ordinantur ad dicendum, atque adeò nullam congruam restrictionem patiuntur; sed necessariò mentitur, qui de re visa, vel facta dicit: *Non vidi*, aut *Non feci*, neque oppositum iudicat esse *sustentabile*, quia *apertissima sibi demonstratione* convincitur. De verbo *Non audivi* plus dubitat, additque, *tolerabiliùs* in illo posse permitti restrictiones, quæ à mendacio excusant verba ex se or-

dinata ad dicendum.

9. Porrò, si hæc Soti doctrina probabilis est, consequens fiet, damnationem Pontificiam non spectare ad restrictiones adiectas verbis *Nescio*, vel *Non memini*, aut quibusque alijs ordinatis ad loquendum; sed eas solas, quæ adijciuntur verbo *Non feci* & ad summum alijs ei æquipollẽtibus quoad effectum carendi ordinatione ad loquendum, cuiusmodi Sotus putat verbum *Non vidi: Non comedi: Non tetigi.* Nam priores propositiones non sunt damnatæ, nec prohibitæ in praxi formaliter, quandoquidem proscripta enuntiatio solùm loquitur de verbo *Non feci.* Sed neque sunt damnatæ arguitivè, & quasi à pari, quia probabilis disparitas adhiberi potest; neque evidens illa demonstratio, quæ vni casui adaptabatur, alteri iuxta Sotum inservire valet. Ergo si probabilis est ista doctrina, probabile quoque erit, decretum Pontificium ad prædictas propositiones non extendi. At verò eam esse probabilem, vltra auctoritatem Soti, alia non levis accedit ex M. Petro de Aragon, qui idipsum tradit 2.2. *q.*69. *art.*2. *ante fin.* Fuit autem vterque Magister, ac publicus apud Salmanticenses professor, alter Primarius, alter Vespertinus.

10. Nihilominùs, re bene inspecta, valde difficile apparet sustinere illud discrimen. Nam, licet verum sit, decretum istud, atque alias leges id genus non extendi cum sua peculiari obligatione, aut pœnis ad casus probabiliter duntaxat similes expressis; sed necessarium saltem esse, vt certò similes, & nulla omnino rationis disparitate excusabiles appareant; in præsenti tamen non est facile intelligere, quantum seu ponderis, seu probabilitatis habeat disparitas à Soto assignata, vt M. Bañez bene vidit *in comment. ad eum articul.* vers. *In tertia parte.* Idipsum strenuè præstant Palacios *in* 4. *dist.* 21. *disp* 2. *post med.* Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*3. *de iuram. cap.*3. *num.*3. Sayrus *in Clavi Regia. lib.*12. *cap.*17. Raynaudus *supr. cap.*14. *num.*14. Navarrus *in cap. Humanæ aures. q.*1. *num.*9. P. Moya *in select.* 1. *p. tr.*2. *disp.*1. *q.*6. *num.*20. & plerique alij. Quorum firma ratio est, quia esto admittamus, verbo illi *Non vidi*, aut *Non feci* malè accommodari restrictionem illam: *Ad dicẽdum*; adhuc supersunt plures aliæ, quæ eidem rectè accommodantur, & efficiunt sensum verum, vt *Non feci* subintelligendo *publicè. Non feci illicitè. Non feci ad manifestandam eiusdem facti notitiam. Non vidi heri. Non ita, vt id debeam dicere:* cùm iudex iniquè interrogat.

11. Quæ autem dicuntur de verbo: *Non feci.* & alijs duntaxat verificatis per restrictionem internam, & de iuramento assertorio eisdem adiuncto, pariter sunt asserenda de verbo: *Non faciam: Non revelabo secretum*, & alijs de futuro, sive affirmativis, sive negativis. Nam & ea capacia sunt restrictionis mentalis, & iuramento promissorio sub eadem restrictione confirmari valent. Vt si quis verbis absolutis iuret alteri: *Non faciam tibi iniuriam*, subintelligendo intra se vocem *in foro*, & reservando sibi facultatem irrogandi illam in platea. Vel si dicat: *Dabo tibi centum aureos*, limitando interiùs promissionem ad depictos, & non veros. Quo præmisso tanquam certo, iam accingimur ad veram causam Pontificiæ declarationis eruendam.

CA-

CAPVT III.

Prædictam propositionem meritò damnatam esse propter illud verbum sive quocumque alio fine.

12. INtentio vtentis loquutione mentaliter restricta, & iuramento confirmata multiplex esse potest, iuxta varios fines, quos is prætendere valet, & inter illos frequentissimi esse solent finis occultandi veritatem, quam revelare non expedit, & finis decipiendi audientem eo artificio, ac persuadendi ipsi aliquid veritati contrariũ. Porrò thesis condemnata, vt in decreto Pontificio iacet, nullum inter illos discrimen agnoscebat quoad effectum excusandi externam loquutionem sic restrictam à periurio, & à mendacio, quia prædictas loquutiones, *ex quocumque fine fierent*, ab his vitijs vniversim, & absque vlla prorsus limitatione excusabat. Hoc autẽ meritò damnari potuit, & ratione illius tota propositio, sicut iacet, quamvis alioqui daremus, cœtera, quæ in ipsa continẽtur, posse vtcumque defensari. Nam quidquid sit de ijs, quæ fiunt ex fine occultandæ veritatis, quam alius iniustè interrogat; illæ saltem, quæ vel sponte, vel ex causa proferuntur intentione decipiendi, non possunt excusari à mendacio, neque à periurio, si iuramento firmentur, & oppositum valde scandalosum, atque pernicioſum foret, alienumque ab omnium sensu, qui de hac materia tractarunt. Quinimò neque opus est, vt deceptio alterius intendatur propriè tanquam finis; sed sufficit, quòd voluntate directa ametur, & eligatur vt medium ad alium finem.

13. Neque id latuit P. Sanctium, qui propositionem illam sub sua tota vniversalitate docuisse videbatur; sed id cavit, & hanc ipsam limitationem adiecit vt omnino necessariam, neque ego legi, vel audivi vllum Doctorem, qui in hoc puncto ab eo dissentiat. Notanda sunt verba ipsius *eo cap. 6. num.* 18. *Quotiès*, inquit, *adest iusta causa his vtendi æquivocationibus, animus vtentis non debet esse ad fallendum proximum; sed ad occultãdam veritatem, quam non expedit revelare, vt bene docet Sylvester. verb.* Iuramentum. 3. *q.* 2. *versic.* Licet autem. *At etsi animus esset fallendi, cùm iuramentum non sit falsum, hic enim, nihil falsum significare illis verbis vult, sed vt alter decipiatur non intelligens sensum ab eo intentum, sola culpa ventalis videtur. Quia non est gravis inordinatio, nec iniuria proximo gravis infertur, vtpote qui ius ad id iuramentum non habet. At, re bene inspecta, EST MORTALE PERIVRIVM. Quia cùm intendat persuadere, ac fingat aliud, quàm in mente tenet, est mendacium simile mẽdacio consistenti in facto, vt constat ex ratione* 6. *quam num.* 15. *adduxi ex mente D. Thomæ.* Hucusque Sanchez, quibus discessit quàm maximè, & in re magni momenti, à propositione condemnata, quæ vniversim de quocumque fine loquitur, & huius limitationis non meminit, vt par erat, si aliquomodo fuisset toleranda.

14. Suadetur præterea, in hoc eventu certissimè inveniri periuriũ, atque mendacium. Nam qui directa voluntate decipiendi, seu circumveniendi proximum, iurat, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, eo ipso intendit persuadere audientibus, tàm auctoritate sua, quàm invocatione Divini testimonij, se non vti restrictione vlla mentali;

tali; sed accipere verba in sua propria significatione, quam ex hominũ impositione habent: nam alioqui nihil illis persuadere posset, & medium sic loquendi, quod in illum finem dirigit, tàm eidemmet fini, quàm intentioni suæ positivè repugnaret. At ille, qui sic se gerit, proculdubio mẽdax est, atque periurus, quia tàm auctoritate sua, quàm Divina, intendit falsum apud alios confirmare. Ergo à periurio, & mendacio nequit excusari loquutio interiùs restricta cũ intentione fallendi: sicut neque excusaretur, qui eadem verba non iam interiùs restricta, sed merè materialiter vsurparet ex fine suadendi alijs, se non aliud sentire, nisi quod significant, prout sonant, iacentque exteriùs.

15. Explicatur 1. Verba illa, si in sua absolura, & vsitata significatione proferantur, mendacia sunt, & contra mentem loquentis, qui rectè novit, se feciſſe, quod feciſſe negat. Sed ratione restrictionis mente retẽtæ à mendacio excusari nequeunt, cùm animo fallendi proferuntur. Igitur mendacia sunt, si animo fallendi proferantur. Probatur minor: quia ita loquens non intendit verba sua vsurpare in sensu mente restricto; sed in sensu absoluto, & vsitato, nempe in illo, in quo intendit sibi fidem adhiberi, & auctoritate sua illorum veritatem persuadere alijs. Atqui is non est sensus restrictus; sed absolutè, & pro omni eventu negativus facti: nam alioqui non intenderet decipere audientes, & persuadere ipsis falsitatem, quæ in tali sensu cõsistit. Ergo restrictio mente retenta nil prodest ad mendacium expungendum, cùm verba dissona vero animo fallendi pronuntiantur.

16. Explicatur 2. Quia esto demus, verba illa *Non feci* beneficio restrictionis purè internæ limitari, inde ad summum sequitur, ea esse ambigua, & capacia duorum sensuum, quorum vnus verus est, nempe restrictus ad diem hesternam; alter verò falsus, quo scilicet particula negativa in sensu absoluto sumitur, & iuxta naturam suam malignantem vsurpatur. Sed qui animo suadendi falsum, ac reddendi illud sua auctoritate credibile ea verba enuntiat, eo ipso sensum falsum eligit, quem sua auctoritate confirmet, & confirmando decipiat; non verò sensum restrictum, cuius confirmatio inepta est ad fallendum. Ergo verè loquitur in sensu falso. Vnde, quamvis verba illa ex se, seu ex circumstantijs externis capacia essent vtriusque significatus, alterius restricti, & veri; alterius autem absoluti, & falsi, proculdubio ille mentiretur, qui ea in sensu absoluto proferret, & ad restrictum exponendum intentionem suam non dirigeret, vt rectè notavit Bañez 2.2. *q.*69. *art.*2. *in* 3. *p. dub.* 1. *ad* 4.

17. Explicatur 3. Aut ita loquens vult significare sensum verum, ac restrictum, vel sensum falsum, quem auctoritate sua, & interpositione Divini testimonij persuadere intendit? Si hoc vltimum dicatur, satis constat, eum mentiri: vult enim proferre falsum cum intentione fallendi, quæ est ipsissima mendacij definitio: constat itidem, esse periurum, quia periurium strictè, ac propriè tale nil aliud est, quàm mendacium iuramento affirmatum. Si verò primum dicatur, saltem facto ipso mentietur, licet demus, verbis secundum se sumptis, & ab intẽtione fallendi separatis ipsum non mentiri. Perinde autem est ad periurium, & mendacium, quòd in factis, aut in verbis consistat iuxta receptam, certamque doctrinã S. Thomæ 2.2. *q.* 111. *art.* 1. atque ea propter fraus, & simulatio mendacia quædam sunt propriè talia iuxta omnes,

quam-

quamvis non verbis, sed factis perficiantur. Et quamvis mendacium dicatur falsa vocis significatio cum intentione fallendi, non ideò simulatio, quæ est falsa facti significatio cũ intentione fallendi, desinit esse mendacium, nec verba, si ad instar cuiusdam facti inspiciantur, & dolo malo ad decipiendum alium enuntientur. Nam, vt appositè observavit S. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. *ad* 2. *Quia voces præcipuum locum tenent inter alia signa, ideò cùm dicitur, quòd mendacium est falsa vocis significatio, nomine vocis intelligitur omne signum. Vnde qui aliquod falsum nutibus significare intenderet, non esset à mendacio immunis.*

18. Quòd verò in ijs circumstantijs mentiatur facto ipso occultandi veritatem, qui verba restringit mente, inde patet: quia esto demus, non mentiri beneficio restrictionis, negãdo egisse quod egit, saltem simulat, se non habere intentionem decipiendi alios; & significat, se habere contrariam intentionem, nimirùm manifestandi candidè, ac syncerè veritatem, ita vt dicto ipsius, vt iacet, fidere possint, & assentiri illi tanquam vero. Hoc autem manifestum est mendacium, duplicitas, ac fallacia, quæ per restrictionem non purgatur; sed potiùs per ipsam, vt per medium ad finem decipiendi vtilissimum, stabilitur, perduciturque ad effectum. Mendacium vtique non solùm committi potest vocibus, aut factis realibus; sed etiam taciturnitate, ac silentio, quæ sæpe sunt signa consensus iuxta regulam vulgatam: *Qui tacet, consentire videtur.* Si ergo aliquis interrogatus taceat animo circumveniendi calliditate sua illum, qui interrogat, & persuadendi ipsi assensum, quem non habet; quamvis in istis circumstantijs silentio significetur, nemo dubitabit, eum esse mendacem. Ergo à fortiori mendax erit, qui non solùm tacet, sed verbis denotat, se habere assensum, quem non habet, & simulat, se nihil restringere, vt occultet intentionem fallendi; imò qui restrictionem suam silentio involvit, & occultat, vt ipso silentio fallat.

19. Augetur difficultas, quia licet intentio directa, & positiva fallendi non sit necessaria ad mendacium, sed sufficiat animus significandi vt sibi verum, ac fide dignum id, quod loquens falsum reputat, vt illis præsertim accidit, qui crimina manifesta à se perpetrata diffitentur, non quia putent sibi fidem adhibendam; sed ne propria confessione convincantur; negari tamen non potest, cùm adest talis intentio, illam plurimum conferre ad committendum mendacium. Neque enim frustra additum est in illius definitione à SS. Augustino, & Thoma verbum illud: *Cum intentione fallendi*, quod omnino superflueret, nisi aliquando ab ea intẽtione mendacia redderentur verba, quæ ob sensum multiplicem, vel ob aliam causam similem alioqui possent sine mendacio enuntiari. Exemplo vlteriùs sint enuntiationes falsæ, quæ ioci, ac recreationis causâ proferuntur: nam illas aliquando esse mendaces, S. Augustinus profitetur *lib.* 1. *de mendacio. cap.* 11. & ex recepta mendacij divisione in perniciosum, officiosum, ac iocosum manifestè comprobatur; aliquando autem sine mendacio proferri, imò nunquã putaras esse mendacia ipse Augustinus præmiserat *inibi* 2. *cap.*

20. Discrimen verò non aliunde sumitur, quàm ab intentione fallendi, vt disertè observavit inter alios Paulus Layman *lib.* 4. *tr.* 3. *cap.* 13 *num.* 4. *Nam culpa mentientis est*, ait Augustinus *ibidem cap.* 3. *in enuntiando animo suo fallendi cupiditas:* Vnde qui falsa, etsi iocosa, enuntiat fallen-

fallendi cupiditate, culpam mendacij necessariò incurrit. At verò cùm ioci prodeunt ex diversa alia intentione, quæ sæpe honesta esse poterit, nunquam inter mendacia computantur: *habent enim*, vt præclarè subijcit ipse Augustinus *dicto cap. 2. evidentissimam ex pronuntiatione, atque ex ipso iocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis.* Vnde *in Psalm. 6.* scribit mendacium iocosum ideò *nõ esse perniciosissimum, quia non fallit. Novit enim*, ait, *ille, cui dicitur, ioci causâ esse dictum.*

21. Patet igitur ex dictis, mentales restrictiones nil prodesse ad labem mendacij expungendam, cùm verba alioqui contraria menti, aut intentioni proferentis ex directa, atque formali intentione fallendi proferuntur. Vel enim in sensu falso vsurpantur, scilicet ad significandum, ac persuadendum absolutè audientibus, loquentem nunquam feciſſe, quod se aliquando feciſſe certò agnoscit, vel saltem simulatur in eo sensu proferri, vt possint esse media decipiendi audientes, & faciendi, vt ipsi credant, ea prolata esse tanquam vera, seu conformia menti in sensu dicto. Vtrovis autem modo intermiscetur falsa vocis, factive significatio cum intentione fallendi, quæ est essentialis, ac propria cuiuscumque mendacij definitio. Neque dubitari potest, quin inibi interveniat dolus malus, qui est mendacium quoddam, ad circumveniendum proximũ ex proposito institutus. Nam *dolus linguæ tunc agitur, cùm aliud ore profertur, & aliud pectore tegitur*, sic definiente Augustino *in Psalm. 14.* & insuper dicente *in lib. 50. homiliar. hom. 1. Quid est enim aliud loqui dolum, nisi aliud verbis promere, cùm aliud claudatur in pectore?* Hic autem tegitur intentio fallendi, & restrictio ipsa mentalis in corde latens, & exercitè, aut signatè profertur intentio non fallendi, voluntasque loquendi in sensu non restricto.

22. Patet insuper, si iuramentum huic mendacio addatur, ibi inveniri periurium. Tum quia *periurium nihil aliud est, quàm mendacium iuramento firmatum*, ex Angelico Doctore *in 3. dist. 49. art. 4. corp.* cui omnes alij subscribunt. Tum specialiter, quia *periurium est nequiter decipere credentem*, iuxta S. Augustinum relatum *cap. 1. 22. q. 2.* & ideò laudatur ille, *qui iurat proximo suo, & non decipit.* Porrò ille nequiter decipit, qui ex proposito, & astutè id facit, aliud sentiens, aliud fingens. Tum præterea, nam is peierat, qui duplici corde iurat, quemadmodum is mentitur, qui duplici corde loquitur, id millesies repetente Augustino secundum illud *Psalm. 11. 3. Labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt.* Sed qui iuramentum aliàs falsum sola mentis imperceptibili cogitatione restringit, vt eo artificio audientes fallat, is duplici corde iurat, vnum intendens, ac ostendens aliud, & contra virtutem simplicitatis delinquit, cuius est præceptum negativum *non decipiendi proximum*, sicut veracitatis est præceptum *non mentiendi.* Ergo non simplici corde, sed duplici corde iurat, & proinde peierat, ac re ipsa mentitur, quia huic iuramento non iustitia, nõ iudicium; sed sola veritas deficit. Et, sicut veritas, atque simplicitas non sunt duæ virtutes; sed vna, atque eadem realiter indistincta: sic mendacium, ac duplicitas contra præceptum non fallendi proximum, idem re ipsa vitium sunt, quamvis nomine, ac ratione distinguantur. De quo latiùs infrà cum Divo Thoma sic de his virtutibus expressè philosophante, & omnibus fere post ipsum.

CA-

CAPVT IV.

Num thesis proposita ideò damnari meruerit, quia supponit, restrictiones mentales nunquam esse illicitas, nisi ex fine, aut circumstantijs pravis?

23. SVpponẽdum est tanquam omnino certum, loquutiones sola mentis restrictione veras, falsas verò, illa secluſa, sæpesæpius esse illicitas ex fine, aut ex circumstantijs alio genere malitiæ, quàm mendacij propriè sumpti. Illicitæ enim sunt, quoties incumbit specialis obligatio propalandi candidè, ac syncerè veritatem nullo artificio palliatam; sed patẽtem, atque nudam. Neque enim veritas patet, aut palam, & nudè dicitur, dum truncatur, vt sic loquar, supprimendo additum illud, quod omnino necessarium est ad verificandum dicta nostra, & exprimendo duntaxat, quod alioqui falsò dicitur: nam tunc vel sola occultatio merè silentiaria nequit non esse peccatum.

24. Solet autem oriri hæc obligatio ex multiplici virtute, vt ex fide, cuius confessio externa est in præcepto, cùm honor Dei periclitatur, & Tyrannus vrget: ex iustitia, si occultatio noceat proximo, vt in contractibus, & in testibus sæpe contingit: ex obedientia, aut ex iustitia legali, vt in reo, qui à suo Superiore, aut Iudice legitimè interrogatur: ex charitate, si propter externam speciem, seu mendacij, seu periurij audientes scandalizentur, & occasionem mentiendi, vel peierandi sibi datam inde assumant. Ac demum ex religione, qúia, vt ait Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 42. num. 43.* cùm restrictione mentali *adolere thus idolo, laudare Mahumetem, vel solemnia illa Turcarum verba pronuntiare*: Vnus Deus, & Propheta illius Mahumet: *est peccatum mortale. satis enim est in honore exhibendo actum externum ita fieri, & cum illis circumstantijs, vt meritò videri possit velle sacrificare, laudare, & cætera eiusmodi.* Et de externo contemptu, vel irreverentia Numinis par est ratio. Vnde non licet per religionem iurare exteriùs mendacium absque intentione iurãdi vt *differt. præced.* est demonstratũ. Nèc prodest, si per Deum iures exteriùs, quòd intra te subintelligas Dcũ Mercurium, aut Neptunum. Et ideò, licet nonnihil subdubitet Lessius eo loci, nihilominùs id non est ausus liberare à mortali contra sententiam communem, quamvis per iniuriam ad iurandum adigaris, & falsitas sit occulta.

25. Quæ cùm certa sint, modò succedit altera quæstio propria huius subsidij, nimirùm: Vtrùm in terminis propositionis damnatæ, præscindendo ab his malitijs, quæ non semper interveniunt, restrictiones ipsæ internæ semper licitæ sint ex se, & ex proprijs, quamvis propria sponte fiant, vel duntaxat recreationis gratiâ, nullaque necessitate vrgente? Videtur enim condemnata thesis illas semper excusare à peccato, sicut eas semper excusat à mendacio, & à periurio iuramentum eis accedens. Neque enim facile est, si mẽdacium, & falsitas sufficiens ad periurium secludatur, aliam pravitatem sibi propriam reperire in ipsis, ex qua illicitæ reddantur. Quocirca in hoc sensu illam exponunt, & eius prohibitionem intelligunt moderni eiusdem interpretes Lumbier, & Filguera, atque ex PP. Dominicanis Pisani *in gladio*

Ge-

Gedeonis propositi 26. *num.* 1. in hæc scribens, præter cætera: *Tota propositio ex hoc dependet, an licitum sit uti restrictione mentali? Nam, si licita esset ex se, quocumque fine adhibito, qui ex se non vergeret in detrimentum proximi, semper esset licita: vel si ex se non esset illicita, nunquam, nisi ex aliquo illicito fine adiuncto, esset illicita.*

26. Ipsa quoque eius damnatio satis indicat hunc sensum. Damnatur enim tanquam perniciosa in praxi. At perniciosa non esset in praxi, si eas restrictiones, quas excusat à mēdacio propriè, ac rigorosè tali, aliunde illicitas diceret, & absque alio æquipollente peccato impracticabiles crederet. Perniciosa namque exinde dicitur, sicut aliæ eiusdem generis, quòd praxim apertè illicitam, & humanæ societati nocentem, faciliorem, atque frequentiorem reddit, sublato fræno peccati. Scandalosa etiam vel ideò videri potuit, quia prædictam cautionem non expressit, nec distinxit (vt scribentes faciunt in suis libris) restrictiones certò illicitas, v.g. merè voluntarias, à necessarijs, ac fortasse licitis; sed ita mendacium sustulit generaliter ab omnibus, vt legentibus magnam occasionem dederit credendi, ablato mendacio, nullam aliam malitiam supereſſe, quam incurrant saltem illi, qui prædictas loquutiones mente restrictas exercent propria sponte, & absque idonea causa.

27. Vt vt sit, si in hoc sensu fuit loquuta, iustissimè condemnationem promeruit, quia certissimum est, mēdales istas amphibologias esse omnino illicitas, cùm merè voluntariè, seu in vanum exercentur, quamvis desit pravus finis decipiendi, aut occultandi veritatem, cuius integra manifestatio aliqua lege præcipitur. Nec de hoc est controversia inter Auctores, licet aliàs differant quoad speciem, & quantitatem delicti, quod incurritur in vsu illarum. Ita *ex mente omnium* testatur Prosper Fagnanus *1.p.ad. 5. lib. Decret. in cap. Falsidicus. de crimin. falsi. num.* 20. Ac sanè de illis dubitari nequit, quibuscum Prosper tuetur, illas in quocumque eventu sordere labe mendacij. Alij verò, qui mendacium rigorosè, ac propriè tale in eis reperiri denegant; adhuc, iusta causa deficiente, aliam malitiam agnoscunt ab ipsis inseparabilem. Sic in primis P. Sanchez *eo cap. 6. num.* 16 Bonacina *in 2. præcept. Decalog. disp 4. q. 1. punct. 12. num. 2.* Trullenc *lib. 2. in Decalog. cap. 1. dub. 15. num. 2.* qui, præeunte Valentia *in simili tom. 3. disp. 5. q. 13. punct. 2. ad 2.* docent, id esse peccatum oppositum virtuti veracitatis, non quidem tanquam commissio violans præceptum negativum, quo illa iubet, ne mentiamur; sed per modum omissionis cōtrariæ præcepto affirmativo, quo ipsa præcipit, vt dum alijs sponte loquimur, vel rationabili interrogationi respondemus, candidè, ac syncerè agamus, integrè manifestando mentem nostram, & accipiendo verba in eo ipso sensu, quo scimus ab alijs accipi.

28. Consonat apertè Lessius *lib. 2. cap. 42. num.* 48. dicens, id esse *abusionem orationis contra veritatem, & civilem consuetudinem, ac proinde peccatum, etsi non sit propriè mendacium.* Suarez *lib. 3. de iuram. cap. 10. num.* 10. scribens, *id non esse licitum, nisi ex iusta causa, & necessitate, & si aliter fiat, culpam committi, & si addatur iuramentum, regulariter esse grave peccatum.* P. Bresserus *lib. 5. de conscient. num.* 184. notans, esse doctrinam *communem, ac certam.* Filliucius *tom. 2. tr. 25. à num.* 329. Giballinus *tom. 1. de vsuris. lib. 3. cap. 1. art. 2. num.* 6. Sayrus *in clavi Regia. lib. 12. cap.*

*cap.*17.*num* 18. Navarrus *in cap. Humanæ aures.* 22. *q.* 5 *q. fua* 3. præsertim *num.* 9. ac latissimè Raynaudus *speciali opusculo huius argumenti tom.* 14. *toto cap.* 5. etsi *num.* 10. iudicet, hæc subdola agendi ratione non tàm veracitatis virtutem, quàm simplicitatem ei affinem violari. Subscribitque eidem apertè Thomas Hurtado *p.* 2. *variar. resolut. tr.* 7. *à num.* 33. vbi eam doctrinam sequitur, *egregiamque* appellat *num.* 35. Qua autem consequentia, hi viderint, ad quos attinet.

29. Esse itaque peccaminosas eiusmodi restrictiones, cùm voluntariè exercentur, vel ex inidonea causa, non solùm receptum est apud omnes; sed ferè per se notum apparet. Nam, si licitæ esse crederentur in his casibus, quasi à fundamẽtis suis everteretur civilis conversatio, ac commercium reciprocum vnius hominis cum alijs, sive in contractibus, sive in iudicijs, sive in quibuscumque alijs conversationibus politicis, aut negotijs familiaribus. Ad hoc enim prorsus necessarium est, ne mutua diffidentia se impediant; sed alij alijs possint credere, ac verbis ipsorum fidere, quod nequaquam obtinebitur, si vnicuique integrum foret absque valde rationabili necessitate, aut motivo mentem suam occultare, & cõceptum veritati contrarium in mente aliorum imprimere. Semper enim dubitare possent, num eiusmodi artificio sibi licito loquens vteretur. Et, quantumvis ille diceret, se nulla omnino restrictione verba sua proferre; sed simpliciter, vt iacent, ea vsurpare; adhuc nullam fidẽ mereretur. Nam hoc ipsum per mentalem aliam restrictionem limitari valet: &, dum vinculis conscientiæ, metuque peccati homines non illigantur, difficilè audientes credent, illos candidè, ac syncerè agere, & signis institutis ad suam mentem cæteris communicãdam non abuti interdius occultando, quod ad notitiam plenam veritatis maximè conferret.

30. Suadetur 2. Quia vltra præceptum non mentiendi, etiam datur præceptum non decipiendi proximum, vt planè habetur Levitici 19. 11. ibi: *Non mentiemini: nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Hoc est, vt Abulensis rectè explicat *ibidẽ q.* 6. *Nullus decipiat proximum suum*; quia huic æquipollet negatio præposita signo vniversali affirmativo *Vnusquisque.* Tum sic. Sed contrà hoc præceptum iuris naturalis, ac Divini expressè agit, sive mentiatur, sive non mentiatur propriè, quisquis sponte, aut recreationis causâ, nullaque necessitate vrgẽte, vtitur loquutionibus mente restrictis, & mentis suæ conceptum diminutè profert. Ergo, sive mentiatur, sive non mentiatur, illicitè agit, ac perperam. Probatur minor. Nam quoad effectum decipiendi audientes non minùs efficax est loquutio mẽte restricta, quàm non restricta, sed apertè mendax. Vtrobique enim eadem verba externa proferuntur, nempe: *Non feci* absolutè. Vtrobique idipsum dicitur vocaliter ei, cui loquimur. Vtrobique verbis nostris eadem species sensibus ingeritur. Et vtrobique ex vi verborum vna, atque eadem notitia absque addito verificante, & proinde falsa, in audiente generatur, cùm illud purè mentale sit, ac sensu imperceptibile, & neque ex circumstãtijs, neque ex causa sic loquendi, nec ex vllis alijs adminiculis talis deceptio permissa censeri possit, & non data, sed accepta.

31. Est autem vtrumque hoc præceptum iuris naturalis tanquam valde necessarium ex natura rei ad conservandam mutuam charitatem. Quia vt S. Ioannes Chrysostomus

scribit *in cap 4. ad Ephesios oration. 8. initio: Nihil est, quod æquè pariat inimicitias, atque decipi, & falli.* Quod exemplo sensuum, ac membrorum corporis latè prosequitur, nullum enim aliud fallit, & propterea ita cõcludit: *Ita nos quoque, ne mentiamur, nec fallamus, si sumus alter alterius membra. Hoc est indicium amicitiæ; contrarium autem, inimicitiarũ.* Breviùs; sed satis acutè, idipsum S. Augustinus declaravit *tom. 3. lib. 1. de Doctrina Christiana. cap. 36.* ibi: *Inest quippe in mentiente voluntas falsa dicendi, & idcò multos invenimus, qui mentiri velint; qui autem falli, neminem.* Si autem nemo vult decipi ab alio, vtique neque decipiens vult decipi; sed notissima illa obligatione constringitur promotiva iustitiæ, ac charitatis, qua lex naturalis dictat: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

32. Neque dubitari potest, quin ista sint duo præcepta, quorum alterum violari potest, quamvis alterum servetur. Quia ad mentiendum propriè, & in rigore necessariò exigitur, vt aliquis loquatur contra mentem, & sciens, ac volens tanquam sibi verum, atque fide dignum proferat, quod ipsemet falsum reputat. At verò præcisè ad fallendum ex animo, ac voluntariè non requiritur, vt aliquis loquatur contra mentem, neque vt enuntiationem sibi falsam tanquã fidedignam exprimat; sed satis, superque est, vt ex fine occultandæ veritatis, aut ex alio ex se non pravo, alteri occasionẽ deceptionis præbeat absque vlla necessitate, & causa præpõderante incommodis deceptionis, atque civilis commercij. Veritate namque ipsa alios decipere possumus, quos scimus discredituros verbis nostris, vt contingit dœmoni patri mendacij, & alijs, qui mentiri cõsueverunt. Vnde S. Augustinus *tom. 4. in lib. de mendacio. cap. 4.* sua solita subtilitate animadvertit, fieri posse, vt qui sciens, ac volens verum loquitur, id dicat causa fallendi, & veritate ipsa vtatur ad decipiendum: *Qui enim*, inquit, *verum ideò loquitur, quia sentit sibi non credi, ideò vtique verũ dicit, vt fallat: scit enim, vel existimat propterea falsum putari posse, quod dicitur, quoniam ab ipso dicitur. Quamobrem cùm ideò verum dicit, vt falsum putetur, ideò verum dicit, vt fallat.* Hæc ibi, quibus post pauca adiungit valde appositum exemplum eius, *qui homini non sibi credenti dicit, latrones in illa via esse, vbi re vera eos esse cognovit, vt ille, cui dicit, per illam viam magis pergat, atque ita in latrones incidat, dum putat falsum esse, quod ille dixit.*

33. Suadetur 3. Quia saltem negari nequit, hunc modum agendi habere speciem magnam mendacij, cùm ab ipso nulla exteriori nota discernatur. Igitur non licet eo vti ad libitum, neque sponte, & absque gravi causa; sed potiùs abstinendum est ab eius vsu, dum necessitas non vrget in contrarium: id enim est, quod præcipit Apostolus 1. *ad Thessalon. 5.* dicens: *Abstinete vos ab omni specie mali.* Vnde sicut nunquam licet intẽdere directè, ac positivè deceptionem proximi, & vti verbis, aut factis aliàs licitis ad imbuendum errore mentem eius, ita etiam non licet gratis, & absque causa præponderante illud facere, ex quo moraliter sequitur eius deceptio, & illi præbere proximam occasionẽ errandi. Est quippe error ruina quædam intellectus, vt peccatum est ruina voluntatis, & vtrumque malum est naturæ rationalis, qua rationalis. Atque ideò sicut ex præcepto non scandalizandi proximum non solùm debemus abstinere ab intentione directa ruinæ ipsius; sed etiam ab indirecta, qua ipsi per actiones malas, aut habentes spe-

ciem

ciem mali ei præbemus occasionem scandali: sic ex præcepto nunquam decipiendi proximum pariter debemus abstinere ab omni actione mala, vel habente speciem mali, quæ est occasio data deceptionis, & eò magis, quò illa fuerit magis efficax, sive deceptio intendatur directè, sive indirectè duntaxat. Solùmque in hoc genere debet permitti, vt in scandalo etiam evenit, occasio accepta, & non data; sed permissa.

34. Sæpe enim vtimur verbis, ac factis ambiguis, vnde proximi deceptio sequitur, nec ideò ab illis abstinere debemus, aut privari iure eas exercendi in defensionem nostram, vel ob aliam causam notabilem; sed tunc deceptio non dicitur volita; sed solùm permissa, neque occasio illius est data; sed ab alio accepta, qui id sibi imputare debet, cùm loquens suo iure vratur. Quamobrem neque in eo eventu sic loquens verè intelligitur decipere proximum, aut ipsum scandalizare, nempe activè, & positivè, prout opus est ad violandum negativa istiusmodi præcepta; sed permittere duntaxat ruinam, aut deceptionem alterius. Sic Christus, cùm ad vigilias noctis apparuit discipulis in mari, rectè prævidebat discipulos erraturos, & occasione exinde accepta putaturos, eum esse phantasma, nec ideò fuit eorum deceptor, aut transgressor præcepti naturalis, quo nunquam licet decipere. Sic honestissimè dixit, & ex causa: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud*, id vtique intelligendo, vt Evangelistæ testantur, de templo corporis sui, quamvis non ignoraret, haud exiguam occasionē Iudæis dari existimandi eum loqui de templo Hierosolymitano, à quo ejecerat ementes, ac vendentes. Omnes enim externæ circumstantiæ id indicabant, & alter sensus adeò erat metaphoricus, & alienus à communi intelligentia, vt tunc neque ipsi discipuli ipsum penetraverint; sed in eumdem, in quem alij, errorem lapsi fuerint.

35. Ex his inferes, non solùm esse peccatum, sponte omnino, & absque idonea causa vti vocibus mente restrictis; sed etiam æquivocis, & amphibologicis, quamvis in aliquo sensu veris, ex quibus prævidemus alios in errorem inducendos. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. vers. *Ad hoc dicitur. in fin.* Bresserus *supra, num.* 183. Comne *disp.* 10. *de Fide, num.* 41. dicens, *id à nemine negari.* Lugo *disp.* 4. *de Fide. num.* 68 addens, in eo *omnes convenire.* Nam esto materia erroris præiudicialis non sit, nec fidei, aut honestati contraria, cessentque reliqua incommoda, quæ inde solent dimanare, ipsa erroris implantatio in mente alterius malum quoddam est naturæ rationalis, quod quisque curare debet, ne occasione sui proximo eveniat, etiam per actiones aliàs licitas, atque de se indifferentes, nedum pravas, aut habentes speciem mali, dum rationabilis causa aliud agendi non suppetit. Atque id postulat, vt suprà vidimus, ipse convictus humanus, & oppositum est lata quædam iniuria charitatem erga proximum offendens, ac perverrens simplicē veritatem. Quæ in genere servandæ sunt regulæ scandali, cui hæc materia est simillima, vt deceptio activa, & data semper peccatum sit grave, aut leve iuxta qualitatem erroris; passiva verò, & accepta, qualis est, dum causa subest, immunis sit à peccato.

36. Et confirmatur: quia ambiguitas ista, & obscuratio veritatis directè repugnat fini, ad quem loquutio est instituta, & signa vocalia data, vt S. Augustinus observat *in Enchirid. ad Laurent. cap.* 22. his præter

cætera. *Propterea verba sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant; sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat.* Confirmatur iterum: quia sæpè ex charitate tenemur quædam agere, quæ alioqui omitti possent, v. g. docere alios, & corrigere proximum errantem, & procurare, dum absque incommodo possumus, ne in errorem incidant, aut perseverent. Ergo à fortiori tenebimur quosdam actus nostros aliàs licitos omittere, ne in errorem occasione illorum inducantur. Quale autem peccatum sit, circumventionibus istis, seu iocosis, seu spontaneis, iuramentum adijcere, infrà ex professo tractabitur. Nam peccatum esse constat ex *Psalm.* 14. 5. *Qui iurat proximo suo, & non decipit*: & periurium haud incongruè nominari, sumitur *ex cap.* 1. 22. *q.* 2. vbi *nequiter decipere credentem* periurium esse affirmatur. Saltemque mendacium erit, sumpto nomine mendacij pro quacumque falsitate, & eo analogico sensu, quo iuxta mentem Angelici Præceptoris, omniumque discipulorum eius tradendam *differt. sequent. cap.* 1. & 2. sumitur in pervulgata definitione periurij, dum dicitur illud esse *mendacium iuramento firmatum.* Atque id sine dubio foret satis ad condemnationem lemmatis, quo pariter cum mendacio in quacumque restrictione interna negatur esse periurium.

CAPVT V.

Vtrùm restrictiones merè voluntariæ sint peccata opposita virtuti veracitatis?

37. VIsum iam est, loquutiones, quæ falsæ sunt absque addito retento in mente dicentis, non esse ex illis actionibus, quæ ad libitum exerceri valent; sed ex consensu omnium esse illicitas, saltem cùm merè voluntariè fiunt, & non ex idonea causa, vt dum quis sponte propria sese ad sic loquēdum ingerit, vel iustæ interrogationi respondet, aut hisce ambagibus vtitur ioci, aut recreationis causâ. Quæstionis autem esse potest, quonam genere peccati delinquat, & quamnam virtutem violet, dum ita cum alijs agit?

38. Ego existimo cum P. Sanchez, Valētia, Bonacina, Trullenc, & alijs relatis *num.* 27. virtutem veracitatis violari. Et suadetur. Nam peccatum, quod tali loquutione tunc committitur, est peccatum fallaciæ, ac duplicitatis, quo proximus supplantatur, ac decipitur, & violantur synceritas, ac simplicitas debitæ conuictui humano. Ergo violatur veracitas, à qua aliena esse non possunt discooperta nuditas, & purus candor nullo artificio coopertus. Antecedens planè constat, etiam ipsis aduersarijs, qui profitentur, in eo casu saltem contra simplicitatem delinqui, ambiguè manifestando mentē suam sine causa, & proferendo exteriùs absque addito, quod non est absque illo verum. Constat insuper ex dictis superiori capite, vbi ostendimus, eiusmodi calliditate violari præceptum non decipiendi proximum: nam hoc præ-

præceptum ſimplicitatis eſt, ad quam *directè pertinet ſe præſervare à deceptione*, qua ſcilicet dolo, aut fraude noſtris alij decipiuntur, vt tradit S. Thomas 2. 2. *q.* 111. *art.* 3. *ad* 2. Etenim à deceptione ſua per virtutem ſtudioſitatis, & alias ſimiles ſe homines præſervant, & cognitionem veritatis adquirunt; ſimplicitas autem, ſeu agendi, ſeu loquendi, eſt virtus ad alterum, quæ nos præſervat ab actibus, quibus decipimus alios, vt ſunt ſimulationes, doli, calliditates, ac fraudes, & reliqua inſtrumenta aſtutiæ ſuggerentis ad obtinendum propoſitum, vt ait ibi S. Thomas, vias apparentes, & non exiſtentes, ſed fallaces. Videndus S. Gregorius *lib.* 10. *moralium. cap.* 16. vbi in hoc ſenſu officia duplicitatis, ac veracitatis ex profeſſo declarat.

39. Sic igitur ſtatuto antecedenti, conſequentia ex eo deducta indepatet, quia ſimplicitas, atque veracitas, quamvis nomine, ac ratione diſtinguantur, re ipſa non ſunt duæ virtutes ſpecie, aut officio diverſæ, ſed vna, & eadem, quæ ſimplicitas vocatur, quatenus in diverſa non tendit oſtendendo vnum exteriùs, & aliud quidpiam intra ſe occultando; veracitas verò, quatenus præſtat, vt ſigna ita concordent ſignatis, ſicut concordare debent, vt ſibi invicem homines fidem adhibere poſſint, & ciuilem converſationem ſeruare. Oppoſitum contendit Raynaudus loco ſuperiùs citato, & latiùs *tom.* 4. *lib.* 4. *de virtut. cap.* 15. *num.* 173. etſi ingenuè fateatur, ſimplicitatem apud antiquiores ſæpeſæpius exprimi nomine veracitatis. Cœterùm apertè contradicit D. Thomæ 2. 2. *q.* 109. *art.* 2. *ad* 4. & *q.* 111. *art.* 3. *ad* 2. vbi ſic ſcribit: *Ad ſimplicitatem pertinet directè ſe præſeruare à deceptione. Et ſecundum hoc, vt ſuprà dictum eſt, virtus ſimplicitatis eſt eadem virtuti veritatis, ſed differt ſola ratione. Quia veritas dicitur, ſecundum quod ſigna concordant ſignatis; ſimplicitas autem dicitur, ſecundum quod non tendit in diuerſa, vt ſcilicet aliud intendat interiùs, & aliud prætendat exteriùs.*

40. Quoties itaque exteriora ſigna non concordant cum ſignatis, ſicut concordare debent ex ſua propria inſtitutione, toties veracitas læditur, & ideò idem Sanctus dixit *eo. art.* 2. *corp.* officium veracitatis eſſe *exteriora noſtra ſigna, vel facta debitè ordinare ad aliquid, ſicut ſignum ad ſignatum.* Sed qui proximum ſuum decipit, & decipiendo contra ſimplicitatem delinquit, ideò peccat, quia non ordinat ſigna ſua ad res ſignatas, ſicut ordinari debent ex ſua propria inſtitutione. Lædit igitur veracitatem. Signa quippe (vt oſtendebam *num.* 36. ex Auguſtino, & communi omnium hominum aſſenſu, cõprobatur) inſtituta ſunt, non vt per illa ſeſe mutuò homines fallant; ſed vt in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas proferat. Ergo indebitè, & contra primarium eorum finem illis vtitur, qui nimia occultatione rei geſtæ alios decipit ſuis verbis, eiſque præbet deceptionis cauſam. Vnde, cùm veracitatis officium proprium ſit inordinationem iſtam removere, conſequens eſt, vt ipſi refragetur, qui eam incurrit decipiendo alios.

41. Perinde ergo eſt quoad rem ipſam reſtrictionem internam merè voluntariam opponi ſimplicitati, atque opponi veritati, atque ideò, licet mendacium, haud aliter, quàm fraus, & dolus, quædam duplicitas ſit, & maximè contrarietur candori, ac ſynceritati ciuilis converſationis, nõ ideò malitias duas ſpecie diſtinctas involvit, alteram veracitati oppoſitam, & aliam ſimplicitati; ſed vnicam, quæ mendacium dicitur, quatenus

nus externa signa sunt contraria mẽti vtentis ipsis; duplicitas verò, quatenus hoc ipso tendit in diversa, & aliquis *aliud habet interiùs, & aliud ostendit exteriùs.* Vnde S. Augustinus malitiam mendacij semper explicat per duplicitatem cordis, & præsertim ad ea verba *Psalm. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: in hæc scribit: *Quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est.* Et confirmatur. Nam inter iuramenti comites ideò simplicitas non numeratur, sed sola veritas, quia eadem sunt præcepta vtriusque: nam & simplicitas non mentiri præcipit, & veritas non decipere, nec re differunt; sed sola voce, & modo concipiendi.

42. Et alioqui, cùm mendacium iuramento confirmatur, duæ diversæ malitiæ contra religionem essent agnoscendæ; altera, qua duplicitas mentis, ac cordis Divini nominis invocatione roboratur in ordine ad deceptionem alterius; alia verò, qua veracitatis læsio eodem testimonio stabilitur. Quòd si restrictio mentalis citra idoneam causam vsitata simplicitatem violaret, non autem veracitatem, iuramentum illi adiunctum peccatum contra religionem foret, & nullus ex tribus comitibus sufficientibus, ac necessarijs ad iuramenti honestatem illi re vera deficeret. Neque enim veracitas deest, vt adversarij supponunt; iustitia verò, ac iudicium, quatenus sunt diversi comites inter se, & à veritate distincti, longè aliam sphæram habent, ad quam non spectat duplicitas, nec peculiaris illa iniuria, quæ Divino Numini irrogatur, assumendo nomen eius ad confirmandum proximum in ea deceptione, cuius sumus illi occasio.

43. Propterea longè melius sentiebant Sanchez, Lessius, & alij appellati *num.* 27 *&* 28. quatenus censent, peccatum, quod ibi admittitur, prohiberi à veracitate. Displicent tamen, quatenus adijciunt, non esse peccatum commissionis adversus præcepta negativa huius virtutis; sed peccatum omissionis contra affirmativum præceptum, quo eadem ipsa per nimiam rei gestæ occultationem violatur. Etenim quòd ibi sit peccatum commissionis, inde patet, quia perstringitur præceptum non decipiendi proximum, quod negativum est, sicut præceptum non mentiendi, vel non scandalizandi, aut non occidendi alios, atque hoc ipsum ad veracitatem spectat, cuius est, vt aiebat Sanctus Thomas *suprà*, exteriora nostra verba, vel facta debitè ordinare ad aliquid, sicut signum ad signatum.

44. Qua ratione nuper diximus, illam à simplicitate non distingui realitate, vel officio; sed sola voce, & modo idipsum concipiendi, atque explicandi; constat autem, præcepti negativum abstinendi à deceptione proximi ad virtutem simplicitatis pertinere, atque ideò necesse est, vt etiam spectet ad veracitatem. Neque enim veracitatis est duntaxat præceptum non mentiendi, sed omnia alia, quibus debitè ordinantur respectu aliorum verba, aut facta nostra, sicut signum ad signatum. Atque ea propter isti Auctores ad veracitatem referunt præceptum affirmativum respondendi ad mentem, seu propositum interrogantis, loquendique intelligibiliter, vt alij de veritate informentur, & nobis credere possint, dum iusta causa non subest occultandi veritatem.

45. Et in summa, affirmativum præceptum, quod prædicti Auctores adstruunt, quatenus merè naturale est, & nullam aliam loquendi obligationem supponit, facilè in negativum revocatur. Neque enim absolutè

tè præcipit exercitium loquendi; sed modum eius declarat, quasi conditionatè, vt si fiat, candidè, ac syncerè exerceatur. Paria autem sunt, conditionatè id præcipere, ac absolutè prohibere, ne loquamur absque simplicitate, & candore requisitis ad nõ decipiendum alios. Sic præceptum naturale dicendi, quod verum credimus, conditionatum est, & in rigore ad præceptum non mentiendi revocatur, quod semper, ac pro semper obligat, sive loqui teneamur, sive nõ; sed propria sponte aliquid dicamus. Sic præceptum quasi affirmativum orandi cum attentione ad negativũ reducitur non orandi sine illa. Et sic præceptum Divinum, ac naturale iurandi per Deum verum, quod habetur Deuter. 6. 13. & 10. 20. etsi externa specie absolutum videatur, re vera conditionatum est, & potiùs respicit modum, formamque iurandi, quãdo id fit, vel si fortasse fiat, quàm exercitium (secluſa alia obligatione, quam homo solet imponere) sæpe consilijs contrarium, & ideò in rigore tandem in præceptum negativum resolvitur non iurandi per Deos falsos, quod propositum est *Exodi* 23. 13. ibi: *Per nomen externorum Deorũ non iurabis.* Atque hinc inferes, quoties absolutè incumbit obligatio affirmativa confitendi veritatem, clarè, ac integrè, respondendive ad mẽtem alterius, ex obedientia v. g. vel iustitia, duplex peccatum incurri, si veritas occultetur per restrictionem mentalem, aut aliam imperceptibilem. Alterum contra eam virtutem, ex vi cuius debebatur clara, & aperta confessio veritatis, & alterum cõtra veracitatem ratione medij, quod ad eius occultationem assumitur: violatur enim præceptum non decipiendi proximum, & falsitas quędam committitur, qua careret occultatio, si solo silentio fieret. Quòd si iuramentum confirmans deceptionem adijciatur, vlteriùs erit periurium, vt posteà patebit latiùs.

CAPVT VI.

An mentiatur quisquis vtitur restrictionibus internis merè voluntarijs?

46. NOn mentiri, neque peierare, si iuramentum adijciat, expressè habetur in thesi proscripta à Sede Apostolica, quæ intolerabilis est, vt iam vidimus, quatenus id verum reputat, ex quocumque fine fiat; necnon quatenus implicitè affirmat, vel maximam occasionem præbet opinandi, atque sentiendi, nullum ibi esse peccatum. Id enim *nemo sanus approbavit in Ecclesia*, vt scribit celebris Doctor D. Iosephus de Retes *lib. 7. opuscul. cap. 3. num. 27.* & vltra appellatos *suprà num. 27. & 28.* tanquam rem *nemini dubiam* supponit Castro Palao *tom. 3. disp. 1. de iuram. punct. 7. num. 1.* Modò autem specialis qæstio instituitur circa mendacium, quod in nulla restrictione ex se, atque ratione sui *propriè, & in rigore* reperiri censent Scriptores permulti, & valde graves. Non quia putent, merè voluntarias vllo vnquã casu esse licitas (quod pernicioſum esset, atque summi scandali) sed quia pauci quidam cum Raynaudo, quem sequutus est Retes *vbi suprà num. 28.* existimant, eas esse peccatum specie à mendacio distinctum, & simplicitati oppositum; non autem veracitati, nisi forsan indirectè.

47. Cæteri verò communiter cum Valentia, Suarez, Lessio, Sanchez, Palao *eo num. 1.* & alijs loco citato laudatis, veracitati opponi iudicant, non vt peccatum mendacij; sed tan-

tanquam peccatum occultationis fallacis, quæ præcepto affirmativo huius virtutis prohibetur, & per modum omissionis illi refragatur. Nos autē iam anteà ostendimus, illud veritati repugnare, à qua nō differt simplicitas, nisi solo modo concipiendi: & insuper præceptum illud, quod affirmativum appellatur, in rigore non esse nisi negativum, quo iubetur, ne proximum decipiamus, sive id mentiendo contingat, sive alia quacumque arte. Neque enim semper mentitur, qui vtitur verbis fallacibus: nam & veritate ipsa interdum contingit fallere, vt ostensum fuit *num.* 32. & dœmon, qui rectè novit sibi diffidendum esse tanquam parenti mendacij, hac arte sæpe vti solet, vt audientes incautè supplantentur. Vnde qui verbis æquivocis mentem suam sine causa manifestat, cùm posset eam manifestare claris, eo ipso peccat, si inde prævidet alios in errorem inducendos, quamvis occultè intendat ea proferre in sensu vero, & propterea non mentiatur, nam falsum non dicit, quod vox alioqui significat; sed id solum, quod dicere intendit, quamvis eius intentio sit prorsus occulta.

48. Quæ cùm ita sint, addendum superest, id genus delicti, quod committitur per restrictionem deceptivā proximi, magis propriè appellari *fallaciam*, quàm mendacium, si Isidoro credimus id apertè pronuntianti *lib. de conflictu virtut. & vitior. cap* 19. vel potiùs B. Leoni, aut Augustino, nam & ipsis hunc librum adscribunt alij. *Fallacia*, ait, *atque medacium vnū dicunt; fallacia autem fit ingenio; mēdacium autem simplici verbo.* Explicat verò gratiâ exempli ingenium fallaciæ vt condistinctæ à simplici, rotundoque mendacio per restrictionem mentalem, non quamcumque; sed per deceptivam, seu delusivam alterius, nam expressim de illa loquitur, qua aliquis *in non dando alterum illudere quærit*, negando cum restrictione retenta in corde se habere illud, quod re vera habet, ibi: *Fallacia enim dicit: Quid in petendo moras innectis? Non habeo quod tibi tribuere possim. Celans vtique in corde, quid habet, vel quid sibi conservet, vel quid alijs, si voluntas ineſt, tribuat.* (En restrictionem mentalem.) *Mendacium autem dicit: Omnino, quod postulas, non habeo. Scilicet, non artificioso ingenio, sicut fallacia; sed simplici negationis verbo frustratur poscentem.*

49. Cœterùm scrupulosa ista vocum diversitas à paucis observatur. Nam simplex mendacium sæpe fallacia appellatur, cùm de ipsius conceptu sit dici intentione fallendi. Et vice versa fallacia, seu restrictio deceptiva alterius, ab eodem Isidoro inter mendacia computatur, quamvis non sit mendacium merè simplex; sed palliatum, & artificio coopertum. Vnde sic statim loquitur nomine veracitatis, cui duo ista vitia repugnare credit: *Sed veritas ad vtraque respondet: Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam. Quia quolibet artis modo mentiatur, os, quod mentitur, occidit animam.* Hactenus ille. Vnde habemus, vt minimum omnes restrictiones deceptivas alterius, &, quod inde sequitur, omnes merè voluntarias (nam ab his modò præscindimus, quæ necessariæ videntur, v.g. ad occultandum secretum confessionis) saltem reductivè esse mēdacia. Nam eisdem verbis vtuntur, & eisdem signis decipiunt, civilemque conversationem pervertunt, & quoad effectū fallendi, activè, & non permissivè tantùm, mendacio perfectè æquivalent, parique omnino malitia veracitatis honestatem destruunt. Et cùm scandalum, etiam indirectum, plurimorum

morum iudicio revocetur ad illam speciem vitij, cuius occasionem præbet, haud incongruè istæ fallaciæ ad speciem mendacij revocantur; nam habent mendacij speciem, & ab illis etiam propter scandalum abstinere cogimur, cùm iure nostro non vtimur, nec idonea causa suppetit ita cum alijs loquendi.

50. Quocirca addendum est insuper, eas saltem esse mendacia moraliter, & in æstimatione prudentum: quod minimè negabunt Sanchez, & reliqui, qui, cùm alioqui censeant, illas esse certò illicitas, addunt, non esse mendacia *propriè*, *& rigorosè*, quia his adverbijs in lemmate damnato prætermissis de rigore, ac proprietate physica loqui videntur. Ratio autem assertionis nostræ ea est: quia mentalis restrictio, cùm absque necessitate adijcitur, habetur pro non adiecta, ita exigente civili conversatione, & natura ipsa signorum simul cum veracitate, quibus maximè repugnant fallacia, & mutua illa diffidentia, quam important debiti candoris, ac nuditatis defectus. Et, cùm eadem omnino incommoda sequantur ex fraudulento isto modo agendi, quæ sequuntur ex mendacijs, eisque simillimus sit, ratio ipsa postulat, vt pro mendacio habeatur, & perinde reputetur in morali æstimatione adiectio interna additi verificantis, ac si non fuisset adiecta. Explicatur. Nam apud prudentes eiusdem rationis sunt, restrictionem verbi externi nullo modo fuisse additam, aut non fuisse additam, vt addita esse debebat ad vitandam aliorum deceptionem, & fidem dictis faciendam. Sed in istis circumstantijs ita evenit, quia restrictio solùm est addita interiùs, cùm deberet exteriùs manifestari ex præcepto non decipiendi proximum, & loquendi digna creditu. Ergo perinde debet æstimari, ac si non adijceretur.

51. Addit præterea Suarez *lib. 3 de iuram. cap. 12. num. 3.* & maximè *num. 5.* satis probabile esse, non excusari proprium mendacium, & periurium, cùm solùm suppletur sensus verborum per additionem internam merè voluntariam, *licet*, inquit, *res sit dubia.* Eiusdemque fuit sententiæ Filliucius *tr. 25. num. 330.* quæ mihi non tàm dubia, vel probabilis, quàm absolutè vera esse videtur, & conformis Isidoro in loco nuper expenso. Moveor, quia tota malitia mendacij ex eo sumitur, quòd significare alijs exteriùs, vt meritò credibile, atque fide dignum id, quod loquens falsum reputat, est actus suapte natura ordinatus ad proximum decipiendum, subvertendamque fidem humanam necessariam ad socialem vitam, & communicationem cum reliquis, vt supponit S. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 6. & sumitur apertè ex Augustino *in lib. de mendacio* tum *cap.* 3. ibi: *Culpa mentientis est in enuntiando animo suo fallendi cupiditas*: tum *cap.* 21. his vltra cætera: *Quisquis esse aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum, cùm honestum se putet deceptorem aliorũ.* Atqui eamdem malitiam habet vsus restrictionis purè internæ absque sufficienti causa: nam alioqui qui illa vtuntur, neque fraudulenti essent, nec dolosi, nec contra præceptum non decipiendi proximum, seu dictis, seu factis suis, reputarentur peccare.

52. Moveor iterum. Quia sponte negans cum restrictione mentali, se fecisse illud, quod fecit, aut dicit, quod non habet in mente, aut simulat, se habere in mente, quod non habet. Vtrovis autem modo mendacium committitur, alterum verbo, alterum facto. Ergo in eo eventu mendacium vitari nequit. Etenim, aut ille intendit dicere audientibus, eisdemque significare,

ficare, se habere in mente iudicium absolutũ negativum talis facti, quale haberet, si re vera id non egisset: & tunc evidens est, illum mentiri, cùm velit dicere, quod putat esse falsum, ac si existimaret, esse verum. Aut non vult id dicere absolutè, nec loqui, vti verba sonant; sed potiùs cum restrictione tacitè subintellecta: & tunc, cùm sua verba proferat tanquam fidedigna, & non fallácia, peccatum simulationis committet, quæ propriè mendacium est, & mentietur, vt sic loquar, in actu exercito, & tacitè. Ipso enim facto significat, se habere animum loquendi veraciter, & non decipiendi proximum, vt sua verba fidem faciant. Atqui hunc animum non habet, sed oppositum: ideò enim peccat contra regulas veracitatis. Ergo facto ipso mentitur, & propriè simulat. Nam facto ostendere contrarium eius, quod in mente habetur, id est propriè simulatio ex Angelico Doctore, ac reliquis 2.2 *q.* 111. *art.* 1. *corp.*

53. Moveor præterea. Quia istę voces: *Non feci homicidium*: prolatæ ab illo, qui id fecit, cum restrictione mentali ad diem hesternam, in qua illud non fecit, non sunt adæquatè conformes conceptui, quem intùs habet: deest enim ipsis ad plenã conformitatem vocale hoc adverbium *heri*, quod in interiori enuntiatione habetur, & externis verbis non significatur. Igitur re vera carent debita conformitate cum mente, illa scilicet, quam suo iure postulat ex communi omnium consensu, secluſa necessitate, tàm rationalis respublica, quàm veracitas, & institutio signorum ad mentem nostram alijs enuntiandam. Ergo re vera mẽdacia sunt. Nam privatio debitæ conformitatis, & adequationis cum mente est re vera quædam falsitas, ac difformitas externi signi cum conceptu designato. Falsum enim illud dicitur, quod veraciter non congruit suę mensurę, vt falsa pondera, falsi nummi, falsum aurum. Et sicut veracitati difformis est, ac contraria fallax illa mutilatio verborum, ita etiam menti loquentis est difformis, ac cõtraria. Deest namque ipsi illa conformitas verborum cum mente, qua opus erat ad evitandam fallaciam, cùm restrictio externa desit, & eius defectus tollat integram conformitatem vtriusque. Sed interna exteriùs occultata non supplet defectum istum, neque eas integrè conformes reddit. Ergo mendacium committitur, ac si nulla fuisset addita.

54. Moveor insuper. Nam qui exteriùs negat fidem cum restrictione mentali, ex. g. si dicat: *Non datur Deus*, addendo intra se *corporeus*, non tantùm delinquit adversus præceptũ prohibẽs negationem fidei externam; sed etiam mendacium committit contra eiusdem fidei veritatem, & quidem perniciosissimum, vt præter alios innumeros, non iam dubiè, sed disertè, & ex professo contendit ipse Suarez *disp.* 14. *de Fide sect.* 1. *num.* 6. neque longe abest Raynaudus, qui *vbi suprà cap.* 4. *num.* 20. fatetur, in eo eventu duas malitias contrahi, quarum altera repugnat fidei, altera simplicitati, ac veritati, saltem indirectè. Ratio autem est, quia nunquam dari potest legitima necessitas, vel iusta causa infamandi Deum apud alios, & lœdendi honorem eius, aut contumelioſè agendi cum Ecclesia, fideque Christiana, vt is facit, qui negat fidem exteriùs. Ergo eiusmodi restrictiones nõ fiunt sine mendacio, quoties iusta causa deficit. Sed quoties merè voluntariè fiunt ioci, aut voluptatis causâ, vel seriò ad interrogationem alterius non cogentem, sed solummodò invitantem, nulla idonea causa sic loquendi subest. Ergo (quid-

(quidquid sit de alijs) saltem cùm hoc modo loquimur, per restrictionem internam nequit vitari mendacium. Quæ autem diximus de exteriori abnegatione fidei, & mendacio ibi conserto, non obstante mentali restrictione, pariter statuenda sunt, quoties virtutes aliæ, vt iustitia, religio, aut obedientia suo speciali iure obligant ad mentem nostram integrè manifestàdam per loquutionem claram, & apertam. Id autem sæpius cõtingere nemo dubitat, visumque est *suprà num.* 24. & fusè exponitur infrà *dissert.* 18. *à num.* 22.

55. Quo tandem patet, thesim, de qua loquimur, à vero deviasse, quatenus expressè agendo de restrictionibus merè voluntarijs, negat ibi esse mendacium, ac periurium. Constat enim ex hucusque dictis, vtrumque hoc vitium eiusmodi loquutionibus propriè, & in rigore inesse, non tantùm cùm illæ fiunt fine decipiendi proximum, aut inducendi ipsum ad mentiendum ea specie externa mendacij; sed etiam cùm ex loquendi libidine, vel alio quocumque fine exercentur non coactè. Et cùm thesis prætermiserit verba illa *in rigore, ac propriè*, quæ prudenter addiderunt in cõtextu Auctores illi, quos voluisse videtur imitari, quàm maximè in imitando defecit.

56. Hi namque dicere possunt, quamvis illi prâvi fines secludantur, ibi esse mendacium, ac periurium, saltem latè, aut minùs propriè, vel moraliter, aut æquipollenter, & reductivè: nam hæc omnia insinuant satis frequenter, dum agunt de istis fallacijs, & optimè componuntur cum exclusione rigorosæ proprietatis contentæ in eorum asserto. Illa verò, cùm data opera sustulerit modificationem istam, neque ea appareat ex contextu, plane sensisse videtur, nullo ex suprà dictis modis periurium, aut mendacium incurri in prædictis loquutionibus; imò absolutè licere. Id autem quàm sit absurdum, quàm contrarium menti omnium Doctorum, & quàm inordinatè prolatum in regula directiva morum, ex hucusque dissertatis apparet satis, superque.

DISSERTATIO XV.

AN SIT PERIVRIVM IVRARE CVM restrictione mentali?

Obiter in superioribus notavimus, periurium propriè tale sæpesæpius ibi permisceri. Sed res accuratiorem investigationem postulat, & omnino necessariam ad Pontificij decreti vim, ac iustitiam plenè deprehendendam.

CAPVT PRIMVM.

De periurio, & falsitate necessaria ad ipsum.

1. THesis notata non solùm negabat reperiri mendacium sed etiam periurium in omnibus, & singulis casibus ibi recensitis, quorum expressiores pertinent ad restrictiones meræ voluntarias, sive motu proprio fiant, sive ad interrogationem alterius. Quod profectò satis consequenter dictum videbatur. Nam periurium iuxta communem suam definitionem ex Magistro sententiarum acceptam, & à S. Thoma, ac cæteris Scholasticis probatam, nil est aliud, quàm *mendacium iuramento firmatum.* Quare, sublata ratione mendacij, ratio etiam periurij aufertur: neque enim fieri potest, vt qui non mentitur, mendacium iuramento confirmet, aut Deum invocet in testem sui mendacij.

2. Aliunde verò, etsi acceptio ista periurij vt famosior invaluerit, & valde propriam, ac strictam eius vocis significationem exprimat, illa nõ videtur data pro periurio accepto in sua tota latitudine; sed de periurio duntaxat *primò*, & *principaliter* accepto, vt loquitur S. Thomas 2. 2. *q.* 98. *art.* 2 *ad* 1. Nam, re ipsa suismet momentis librata, innegabile videtur tæpius reperiri iuramenta illicita ex defectu iustitiæ, vel necessitatis, quæ non confirmant mendacium propriè tale, sed aliunde suam malitiam contra religionem habent, & hæc propriè, quamvis minùs strictè, periuria posse appellari Neque enim vnica est definitio illa periurij, quæ non omnia iuramenta illicita, imo neque omnia fallacia in rigore comprehendit; sed aliæ insuper apud Auctores classicos circumferuntur maioris latitudinis capaces.

3. Nam *mediante iuramento nequiter decipere credentem, periurium est*, iuxta Augustinum relatum *in cap.* 1. 22. *quæst.* 2. atque in hoc sensu periurium absque mendacio propriè tali committit, qui veritate ipsa decipit, aut verba æquivoca iuxta suam mentem, & intentionem vsurpat, cùm ea accipere deberet iuxta mentem & intentionem eius, cui iuratur. Quæstionis vtique esse potest, an ille propriè mentiatur, quam Augustinus definire noluit *lib. de mendacio. cap.* 2. nosque illam attigimus *differt. præced. num* 48. sed quod nequiter decipiat

piat proximum quantum est ex se, & hoc sensu sit periurus, nemo potest dubitare. Sed multò latiùs Hieronymus appellatus *in eadem q. 2. cap. 2.* admittitque ab Angelico Doctore vbi proximè, eam vocem accipiendam esse monuit; in hæc scribens: *Animadvertendum est, quòd iusiurãdum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam. Si istâ defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium.* Non ergo ad periurium mendacium propriè tale requiritur; sed sufficit defectus iustitiæ, aut iudicij, qui rectè inveniri potest, quamvis iurans contra mentem suam non loquatur.

4. At dices ex D. Thoma *vbi suprà*, etiam in his iuramentis falsitatem inveniri, quamvis secundariò, & minùs principaliter. Nam qui iurat aliquid illicitum, v. g. se commissurum homicidium, ex eo ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est, vt contrarium faciat; qui vero indiscretè iurat, ex hoc ipso periculo se committit incurrendi falsitatem. Sed profectò, quamvis hæc sufficiant ad explicationem nominis in ordine ad falsitatem, & quamdam analogiam illius vocis haud contemnendam cõtineant, de re ipsa nunquam obtinere poterunt, omne iuramentum illicitum, ac positivè contrarium virtuti religionis involvere in suo conceptu loquutionem contra mentem, aut supponere verum, propriumque mẽdacium. Quocirca, si verum est quod Hieronymus asseruit, vt S. Thomas putavit, dum eum allegat, & approbat, nimirum iuramẽtum omne irreligiosum, & illicitum defectu cuiuscumque ex suis comitibus esse periurium, consequens profectò fit, periurium inveniri absque mendacio, & ad summum de conceptu ipsius erit falsitas quædam analogica, & impropria, quæ neque mendacium est, neque eius malitiam habet, cùm potiùs spectet ad falsitatem rei in se ipsa, quàm ad falsitatem eius secundum mentem iuranris.

5. Cæterùm neque istud obtinet discursus anteà insinuatus; sed potiùs dici debet, inveniri sæpius iuramenta irreligiosa, ac illicita, & in sensu Hieronymi periuria, non tantùm absque loquutione contra mẽtem, sed etiam abstrahendo omnino à quacumque falsitate, quæ propriè non sit mendacium. Quod in iuramẽto assertorio merè otioso, aut etiam merè iniusto, satis perspicuum videtur. Nam qui absque vlla prorsus necessitate, vel vtilitate iuramento confirmat, quod certissimè novit esse verum, nomen Dei sumit in vanum, & contra iuramenti religionem delinquit; & tamen nulli periculo mẽtiendi, aut incurrendi falsitatem sese exponit, nec Divinam veracitatem offendit: id enim proprium est eius, qui sua asserta indiligenter examinat, nec omnem cautionem adhibet, vt suæ menti conformentur. Ille etiam, qui occultum crimen proximi, de cuius veritate non dubitat, cõtra iustitiam revelat, & quò credibilius fiat, addito iuramento confirmat, propter defectum iustitiæ contra religionem peccat, & sanctitatẽ iuramenti abutitur ad iniustitiam suam ampliùs fovendam, maioremque firmitatem detractioni conciliãdam. Et nihilominùs neque vlli periculo decipiendi audientem, aut proferendi falsum se committit, cùm attestetur id, quod certò novit, & fortè suis oculis vidit; neque obligationem habet faciendi contrarium eius, quod dixit, cùm de re præterita loquatur, cuius veritas in futurum non pendet.

6. Iam verò si de iuramento promissorio sermo sit, haud difficilè idem scopus obtinebitur. Tum quia

id

id genus iuramenti otiosum esse potest, ac superfluum, & proinde illicitum ex defectu iudicij, sicut iuramentum assertorium; & nihilominùs, si promissio adimpleatur, omni ex parte verum erit: neque enim mentitur, aut fallit, qui promissionem de se licitam obligatoriamque adimpler, cùm facta sua dictis conformet, quēadmodū in promittendo dicta menti conformavit. Tum quia, licet promittens facere aliquid iniquum, ex. g. homicidium, eo ipso teneatur facere contrarium eius, quod promittit, non ideò mentiri debet, neque omissio homicidij in illis circumstantijs culpa mendacij est; sed actus valde honestus. Quare nec lege veracitatis obligatur ad omittendum homicidium; sed sola lege iustitiæ: nam alioqui perpetrando homicidium formaliter mentiretur, & conformādo facta verbis suis mendax foret; verax autem, dum illa difformia redderet.

7. Tum præterea, quia, vt inter alios notavit P. Lessius *lib. 2. de iust. & iur. cap. 42. num. 73.* communi sensu, ac vsu iam invaluit, vt violatio iuramenti promissorij censeatur verè, ac propriè esse periurium, atque eo nomine comprehendi quoad pœnas iuridicas, eisdemque subijci, qui iuratas promissiones non servant. Et nihilominùs valde controversum est, num ibi reperiatur verè, proprièque mendacium, quamvis nemo periuriū reperiri neget. Quare propriè non mentiri, qui eusmodi iuramenta transgreditur, & ideò locum relinqui peccatis levibus ob parvitatem materiæ, tuetur ex professo Suarez *lib. 3. de iuram cap. 16. à num. 9.* Idemque tradit de fractione voti, seu promissionis Deo nuncupatæ *lib. 5. de voto. cap 3.* præsertim *num. 3.* Ratio autem satis apparenter sumitur ex S. Thoma *2. 2. q. 110. art. 3. ad 3.* vbi ait, *eum, qui aliquid promittit, si habeat animū faciendi, quod promittit, non mentiri; si verò non faciat, quod promisit, tunc,* inquit, *videtur infideliter agere per hoc, quod animum mutat.*

8. Quocirca inconstantia illa, seu mutatio animi, cùm neque loquutio sit, neque affirmatio, fidelitati potiùs, quàm alij virtuti opponitur, neque habet aliam malitiam, quàm perfidiæ, seu infidelitatis. Porrò virtutem fidelitatis à veracitate specie morali distingui, satis probabilis opinio est P. Molinæ *tr. 2. de iust. & iur. disp. 262.* Lessij *lib. 2. cap. 18. dub. 8.* præsertim *num. 57.* Mæratij *disp. 19. sect. 8.* Lugo *disp 14. num. 36.* Dicastillo *lib. 2. tr. 4. disp. 1. à num. 80.* Becani *tr. de Fide hæreticis servanda. cap. 5.* Quòd si à veracitate distinguitur, peccatum ei soli oppositum non potest esse mendacium propriè, & in rigore; sed cum addito alienāte significationem eius: vt, sicut fidelitas propriè, & absolutè veracitas non est, sed cum addito, nimirùm veracitas in faciendo, quatenus ad ipsam spectat conformare facta dictis, sic mendacium, quod in eius violatione admittitur, absolutè, & propriè mendacium non sit; sed mendacium solius facti in non verificando dicta per facta consistens, alteriusque omnino rationis ab illo, quod perpetratur verbo, aut signo contra mentem.

CAPVT II.

Quidnam consequenter affirmare debeant hi, qui censent, nomine periurij non significari nisi iuramentum falsum?

9. VIsum est, periurij nomine apud quosdam non significari iuramentum, nisi sub respectu, & habitudine ad aliquam falsitatem, qua sublata, vel præscissa per intellectum, non remanet specialis ea malitia, quæ per prædictam vocem importatur. Quæ si vera sunt, consequenter debet affirmari, vltra periuria inveniri pleraque alia iuramenta irreligiosa, & illicita, à quibus necessariò est abstinendum, quovis nomine insigniantur. Constat enim ex superiùs dictis, iuramenta assertoria veritatis merè otiosa, aut merè iniusta nullam prorsus habitudinem ad falsitatem involvere; sed in sua propria malitia integrè completa intelligi eo præcisè, quòd otiosa, vel iniusta intelligantur. Neque, vt sint irreligiosa, opus est ipsis oppositione aliqua speciali cum veracitate Divina: sufficit enim, quòd supremi Numinis excellentiæ, ac maiestati repugnet, quòd ad aliorum iniuriam, vel absque vllo prorsus fructu nomen eius invocetur ad vana, iocosa, aut levia eius testimonio comprobanda.

10. Affirmari vlteriùs debet ex mente S Thomæ *vbi suprà*, ad periurium non requiri falsitatem virtuti veracitatis oppositam, nedum falsitatem mendacij. Nam qui veraci intentione iurat, se facturum aliquid illicitum, vt si ex animo id faciendi mortem comminetur alteri, re vera periurus est, atque hoc vt minimum deferri debet auctoritati Hieronymi, quam S. Thomas ibi pro se adducit, ac interpretatur. Et tamen falsitas, ad quam dicit habitudinem, non est falsitas prohibita legibus veracitatis, aut fidelitatis. Illa quippe in eo consistit, vt S. Thomas declarat, quòd sic iurans eo ipso debet non adimplere, quod iuravit; sed potiùs falsificare suum dictum abstinendo ab homicidio, quod à se faciendum enuntiaverat. Atqui hæc falsitas non est illicita, cùm potiùs honestum sit, ac debitum lege iustitiæ non verificare per facta eiusmodi iniqua dicta, aut facere iuramentum vinculum iniquitatis: nec virtus veracitatis, aut fidelitatis eiusmodi verificationem præcipiunt, aut falsitatem ei contrariam prohibent, vt iam anteà prænotabam. Ergo, re bene intellecta, nihil tunc agitur cõtra eiusmodi virtutes. Et hoc maximè differt iuramentum rei illicitæ factum absque animo exequendi ipsam à iuramento eiusdem rei facto cum animo illam exequendi. Nam primo veritas deficit, & strictissimè periurij rationem habet; postremo verò sola deest iustitia, & neque fidelitas, neque veracitas lœditur, quamvis posteà non adimpleatur.

11. Affirmandum præterea iuxta dicta *num.* 7. valde incertum esse, vtrùm violatio iuramenti promissorij de re licita, & animo implendi facta, quamvis propriè sit periurium, & subiaceat pœnis eius, involvat propriè mendacium? De re enim constat, non esse mendacium verbi, aut signi denotantis contrarium eius, quod in mente habetur; sed facti non congruentis assertioni de futuro, quæ promissio obligatoria importaverat, & promittens verificare tenetur. Constat insuper, ibidem inveniri illicitam quamdam falsitatem virtuti fidelitatis oppositam, quia fidelitas est virtus inclinans ad observandum promissa verificando dicta per facta.

Vi-

Videtur autem vnius, eiusdemque virtutis esse conformare dicta menti, & facta dictis, sicut & eiusdem vitij, nempe mendacij, loqui falsum, & sua dicta falsa reddere. Esto namque hi modi agendi physicè sint valde dissimiles, & differant plusquàm specie; in genere tamen moris, & oppositionis cum civili societate non apparet, quo pacto possint differre: sicut furtum olei, & furtum tritici specie morali non differunt, quamvis triticum, & oleum sint physicè adeò differentia.

12. Quapropter in Sacris litteris violatio promissionis sæpe mendacium vocatur, & ex impossibilitate mentiendi impossibilitas eius ostensivè demonstratur *Numer.* 23. 15. *Non est Deus, quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? Loquutus est, & non implebit?* Ad Hebræos 6. 18. vbi Apostolus tradit, Divinas promissiones fuisse etiam iuratas, *vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Violatio quoque promissionis, seu voti Deo nuncupati mendacium à Divo Petro appellatur *Actor.* 5. ibi: *Non es mentitus hominibus, sed Deo:* quem locum è re nostra optimè expendit S. Athanasius *tom.* 3. *serm. in Evangel. de Passion. Domini. prope fin.* Atque, vt alia omittam, *Machab.* 11. 53. cùm Rex Demetrius fidem Ionathæ datam, & promissiones suas non observasset, sic habetur: *Et mentitus est quæcumque dixit*, id est, contrarijs factis ea falsificavit, & falsificando, se mendacem reddidit.

13. Fidelitas etiam ipsa quædam veracitas est, & per illam tanquam per suum genus definitur ex Tullio *lib.* 1. *Officiorum* hisce verbis: *Fides est factorum, dictorumque constantia, & veritas.* Vnde ex S. Thoma 2. 2. *q.* 80. *art.* 1. *ad* 3. *tanquam pars in veritate includitur, licet veritas in plus se habeat.* Veritas enim generatim sumpta extenditur etiam ad illa, quæ non pendent in futurum, significanda, vt oportet ad fidem alijs faciendam; fidelitas verò solùm curat, vt suo tempore promissa compleantur, & factis verificentur. Cœterùm officiũ istud non est à veracitate alienum; sed valde proprium, & ideò dum in sua tota latitudine explicatur, ita definitur: *Veritas est, per quam immutata ea, quæ sunt, aut antè fuerunt, vel futura sunt, dicuntur* ex Tullio *lib.* 2. *de invent.* quem recipit, approbatque S. Thomas *eo art.* 1. *corp.* Nec dubiũ, quin ad hanc virtutem spectet, vt iustæ comminationes impleantur, & factis verificentur: nam fidelitas ad solas promissiones restringitur, & periurium, quod citra dubium incurritur falsificando comminationes iuratas, non cadere supra peccatum infidelitatis, aut perfidiæ; sed simplex esse mendacium.

14. Propterea Auctores communiter, quibus ego alibi assensi, & rem à contrarijs obiectionibus ex professo vindicavi, iudicant, fidelitatem, seu veracitatem in faciendo non distingui specie atoma à veracitate in significando, quamvis hæc sub hac ratione non appelletur fidelitas; sed eiusdem honestatis esse conformare facta dictis, atque conformare dicta menti: ac vice versa mendacium, sive facti, sive verbi, quod illarum transgressione committitur, non differre specie infima; sed ad idem vitium pertinere. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 113. *art.* 1. *ad* 2. P. Suarez *opusc. de libert. Divina. disp.* 2. *num.* 30. P. Vasquez 1. *p. disp.* 85. *num.* 42. & *disp.* 6. *de matrim. num.* 20. P. Henriquez *in summa. lib.* 13. *cap.* 17. *num.* 6. P. Rebellus *lib.* 18. *de obligat. iustit. q.* 4. P. Fassolus 1 *p. q.* 21. *art.* 1. *num.* 13. P. Raynaudus *in Theolog. natural. dist.* 8. vers. *Cum Divi-*

Divina, & *lib.* 4 *de virtut. & vitijs. num* 189. Theodorus Smising. *tr.* 3. *de Deo. disp* 4. *num* 112. Petrus Simonis *lib.* 4. *de virtt. cap.* 3.

15. Affirmandum insuper, falsitatem, quæ requiritur, & sufficit iuxta modum loquendi S. Thomæ ad periurium propriè tale, etiam assertorium, non esse illam falsitatem, quæ in loquendo contra mentem consistit, & mendacij propriè sumpti nomine significatur; sed aliam longè diversam. Ipse enim *ea quæst.* 98. *art.* 1. *ad* 1. & alij omnes, quotquot agunt de iuramentis indiscretis, iudicant illa esse verè periuria; non quia sic iurans loquatur contra mentem: nam id, quod iudicat, loquitur, & quod fortè est re ipsa verum; sed quia se exponit periculo iurandi, quod in re est falsum, iurando iuxta suam mentem, vel non rectè examinatam, vel temerariè conceptam. Vnde qui inconsideratè, aut temerè quidpiam iudicat, quod re ipsa est verum, & hoc suum iudicium profert, ac iure-iurando confirmat, periurium assertorium committit; non quia falsum sit eius iudicium, nec quia dicit, quod non sentit; sed quia se exponit discrimini confirmandi iuramento aliquid falsum, dum non iurat illa debita circumspectione, ac veritatis indagine, quam virtus veracitatis præscribit, & postulat religio iuramenti.

16. Sat igitur est ad periurium vel sola prudens formido iurandi falsum, satisque falsitas imminens in suo morali periculo, etiam ex sententia illorum, qui putant, aliquam falsitatem importari in conceptu proprio illius. Et, quod maximè annotari debet, nulla falsitas requiritur sumpta pro loquutione contra mentem, nullumque periculum loquendi adversus illam. Quia iuramento confirmans suum iudicium temerarium, aut incautum, evidenter experitur, se iudicare, quod loquitur, & illud, quod sentit, dicere. Quare de mendacio certè, ac propriè tali, sumpto scilicet pro loquutione contra mentem, nullum est ibi periculum, nulla formido; sed tota falsitas imminens in eo consistit, quòd tàm dictum, quàm iudicium iuramento asseveratum possit esse re ipsa falsum, ac difforme obiecto suo ratione temeritatis, aut negligentiæ permixtæ.

17. Vnde non solùm extenditur hæc doctrina ad iudicia temeraria iurata circa pravos mores, defectusve aliorum; sed ad alia quævis indiscretè, aut ex debilibus coniecturis concepta. Periuria enim sunt propter morale periculum falsitatis, sive circa præsentia, aut præterita versentur, vt si inciremspectè iures, Petrũ esse, aut fuisse in foro; vel etiam circa futura, vt si temerè censeas, ac iures, cras pluviam futuram. Imò & circa speculativas opiniones idipsum potest contingere, v. g. siquis iuret, *materiam primam habere propriam existentiam*: esto namque id ita esse sentiat, & fortasse verum sit à parte rei; nihilominùs, cùm res sit dubia, & qui eam opinionem sequitur, non reputet esse veram absque formidine partis oppositæ, grave peccatum cõmittit, sive sit in re ipsa vera, sive falsa opinio sua: quia id non dependet ex rebus, prout sunt in se; sed ex periculo adducendi Deum in testem iudicij, atque loquutionis falsæ, quod ipsa formido ostendit. Quare tunc solùm licebit iurare, se ita sentire, aut iurare, rem esse probabilem, si probabilitas ipsa sit certa. Vtrùm autem hoc peccatum aliquando possit esse leve ex levitate periculi, cui se exponit ita iurans, dictum est in superioribus *differt.* 13. *num.* 22.

18. Affirmandum denique, illa iuramenta, quæ cadunt supra loquutiones merè voluntarias, & sola mẽ-

tis restrictione veras, sufficientem habere falsitatem, vt periurij dici, atque censeri debeant. Et quidem iuxta meam opinionem, qua reputo tales loquutiones esse verè, proprièque mendacia, res est extra controversiam. In opinione autem aliorum, qui id negant, cùm certò constet, & ab ipsis incunctanter asseratur cum S. Isidoro eas esse peccatum fallaciæ, indubitatum etiam esse debet, ibi reperiri falsitatem quandam in significando mentem nostram, quæ eò certiùs ad periurium propriè tale sufficit, quò certius est, eas opponi virtuti veracitatis, & præcipuo fini iuramenti, quod est firmare veritatem apud alios; non autem ipsos decipere, & iuramento ipso abuti ad eos callidè circumveniendos.

19. Nec dubium, quin iuramentis istis deceptorijs multò potiori titulo veritas desit, quàm incantis, aut comminatorijs, vel promissorijs alicuius facti illiciti, aut alijs, de quibus egimus in hoc capite. Fallacia enim sunt, ac perversiva civilis conversationis, & impeditiva illius reciprocæ fidei, qua omnes indigent ad finiendas controversias suas, & absque alia probatione terminandas: nam ideò ex Aristotele iuramentum appellatur *dictum probationis expers*. Et esto admittamus, non esse eas loquutiones in rigore mendacia, saltem negari non potest, quod *differt. præced.* demonstravimus, moraliter saltem esse talia, vel etiam æquipollenter, cùm mẽdacijs rigorosis æquivaleant quoad voluntatem fallendi, *in qua consistit principaliter* eorum malitia, vt ex S. Thoma habetur *quodlibet. 6. art. 17.* qui ex S. Augustino id didicit locis inibi citatis *num. 32.* Quamobrem, sive hoc peccatum putetur esse solius omissionis contra affirmativum præceptum loquendi nudè, & apertè, cùm aliud non postulat vrgens necessitas, sive potiùs dicatur commissionis contra præceptum negativum nõ decipiendi proximum, prout distinctum à præcepto non mentiendi, semper eò tandem recurritur, vt eiusmodi occultationibus virtus veracitatis offendatur, & illa falsitas detur, quæ satis est ad periurium propriè, quamvis latè acceptum.

20. Equidem certum videtur, maiorem mendacij speciem, & affinitatẽ inveniri in his fallacijs, quàm in promissione rei illicitæ facta ex animo illam adimplendi. Atqui iuramentum cadens supra promissionem istam, non iam irreligiosum vtcumque, sed periurium reputatur ex eo præcisè, quòd licitè verificari nequeat, & ita nominanda esse præscribit eiusmodi iuramenta Innocentius III. *in cap. Sicut nostris. 27. de iureiurando: Quia*, inquit, *non iuramenta, sed periuria potiùs sunt dicenda, quæ contra vtilitatem Ecclesiasticam attentantur*: idemque habetur planissimè *in cap. Vnusquisque. 8. cap. Inter cætera. 22. caus. 22. q. 4.* Vota quoque Deo iurata, & validæ promissiones veraciter iuratæ hominibus absque periurio propriè tali non violantur, eorumque transgressio ab omnibus, etiam in odiosis, ac pœnalibus, sub periurij nomine censetur, quamvis valde controversum sit, & vtrimque probabiliter, vtrùm ibi mendacium inveniatur, vt sumi potest *ex dictis num. 11.* Saltem autem certum esse debet, mendacium, si datur ibi, non esse loquutionem contra mentem.

21. Peto enim, quando promissionem violans contra suam mentem loquatur? Non cùm promittit, quia tunc veraciter loquitur, & cum animo adimplendi id, ad quod per promissionem se obligavit. Non postea, cùm mutat animum, & rem promissam, v.g. eleemosynæ dationem, haud quaquam exequitur: quia tunc nil

em.

omnino loquitur, neque affirmat aliquid, aut negat; qui autem non loquitur, nequit loqui contra mentem. Denique nec facto vtitur vt signo mentis suæ, vt saltem factis mentem, quam non habet, significare dicatur, &, si quidquã significat, solùm significat mentẽ præsentem nõ implendi, quod promisit, quæ verè est, & facto ipso confirmatur. Neque infideliter agendo facit, vt, cùm promittebat, fuerit contra suam mentem loquutus: quia non facit, vt defuerit tunc animus sese obligandi, & implendi, quod promisit: nam alioqui præteritãm illam voluntatem non retractaret; sed omnino tolleret, & faceret, vt tunc fuerit facta promissio sine animo implendi illam, quod est prorsus impossibile. Ergo, cùm re vera sit periurus, non loquitur contra mentem aliud sentiendo, & aliud significando. Neque facit, vt adduxerit Deum in testem falsi existimando, esse, aut fore falsum: nam potiùs existimabat fore verum, cùm iuravit, neque ea existimatio tollitur, eo quòd, mutato proposito, eius veritas tollatur. Adduxisse autem, vel adducere Deum in testem falsi existimando, fore, aut esse verum, nullius incommodi est per se loquendo: nam qui animo implendi iurat, se occisurum inimicum, cùm, mutato in melius animo, non occidit illum, etiam facit, vt adduxerit Deum in testem falsi, atque id faciendo non peccat; sed peccaret, nisi id faceret.



CAPVT III.

Colligitur ex dictis, thesim, de qua loquimur, meritò fuisse proscriptam propter ea, quæ de periurio tradit.

22. HIc erat præcipuus scopus eorum, quæ præmisimus, & sequenti argumento demonstratur. Etenim, cùm ibi traditur, non inveniri periurium vllo in casu ex illis, quos recenset, aut vox periurij latè sumitur pro quocumque iuramento irreligioso, & illicito iuxta definitionem Hieronymi à Divo Thoma approbatam, inferramque iuri Canonico, aut pro iuramento fallaci, ac nequiter decipiente proximum, iuxta definitionem ibi traditam ex Augustino, aut pro iuramento confirmãte rigorosum propriumque mendacium. At, quolibet ex his modis sumatur ibi periurium, propositio scandalosa est per modum regulæ directivæ actuum moralium, & perniciosa in sua praxi. Ergo optimo iure ab Innocentio his censuris fuit suppositа. Consequentia evidens est, & antecedens patet à sufficienti partium enumeratione; minor verò singillatim confirmanda discurrendo per prædictas periurij acceptiones.

23. Et incipiendo à prima, iuxta ipsam perinde erit negare periurium, ac negare iuramentum illicitum, ac irreligiosum, & propositio damnata hunc sensum reddet: *Si quis, vel solus, vel coram alijs, &c. iuret, se non feciſſe, quod fecit, intelligendo intra se aliquod additum verum, re vera non mentitur, nec iurando peccat contra iuramẽti religionem.* Porrò doctrina hæc, vt iacet, valde scandalosa est, ac perniciosa: quia

abstrahendo nunc à mendacio, & falsitate, aut deceptione proximi, multoties ibi interveniet certissimè iuramentum illicitum, ac religioni contrarium ex defectu aliorum comitum. Etenim veritas comparata beneficio restrictionis mentalis, aut externæ, sed occultæ omnino, non maius privilegium habet ad expungendam iurisiurandi malitiam, quàm veritas, quæ propositioni externæ inest, ex eo, quòd palam, & apertè proferatur exprimendo restrictionem. Atqui sæpe propositio hoc modo vera illicitè per iuramentum confirmatur, vel quia necessarium non est, sed planè otiosum, vel quia iniquum est, aut proximo nocivum, & contraria praxis, ac doctrina vt minimum scādalosa foret, ac pernicioſa animabus. Ergo à fortiori idem dicendum est de loquutione, cuius veritas non sumitur nisi ex restrictione occulta, seu mentali, seu externa. Nam externa etiam occultari potest, vt si cœtera voce intelligibili, additum autem verum non nisi submissa, & omnino imperceptibili intra dentes proferatur.

24. Itaque sicut ad honestatem iuramenti certissimum est copulativè requiri tres illius comites, nempe iudicium, veritatem, ac iustitiam, & ex defectu vnius cuiusque ex ipsis, esto alij non desint, illud reddi illicitum, & irreligiosum, ita certissimum est, eosdem desiderari ad honestatem iuramenti confirmantis assertiones mentaliter restrictas. Et quamvis demus, illas esse omnino veras ob mentalem restrictionem, vel semper, vel saltem cùm exercentur ex causa sufficiente, ac idonea, & penitus ab illarum falsitate, aut veritate præscindamus, adhuc supererit locus malè iurandi, ac illicitè, & violandi religionem. Potest enim iuramentum esse merè otiosum, & ideò oppositum Divinæ maiestati, cuius auctoritas postulat, ne in vanum, & absque vllo fructu in testem adducatur, quamvis verum sit, quod dicitur, & ex eo capite veracitas ipsius non offendatur. Nec causa, quæ idonea est ad restrictionem occultandam, eo ipso est sufficiens ad iurandum licitè sub eadem restrictione, quia multò potior, graviorque requiritur, vt eius vanitas, otiositasque tollatur; neque omnis causa, quę est satis ad loquendum, est sufficiens ad iurandum, seu ad adducendum in comprobationem eius testem summæ auctoritatis.

25. Quæ autem circa otiositatem iuramenti diximus, circa defectum iustitiæ, servata proportione, locum habent. Nam licet occulta restrictio forsitan mendacium auferat, non ideò iniustitiam tollet, aut nocumentum alterius, vel aliam iniquitatem, quæ ipsa eiusdem restrictionis illicita occultatione sæpesæpius perpetratur. Latiùs namque patet iniustitia, quàm mendacium, & eo sublato re ipsa, aut prorsus non intellecto, adhuc iniquitas in verbis remanet, vt cùm quis secretum prodit, quod ex fidelitate, aut iustitia, vel ex religione iuramenti celare tenebatur, aut cùm famæ alienæ detrahit, nam semper iniustus est, sive verè detrahat, sive falsò. Et quemadmodum silentium, aut totalis occultatio veritatis, quamvis mendacium non sit, certissimè peccatum est in teste, reo, concionatore, aut subdito, qui veritatem prodere tenebatur, ita silentium, aut occultatio partialis veritatis, qualis fit per restrictionem internam, eisdem vitijs subiacere potest, præscindendo ab eius falsitate.

26. Quamobrem, si iuramento firmetur, illud absque dubio irreligiosum erit, & Divinæ sanctitati oppositum, cui positivè repugnat adduci in testem loquutionis iniquæ, quā-

vis

vis veracitati Divinæ sub hac consideratione nullatenus opponatur. Propterea ostendebam *suprà cap.* 1. *&* 2. de ratione iuramenti illiciti, atque adeò periurij generatim sumpti, non esse habitudinem ad falsitatem, præsertim mendacij stricti formaliter importantis loquutionem contra mentem. Nec, re bene inspecta, video, cur phrasis S. Hieronymi, quam Angelicus Præceptor improbare nō est ausus, à nobis reijci debeat tanquam abusiva, & impropria, vel cur potiùs periurium censeri debeat mēdax loquutio iuramento firmata, quàm iniustitia, aut iniquitas confirmata iuramento. Et quis non videat, sicut magna est iniustitia uti restrictione occulta animo nocendi proximo, ita magnam esse irreverentiam invocare Divinum testimoniū ad hanc ipsam iniustitiam augendam, & roborandam? Porrò neque hunc casum excludebat propositio condemnata, cùm neget esse periurum, qui verificat sua dicta per restrictionem internam *quacumque intentione* id faciat. Iuret aliquis sua sponte, *Petrum non audisse sacrum toto anno*, intelligendo *intra Ecclesiam*: sciens tamen illi domi suæ interfuisse in Oratorio privato, & tunc, quidquid de mendacio hinc inde disputent inter se diversi Auctores, evidentissimum erit, eum, qui sic loquitur ex fine nocendi Petro, contra iustitiam delinquere, & insuper contra iuramenti religionem, dum id credibilius facit. Ergo si periurium est iuramentum omne illicitum, hic absque dubio periurij crimen incurrit, licet permittamus ipsum à crimine mendacij propriè talis sic loquendo immunem esse.

27. Quare non solùm Auctores, qui vniversaliter asserunt, istiusmodi restrictiones mendacij labe sordere, verùm etiam omnes alij, qui ipsas aliquando excusant, & licitas esse censent in casu necessitatis, sicut eas damnant peccati, cùm absque illa exercentur propria sponte, aut voluptatis causâ, ita irreligiosum censent iuramentum, quo affirmantur; nec de hoc genere peccati inter eos est controversia; sed de nomine periurij strictè, ac rigorosè accepti. Temerè igitur adstruetur, & contra omnes, esse licita eiusmodi iuramenta, aut negabitur esse periuria, si sub illa voce cōprehendantur, saltem latè, ac minùs principaliter, omnes illæ Divini testimonij invocationes, quibus virtus religionis offenditur. Iam verò thesis damnata, vt monstrat eius contextus, de restrictionibus merè spontaneis iuramento confirmatis etiam loquebatur, & eas omnes à mendacio, & à periurio eximebat peræquè, ac cæteras alias. Et sicut ita loquendo verbis absolutis magnam occasionem præbuit iudicandi ex mente ipsius omnino licitas esse, sic negando esse periuria iuramenta, quæ adijciuntur, vehementer præsumi fecit, illa nulla esse peccata, atque ita fuisse intellectam ab Auctoribus ostendebatur *dissert. præced à num.* 25.

28. Constat autem, in hoc sensu esse planè intolerabilem, & ab his etiam reiectam, qui mendacium, rigorosumque periurium inibi non agnoscebant. Ita in primis P. Suarez *lib.* 3. *de iuram. cap.* 11. *num.* 6. ibi: *Quando solùm suppletur sensus per internam additionem merè voluntariam, probabile est non excusari proprium mendacium, & periurium, licet res sit dubia; nihilominùs tamen in rigore non est periurium, licet sit grave peccatum.* Lessius *lib.* 2. *de iust & iur. cap.* 42. *num.* 46. *& num.* 48. *in fin.* Navarrus *in cap. Humanæ aures.* 22. *q.* 5. *in quæst.* 3. *num.* 9. Filliucius *tom.* 2. *tr.* 25. *à num.* 329. Bresserus *lib.* 5. *de conscient. num.* 200. Giballinus *lib.* 3. *de*

de vsur. cap. 1. art. 2. num. 6. Bonacina *in 2. præcept. Decal. disp. 4. q. 1. punct. 12. num. 3.* Raynaudus *tom. 14. speciali de hac re opusculo. cap. 5. num. 8. ante fin.* Et qui nullo modo negant id genus iuramenti esse illicitum, sed solùm asserunt esse veniale, quando neque adhibetur in iudicio, neque in materia præiudiciali exercetur, P. Sanchez *in summa. lib. 3. cap. 6. num. 22.* Castro Palao *tom. 3. disp. 1. de iuram. punct. 7. num. 2.* etsi ingenuè fateantur, id esse contra sententiam communem, quod etiam Diana attestatur *1. p. tr. 15. resol. 25.* eamque non tantùm communiorem, sed probabiliorem reputat *p. 3. tr. 6. resol. 30. in fin.* annuente insuper Trullenc *lib. 2. in Decal. cap. 1. dub. 15. num. 15.* Qui nihilominùs affirmat, opinionem Sanctij esse *admodùm probabilem*, eidemque vt probabiliori adhæret simul cum Vincentio Candido Leander *in Decal. p. 2. tr. 1. disp. 45. q. 12.* & Lessius *eo num. 48.* præmiserat, peccatum ibi repertum *fortè non esse mortiferum* casu, quo scandalum absit.

CAPVT IV.

Iustam quoque damnationem fuisse, si vox periurij sumatur pro iuramento deceptivo aliorum.

29. HÆc erat altera acceptio periurij ex S. Augustino apud Gratianum relata *in cap. 1. 22. q. 2.* iuxta quam, si vox *periurium* in thesi damnata accipiatur, sensus erit, nunquam eum mentiri, qui sua dicta, & iuramenta verificat per restrictionem mentalem, nunquamque peccare contra iuramenti veritatem in eo eventu, illicitè decipiendo proximum, aut iurando ipsi fallaciter. Porrò ista doctrina, vt iacet, scandalosa est, ac pernicioſa in praxi, tàm in opinione illorum, qui putant, ibi semper reperiri mendacium propriè, ac rigorosè tale, quàm in contraria opinione, quæ mendacium propriè excludit, ac periurium confirmativum mendacij. Neque enim propterea ij negant, per restrictiones mentales frequentissimè contra veracitatem delinqui, vel nequiter decipiendo proximum, vel occultando fallaciter restrictionem, quæ ex præcepto affirmativo huius virtutis manifestari debebat integrè, syncerè, ac candidè. Imò id expressè fatentur peritiores quique illius doctrinæ assertores, ac nominatim Navarrus, Sanchez, Trullenc, Bonacina, Lessius, Valentia, Suarez, Bresserus, Raynaudus, Sayrus, & alij, quos *dissert præced. num. 27. & 28.* appellabamus.

30. Et quidem cùm omnes sanè, sobrièque sentientes, vt ibi expendimus *num. 35.* ex Caietano, Lugo, Coninc, & Bressero id etiam extendant ad loquutiones ambiguas ex sua significatione, putentque illicitas esse, etiamsi in sensu vero, & proinde absque mendacio à nobis proferantur, cùm absque idonea causa exercentur, & occasio deceptionis proximo exinde tribuitur, idipsum à fortiori dici debet, cùm loquutio ex se esset mendax, nisi beneficio internæ restrictionis. Tunc enim evidentior est occasio, & longè maius periculũ fallendi proximum, atque imprimendi in ipso tàm nostri, quàm Divini testimonij auctoritate, cognitionem falsam, & ideò magna necessitas, gravisque causa requiritur ad eiusmodi ambiguitates cohonestandas. Qua sublata, contra veracitatem delinquitur, etiam abstrahendo à mendacio, eo præcisè, quod violetur præceptum negativum non decipiendi proximũ, aut, si mavis, præceptum affirmativum

vum manifestandi candidè, ac syncerè mentem nostram, dum loquimur, & iusta causa non subest permittendi alienam deceptionem. Nam duo ista præcepta ad vnum nullo negotio revocantur, vt visum fuit *differt. præced. num.* 46. & candor ille, ac syncerítas, ad quam obligat affirmativum sub conditione, quòd loquamur, ea solùm est, quæ requiritur, ne reliqui verbis nostris decipiantur, & occasione à nobis data fallaciter implanentur.

31. Propterea, si propositio damnata in dicto sensu accipiatur, certissimum esse debet, iure optimo esse proscriptam, sive res ipsa attendatur, sive vox ipsa periurij. Nam de re cõstat, eum, qui sponte omnino, ac nulla necessitate coactus, sed sola loquẽdi libidine, vtitur prædictis restrictionibus, easque iuramento confirmat, fallaciter agere, & peccare adversus præceptum non decipiendi proximũ activè, & insuper delinquere contra religionem iuramenti augendo ratione illius occasionem deceptionis, quam loquutione sua etiam non inrata præbebat, & abutendo attestatione Divina ad decipiendum proximum, eumque imbuendum falsis cogitationibus, cùm potiùs deberet vti illa ad firmandam, & communicandam alijs veritatem. De voce verò periurij etiam constat illam satis propriè accommodari fallacibus istis iuramentis, quibus alij decipiuntur occasione à nobis data. Nam mediãte iuramento nequiter decipere credentem, periurium est iuxta definitionem, quam veluti Augustinianam Gratianus Decreto inseruit, &, sive Augustini sit, sive cuiusque alterius, nemo eam improbat, & ea vtuntur plerique circa hanc materiam.

32. Explicatur: quia periurium propriè acceptum latiùs patet, quàm periurium affertorium mendacij certò, ac propriè talis, etiam iuxta S. Thomam, & alios, qui fallitatem importari putant in formali illius conceptu. Esto namque primò, ac principaliter, seu, quod idem est, in rigorosa, & stricta vsurpatione eius vocis, periurium sumatur pro iuramento affertorio loquutionis contra mentem, adhuc negari non potest, etiam in illa sententia, ad periurium propriè tale sufficere mendacium solius facti, quale invenitur in transgressione iuramenti comminatorij, aut promissorij: & vniversim omne iuramentum involvens aliqualem falsitatem, sive signi, sive facti, aut periculum illius, quam; is mendacium propriè non contineat, inter periuria censeri. Quòd si hoc ita est, vt verè esse *toto cap.* 2. ostendimus, à fortiori dici debet, iuramenta ista fallacia, & æquipollentia mendacijs re vera periuria esse ex eo præcisè, quod fallacia, seu deceptoria apprehendantur, & præscindendo ab eo, quòd sint propriè mendacia, aut etiam concedendo his, qui ita opinantur, ob restrictionem mentalem propriè mendacia non esse, vt *eo cap.* 2. *à num.* 18. monstratum fuit ex professo.

33. Minùs ergo absurdè diceretur in lemmate censuris inusto, eum, qui restrictionibus merè voluntarijs vtitur, esse periurum, quamvis non sit propriè mendax: nam negare vtrumque simul, stante ista receptissima, atque notissima acceptione periurij, valde pernicioſum esset. Perinde namque est in dicto sensu negare ibidem periurium, ac dicere, nullam ibi reperiri falsitatem repugnantem honestati iuramenti, nihilque, quod legibus veracitatis contradicat, & in summa, id non esse illicitum ex defectu veritatis, prout est comes iuramenti. Porrò quàm hæc sint absurda, quàm contraria, tàm communi sensui Ecclesiæ, quàm sensui illorum, qui cen-

censent, loquutiones mentaliter ad verum restrictas, quandoque licitas esse, constat ex superiùs dictis, præsertimque ex his, quæ habentur *dissert. præced. cap. 5.*

34. Vnde, sicut planè improbabiliter loqueretur, qui putaret, non esse periurum illum, qui iuramẽtum promissorium, & obligatorium veraciter factum transgreditur, quamvis aliàs certum sit, eum non loqui contra mentem transgressione ipsa, satisque probabile, non mentiri propriè, sed duntaxat agere infideliter, ita pariter in nostro casu dici debet. Simileque argumentum duci potest ex iuramento promissorio rei illicitæ, quod periurium esse nos docebat Innocentius III. quamvis ita iurans non mentiatur, si habeat animum implendi, quod dicit; sed eatenus falsitatem incurrat, quatenus assertionem suam de futuro licitè verificare non potest; sed falsificando illam facto ipso, rectè agit; verificando autem, peccat. Neque hæc pendent ex speculativa distinctione fidelitatis, aut simplicitatis à veracitate prestè accepta. Quia esto daremus, has virtutes metaphysicè loquendo specie morali distingui, certum est, eas omnes esse veracitates quasdam, & sub nomine veracitatis includi, prout ea est comes iuramenti. Vnde Raynaudus, qui simplicitatem à veracitate distinguebat, adhuc fatetur, eam apud veteres cum veracitate confundi, & *in dicto cap. 5. num. 10.* expressè affirmat, eam esse veracitatem latè acceptam. Atque hoc ipsum vt minimum evincunt de fidelitate, quæ præmissa sunt *num. 13.*

35. De assertorijs quoque iuramẽtis in circumspectè prolatis, vtique sine mendacio, sed non absque periurio, his omnino affinia persuadent, quæ in superioribus *à num. 15.* tradũtur: nec dubium, quin Divinæ veracitati valde dissonet iuvare deceptores testimonio suo ad fallendum, sicut iuvare mẽdaces, & invocari ad hunc effectum. Nam Deo, quia est summè verax, & mentiri repugnat, & decipere, quamvis ad deceptionem à mendacio separatam interdum tanquam causa merè permissiva comparetur, vt nobis etiam contingit. Atque in hoc sensu tàm à Sanctis PP. quàm ab alijs explicantur verba illa Ezechielis 14. 9. *Ego Dominus decepi illum*, concordanturque cum illis Psalmi 14. 5. *Qui iurat proximo suo, & non decipit.*

CAPVT V.

Quid sentiendum sit, si periurium in sua stricta, & rigorosa significatione sumatur?

36. ISta rigorosa acceptio periurium tantùm appellat *mendacium iuramẽto firmatum*, aut potiùs iuramentũ ipsum confirmans loquutionẽ contra mentem. Vnde, si in proscripta thesi periurium sub hoc rigore accipiatur, sensus eius iste erit: *Qui restrictione mentali confirmata iuramento sua dicta verificat, nunquam mentitur propriè, nunquamque committit periuriũ in rigore, ac propriè tale.* Atque isto modo intellecta propositio exinde posset tolerabilior videri, quia locum affirmandi relinquit, quamvis mendacium, & periurium in rigore tale desit, nihilominùs contra veracitatem peccari saltem omittendo manifestationem restrictionis absque valde idonea causa, & addito iuramento adversus religionem delinqui, committique periurium in sensu aliquo latiori ex duobus anteà recensitis. Vnde talis propositio neque posset

set scandalosa, nec pernicioſa censeri, vt rectè evinci videtur ex ratione, quam adduximus in simili *dissert. præced. num.* 26.

37. Explicatur. Vel ea doctrina scandalosa censetur, quia in nullo casu ex ibi numeratis putat reperiri mendacium, ac periurium confirmativum ipsius; vel quia non reputat in omnibus, ac singulis inveniri propriè, & in rigore mendacium, atque periurium? Non ex primo capite, quia ad praxim, atque directionem morum parum refert, quòd mendacium, ac periurium propriè, & in rigore tale inibi non inveniantur, si contra veracitatem peccatur, ac violatur iuramenti religio, & hoc admisso, fortè revocatur tota controversia ad quæstionem de nomine mendacij, aut periurij. Non ex secũdo, quia saltem certum videtur, cùm quis solus illis restrictionibus iuratis vtitur, non committere periurium, aut mendacium, vt cum Caietano demonstrabam *dissert. præced num.* 4. & tamen is est primus casus in propositione recensitus. Recolantur dicta ibidem contra Lumbier, & Filgueta *num.* 5. *&* 6.

38. Censeo nihilominùs, quamvis dicta propositio sic explicata sustineri posset, adhuc meritò fuisse damnatam, vt iacet in decreto Pontificio. Ibi enim deficit tota ista explicatio, ac determinatio sensus, in quo accipienda putatur: neque ex illa, vt prostat, potest colligi, quòd ille sit præferendus duobus alijs absurdioribus, quorum esse capacem antea ostendimus. Vnde ex illa, vt iacet, facilè implanari possent rudes, vulgusque fidelium, ac vocem periurij accipere in alio latiori sensu vniversaliter reddente licitas eiusmodi restrictiones, & excludente ab earum praxi aliud quodcumque piaculum, quo religio iuramenti læderetur. Porrò, vt doctrina aliqua per modũ regulæ practicæ scandalosa censeatur, atque vt talis condemnetur, sufficit, quòd in materia fidei, aut morum præbeat occasionem errandi, ac deducendi ad praxim tanquam licitum, quod verè illicitum est, atque rationi dissonum. Et augetur difficultas, quia propositio, vt iacet, non distinguit inter eos, qui soli, aut coram alijs, restrictionibus iuratis vtuntur; sed de omnibus peræquè philosophatur. At qui soli, ac nullo audiente, vtuntur ijs restrictionibus, neque contra veritatem, neque contra religionem peccant, neque periuri sunt, etiam in sensu, & acceptione latissima prædictæ vocis: idemque apparet de illo, qui coram alijs loquitur, sed secum ipso; non verò cum illis. Inspecta igitur propositione, vt iacet, idem posset cogitari de reliquis.

39. Censeo rursus, neque in dicto sensu propositionem damnatam sustineri posse. Quia saltem sentiendum est, loquutiones absque restrictione falsas, sed sub mentali restrictione veras, esse propriè, atque in rigore mendaces, & addito iuramento periuras, si proferantur ex directa, formalique intentione fallendi, vtendique Divino testimonio, vt auctoritate illius in sensu falso credibiliores fiant, & proximus faciliùs decipiatur. Vnde, cùm generaliter dicitur, eiusmodi loquutiones, quacumque intentione exerceantur, vacare mendacio, atque periurio assertorio illius, falsissima prorsus doctrina, ac pernicioſa profertur, & regula obliqua morum loco rectæ consignatur. Negari enim nequit, mendacium facti, aut verbi ibi committi, cùm occultatio restrictionis verificantis loquutionem nostram assumatur vt medium ad significandum, illam sine restrictione esse in mente nostra ve-

ram, seu ad eam reddendam fidedignam, & sine restrictione credibilem, eo quòd etiam sine restrictione mẽti nostræ conformetur. Proptereàque P. Sanchez *in summa. lib. 3. cap. 6. num. 18.* hanc limitationem præcitatæ regulæ vt omnino necessariam adiunxit, nosque illam ex professo confirmavimus *dissert. præced. cap. 3.*

40. Quòd si ibi mendacium est, aut simulatio mendax, profectò iuramentum ei adiunctum periurium erit assertorium mendacij, lethaleque proinde peccatum, quæcumque tandem sit eius materia, vt Sanchez loco citato rectè observat. Nec solùm in loquutionibus, secluſa quavis restrictione, falsis id contingit; verùm etiam in ambiguis, quæ in vna significatione veræ sunt, & falsæ in alia; sed à loquente proferuntur, ac iurantur in sensu, quo sunt veræ. Nam, si ex directa intentione decipiendi audientes id fiat, mendacium simulationis intervenit, & facto ipso loquens contradicit illi primæ voluntati, significans, & iuramento confirmans, se in illo sensu iurare, in quo intendit sibi fidem adhiberi, fingensque, se velle alteri communicare cognitionem veram, ac suæ menti conformem, cùm ex professo intendat non communicare nisi falsam, & difformem illi, quam habet in mente. Neque audiendus hîc est Caietanus 2.2.*q.* 89.*art.* 7. vers. *Ad hoc dicitur, quòd hîc est opus*, quatenus ait, *si non sit in iudicio, aut in materia præiudiciali, quamvis intentio sit, vt audiens fallatur, absque peccato mortali fieri tale iuramentum.*

41. Ex nostris etiam principijs sumi potest alia limitatio, quam Suarez, ac Filliucius reputant satis probabilem; nos verò absolutè veram, nimirùm illum mentiri, ac deierare propriè, & in rigore, qui absque satis gravi causa his restrictionibus iuratis vtitur, quamvis id non faciat ex intentione directa decipiendi proximum auctoritate sui, ac Divini testimonij; sed ex indirecta duntaxat, sufficiente tamen, vt deceptio proximi sibi vt causæ, aut occasioni imputetur, & verè eius deceptor habeatur. Nam & hic occultat, se esse deceptorem, & ex adverso se simulat fidedignum, ac veracem, dum apertissimè opponitur legibus veracitatis, & præcepta ipsius infringit decurtando loquutionem, quam integrare debebat, ne proximum deceptioni exponeret, sicuti mentientes faciunt. Quare hoc esse propriè, strictèque mendacium, & consequenter periurium, in superioribus diffusè ostendimus, maximè *dissert. præced. à num. 52.*

42. Indidem ad rationem dubitandi propositam *num. 36. & 37.* facilè occurritur. Primò asserendo, quamvis prædicta explicatio cum suis additionibus sustineri posset; his tamen consultò ablatis, & præcisè vt thesis iacet in decreto Pontificio, intolerabilem esse, ac scandalosam, quia magnam præbet occasionem errandi circa mores, pernicioseque aberrandi à via salutis, vt patuit. Secundò addendo, illam neque eo pacto sustineri posse, quia saltem negari nequit, quod admonuit P. Sanchez, aliquando dari propriè, strictèque mendacium, & periurium assertorium eius, cùm assertio fallax cum intentione formali, atque directa fallendi sub iuramento enuntiatur; imò & cùm merè voluntariè profertur absque eiusmodi intentione, vt iam anteà ostendebamus. Ad confirmationem concedo, propositionem prædictam non fore scandalosam, nec damnabilem, si solùm vellet, nõ reperiri mendacium, aut periurium rigoroſè tale in omnibus, ac singulis casibus, quos ipsa recenset. Sat namque fuit ad condemnationem eius, quod

quod in aliquibus certò reperiatur. Et alioqui indubitatum videtur, mẽdacium, ac periurium propriè tale non reperiri in omnibus, ac ſingulis ibidem enumeratis. Neque enim talia peccata in rigore committuntur ab illo, qui ſolus loquitur ſecum ipſo, aut coram alijs, ſed non cum eis, neque ad ipſos; ſed ſecum duntaxat, quantumvis mentis reſtrictione vtatur. Et tamen iſti duo caſus ſunt, qui priori loco in theſi condemnata enumerantur.

DISSERTATIO XVJ.

VTRVM MENTALIS RESTRICTIO POSSIT honeſtari ex cauſa?

Inter actiones humanas quædam ſunt adeò perverſæ, vt nulla ex cauſa valeant honeſtari, vt periurium, aut mendacium; aliæ verò, quæ aliquando ſine peccato poſſunt exerceri; ſed non niſi ſub certis circumſtantijs, & ex cauſa. V.g. iuramenta eo præciſè malè fiunt, quòd veritate, iudicio, aut iuſtitia deſtituantur; his autem ſibi accedentibus tanquam comitibus omnino neceſſarijs, religioni, & honeſtati conſentiunt. Occiſio etiam alterius, à qua ſeparari nequit materialis malitia nocens proximo quoad bonum vitæ, ſemper illicitè amatur, niſi legitima excuſatio accedat, qualis eſt vindicta publica, aut propriæ vitæ defenſio. Pari ergo modo nunc quæritur, vtrùm reſtrictio mentalis ſemper, & in omni vẽtu ſit illicita, aut an potiùs ex cauſa, & circumſtantijs cohoneſtari poſſit? Nam, quòd illicita ſit, cùm in vanum exercetur, ad libitum, vel ad decipiendum alios, vel occultandum ſecretum, quod debet manifeſtari, ex hucuſque dictis planè conſtat, & in dubium revocari nequit, vt viſum eſt. Caret enim certò ſibi debitis comitibus, aut altero ipſorum, ſcilicet ſimplicitate, iuſtitia, & iudicio, ſine quibus ſimul ſumptis nunquam honeſtari valet.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur ſententia affirmans.

1. Erit eiuſmodi ſententia, vſum loquutionum, quas verificat reſtrictio tacita in mente retenta, non ſemper eſſe illicitum; ſed ex cauſa ſic loquendi cohoneſtari poſſe, addito etiam iuramento, ex.g. ſi fiat ſine intentione fallendi in caſu neceſſitatis, ſive coactionis iniuſtæ, cui abſque gravi aliquo incommodo proprio, aut alieno aliter occurri nequit.

Solent autem expendi varij casus, vbi id contingere creditur. Primus est de confessario, qui in eas angustias redigitur, vt tacere non sufficiat; sed directis verbis respondere debeat determinatè inquirenti, an aliquid in confessione Sacramẽtali cognoverit? Secundus de Legatis Principum, qui similiter interrogantur de his secretis suæ Reipublicæ, quæ reservare tenentur. Tertius de reo cõtra iuris ordinem compulso ad dicendum, vtrùm capitale aliquod delictum, v.g. homicidium proditoriũ, perpetraverit? Quartus de muliere adultera, cui maritus zelotypus mortem intentat, nisi affirmativè, aut negativè respondeat sibi perconctanti de adulterio.

2. Ergo, saltem in his casibus, aut alijs æquipollentibus, licitum esse negare verbis absolutis, ac directis, quod re vera est cognitum, aut factum, dicendo *Nescio*, aut *Non feci*, & subintelligendo tacitè restrictionem, qua sit verum, *omnium sententia* erat tempore Adriani, qui postcà fuit Pontifex Maximus eius nominis VI. vt legitur apud ipsum *in* 4. *quæst. de sigillo confession. in solution. ad* 2. Idque haud immeritò assertum fuisse ab ipso specialiter contendit adversus Soto Salon 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. *controv.* 11. vers. *Oppositum docet Adrianus*, vbi tandem concludit, *omnes fere recentiores* eiusdem esse sententiæ. Vnde & eam vocat *communem inter Doctores Catholicos*, plerosque referens cum Angelico Magistro, eisdẽque subscribens M. Ioannes Marquez in nunquam satis laudato opere *Gubernatoris Christiani, lib.* 2. *cap.* 7. §. 2. *post medium.* Et eos esse *innumerabiles, atque doctissimos, tàm ex antiquis, quàm ex alijs*, nuper scripsit M. Raymundus Lumbier ad prædictum decretum Innocentij *num.* 1824. & qui plurimos verbatim refert, P. Theophilus Raynaudus *tom.* 14. *in speciali opusculo huius argumenti cap.* 14. necnon Maximilianus Sandæus *in simili opusc.* quod inscribitur: *Mũdus fallax. comment.* 8.

3. Eximius quoque Doctor P. Franciscus Suarez eam sequitur, & *practicè securissimam, & in rigore veram* vocat *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de iuram. cap.* 10. *num.* 4. Pesantius verò *communem omnium Theologorum, ac Canonistarum*, 2. 2. *q.* 70. *disp.* 1. *Omnino* autem *communem, & moraliter certam* Martinus Bresserus *lib.* 5. *de consc. cap.* 1. *num.* 183. Et, ne Iurisperitos omittam, obvius est omnibus locuples Navarri commentarius *in cap. Humanæ aures.* 22 *q.* 5. vbi per varias quæstiones eamdem doctrinam defendit valde firmiter, nec minùs accuratè, ipsamque vt *Catholicam, & certam*, eo appellato, inter recentiores sequitur D. Iosephus de Retes Salmanticensis primarius, atque in supremo Castellæ Senatu Consiliarius Regius *lib.* 7. *opuscul. cap.* 3. *à num.* 19. Præses Covarrubias *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 4. ibi: *Possum versutiam interrogantis iniquè eludere responsione quadam, quæ interpretationem, intellectumve, quem ex animo illi dederim, congruè patiatur.*

4. Ex florentissima insuper PP. Dominicanorum schola in eam plures conspirarunt, tàm antiqui, quàm moderni, & nominatim Princeps ipse Thomistarum Capreolus *in* 4. *dist.* 21. *prope fin.* his præsertim: *Nec obstat, si additiones, & restrictiones, quæ fiunt in mente, non exprimantur in voce, quia voces sunt ad placitum, & proferens vocem potest significare aliquid sibi ipsi, quod non significat, nec significare intendit alteri.* Paludanus *ibidem q.* 3. *art.* 3. Sylvester verb. *Iuramentum.* 4. *q.* 7. vers. *Secundum.* & verb. *Mendacium. q.* 6. vers. *Quarto.* Soto *lib.* 5. *de iust. & iur. q.* 6. *art.*

art.2.concluſ.7. etſi immeritò diſtinguat (vt iam alibi adnotavi) inter verbum *Neſcio*,& *Non feci*, Ludovicus Lopez *in inſtructor.conſc.1.p.cap.37. in fin.* Dominicus Baltanas *in margarita Confeſſor.fol.97.* Ioannes Baptiſta Conradus *in reſponſ.caſuum conſc.1.p.q.137.per totam.* Bartholomæus Medina *in inſtitut. Confeſſar. lib. 2. cap. 4.* Ioannes de la Cruz *in direct.conſc.q.3.circa 8. Decalogi præceptum.art.3.* Vincentius Candidus *diſquiſit.26.art.3.dub.1.* Illuſtriſſimi duo Præſules Acatius March.de Velaſco *tom.2.ſummæ.* verb.*Iuramentũ. reſol.159. num.4. & 5.* & Petrus de Tapia *in Catena moral.1.p.lib.5.q.12. art.3.* necnon Bañez *2.2.q.69 art.2. in 3.p. articuli*, his præter cœtera: *Probabiliſsima ſententia eſt, quòd reus interrogatus contra ordinem iuris poteſt reſpondere ſine mendacio, & ſine periurio: Non feci: Non occidi. Hanc ſententiam tenet expreſſè Adrianus in 4. in quæſti. de ſigillo confeſsionis, & putat. eſſe communem ſententiam, & fortaſsis illo tempore ita erat. Videtur etiam, eſſe ſententiam Caietani, &c.*

5. His accedunt ex Ordine Seraphico Angelus de Clavaſio allegans Scotum,Bonavẽturam,& alios, & dicens, *eſſe communem, in ſumma* verb.*Confeſsio.vltimo.num.4* & verb. *Iuramentum.4.init.* Emmanuel Rodriguez *in ſumma Hiſpana edition. Salmantic. anni* 1615. *tom.2.cap.40. num.3. & 4.* & *tr.de ordine iudiciali. cap.10.num.4.* vbi addit, *eſſe opinionẽ receptam.* Ludovicus de S. Juan *q.7. de Sacram.Pœnit. art.3.dub.3. difficult.2.* Laurentius de Portel *in dubijs Regul.* verb.*Iuramentum. in additione.à num.12.* Eligius Baſſæus *in florib.Theolog. 1.p.* verb. *Mendacium. num 6.* Caſtro *adverſus hæreſes lib. 5.hæreſi.8.in fin.* Villalobos *in ſumma.p.2.tr.36.difficult.6.à num.7.*

6. Eiuſdem quoque ſententiæ ſunt ex Societate, vltra Suarium, Breſſerum,atque Raynaudum anteà appellatos, Card. Toletus *in ſumma. lib.4.cap.21.à num.6.* & *lib.5.cap.58. num.3.* Sanchez *lib.3.in Decalog.cap. 6.à num.15.* Palao *tom.3.diſp.1.de iuram.punct.7.à num.4.* Fagundez *lib. 2. in 2. præcept. Decalog. diſp. 11.* Dicaſtillo *de iuram.diſp.2.num.300.* Reginaldus *in praxi. lib. 24. cap. 1. num.10.* Serarius *in Iudith cap.13.q. 10.* Moya *in ſelect.1.p.tr.2.diſp.1.q.6. à num.17.* Maximilianus Sandæus *in dicta comment.8. pronuntiato.10.* Richardus Arſdekin *tom.2. p.3. tr.1.in controver. particul. tota q.1. fol mihi 95.* Leſſius *lib.2.de iuſt.& iur.cap.42. num.47.* Filliucius *tom.2,tract.25.à num. 326* qui duo ſolùm dicunt, id eſſe probabilius, Valentia *tom 3.diſp. 6.q.7 punct 4 §.3.* verſ. *Mihi verò.* & plenius *diſp.5.q.13.punct.2.* verſ. *Nũc circa ſecundam.* Addi etiam ſolet,& acriter perſtringi Tãburinus *lib. 3. in Decalog cap.2.§.2.& 3.* Sed iam alibi præmonui,vtrumque hunc paragraphum deeſſe in editione Lugdunenſi *anni* 1679 *apud Aniſſonios*, quæ eſt poſtrema ab ipſo Auctore correcta, vt conſtat ex ipſa epigraphe. Quare, ſiquid ille exceſſit, quod me lateat nõ habentem præ manibus editiones alias, ab ipſo fuit emendatum tempeſtivè,atque prudenter.

7. Conſonant denique Baſilius Legionenſis *lib.8.de matrim. cap.17. num.33.* Ioannes Henriquez *in compend.caſuum cap.13 num.3.* Sayrus *in Clavi Regia.lib.12.cap.17 num.21.& lib.11.cap.5. num.6.* Bonacina *in ſecundum præcept. Decalog. diſp.4. q.1. punct.12.num.1.* Trullenc *ibidem lib. 2.cap.1.dub.15.* Leander à SS. Sacramento *p.2.in Decalog. tr.1.de iuram. diſp.45 § 2.q.10. cum multis ſequentibus.* Antonius Fernandez Moure *in examine Theolog.moral. p.1.cap.5.§ 8.*

dicens,

dicens, *esse doctrinam communem, & ferme absque controversia.* Theophilus Alarius Barnabita *lib. 3. canon. consc.* verb. *Mendacium. num. 5.* Ac demum Thomas Hurtado *tom. 2. variar. tr. 7. cap. 1. num. 8.* expressè affirmans, absque errore in fide non posse negari absolutè loquendo esse licitas amphibologias, ac restrictiones mentales. Et quamvis posteà reijciat, quas purè mentales vocat; concedit tamen disertè *num. 71. & 72.* verbales omnino occultas, sive secretò prolatas licere, necnon & mentales imperceptibiles ab audientibus, & alijs omnibus, præterquam à prudẽtioribus vivacioribusque ingenijs. Nec advertit, vtrobique eamdem difficultatem vrgere, & suis rationibus omnes, aut nullam excludi. Nam purè mentales non ideò putari possunt illicitæ, quia mentales; sed quia sensu imperceptibiles, & à consilio occultatæ his, ad quos sermonem nostrum convertimus.

CAPVT II.

Varijs argumentis ab auctoritate ostenditur, adhuc esse probabile, restrictiones mentales ex idonea, ac gravi causa licitè posse exerceri in casu necessitatis sine intentione fallendi.

8. IN vestibulo supponendum est tanquam omnino certum, licitum omnino esse ex iusta causa interrogantem responsione nostra *eludere*, ne percipiat, v. g. quod ipsi nescire expedit. Hoc enim expressis verbis traditum est à S. Clemente Papa, & martyre *epist. 3. circa fin.* & relatum *in cap. In mandatis. 2. dist. 43.* Vbi S. Pontifex ex Evangelio supponit nobis esse præceptum *non proijcere margaritas ante porcos*, hoc est (vt ibidem explicat) non communicare secretiora fidei, ac Divinæ scientiæ mysteria his, qui manifestis peccatis involuti permanent, sed magis protestari, vt peccare desinant, & actus suos à vitijs emendent. Vnde rectè animadvertit Layman cum Bellarmino, & alijs *lib. 5. summæ. tr. 3. cap. 3. num. 3.* Patres formas Sacramentorum fere semper subticuisse, quia nostræ religionis mysteria infidelibus prodere nolebant. Sed quia fieri potest, vt aliquis ex istis coram alijs à nobis quidpiam de prædictis interroget, quærit insuper optimus Pontifex, an tacere omnino oporteat, vel palam, & apertè id respondere, vel potiùs responsione nostra eludere, ne illa intelligat, aut audiat, quæ eum audire haudquaquam expedit?

9. Eligit autem hoc vltimum, licet absque gravi causa prorsus illicitum esset, atque hisce verbis faciẽdum præscribit: *Quòd si ingesserit se* (nempe ille peccator notitia secretorum fidei indignus) *& provocaverit nos dicere, quæ eum minùs rectè agentem non oportet audire, PRVDENTER EVM DEBEMVS ELVDERE. Nam nihil omnino respondere, auditorum causâ vtile non videtur. Ne sic fortè existiment, nos responsionis penuria declinare certamen, & fides eorum lædatur non intelligentium propositum nostrum.* Hæc ibi. Vbi planè vides, ex causa vtilitatis spiritualis aliorum non solùm esse prudentem, atque adeò licitam; sed etiam debitam responsionem delusivam interrogantis illam veritatem, quam eum celare tenemur, quia ipsi nocet eam audire, & alijs non respondere. Evenit autem sæpesæpius casus huic omnino similis Confessarijs, aut legatis Principum, & alijs, qui interrogantur

de

de his, quæ prodere non debent.

10. Quare S. Pontifex Gregorius *lib. 6. in primum Regum. cap. 3.* modum istum eludendi pernicioſas, aut iniquas interrogationes aliorum his verbis valde prægnantibus declaravit, ac expressit: *Dum nocere tyranni cupiunt, obijcienda sunt eis quædam, quæ credant, vt nocendi aditum non inveniant. Sic tyranni deludendi sunt, vt caveatur culpa mendacij. Quod tunc* (ait) *bene perficitur, cùm illud fit, quod asseritur; sed, quod fit, sic dicitur, vt celetur, quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur.* Ex causa itaque evitandi grave nocumentum proprium licitum est, ac honestum interrogantem deludere, dummodò mēdacium caveatur. Cavetur autem ex mente S. Gregorij, & rectè fit, cùm ea, quæ geruntur, non integrè propalantur; sed partim dicuntur, & partim reticentur. Porrò ita fit in restrictione mentali, si de illis interrogamur, quæ absque magno nocumento, aut forsan peccato manifestare non possumus: occurritur namque his malis, & mendacium declinatur non manifestando integrè conceptum nostrum; sed celando partem eius.

11. Docuit nos præterea Christus hunc modum eludendi interrogantes ea, quæ sub secreto novimus, aut nocitura sunt ipsis, dum interrogatus ab Apostolis, respondit Marci 13. 32. se nescire diem iudicij. Vbi *mentiri videtur* negans, se scire, quod novit, qui ab ignorantia, & peccato alieniſſimus est. Sed ex causa ita loquendi, quod alioqui esset mendacium, fuit veritas pura, & simplex. Quocirca ex prædictis verbis hæc intulit S. Augustinus *tom. 4 lib. quæstion. veteris, ac Novi Testament. q. 62. ex Novo Testam. p. 2. Causa ergo est, vt dicat, se nescire, quod scit*: nam talia verba absque idonea causa sic prolata mendacij labem incurrerent. Porrò causam ita assignat: *Dominus ait: Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Vt ergo nos solicitos, & vigilantes faceret, interrogatus nescire se dixit diem, & horam futuri iudicij; sed vt nobis prodesset, negavit, se scire, quod scit. Ignorantibus ergo nobis quid prosit nobis, scire omnino volumus, quod si scierimus, oberit nobis. Christus autem provisor salutis nostræ, ne audiremus, quæ contra nos essent, dixit, se nescire.* Eadem fere non minori energia tradit *concion. 1. in Psalm. 36. init.* ne fortè causeris, quęstiones præcitatas non esse S. Augustini, vt Labbe cum Bellarmino putavit.

12. Itaque non vult ex causa evitandi grave damnum spirituale aliorum licitum esse mendacium; sed ratione illius verba restringi, quamvis restrictio non exprimatur exteriùs, & ea propter mendacium esse desineret. Quod apto exemplo petito ex humanis sic statim declarat: *Numquid si alicui in dolore posito gladium poscenti, vt se perimat, qui habet, respondeat, se non habere, mendacij arguendus erit negans?* Quasi dicat: Minimè. Scit enim, esse maximè nocivum, atque contrarium poscenti id fateri, aut gladium illi tradere, & perinde est, cùm subest talis causa, hoc absolutè negare, quàm restrictionem adijcere. Nam licet ex vi verborum ea supprimatur, discursu intellectuali optimè subintelligitur ipsa mente retineri, & orationem externam absolutè negativam gladij non esse orationem integram; sed partem alterius, qua dicitur, gladium non haberi ad nocendum, cuius sensus est verissimus. Videatur Augustinus *in Psalm. 5.* ad ea verba: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: vbi idem exponit fusiùs.

13. Aliam causam huius dicti, quæ plerisque alijs exemplis applicari

cari potest, assignat S. Gregorius *lib. 3. in 1. Regum. cap. 1. colum. 6.* sic scribens: *Quid est, quòd sciens omnia Filius, iudicij diem nescit, nisi quia inter cuncta, quæ noverat, diem sciens, nesciebat eum, VT DICERET?* Vbi observandum est, potuisse Christum respondere Apostolis, sicut respondit in simili *Actorum 1.7 Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*: vel sicut respondit Petro interroganti de Ioāne *Ioan. 21. 22. Quid ad te?* Et nihilominùs his non contentus, absolutè dicit, se nescire, quia nō sciebat diem iudicij ad illud publicandum, & gravitas negotij postulabat eum modum agendi, qui Apostolis tunc erat magis proficuus, eōsque pariter instruebat, quomodo possent se gerere in circumstantijs similibus.

14. Mitto pleraque alia loca, quorum veritas, seclusis istiusmodi restrictionibus difficillimè intelligitur, cuiusmodi sunt illa *Psalm. 1. 5. Non resurgent impij in iudicio*: nempe ad gloriam, & æternam vitam. Et illa Matthæi 9. 24. *Non est mortua puella, sed dormit.* Et solèm expendo verba illa Iacob. Genes. 27. 19. *Ego sum primogenitus tuus Esau: feci, sicut præcepisti mihi.* Quæ profectò neque ex hominum impositione, neque ex alij circumstātijs externis quidquam aliud poterant significare, nisi rem apertè falsam, nempe Iacob esse Esau, & mandatum accepisse à patre, qui nil præceperat ipsi. Et nihilominùs permulti Patres, & cum ipsis S. Thomas *in 3. dist. 38. art. 3. ad 1.* ipsum à mēdacio excusant ob restrictionem internam, & sensum mysticum omnino occultum ab Spiritu Sancto intentum, & à Iacobo agnitum saltem implicitè. Verba S. Thomæ hæc sunt: *Verba ista secundum aliquem intellectum veritatem habuerunt, sibi enim primogenitura Dei electione debebatur, & ad illum intellectum Spiritus Sanctus verba ordinabat, cuius instinctu, & intellectu loquebatur. Sive ipse illum intellectum ex verbis acciperet explicitè, sive implicitè hoc significare intendens, ad quod Spiritus Sanctus ordinabat, unde à mēdacio excusatur. Et eadem,* inquit, *ratio est de omnibus verbis, quæ mendacium sapere videntur, ab illis viris prolata, in quibus mendacium concedere, nefarium videtur.* Paria scribit *lib. 3. ad Hannibaldum. dist. 38. q. unic. art. 2. ad 1.*

15. Quo loci in primis notandum, verba illa Iacob: *Ego sum primogenitus tuus Esau*: vera putari propter restrictionem purè internam, quia scilicet *Dei electione* primogenitus erat, & primogenito suo Isaac præceperat, quod affirmavit Iacob sibimet præceptum fuisse. Secundò, electionem illam tunc temporis fuisse ignotam omnibus, & fortasse ipsi Iacob, quia in actu Dei interno consistebat, neque manifesta erat vllo effectu, aut exteriori signo. Tertiò, eamdem restrictionem neque explicitè, neque implicitè significari per verba à Iacob prolata, cùm apertè sensui suo relicta omnino oppositum denotent, nimirum, eum, qui loquebatur, esse Esau primogenitum Isaac, cui ipse mandata dederat; non verò Iacob, cui nihil tale contigerat. Nec, seclusa restrictione occulta, qua dicat, *Dei electione sum Esau tuus primogenitus, & cui mandatum dedisti*, ex vllis circumstantijs determinari valent ad hunc sensum. Quartò, hanc regulam tanquam vniversalem tradi ad excusandum mendacium; non tamen deficienti idonea causa, qualis erat in hoc casu Spiritus Sācti instinctus, cuius intentioni, ac sensui, qui falsus esse non poterat, Iacob omnia verba sua accommodare intendebat, licet eum non intelligeret.

Rebus

16. Rebus sumptis adiungenda venit elegans consideratio Augustini ponderãtis interrogationes illas, quibus Christus Dominus interdum significabat, se nescire, quæ optimè callebat, vt cùm dixit Lucæ 8. 45. *Quis me tetigit?* & paulò infrà: *Tetigit me aliquis?* Et Ioannis 11. 34. *Vbi posuistis eum?* Quæ inter alia sic expendit *in lib. contra mendac. cap.* 13. *Interrogavit quasi nesciens, quod vtique sciebat, ac per hoc nescire se finxit, vt aliquid aliud illa velut ignorantia sua significaret. Quæ significatio, quoniam verax erat, mendacium profectò non erat.* Præmiserat autem inibi, non ideò falsam esse significationem, quia aliud ex alio significatur, cùm *verum est, quod significatur, si rectè intelligatur.* Tunc autem rectè intelligitur, *cùm ad id, quod loquens VOLVIT significare, refertur*, vt ipse Augustinus explicat ibi ad illa verba Lucæ 24. *Finxit se longiùs ire*, ita scribens: *Si nihil aliud significasset Iesus in eo, quod longiùs ire se finxit, meritò iudicaretur esse mendacium. Porrò autem si bene intelligatur, & ad id, quod VOLVIT SIGNIFICARE, referatur, invenitur esse mysterium.* Et propterea S. Thomas *eo art. 2. ad 2.* hanc fictionem à mendacio excusat, *quia non intendebat Christus falsum significare; sed verum occultare, quod bene aliquando licet.*

17. Vbi nota, significationes istas à Christo intentas, sive interrogando, quod sciebat, seu fingendo longiùs ire, occultissimas fuisse, & prorsus imperceptibiles ab audientibus, etiam attentis omnibus circumstantijs sibi notis, sicut restrictioni purè mentali contingit. Nam, vt Augustinus explicat, cùm finxit se longiùs ire, Ascensionem suam in Cœlos discipulis non desertis significare intendebat, & *propter hoc significandum futurum Divinitus factum, ad præsens illud est humanitus fictum.* Quisnam autem hanc Christi voluntatem, & significationem talium verborum tunc posset deprehendere, & non potiùs intelligeret, eum velle progredi vlteriùs, cùm neque Christum agnoscerent, nec eius verba talem significationem ferrent, præscindendo à voluntate merè interna, & occultissima?

18. Similiter interrogationes illæ de sui tactu, aut de Lazari sepulchro non ideò veraces fuerunt, quia ipse interrogata nesciret, quamvis id significarent, & acceptæ in isto sensu apertè mendaces fuissent; sed quia fœmina, quæ Christum tetigerat, & Lazarus iam sepultus, ait Augustinus, *eos significabant, quos etiam, qui cuncta sciebat, quodammodo nesciebat.* Nimirum fœmina illa fluxum sanguinis patiens plebem gentium, seu eum populum, quẽ Deus *Psalm.* 17. 45. se non cognovisse affirmat, & Lazarus quatriduanus alium consimilem typum. Porrò tota hęc mystica significatio, qua verificantur verba Christi, neque ex hominum impositione eis conveniebat, neque ex circumstantijs externis ad eam determinabantur; sed ex voluntate merè interna ipsius ordinantis illa ad hæc significanda, quamvis nemo eum sensum posset tunc deprehendere, aut alium, quàm litteralem, qui ignorantiam Christi denotabat, & non erat conveniens veritati, atque dignitati ipsius.

CAPVT III.

Quæ rationes persuadeant, ex causa idonea esse licitum vti verbis, quæ verificantur propter restrictionem tacitam?

19. PRima est. Quia interdum id erit respondenti necessarium ad evitãdam perplexitatem conscientiæ, cùm scilicet veritas absque peccato manifestari non potest, & tacens eo ipso, quod taceat, assentiri, aut consentire videtur interrogationi factæ. Pone enim, hæreticum iudicem, maritum Zelotypum, aut aliũ hominem conscientiæ depravatæ postulare à Confessario, an extra cõfessionem, aut in ipsa noverit aliquod crimen, eiusque Auctorem, & metu mortis, vel alterius gravis mali eum cogere ad respondendum directè affirmando, vel negando, & tunc miser Confessarius, qui id in confessione novit, iuxta contrariam sententiam, quomodolibet se gerat, liberari nequibit à peccato.

20. Aut enim affirmativè respondebit, aut negativè, aut pertinaci silentio linguam suam obfirmabit. Si affirmativè respondeat, reus erit violati sigilli, quod iure naturali, ac Divino semper, & in omni eventu esse debet inviolabile. Si negativè mentietur: quia falsum est, eum nescire in confessione, quod quæritur, & nulla interna restrictione defenditur ad mendacium effugiendum, quod suis verbis, vt iacent, importatur. Si taceat silentio suo affirmare videbitur, & ita sigillum violabit. Nam in illis circumstantijs silentium idem significat, quod voces articulatæ, & taciti, ac expressi eadem est virtus. Frustra enim se morti exponeret, & suam illicitè vitam prodigeret, si posset absque mendacio absolutè dicere, se nihil scire, etiam intra confessionem, ex illis, quæ interrogantur. Profectò quisquis re vera nihil eorum sciret, quia pœnitens forsan innocens ea nõ manifestavit, nec aliunde in suam notitiam devenerunt, responsionem negativam nullo pacto detrectaret cum tanto incommodo. Vnde cùm is eam detrectat, metu mendacij id facere videtur, & violentissimam præsumptionem ingenerat confessionis sibi factæ, ac notitiæ habitæ per ipsam.

21. Propterea Angelicus Doctor *in 4. dist. 21. q 3. art. 1. qnæstiuncula ad 2. & 3.* hanc perplexitatem sustulit asserendo, interrogatum de his, quæ ex sola confessione agnovit, addita insuper excommunicationis pœna, *absque læsione conscientiæ posse iurare se nescire.* Proponit autem duos casus, alterum, quo solùm inquiritur ex Confessario, vtrùm sciat, Petrum v.g. perpetrasse homicidium; alterum verò, vtrùm sciat in confessione? Et vtrique pariter occurrit affirmans absque mendacio, & periurio, aut læsione vlla conscientiæ responderi posse negativè; sed ex diverso motivo. Nam primæ interrogationi, qui absolutè respondet se nescire, ideò facilè excusatur, quia ad mentem interrogantis prudenter existimatam, & in sensu ab ipso intento ei respondet quàm verissimè: debet enim æstimare, *quòd intentio præcipientis sit, si sciat vt homo*, hoc est, extra confessionem; de scientia autem confessionis nil inquirere. At verò cùm de confessione ipsa fit determinatè interrogatio, sive quis respondeat, se nil scire, sive vlteriùs addat, se nescire in confessione, proculdubio contra mentem suam loquetur, si ad mentem interrogantis ea verba velit acci-

accipere, & à mendacio nequibit excusari, si ipsa proferat in sensu, quem ille intendit.

22. Excusatur autem iuxta S. Thomam, cui alij communissimè accedunt, propter restrictionem tacitam, quam adijcit eisdem verbis, subintelligendo scilicet, se id non scire *vt hominem, sed tanquam Dei vicarium*, vel se nescire *scientia licitè communicabili*, vel *ad dicendum*, vel ita *vt teneatur dicere*, aut aliquid huiusmodi. Qua autem ratione subintellectiones illæ tacitæ, & omnino occultæ interroganti excusant respondentem à peccato, licet verbis negativis absolutè vtatur, & eisdem, quibus vti posset, qui nihil tale in confessione audisset, excusari possunt plures alij in simili perplexitate constituti, cùm ad illa propalanda cogũtur, quæ licitè manifestare non valent, & taciturnitas pro affirmatione habetur. Nam licet maius sit sigillum confessionis alio quocumque secreto, & strictiùs debeat obseruari, id non præstat, vt ad obseruandum ipsum vnquam liceat mentiri, vel deierare; sed solùm efficit, ne sint mendacia, aut periuria ob restrictionem occultam loquutiones illæ alioqui falsæ. Si autem id semel contingit, & à peccato excusantur in dicto eventu, non est cur idipsum extendi nequeat ad alios casus, vbi similis perplexitas conscientiam implicat, constringente ex vna parte obligatione secreti, & vrgente ex altera necessitate respondendi directè, ne ipsum silentium affirmationi æquivaleat. Videatur Navarro *in dicto cap. Humanæ aures. q. 1. num. 5.*

23. Secunda ratio sit. Quia iste modus eludendi interrogantes potest esse necessarius ad evitanda alia incommoda magni momenti, propria, aut aliena, quæ certò imminent, si interrogatus taceat, aut veritatem palam fateatur. Casum proponebam suprà ex S. Clemente Papa, vbi interroganti nocebat quoad bona spiritualia respondere ad eius mentem; tacere autem, circumstantibus: necnon ex S. Gregorio docente, tunc rectè fieri, & sine culpa mendacij eiusmodi delusiones, cùm partim dicitur, partim reticetur veritas in mente latens. Satisque vulgaris est casus adulteræ contra iuris ordinem interrogatæ de adulterio à se occultè cõmisso, quam S. Thomas excusat ab obligatione confitendi veritatem *quodlib. 5. q. 8. art. 16.* & cum eo innumeri alij: idemque à fortiori eveniet, si à marito privatim vrgeatur. In Legatis autem Principum necessitas ita agendi eò erit grauior, quò manifestatio secretorum suæ Reipublicæ non sibi nocet solummodò; sed bono communi illius, quod semper præferri debet cuicumque bono priuato. Neque in his eventibus tacere sufficit, aut ambiguis verbis veritatem occultare: nam hoc ipsum vehemẽtem delicti, aut facti suspicionem generat, & cùm aliquis interrogatus de duobus, de vno affirmat, de alio tacet, vtrumque fateri creditur iuxta regulam in iure satis vulgatam.

24. Tertia ratio ita se habet. Nam restrictio omnino occulta sæpe est medium necessarium ad evitandam perturbationem ciuilis conuersationis, ac conuictus rationalis. Quippe sicut nemo alteri fidem adhiberet, si illa semper esset licita, vel ad libitum, & sine graui causa, ita nemo alteri crederet secreta sua in Sacramento Pœnitentiæ, aut extra illud, etiam consilij, vel auxilij causâ, nemo suam, aut alterius perniciem vitare posset, dum iniqua alterius interrogatione ad respõdendum compellitur per verba affirmativa, aut negativa, nisi aliquando liceret occultare restrictionem, sub qua verba

proferuntur, atque ea tacita, & subintellecta, eludere interrogantem, ita vt sibi satisfactum credat, quin pergat vrgere amplius. Sæpe enim homo tenetur non manifestare veritatem sibi notam, & quidem sub peccato, eoque grauissimo; & sæpe maxima damna spiritualia, aut temporalia sibi, aut alijs impendentia declinare nequibit, nisi negativè respõdeat. Vnde aut mentiri cogetur, aut subire grauia incommoda, quorum metus etiam viros constantes deterrere solet, & inducere in peccatum, præsertim veniale, ac leve. Neque enim tacere omnino sufficit ad illa declinanda, aut dicere, se non teneri ad respondendum, cùm alter ad respondendum directè sua importunitate, auctoritate, vel iniquitate cogit, & sola affirmativa, aut negativa responsione sibi credit satisfactum.

25. Quarta ex dictis fluit. Quia eiusmodi loquutiones aut illicitæ sunt in his eventibus, quia mentitur is, qui eas adhibet, aut quia decipit audientes, nam vtrumque Diuina lege vetatur? Non quia mentiatur. Nam mentiri non est loqui contra spem, mentemque alienam, sed contra propriam loquentis, atque dirigentis falsa verba sua tanquam fidedigna ad alterum. Id autem non fit in proposito. Vel quia sermo non dirigitur, nec debet dirigi ad alium, qui malignitate sua non potuit tollere obligationẽ secreti, nec ius vllum ad apertam responsionem comparavit. Vnde homo sic constitutus nolle potest cum eo loqui de his, quæ celare tenetur, sed sibi, aut cum Deo duntaxat, ac si nullus esset præsens, nullaque interrogatio præcessisset; qui autem non loquitur alij, sed secum, ac soli sibi, licitè, & absque mendacio potest eas voces exprimere, & quo voluerit sensu eas vsurpare. Vel iterum quia intelligentia dictorum ex causis est sumenda dicendi, cùm sit vna de præcipuis circumstantijs; adest autem sæpius causa non manifestandi alijs adæquatè mentem suã, sed solùm inadæquatè, & dum talis causa subest, nullo negotio conijcitur, quidpiam aliud posse subintelligi, tametsi non exprimatur verbis publicis, sed solùm signis secretis, & à consilio occultatis, sive illa mentalia sint, sive vocalia, seu realia.

26. Vel demum, quia verba ista *Nescio*, aut *Non feci*, tunc solùm mẽdacia sunt, cùm ab sciente, vel ab eo, qui fecit, proferuntur absque alio addito verificante, & per modum orationis integræ, ac completæ. Possunt autem non proferri hoc modo, sed cum addito, & per modum partis alterius orationis integræ, ex cuius veritate, aut falsitate mensurari debet earum veritas, aut falsitas: nam ex se indifferentia sunt, vt vtrovis modo proferantur. Porrò hoc modo proferuntur, & ita ex intimis prodeunt, etsi additum occultetur, & ab alijs non audiatur. Nam quemadmodum ex verbis clam, & publicè prolatis vna oratio adintegrari potest mixta ex vtrisque, sic pariter ex verbis partim internis, partim externis altera componi valet, vt plenius infrà dicetur, & differtissimè tradit S. Gregorius *Homil. 2. in Ezechiel.* & cum ipso omnes interpretes. Locus omnibus est notus, & quotannis recitatur Dominica 1. Nouembris *Noctur. 2. lect. 2 & 3.*

27. Non præcisè quia decipiuntur audientes. Quia ex causa frequẽter licet permittere deceptionem alterius, & ita in præsenti accidit. Nam occasio deceptionis non est data, sed accepta; imò quæsita ab eo ipso, qui decipitur, cùm loquens suo iure vtatur se tuendo ab interrogatione iniqua, & ab alijs malis sibi tàm ex aperta confessione imminentibus,

quàm

quàm ex omnimoda taciturnitate. Sibi verò interrogans imputare debet, quòd in eas angustias interrogatum redegerit, vt evadere non possit, nisi permittendo, vt ex suis verbis sumat motivum errandi. Quinimò, nisi valde sit imprudens, sciens se dedisse, aut adesse talem caulam eludendi ipsum, ac celandi veritatem, potiùs iudicium suspendet, & cogitabit aliquid latere posse, quo ipse decipiatur, quàm credat, & verbis fidat, prout sonant, & enuntiantur. De cœtero autem, qui ex idonea causa orationem suam artificiosè componit ex terminis partim publicis, partim occultis, vt ita effugiat mendacium, à peccato immunis erit, quantumlibet ab audiente capi nequeant, nisi in sensu falso.

28. Quò spectat elegans doctrina Caietani 2.2.*q*.89.*art*.7.*ad* 4. vers. *Ad hoc dicitur, quod hic*, in hunc modum pronuntiantis: *Si artificiosè composita verba dicuntur cum iuramento, vera quidē, SED NON PENETRABILIA AB AVDIENTE NISI FALSO, cessante præiudicio iuris, & hominis, ABSQVE PECCATO ID FIERI POTEST: quoniam contingit huic iuramento omnes tres adesse comites, cùm scilicet ex rationabili causa fit.* Hæc ille, cuius doctrina satis aptè confirmatur ex dictis Iacob, quæ expendimus cum Angelico Doctore *num.* 14. Neque enim potuit Isaac, cùm ignoraret mysterium, verba Iacob intelligere, tametsi veracia essent, nisi in sensu omnino falso. Atque ita evenit in alijs casibus, vbi verba proferuntur in sensu litterali prorsus falsa; vera autem in sensu aliquo mystico, qui in solius loquentis mente latet. Et in loquutionibus figurativis regula generalis est à D. Thoma tradita *in* 3. *distinct*. 38. *q*. 1. *art*. 3. *ad* 5. *Veritatem habere non à sensu, quem verba habent primo aspectu; sed ab eo, quem loquens facere intendit.*

CAPVT IV.

Proponitur sententia negans, & expenditur, quo differat ab affirmante.

29. IStiusmodi restrictiones studiosè occultatas nulla ex causa honestari posse, sed semper esse illicitas, imò mendaces, non pauci Auctores tuentur. Et in primis Caietanus 2.2.*q*.89. *art*.7. vers. *Ad hoc dicitur, quòd hîc est opus*, Prosper Fagnanus *in cap. Falsidicus. de crimine falsi. à num.* 56. sed præcisè *vt verius*, Martinez de Prado *tom.* 2. *Theolog. moral. cap.* 32. *q*. 4. *à num.* 30. Gonet *in Manual. tom.* 5. *tr.* 8. *cap.* 2. §. 3. Pisani *in gladio Gedeonis. proposit.* 26. Malderus *speciali opusc. de restrict. ment. ad cap.* 4. *&* 10. Thomas Hurtado *tom.* 2. *variar. tr.* 7. *à num.* 54. licèt minùs consequenter ad ea, quæ anteà tradiderat *à num.* 33. contendens, in his restrictionibus mendacium propriè tale non committi; sed solam virtutem simplicitatis violari, P. Azor 1. *p. lib.* 11, *cap.* 4. *in fin.* Laymann *lib.* 4. *Summæ. tr.* 3. *cap.* 13. *à num.* 5. & *in tractatibus de fide*, Coninc *disp.* 10. *à num.* 49. Puente Hurtado *disp.* 18. §. 47. Arriaga *disp.* 1. *num.* 74. *&* 75. Ripalda *disp.* 4. *à num.* 67. Cardinalis de Lugo *disp.* 4. *num.* 62. dicens, oppositum sibi semper visum fuisse *durissimum, ac difficillimum.*

30. Verumtamen, si res ipsa introspiciatur, & quidnam hi Auctores sentiant, cùm ad casus particulares devenitur, vix, aut ne vix quidem invenientur differre in praxi ab opinione contraria, & parum speculativè: vnde vel vtraque opinio erit pernicio-

nicioſa in praxi, vel potiùs neutra. Ita opportunè adnotarunt, & monſtrarunt ex profeſſo Martinus Breſſerus *lib. 5. de conſc. à num. 172.* Oviedo *2 2. controv. 3. p. 3. num. 44.* Raynaudus *ſuprà cap 9.* & *tom. 18. in tract. de Miſſis Evãgelicis. p 2 cap. 1. fol. 290.* Richardus Arſdekin *in Theolog. tripartita. tom. 2. p. 3. tr. 1. in controverſijs particularib. q. 1. fol. 95. editionis 5. factæ Antuerpiæ*, & perſpicuum fiet legenti Caietanum, Azorium, Malderum, Thomam Hurtado, Layman, Piſani, Coninc, ac fere omnes alios, qui de hoc puncto moraliter ſcripſerunt. Etenim cùm planè videant, occurrere ſæpeſæpius neceſſitatem loquendi occultando mentem propriam, atque id genus reſtrictionum frequenter legi in Scripturis, & à viris ſanctis vſitatas eſſe, adijciunt, tunc eſſe licitas, cùm ex circumſtantijs loci, aut temporis, perſonarum, officiorum, alijſque ſimilibus, vel ex materia ſubiecta, ſaltem à ſapientibus deprehendi poteſt quidpiã aliud ſubintelligi, quod inſpecto cortice verborum nullatenus declaratur, & quo non ſubintellecto vocalis propoſitio falſa foret iuxta permanentem, & explicitam ſignificationem ſuam notam omnibus, ac perviam.

31. Quo fit, vt accedente idonea cauſa, quam circumſtantiæ ipſæ præbent, eiſdem omnino vocibus, eodemque remedio vtendum ſit in praxi iuxta vtramlibet ſententiam. Ex. g. vtraque dicit cum Angelico Doctore, Confeſſarium dererminatè interrogatum de his, quæ in confeſſione novit, poſſe licitè reſpondere *Neſcio.* Vtraque cum ipſo affirmat, reum contra iuris ordinem reſpondere coactum, non mentiri, ſi abſolutè dicat, *Non feci.* Vtraque ait, ſciſcitanti de his, quæ ſub ſecreto ſunt nobis commiſſa, licitè occurri negando, nos habere illorum ſcientiam: quia (inquit Bañez *2. 2. q 69. art. 2.* verſ. *In tertia parte.*) *iam apud omnes receptum eſt, vt illud dicamus nos neſcire, quod ſecreto novimus.* Vtraque inſuper, cùm gravia alia incommoda ſpiritualia, aut temporalia, quæ aliter vitari nequeunt, imminent tacenti omnino, vel palam declaranti totam mentem ſuam, putat ei integrum eſſe partem dicere, & partem occultare, atque ita interrogantem eludere, vt duo illi magni Pontifices S. Clemens, Sanctuſque Gregorius anteà laudati monebant: neque id eſt minùs receptum, minùſve vſitatum in iſtis circumſtantijs, quàm in caſu, vbi vrget cauſa ſecreti. Vtraque præterea approbat praxim occultandi ex cauſa reſtrictiones verificativas eorum, quæ publicè proferuntur verbis irreſtrictis, ſive occultatio fiat alijs vocibus ſecreto prolatis, ſive nutibus imperceptibilibus, ſive alio artificio externo. Latiùs enim patent reſtrictiones occultæ, quàm mentales: nec, quia occultæ ſunt, ideò improbantur; ſed potiùs improbarentur in illis circumſtantijs, niſi occultæ eſſent, quia tunc forent inutiles ad eum finem, cui potiſſimè inſervire debent. Vtraque demum concedit reſtrictiones mentales eſſe licitas, atque id non poſſe abſolutè denegari abſque errore in fide, ex ſacris litteris, ac SS. PP. ſtabilire contendit Thomas Hurtado relatus *num. 7.* Cùm verò purè mentales reijciuntur vniverſim, inquirendum eſt ab adverſarijs, quidnam illo adverbio *purè* ſignificare contendant, & quo differant à purè occultis. Nam ſi *ly purè* eas mentales reſtrictiones denotet, quæ debitis circumſtantijs deſtituuntur, & ſine illis exercentur, omnes earum praxim damnant. Si verò duntaxat illas, quæ hìc, & nunc occultè adduntur, etſi alioqui idonea cauſa, & circumſtantijs

veſtian-

vestiantur, nemo illarum praxim respuit.

32. Nec obstat, si in particulari aliquo eventu Auctores inter se discrepent,& quidam censeant, non licere in ipso vsum amphibologiæ mẽtalis;alij verò id credant licitum. Quippe discrepantia ista non sumitur ex principijs communibus semper, & in omni eventu talem praxim improbantibus; sed ex circumstantijs peculiaribus casus, de quo controvertitur, quas aliqui sufficientes reputant; alij verò insufficientes ad suam mentem licitè occultandam. Quod ipsum in causa contingit, nam nonnulli circa sufficientiam eius opinantur nimis laxè, vt exponendo propositionem sequentem ostendetur; alij verò strictiùs; neque id tollit, vt posita idoneitate causæ, vel circumstantiarum,idipsum licere dicant,qui illud negant,ea sublata. Disputant ex.g.Auctores,an qui occultè mutuò accepit centum,& occultè solvit quinquaginta, coram iudice iurare possit, à suo creditore interpellatus,se centum non accepisse? Et cùm alij affirment, alij negent, apud ipsos ratum est communiter posse totam summam negare, cùm illam persolvit integrè. Neque enim ita accepit, vt nunc debeat, & hoc potest tacitè subintelligere, non fraudando creditorem vlla parte suæ pecuniæ, quod in specie prius proposita secus accidit. De quo latè Covarrubias *lib.1.variar.cap.2.num 4.& 5.*

33. Iam verò si de speculatione sit sermo, etsi Auctores diversimodè stabiliant hanc praxim,& alijs subinde,ac alijs explicandi modis eam excusent à mendacio; in his tamen,quę maximè ad rem spectant,parum quidem discrepare valent. Nam affirmantes licere ex causa idonea restrictionem tacitam,prolatamve imperceptibiliter,non negant idoneitatem, atque sufficientiam causæ ex circumstantijs desumendam esse; imò semper istam causam ex circumstantijs desumunt,secreti,negotij,officij,personæ, aut alijs id genus, vnde reliqui limitari existimant verba, quæ generaliter prolata,sumptaque præcisè,vt sonant,non denotant,nisi falsum.Qui verò negant, non ideò diffitentur limitationem,quæ sumitur ex ratione, causaque loquendi, eo ipso sumi ex circumstantijs, cùm circumstantia *Cur* sit vna è præcipuis, vnde colligi debet mens loquentis restricta, aut illimitata. Quippe *intelligentia dictorum ex causis est sumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei sermo est subiectus*, vt S.Hilarius docuit *lib.4. de Trinit.* & ex ipso adinstar regulæ in iure proponitur *cap. Intelligentia. 6.de verbor.significat.* Atque ea propter verba præceptiva legum, aliatũque dispositionum, quantumvis generalia videantur, ad terminos suæ rationis restringuntur, & mens limitata prævalet vocibus illimitatis. Quinimò ex posterioribus factis Sanctorum sæpe colligitur, leges valde vniversales,&,inspecta vi verborum, positivè illimitatas, qualis est illa: *Non iurare omnino*: Matthæi 5. 34. fuisse in Scripturis propositas cum occulta restrictione non interdicente prorsus vsum iuramenti;sed solùm in certis casibus, vt ex hoc, alijsque exemplis monstrat S.Augustinus *lib. de mendac.cap.15.post initium.*

34. Ac sanè, cùm gravis causa loquendi,& non declarandi mentem suam integrè, ac plenè exteriùs nota est, cuilibet constat prudenter posse animadverti exinde, sicut ex alia quavis circumstãtia, quidpiam aliud fortè subintelligi ab eo, qui dicit *Non feci*, quo sensus integer orationis compleatur, etsi illud non explicetur, & tunc restrictio non erit occulta quoad causam suæ occultationis,

nis, neque purè mentalis in eo sensu; sed solùm quoad exercitium. Quia audiens nescit, vtrùm loquens opus habeat restrictione ad verificationẽ dicti, quo negavit, se fecisse homicidium: forsan namque illud non fecit, & quamvis fecerit, & restrictione occulta licitè vti possit, adhuc latet, vtrùm illâ vtatur, quia causa, & circumstantiæ non cogunt ad vsum eius, nec significant exercitiũ actuale adijciendi ipsam; sed præcisè præbent facultatem adijciendi illam, si lubeat. Quòd si causa occulta sit audientibus, eadem omnino est ratio, ac si supponas, eisdem esse occultas circũstantias, vnde in sententia contraria vniversalitas verborum limitatur, vt implicitè significent eam restrictionem, cui voces contradicere videntur generalitate sua. Cœterùm si ex propria culpa, aut negligentia eam ignorent, sibi debent imputare; non verò loquenti, qui eam agnoscit, & vtitur iure suo, quòd occasione accepta ex verbis eius, decipiantur, & quoad hunc effectum idem erit vincibiliter causam ignorare, ac illam de facto scire.

35. Si verò eis invincibiliter occultari cõtingat causam, aut circumstantias restrictivas, vt eveniebat Isaaco, cùm Iacob ei dixit, se esse Esau suum primogenitum, cui anteà fuerat loquutus, & Tobiæ, cum Raphaël Angelus in forma iuvenis ipsi respõdit, se esse Azariam Ananiæ magni filium, tunc quidem humano iudicio eiusmodi loquutiones mendacia videri possent, & fallaciæ (rectis scilicet personis loquentium, & mysterio nondum propalato) sed re vera, & coram Deo, qui occultam eorum intentionem noverat, mentemque, ac causam loquendi in sensu adeò inopinabili, ac improprio, alienissimæ erant à mendacio, & à culpabili deceptione alterius. Atque ea propter eos excusat S. Thomas loco appellato *suprà num.* 14. & iterum *quodlib.* 8. *art.* 14. *ad* 2. vbi agens de viris sanctis, quorum facta omnibus proponuntur in exemplum, ita disserit: *De talibus non legitur, quòd mentiti sint, vel si aliqua dixerunt, quæ mendacia videãtur, SECVNDVM INTENTIONEM, quam ex Spiritu Sancto conceperunt, mendacia non sunt.* Neque id refert S. Doctor, aut iure referri valet ad circumstantias consignificantes exteriùs improprietatem verborum, aut intentionem loquẽtium, quæ nullæ erant in eo eventu, sed potiùs contrariæ aderant.

36. Quocircà nec solida esse potest, nec vera ea differentia, quam nonnulli assignant inter vtramque opinionem, ducta ex eo, quòd circumstantiæ restringentes tunc solùm possint eluere labem mendacij, cùm sunt sensu perceptibiles, & ideò aptæ ad componendum vnicum signum sensibile cum vocibus, quo restrictio ipsa indicetur saltem implicitè. Non, inquam, potest esse solida, vel vera. Tum quia etiam dicere posset sentẽtia opposita, iustam causam restringendi mentaliter loquutionem suam debere esse sensibilem, vt ea ratione exteriùs significetur, saltem implicitè, verba generalia nõ proferri absolutè, ac sine addito, sicut sonare videntur; sed cum restrictione tacita. Ideò autem non dicitur, quia significatio implicita additi verificantis annexa causa, aut circumstantijs realibus, nisi occultetur audienti, potiùs nocebit, quàm proderit ad redimendum nos ab extorsione exigentis responsionem vndique absolutam, & illimitatam: intelliget enim, illam detrectari, & hac nova suspicione confirmatus non desistet, sed incœptam vexationem aggravabit. Si verò occultetur ipsi, & sub ea fiducia proferatur, non erit vtilior, quàm mentalis

ad

ad evitandum mendacium, aut ne loquenti imputetur deceptio alterius: nam hęc vitia non objiciuntur restrictioni internæ, quia interna est; sed quia occultatur. Tum præsertim quia id non sufficit ad exponenda loca præcitata Sacræ paginæ, aliaque id genus, vbi tota causa sic loquendi, & omnes circumstantiæ restringentes voces ipsas, eásdemque verificantes omnibus erant occultæ, & nulli hominum manifestatæ aliquo signo sensibili; sed ex sola Sancti Spiritus interna inspiratione, atque intentione pendentes, ad quam se in confuso referebant ijdem ipsi, qui ita loquebantur, cùm sensum ab ipso intentum fortasse non intelligerent. Videsis, quæ suprà adduximus ex Angelico Doctore *num.* 14. *&* 15. necnon alia, quæ cum Caietano expendimus *num.* 28.

37. Tum præterea. Quia circumstantiæ sensibiles excusantes à mendacio non consignificant, etiam implicitè, exercitium actuale loquendi cum restrictione, nec determinant in actu secundo verba explicita ad eum sensum; sed duntaxat præbent justam causam, vtendi illâ, si sit opus, & ita loquenti placeat. Ita nuper adnotabam, & suadetur insuper. Nam si verbum *Nescio* v. g. à Confessario prolatum, vel ab alio, cui onus secreti incumbit, determinatè importaret significatione sensibili, illum non scire ad dicendum ea, quæ affirmat, se nescire, atque in istis circumstantijs idem esset dictu *Nescio*, atque *Nescio, vt tibi dicam*, ita vt ea verba differrent solummodò penes explicitum, & implicitum, is profectò, qui tunc diceret *Scio*, proculdubio mentiretur, & non tantùm esset reus sigilli violati illicitè. Quia affirmando, se illud scire, implicitè denotaret ob circumstantias adiunctas se scire ad dicendum alijs, quod est falsum, & contra mentem ipsius, qui rectè novit se illo modo rem, de qua est sermo, non scire. Et quidem si id explicitè proferret, & affirmaret, se scire ad dicendum alijs, nemo dubitaret, eum mentiri. Perinde autem est quoad hunc effectum idipsum proferre implicitè, quia in veritate, aut falsitate semper sibi consonant, quæ solùm differunt in significando penes explicitum, & implicitum.

38. Tum vlteriùs. Quia significatio illa implicita audientibus, atque interrogantibus accommodanda esset, ne illam ignorantes decipiantur, & verba mendacium significent ipsis, qui solam explicitam significationem norunt, & implicitam, neque intelligunt, neque percipiunt. Quòd si illis omnino ignota esse potest, & adhuc mendacium vitatur, omnisque iniquitas, non appareat, quid conferre possit, vel quare desideretur, quòd re ipsa adsit, & dignosci possit ab alijs, seu prudentibus, seu imprudentibus, quibus non loquimur, nec de tali loquutione quidquam sciunt. Sat enim erit, quòd restrictio à Deo cognoscatur pensanti verba nostra, non prout foris sonant; sed secundum intentionem, qua proferuntur ex animis, & cui non est minus patens insensibilis limitatio, quàm sensibilis. Quòd verò insensibilis, ac purè mentalis à nullo possit percipi, non obest, sed potius iuvat, cùm mentem nostram omnibus occultare teneamur, vel ius habemus illam occultandi. Obesset autem quàm maximè, si absque mendacio, vel fallacia non possemus illam occultare omnino, etiam prudentibus inique interrogantibus, vt in contraria sententia necessariò contingit.

39. Vnde arguo tandem. Quia prudentes, ac expendere valentes vim circumstantiarum in sententia ista, audito v. g. verbo *Nescio* ex ore Confessarij, statim deprehendent, signifi-

cationem sensibilem eius vocis in illis circumstantijs non esse explicitã illam negativam omnis scientiæ, quam alioqui præseferre solet; sed aliam magis implicitam, qua restrictio denotatur ex hominum impositione, aut vsu, & perinde apud eos esset respondere tantùm *Nescio*, ac dicere exprimendo restrictionem, *Nescio scientia licitè communicabili.* Quia eæ voces idem significant sensibiliter in illis circumstantijs, iuxta hos Auctores, & sola differentia impliciti, vel expliciti non variat significatum, neque aliud facit intelligi vox *animal rationale*, quàm *homo*, licet inter se comparentur tanquam explicitum, & implicitum. Ergo agẽdo cum prudentibus, ac scientibus significationes vocum explicitas, & implicitas, ille modus respondendi penitus erit inutilis ad occultandà secreta, & evitanda alia præiudicia; & tamen cum istis agimus sæpesæpius, & eis maximè debemus, vel iure possumus occultare mentem nostram, cùm contingunt isti casus.

40. Nec multò plus idem prodetit, quamvis cum simplicioribus agamus. Quia eadem notitia ex sapientibus ad istos facillimè derivabitur, & nota erit apud populum significatio illa implicita, vt notæ esse solent aliæ captu difficiliores, & non adeò necessariæ. Quippe rudibus etiam, ac idiotis occurrit passim necessitas occultandi absque mendacio sua secreta, vel audiendi alios sua occultantes, & proinde recurrendi ad sapientes, vt ab eis edocti discant, quando verbis apparenter falsis vti liceat, & quando vti non liceat: & quod proprio ingenio assequi non possunt, adiuti instructione aliena sufficienter penetrabunt, ne loquendo mendaciter decipiant, aut ne audiendo incautè decipiantur.

CAPVT V.

Qua ratione restrictio purè mentalis adhibita ex causa idonea excusari possit à mendacio?

41. RAtionem, excusationẽque attigimus *num.* 26. inde petitam, quòd ex terminis vocalibus, ac mentalibus vna oratio constrvi potest in se vera, quamvis voces cõponentes ipsam falsæ sint, si absque vllo addito, tàm interno, quàm externo, & per modum orationis integræ à loquente proferantur. Porrò hanc ipsam rationem, excusationemque exhibuit S. Gregorius *lib. 26. moral. cap. 7.* defendendo B. Iob à mendacij calumnia sibi impacta. *Quid*, inquit, *obest, si à rectitudine veritatis humano iudicio verba nostra superficie tenus discrepant, quando in cordis cardine ei compaginata concordant? Humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant; Divina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis; apud Deum verò verba pensantur ex corde.* Locus valde expressus est; sed diminutè relatus à Gratiano *in cap. Humanæ aures. 22. q. 5.* omisit enim priorem eius partem, quæ maximè ad rem conducit. Ex eo autem ad propositum S. Thomas peracutè intulit *2. 2. q. 89. art. 7. ad 4.* quoties diversa est intentio iurantis, & illius, cui iuratur, quamvis eadem verba vsurpent, secluso dolo, iuramentum obligare, non prout ab alio intelligitur; *sed secundum intentionem iurantis.*

42. Vnde sic à priori disputo. Sola falsa significatio verborum non sufficit ad mendacium absque intentione

tione

tione fallendi, vt ex recepta illius definitione patet. Sed in nostro casu loquens, falsam verbi significationem non profert cum intentione fallendi: nam, si hoc faceret, proculdubio mentiretur; sed solùm cum intentione proferendi quamdam sui conceptus partem, & occultandi aliam, quam absque magno præiudicio manifestare non potest. Ergo re vera non mentitur coram Deo, qui eius intentionem novit, etsi hominibus, qui illam ignorant, aliud videatur. Neque enim ideò mentitur, quia alij ipsum mentiri censent; sed, si rectè sapiant, solùm mentiri censebunt, cùm independenter à iudicio proprio ipsorum apud Deum inspectorem cordis, & verba ex illo pensantem sit veritatis desertor.

43. Explicatur. Qui iusta necessitate coactus dicit cum restrictione mentali, se non feciſſe, quod fecit, nõ profert ea verba cum intentione negandi factum secundum se, & absolute, nec cum intentione affirmandi, se habere intra mentem iudicium absolutè negativum talis facti, aut persuadendi alteri se illud habere; sed solùm cum intentione occultandi veritatem facti, negando ipsum, non vtcumque; sed cum addito restringẽte, ac verificante negationem eius. Ergo re vera non loquitur, prout opus est ad mendacium, cum intentione fallendi. Quippe vox illa *Non feci*, quantum est ex se præcisè, indifferens est ad negandum cum addito, & absque illo, nec mendax censeri potest, nisi constet absque vllo addito prolatam esse. Atqui id non constat præcisè ex prolatione illius: nam alioqui ille, qui fecit alia die id, de quo loquitur, & proinde dicit veraciter *Non feci heri*, mentiretur statim, ac dixit *Non feci*, neque vlteriùs esset spectandum, an quidquam aliud adijciat, quo sua verba restringantur, & ita verificentur. Deinde nec constat ex eo, quòd additum sit occultum, nam quod est occultum alijs, non est occultum loquenti, & id sufficit, vt ipse intendere possit loqui in isto sensu, & non in alio. Ergo, sive restrictio verificans sit publica, seu prorsus occulta, semper aberit intentio fallendi.

44. Obijcis tamen. Cùm quis manifestè negat, se feciſſe illud, quod fecit, negatio verbalis non cadit supra id, quod in mente retinet; sed præcisè supra illud, quod voce, ac verbis expressérat. Sed hoc modo non expressérat, nisi factum absolutè; non autem factum hesternum. Ergo factum absolutè negat, quod est proculdubio falsum. Nam licet in mente addat vocabulum istud *heri*, illud non restringit orationem ore prolatam, cùm non sit pars, modificatio, aut complementum eius. Neque negatio vocalis supra factum ex vi illius modificatum valet cadere, quantumlibet id loquens intendat; sed præcisè afficit verba exteriùs dicta, quæ per se integra, ac totalia sunt in genere signi sensibilis, & apti ad loquendum cum alijs, & per verba insensibilia, vtpote inepta ad hunc finem, nequaquam possunt compleri. Qua ratione neque ex verbis partim scriptis, & partim voce prolatis vna oratio potest perfici: nam scripta ex conceptu suo ordinantur ad agendum permanenter cum hominibus; voces verò raptim transeunt, & id tantùm per scriptum legenti manifestatur, quod post ipsam calamo exaratum remanet.

45. Suadent ista; sed non plenè persuadent. Tum quia independenter ab hac quæstione omnes admittere debent, posse ex terminis vocalibus, ac mentalibus tanquam ex partibus se mutuò afficientibus, ac iuvantibus vnam orationem integrari, si ita lo-

quentibus placeat diversa signa cõponere, & illa inter se miscere: idque S. Gregorius appellatus *num.* 26. annotavit, nullo refragante ex interpretibus, vsitatum esse aliis Prophetis, & Ezechieli contigisse, dum suum librũ inchoavit à coniunctione *&*, quæ est continuativa præcedentium. *Verbum*, ait, *quod foris protulit, illi verbo, quod intùs audierat, coniunxit. Continuavit ergo verba, quæ protulit, visioni intimæ, & idcirco incipit dicens: ET FACTVM EST.* Tum rursus, quia Sacramenta etiam collocantur in genere signi sensibilis; & nihilominùs ex rebus sensibilibus, & insensibilibus adæquatè componuntur, vt Eucharistia ex speciebus visibilibus, & Christi corpore, quod nullo sensu ibidem potest percipi. Et, quod plus est, invisibilia ipsa, vt corpus Christi in Sacramento, & in Baptismo, aut Ordine character, dicuntur res, ac Sacramentum simul, hoc est, signum, & res significata, etsi Christus sit ibi invisibilis, & character spirituale quid, ac merè internum.

46. Tum vlteriùs, quia Missa non est vna per meram aggregationem, vt lapides in acervo; sed totum quoddam artificiosè compositum, seu *compaginatum*, sicut paginę coordinantur in libro, vt vtar Gregorij verbo; & tamen non solùm constat ex vocibus intelligibiliter prolatis; sed ex orationibus partim vocalibus, partim mentalibus, partim alta voce prolatis, & partim dictis secretè. Tum præterea, quia in contractibus, aliisque dispositionibus sæpe vna oratio completur ex verbis dictis, ac quibusdam tacitis, quæ ex dispositione iuris, aut loquentium consuetudine supplentur, vnde illæ vulgares paræmiæ dimanarunt: *Taciti, ac expressi eadem est virtus*: &, *conditiones, quæ insunt tacitè, actum conditionalem non reddunt*; id autem nullo iure, aut consuetudine introduci posset, si naturis extremorum repugnaret, & ex dictis, ac non dictis nequiret adintegrari vna oratio, cuius expressum, ac tacitum forent partes componentes. Tum denique, quia similis constructio fieri valet (cùm sint signa eiusdem ordinis) ex vorbis partim voce ab alijs perceptibili, partim imperceptibili intra os prolatis, vt siquis dicat intelligibiliter, se non fecisse homicidium, submissè interpolando adverbium *heri*; & tamen quæ sic proferũtur, cùm ab alio audiri nequeant, vt sic nihil ei significant; sed perinde se habent, ac si intra mentem consisterent, quoad effectum informandi illum de tota mente loquentis.

47. Negari itaque non potest, ex genere, ac natura sua nullatenus repugnare, quòd ex terminis partim vocalibus, partim mentalibus tanquã ex partibus se mutuò adiuvantibus, ac suo modo perficientibus, vna oratio ex ipsis mixta à loquente componatur, eamque esse signum sensibile, quamvis altera pars eius insensibilis sit: ita enim homo à deteriore sui parte sensibilis, ac corporeus dicitur, & ita etiam Sacramenta verè sunt, & meritò appellantur signa sensibilia, licet altera eorum pars sensu percipi non valeat. Nec restrictio merè interna, ex eo quòd sit per se occulta, & proinde inepta ad colloquendum cum alijs hominibus, inepta redditur ad componendum cum vocibus vnum signum, quo aliquis loquatur hominibus de ea parte obiecti, quam voces significant, & secũ ipso, aut cum Deo de toto obiecto quod in mente habet. Nam sicut orando sæpius nobiscum, aut cum Deo loquimur purè mentaliter, aut purè vocaliter, sic ex vtrolibet loquendi modo vnam loquutionem mixtam possumus compaginare. Fit autem loquutio interior, seu totalis,

seu

ſeu partialis, formando intra ſe conceptus vocabulorum ſignificantium ad placitum in eo idiomate, quod quiſque novit, ſicut efformãtur priùs quàm exterius propaletur, quod intra cor agitamus, vt quilibet apud ſe experietur, & rectè explicat P. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de orat. cap. 3. num. 13.*

48. Quæ cùm ita ſint, nequaquam admitti debent, quæ ex oppoſito principio *num* 44. aſſumebantur. Veritati namque diſſonat, vt iam vidimus, voces externas nõ poſſe reſtringi ab addito retento in mente, quia cum eo non poſſunt vnum ſignum integrare. Nec veriùs aſſumitur, cùm aliquis negat, ſe id feciſſe, quod licitè manifeſtare non valet, negationem cadere non poſſe ſupra factum vt modificatum reſtrictione merè interna: cadit enim ſupra totum prædicatum propoſitionis internæ iuxta intentionem loquentis, qui de ea ſola loqui intendit, quamvis partem eius ſupprimat. Nam hic eſt vnus ex caſibus, vbi taciti, & expreſſi eſt eadem virtus, iuxta parœmiam vulgarem, & quo verba generalia ad evitandum abſurdum iuſta interpretatione reſtringuntur, & reputantur prolata cum limitatione quadam, etſi earum vniverſalitas apparenter eam excludat. Sic promiſſiones, ſic leges vocibus expreſſæ generalibus, ex. g. lex *non iurandi omnino*, ſine mendacio dictæ, aut ſcriptæ intelliguntur, & cum exceptione tacita, dum per epicheiam poſteà corriguntur, & menti, ac intentioni proferentium potiùs ſtatur, quàm verbis illimitatis. Sicque in ſententia contraria negatio explicita ſæpius afficit reſtrictionem merè implicitam, ac voce prolata tacitam, & publica adeò ſubmiſſè dictam, vt quemadmodum Annæ contingebat 1. *Regum* 1. 13. loquentis *vox penitus non audiatur*. Quocirca etiam quæ ſcribuntur, poſſunt reſtringi, aut ampliari viva voce, quamvis ſcriptura ſit permanens, & vox tranſiens; imò hoc ex longè facilius, cùm vtraque ſit ſignum ſenſibile, & vox poſſit in hominum memoria conſervari, vt ita ad poſteros tranſeat.

49. Quòd ſi ſcripta vocibus reſtringi valent, mente etiam reſtringi poterunt, atque ita fit, cùm ſcribuntur voces reſtrictæ mentaliter, v. g. eæ, quibus aſſeruit Chriſtus, ſe neſcire diem iudicij, & aliæ ſimiles, quarũ mentionem *cap.* 2. facimus. Nam quòd reſtrictio in eo caſu ſit legentibus occulta, ex dictis nequit obſtare: ſicut non obſtat, quòd aliquis ſcripſerit verbis æqui vocis falſis in ſignificatione communiter vſitata; veris autem in alia extraordinaria intenta ab ipſo, quamvis illorum veracitas vnicè pendeat ex interna, ac per ſe occulta, & tranſeunte voluntate ipſius, qui ijs vocibus vti voluit in eo ſenſu, & non in alio. Sat eſt enim ad præcavendum mendacium, quòd voces ſcriptæ, aut prolatæ à veritate nõ diſcrepent in ſenſu intento ab Auctore, & propterea SS. PP. ibidem laudati ſemper ad intentionẽ ipſius, tametſi occultam, confugiunt, vt veracia eſſe putentur verba in ſenſu noto falſa.



CA-

CAPVT VI.

An semper mentiatur quisquis dicta sua verificare contendit per restrictionem mentalem?

50. VIdetur semper mentiri,&,quod hinc sequitur,nulla ex causa cohonestari posse hoc genus artificij, quantumvis illo vtantur Confessarij, Consiliarij, vel Legati Principum, aut quicumque alius, qui directè respondere cogitur ad ea,quæ sibi non licet alteri manifestare. Nam qui contra mentem loquitur,eo ipso mentitur;ita autem se gerit ille, qui dicta sua verificare cõtendit per restrictionem mentalem. Esto namque in mente habeat, non solùm iudicium affirmativum, quo dicit, se scire eam rem, de qua est quæstio; sed aliud negativum, quo enuntiat, se illam non scire scientia licitè manifestabili,id non tollit,quominùs dicendo *Nescio* contra iudiciũ affirmativum loquatur. Scire quippe, atque nescire contradictoriè opponuntur, & qui absolutè dicit, se nescire, si verè loquitur, audienti affirmat, se habere in mente iudicium vniversale negativum omnis scientiæ,de qua est sermo,nam alioqui nõ esset nesciens; sed sciens. Atqui hoc iudicium non habet; sed contrarium eius. Ergo menti suæ contradicit, atque adeò incurrit mendacium.

51. Cœterùm hoc argumentum omnibus solvendum esse, & contra nos specialiter non militare,sed contra Sacram Scripturam, vbi similia dicta Christi,aliorumque Sanctorum nobis in exemplum proposita passim reperiuntur,patet ex hucusque dictis, præsertim *cap.*4. Illi autem occurrit optimè Magist.Bañez vbi suprà,maximè *ad* 1. *&* 4. *fol. mihi* 291. *col.*2. admonens cum D.Thoma,vt reus in his angustijs constitutus *vtatur amphibologica loquutione, quæ possit verificari secundum suam mentem.* Nam mentietur, si intentionem habeat loquendi absque restrictione, quamvis causa subsit adijciendi illam. Non mentietur autem, neque menti suæ repugnabit, si cum restrictione adiecta loqui intendat, quia scire absolutè, & non scire peculiari aliquo modo,contradictoria non sunt;sed simul verificantur. Vnde is solus contra mentem loquitur, qui absque vllo addito verificante vult dicere, se nescire,quod novit,aut nõ feciſſe,quod fecit. Nam tunc ea verba significant contradictorium eius,quod in mente habet, & carentia additi facit, vt sumantur absolutè tanquam oratio totalis verificanda in eo sensu, quem verba sic sumpta faciunt. Qui autem talia verba intendit vsurpare,non nisi cum addito, & prout illi subsunt, eis non vtitur in hoc sensu totali; sed in alio,cuius etiam sunt capacia, scilicet per modum partis cum addito componentis aliam orationem integram ex cuius veritate, aut falsitate æstimetur earum veritas,aut falsitas, non verò ex ipsis acceptis secundum se,ac solitariè.

52. Sed instabis primò.Esto hęc sint vera, cùm additum voce profertur,nullatenus sustineri posse, cùm in mente retinetur. Quia virtus veracitatis non præcipit conformare mentem menti;sed verba exteriora menti. Atqui conformitas ista inter verba ex vna parte, & mentem loquentis ex alia, in hoc casu apertè deficit, cùm verba negativa scientiæ, aut facti proferantur absolutè, & absque addito verbali; mens autem non absque addito illud neget; sed cum addito. Ergo deest illa conformitas, quam

quam loquenti præcipit veracitas. Neque enim talia verba conformãtur, negativa cùm sint, conceptui affirmativo scientiæ, aut facti: nec conceptui negativo, quia ille restrictus est, ac limitatus, v. g. ad factum diei hesternæ; hæc verò, prout ab illo condistincta, penitus illimitata. Igitur, inspectis omnibus, nulli conceptui interno conformantur.

53. Respondeo primò. Veracitas, vt prohibitiva mendacij, conformitatem positivam vocis, ac mentis non præcipit; sed vetat difformitatẽ, oppositionemque vtriusque in significando; in obiectione autem confunditur præceptum negativum non loquendi contra mentem, quod propriè ad mendacium spectat, & semper, ac pro semper obligat, cum præcepto affirmativo conformandi verba menti, integrè, ac plenè, quod solo silentio infringi potest, & non obligat, cùm ius habemus occultandi, quod in mente latet. Respondeo secundò, inde non tolli restrictiones vocales merè occultas, imperceptibili scilicet voce prolatas: quia tunc non sola mens menti; sed verba exteriora menti adæquatè conformantur; his autem admissis vt quandoque licitis, ad eas, quæ sunt merè internæ, nullo negotio fit gradus. Nam ex vtrisque componi potest vna oratio, vt anteà vidimus, cuius pars sint verba publica; & quod purè mentales sint audienti occultæ, vocalibus etiã officeret, cùm adeò submissè dicuntur, vt vox prorsus non audiatur. Quocircà dum ex præcepto affirmativo tenemur palam, & apertè confiteri veritatem, v. g. quia iuridicè fit nobis interrogatio, tàm non prosunt ad evitandum peccatum commissionis, occultationisve illicitæ restrictiones vocales mere occultæ, quàm purè internæ, ac mentales.

54. Respondeo denique, veracitatem non semper præcipere, vt verba exteriora menti adæquatè conformentur; possunt enim conformari inadæquatè, & sicut quandoque per eam licet silere omninò, & nulla verba menti conformia proferre, sic etiam quandoque est licitum, imò interdum necessarium ad evitandam perplexitatem conscientiæ, interrogantem eludere, dicendo quædam, & tacendo alia, vt S. Gregorius cum Clemente præmonebat *num.* 10. appellatus. Ita autem in præsenti contingit, quia verbum *Non feci* inadæquatè conformatur conceptui interno, imò & vocibus, quibus dicitur *Non feci heri.* Quòd verò adverbium *heri* supprimatur, partiali huic conformitati non obstat, si intentio loquentis sit vti his vocibus per modum partis expressivæ illius conceptus, & ius habet occultandi alteram. Nam eiusmodi suppressio solùm removet totalem conformitatem, cuius defectus non præstat, vt verba opponantur menti neganti cum restrictione, aut quòd eiusdem restrictionis negativa sint; sed duntaxat vt interroganti per silentium occultetur, quod absque contrarietate verbi, ac mentis fieri valet. Aliud enim est tacere, & occultare mẽtem nostram, vel ex toto, vel ex parte, & aliud ei contradicere. Nam qui tacet, per se loquendo, & ex terminis nihil dicit, ac propterea neque contradicit: impossibile enim est, vt qui non loquitur, de eo quod non loquitur, contra mentem suam loquatur.

55. Instabis iterum, quamvis eiusmodi verba absque vocali restrictione accepta non contradicant cõceptui deneganti tale factum cum restrictione, ex hoc ipso necessariò resultare oppositionem ipsorum cum conceptu affirmativo facti, quia iste affirmat, quod hæc negant, & vtrobique absque addito. Respondeo negando

gando antecedens, quia, vt ex sæpius dictis patet, eiusmodi verba sumpta in sensu inadæquato non opponuntur conceptui illi affirmativo, nec de eo loquuntur, nec significant latere in mente conceptum negativum ei cõtrarium, sed tunc solùm cùm sumuntur in sensu integro, ac totali. Qui autem vtitur verbis vno sensu veris, & in alio falsis, non dicit vtrumque, nam alioqui simul verum diceret, & mentiretur; sed id duntaxat, quod vult vi illorum significare, quod si verum sit in sensu ab ipso intento, mendacium præcavebitur, deeritque intentio fallendi, quamvis in sensu ab ipso non intento falsa sit significatio. Atque ita evenit illis, qui vtuntur verbis æquivocis, etiam in sensu parum vsitato, & his, qui in sensu litterali loqui nolunt, sed in sensu mystico, allegorico, parabolico, vel figurato, qui non mentiuntur, quamvis sensus historialis sit falsus, *& ea, quæ gesta non sunt, tanquam gesta narrentur*, vt eisdem verbis vtar, quibus S. Augustinus rem istam ex professo declarat *lib. contra mendac. cap.* 10. putans, non fuisse mendacia etiam fabulas Æsopi, sicut mendacia non sunt apologi, quibus interdum & Sacra Scriptura vtitur, *iudicium* 9. 8. vbi ligna sibi mutuò loquentia introducuntur, & de Rege deligendo inter se deliberantia.

56. Pendet igitur ex voluntate, ac intentione loquentis, quo sensu verba sua proferat, cùm vtriusque sensus sunt capacia, & exinde mensurari debet, an iuxta, vel contra mentem loquatur, non verò ex ipsis acceptis præcisè, prout foris sonant, seu secundum se, & abstractè. Vnde optimè Iurisconsultus *vna L. In ambiguo 3. ff. de rebus dubijs*, sic scribebat. *In ambiguo sermone non utrumque dicimus, sed id duntaxat, quod volumus. Atque qui aliud dicit, quàm vult, neque id dicit, quod vox significat, quia non vult; neque id, quod vult, quia id non loquitur.* Sed & in iure Canonico eadem regula præscribitur à Cœlestino III. *in cap. In his* 15. *de verb. signific.* ibi: *Non debet aliquis considerare verba,* (vtique nudè, & abstractè) *sed voluntatem, cùm non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire.* Atque ideò legislatores non mentiuntur, quamvis generaliora verba proferant, quàm sit sua intentio obligandi; sed ex mente ipsorum vndecumque deprehensa intelligimus, ea fuisse cum tacita restrictione absque mendacio prolata, vt circa præceptum illud Christi Matthæi 5. 34. *Ego autem dico vobis non iurare omnino*, ponderabat Augustinus relatus *num.* 33.

57. Quare & Sancti Ecclesiæ Patres iam anteà adducti, & expensi, & maximè S. Gregorius, Sanctusque Thomas huic vni principio insistunt, vt excusent à mendacio plurima verba, quæ alioqui deberent censeri falsa. Vnus nunc pro mille fideiubeat S. Augustinus *serm.* 11. *de verbis Domini, cap.* 8. vbi notat, in Divinis litteris plura diversimodè, & *clausè*, vt ait, esse prolata: *Vt discamus res verbis, non rebus verba præponere, nihilque aliud in loquente quærere, nisi voluntatem, propter quam insinuandam verba proferuntur.* Quocirca si quis Sacerdos verba consecrationis proferret cum intentione dicendi: *Hoc est corpus meum pictum*: re vera non consecraret: nam licet totam formam consecrationis protulerit statim, ac pervenit ad pronomen illud *Meum*, voluntas eius non fuit vti eis verbis tanquam oratione integra, & in se completa, sed vt partibus alterius orationis falsæ idemque contingeret, quamvis subitò obmutescens, vel mutata voluntate, ex qua alia verba processerant, non exprimeret

meret adiectivum *pictum*; sed sisteret in solis alijs. Quòd si vice versa totam formam absque addito dicere voluisset, quamvis verbis iam prolatis, mutata voluntate in continenti adderet, *pictum*, ea mutatio veritati consecrationis non obstaret.

58. Instabis 3. Cùm quis absque idonea causa loquitur cum restrictione merè interna, re vera mentitur, nam alioqui nunquam mentiretur, nec adiecto iuramento esset periurus, qui loquitur cum restrictione mentali. Et tamen ille etiam potest vti hoc ipso artificio componendi verba interna cum externis, & vtendi his per modum partis. Ergo illud per se non sufficit ad evitandum mēdacium. Sed instatur argumentum, non solùm quia sæpe ex causa licitum reddi solet, quod alioqui esset illicitum, vt iurare, aut occultare mētem nostram vtendo verbis æquivocis, verùm etiam, quia in hac ipsa materia, qui sine causa dicit, se nescire, quod novit, mentitur iuxta adversarios; & nihilominùs etiam iuxta ipsos non mentitur, si compulsus ad loquendum idem dicat ad secretum naturale servandum.

59. Respondeo deinde concedendo ex dictis *differt.* 14. maximè *cap.* 6. cum, qui huiusmodi artificio vtitur, nulla idonea causa id exigente, certissimè peccare, atque mentiri, saltem moraliter, & reductivè; imò omnino propriè, atque in rigore physico, vt *à num.* 52. ibidem ostendebatur: fallaciter enim loquitur, & dum indebitè restrictionem occultat, illam pro non adiecta haberi facit. Nego tamen, idem esse, cùm idonea causa subest permittendi deceptionem alterius, & non manifestandi mentem suam, nisi ex parte. Ratio autem disparitatis est, vt alias prætermittam, quæ ex ibidem dictis sumi valent: quia sic loquens, deficiente gravi causa, ideò mentitur, quia simulat se loqui veraciter, cùm legibus veracitatis contradicat, sive affirmativè præcipientibus integram conformitatem verbi, ac mentis in illis circumstantijs, seu negativè prohibentibus occultationes merè voluntarias restrictionum verificātium dicta nostra, ne proximi deceptio contingat occasione à nobis data. Is verò, cui causa favet occultandi ex parte mentem suam, haud immeritò significare potest, se loqui veraciter, & in actu exercito id affirmat. Quia neque ex præcepto affirmativo loquendi syncerè, ac candidè tunc tenetur totam mentem suam cum præiudicio secreti integrè manifestare; neque ex præcepto negativo non decipiendi proximum, nam deceptio illius, si fortè eveniat, non est data; sed accepta, atque permissa duntaxat; neque demum ex præcepto non mentiendi, quia contra mentem non loquitur, sed iuxta illam, tametsi inadæquatè, & verba ipsius sunt veracia in oratione totali, quam simul cum restrictione componunt, licet iudicio humano falsa appareant, quia considerantur superficie tenus, & prout foris sonant; non verò secundum intentionem loquentis, & sicut prodeunt ex intimis cordis nostri penetralibus.

CAPVT VII.

Cur mendacium nulla ex causa liceat; secùs autem loquutio verificata per restrictionem tacitam, occultève prolatam?

60. HVic difficultati insistit præ cæteris Card. de Lugo *disp. 4. de Fide. num.* 62. esto enim putet, subtilique ratione confirmet

num. 65. in prædictis loquutionibus non inveniri mendacium formaliter, ac propriè tale; sed solum materiale, ac improprium, nihilominùs contendit frustra iure naturali veritum fuisse mendacium quacumque ex causa prolatum, si eiusmodi loquutiones liceant. Vsus namque illarum eodem modo, quo mendacium, impedit fidem audientium, & tollit auctoritatem loquentium, & cùm nullo externo signo ab illo discernantur, peræquè decipiunt proximum, ac si mendaciter prolatæ essent. Ergo sicut naturale præceptum non mentiendi semper, ac pro semper obligat, & tàm comprehendit mendacia dicta sine causa, quàm prolata ex illa quantumcumque honesta, aut necessaria fingatur, ita pariter præceptum non vtendi loquutionibus mente restrictis. Nam in casu, quo illæ licent, prohibitio mendacij omnino inutilis esset, satiusque propterea foret illud non prohibere in istis circumstantijs, quàm, eo vetito, permittere alterum loquendi modum ipsi penitus assimilem, & prorsus æquipollentem.

61. Cœterùm hoc argumentum multipliciter retorquetur, & instatur: Tum ex his, quæ proposuimus *cap.* 4. quia idipsum opponi posset praxi contrariæ sententiæ, cùm ab hac nostra non differat; sed idem sit in vtrâque modus eludendi audientes, eadēque verba, dum occurrit necessitas occultandi secretum, & directè respondendi his, qui de illo sciscitantur: Tum quia non sequuntur alia, nec maiora incommoda contra fidem adhibendam ab audientibus, aut cōtra auctoritatem loquentium ex restrictione mentali, quàm ex eo, quòd quis loquatur verbis falsis in sensu litterali, ac noto audientibus; sed veris in sensu mystico, vel figurato dependente ex sola voluntate illius, ac prorsus ignoto cœteris. Et nihilominus is modus loquendi, etsi primo aspectu mendax videatur, ex causa non est prohibitus; sed verax iuxta intentionem loquentis, & in Divinis etiam litteris frequenter vsitatus ab illis, qui commendantur de perfectione virtutis, & nobis proponuntur in exemplum; imò & ab ipso Christo, cùm finxit, se longiùs ire, & dum interrogabat quasi nesciens, an eum aliquis tetigerit, vel vbi Lazarus sepultus fuerit. De quo plenè *cap.* 2. maximè ex *num.* 14. cum Augustino, S. Thoma, & alijs Patribus, quin exinde deducatur, quoties licet occultare mentem propriam eo modo significandi, etiam mendacium licere.

62. Tum præterea, quia generalis prohibitio mendacij in quocumque eventu nequit reputari inutilis ex eo, quòd interdum liceat vti verbis adeò ambiguis, vt loquutio verax à mendaci nequeat exteriùs discerni. Ita enim evenit, dum quis vtitur verbis æquivocis in vna significatione falsis, & in alia veris: neque enim dicit vtrumque; sed quod vult. Quid autem velit, occultum est, cùm nullo externo signo discernatur, sed ex merè interna voluntate ipsius vnicè pēdeat. Tum demum, quia suffragante idonea causa, etiam licet, quin proinde liceat mendacium, vsurpare verba ambigua, & contra mentem audientis, & in significatione valde extraordinaria, quam ipse forsitan nescit: vt siquis innocens in domo absconditus quæratur à satellitibus puniendus vt malefactor, & interrogātibus, vtrùm sit domi, respondeat alius, non esse, accipiendo verbum *esse* pro *comedere*, vt quandoque à Latinis vsurpatur. Porrò quidquid est incommodi in restrictione mentali, in istis etiam occultationibus cernitur. Nam re vera vsus illius ad intentionem loquentis, & ambiguitatem vocis revocatur, quæ duas habet

bet significationes, modosve significandi, quorum vnus verus est, & alter falsus. Verus, cùm voces sumuntur tanquam oratio partialis; falsus autem, cùm sumuntur tanquam oratio completa, & iuxta diversum modum mẽti suæ adæquatum, vel inadæquatum, quo loquens eis vti intendit, nunc licitæ, nunc illicitæ censeri possunt, vt alijs ambiguis evenit.

63. Respondeo insuper, non frustra prohibitum esse mendacium, etiam prolatum ex quacumque gravi causa, quamvis mentalis restrictio ex eadem causa honestetur. Quia mendacium intrinsecè malum est, & à se omnino inseparabilem oppositionem continet cum societate humana, sicut furtum, homicidium, detractio, scandalizatio, aut supplantatio alterius. Quæ omnia præceptis negativis prohibentur, & semper, ac pro semper vetantur, licet causa idonea interdum faciat, vt actiones eis alioqui oppositæ, non iam oppositæ, sed iicitæ censeantur, & malitiam omnem exuant. Sic nunquam furari licet ex quacumque causa, aut in quacumque necessitate; & nihilominùs in necessitate extrema licet rem alienam sibi assumere, non quia tunc furari liceat; sed quia talis acceptio non est furtum in illis circumstantijs. Similiter nunquam licet detrahere famæ alienæ, etiam ex causa; ea tamen facit, vt detectio alieni criminis, & notitia illius alteri communicata, quæ alioqui foret detractio, nec sit detractio, nec actio vlli malitiæ subiecta. Pariterque in homicidio, scandalo, vel deceptione activa proximi cõtingit, quin frustra adhibeantur ea præcepta. Ita ergo evenire dicimus, cùm verba alioqui mendacia, aut fallacia proferuntur ad evitandam perplexitatem conscientiæ, aut ex alia causa gravi, & restrictio verificativa ipsorum occultatur: id enim licet, non quia causa faciat, vt mendacium, vel deceptio activa proximi liceant; sed quia præstat, vt mendacium, aut fallacia non sit, quod aliàs mendacium, vel fallacia esset.

64. Iam verò quòd actus mentiendi intrinsecè malus sit, & ex nulla causa cohonestabilis, exinde planè suadetur, quia in conceptu suo essentiali, vltra vocis significationem falsam in existimatione loquentis, importat intentionem fallendi, vt ex recepta ipsius definitione patet. *Nam culpa mentientis est in enuntiando animo suo fallendi cupiditas*, & quia nullus esse potest *honestus deceptor aliorum*, ideò nullum genus mendacij dari potest excusabile à peccato, vt disertis verbis S. Augustinus proponebat *differt. 14. num. 20. & num. 52.* appellatus. Atqui fallendi cupiditas, seu voluntas decipiendi proximum semper, & in omni eventu turpis est, sicut decipere, ac fallere, quod est opus, seu obiectum eius. Ergo mendacium includens in suo conceptu formali eiusmodi voluntatem semper erit turpe intrinsecè, quin vlla de causa valeat illam malitiam exuere, qua societati creaturarum rationalium nocet, tollitque confidentiam illam mutuam, qua inter se debent tractare, & dictis aliorum fidere. Quòd si aliquando illam exuit, & fallendi voluntate destituitur, eo ipso desinet esse mendacium, deficiente scilicet constitutivo illo, quod in cõceptu ipsius est principalius, nam vt S. Thomas scribit *quodlibet. 6. art. 17. corpore: Peccatum mendacij principaliter consistit in intentione fallendi.*

65. Et hinc est, vt eius vsus semper sit pravus abusus repugnans primario fini, atque institutioni signorum. Quia *verba sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant; sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat*, vt tra-

dit, & fusiùs prosequitur S. Augustinus *in Enchirid. ad Laurent. cap.* 22. Atque ex eo ipso insistente eisdem principijs *lib.* 1. *de Doctrin. Christ. cap.* 36. aliam rationem generalem sumere possumus, quam hisce verbis syllogisticè describit. *Nemo mentiens, in eo quod mentitur, servat fidem: nam hoc vtique vult, vt cui mentitur, fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat. Omnis autem fidei violator iniquus est. Aut igitur iniquitas vtilis est aliquando, quod fieri non potest, aut mendacium semper inutile est.*

66. Quo tandem patet, rationem prohibendi semper mendacium loquutionibus mente restrictis accõmodari non posse pari generalitate. Accommodabitur quidem, quoties illæ proferuntur cum intentione fallendi, & tunc eadem est ratio, eademque incommoda civilis conversationis, ac par signorum abusus repugnans fini primario, propter quem sunt instituta, semperque ibidem violabitur præceptum non decipiendi proximum ex conceptu suo latiùs patens, quàm præceptum non mentiendi; sed obligationis valde assimilis, vt *differt.* 14. *à num.* 30. declarabã. Cœterùm hoc est discrimen, quod mendacium à voluntate fallendi nũquam separari valet, quia culpa mentientis est fallendi cupiditas, & nemo mentitur, nisi velit falsum dicere tanquam sibi verum, atque fide dignum apud alios. Loquutio autem mentaliter restricta neque ex conceptu suo importat fallendi cupiditatem, nec cum ipsa inseparabiliter connectitur. Nam qui sic loquitur, non vult dicere falsum sibi notum, aut contradicere vlli iudicio vero ex illis, quæ in mente habet; sed potiùs vult dicere verum, quamvis inadæquatè duntaxat, supprimendo alteram partem suæ orationis non intentione fallendi; sed solummodò occultandi factum, cuius reticendi obligationem, aut idoneam causam habet, & occultari non potest, nisi restrictio occultetur.

67. Sed objicies 1. Intentio occultandi veritatem, quam licitè manifestare non possumus, etiam compulsi, non tollit voluntatem fallendi: nam alioqui nullatenus mentiretur, qui ad aliquod secretum occultandum, vel ne sua propria confessione convincatur, proferret verba significativa falsi, quin vllum additum verum mentale, vel vocale eisdem adiungeret. Sed, retenta voluntate fallendi, semper peccatum committitur, vel mendacij, vel fallaciæ contradicentis præcepto non decipiendi proximum. Ergo hæc species peccati nunquam deerit, quamvis loquutio mentaliter restricta contingat ex fine adimplendi debitum occultandæ veritatis.

68. Respondeo concedendo, eiusmodi intentionem non tollere voluntatem fallendi; sed cum ea componi posse: nam sæpe homines mendacijs vtuntur ad sua secreta occultanda, & ad honestam intentionem implendam eligunt media ex se prava. Fateor etiam, quoties retinetur voluntas fallendi, retineri etiam peccatum mendacij, aut, quod ei æquivalet, eamdemque malitiam continet, peccatum fallaciæ contrarium præcepto non decipiendi proximũ. Nego tamen, illam retineri, cùm ad occultandam veritatem, quam licitè, & absque magno præiudicio manifestare non possumus, & indebitè ad respondendum adigimur, eligimus tanquam medium partem aliquam nostri conceptus exprimere, & restrictionem eius occultare. Tunc enim neque mentimur, neque deceptio alterius est nobis imputabilis, qui cum tanto incommodo illam evi-

evitare non tenemur; sed iure defensionis, vt sic loquar, ei permittimus, vt se ipsum fallat, eligendo ex duobus modis significandi, quos habere potest vox illa *Non feci*, quorum vnus adæquatus est menti loquentis, & alter inadæquatus, cum, qui inadæquatus est, alio relicto: vt accidit in æquivocis habentibus plures sensus, alium publicum, alium occultum, aut plura significantibus, quorum vnum vult dicere loquens, & aliud intelligit audiens.

69. Obijcies 2. Ad peccatum fallaciæ artificiosæ non requiritur intentio formalis, aut voluntas directa decipiendi; sed sufficit interpretativa, & indirecta, sicut satis est ad scãdalum, detractionem, aut mendacium, licet positivè, atque directè nõ ametur ruina moralis, infamia, aut deceptio alterius. Sed voluntas indirecta, aut interpretativa fallendi semper, & vbique involvitur in voluntate loquendi cum restrictione mentali: neque enim separabilis est, aut distincta à voluntate proferendi voces ex sua propria impositione significativas falsi. Ergo sola voluntas sic loquendi inseparabiliter importat eam voluntatem, quæ requiritur, & sufficit ad violandam prohibitionem non fallendi. Confirmatur. Quia negari nequit, eum, qui dicta sua verificat ex restrictione mentali, & scienter loqui contra mentem audientis, & ei præbere magnam occasionem errandi, & vti verbis habentibus maximam speciem mendacij, cùm nihil ab illis differant, quibus vteretur mentiens. Ergo, sive mentiatur propriè, & in rigore, sive non mentiatur, semper illicitè aget, & violabit naturale præceptum non fallendi.

70. Respondeo, solutionem constare ex dictis *suprà num. 27. & 28.* ac plenius traditis *dissert. 14. à num.* 33. Vnde, concessa maiori, nego minorem cum sua probatione, quia voluntas proferendi voces, vno modo significativas falsi, & alio modo significativas veri, non semper secum importat voluntatem decipiendi, etiam interpretativam; sed ab ea distingui, ac separari valet, quoties iusta causa subest deludendi nostra responsione proximum, & permittendi deceptionem eius. Nam quòd in genere id liceat, ostendunt stratagemata bellica, & facta, ac dicta Christi, atque Sanctorum, vnde clarè prævidebant futurum, vt alij errarent, quia latentem eorum sensum, mysticum, aut figuratum, in quo solo verificabantur, neque ex vi verborum, neque ex alijs circumstantijs sibi notis tunc poterant coniectare; sed duntaxat sensum litteralem subsequi.

71. Ad confirmationem fateor, ea omnia contingere, dum quis vtitur restrictione mentali absque valde idonea causa, & ideò, cùm illa deficit, semper abstinendum esse ab eiusmodi artificio, sive eiusmodi obligatio oriatur ex præcepto non mentiẽdi, sive ex præcepto non decipiendi proximum, sive ex præcepto affirmativo vtendi signis externis ea simplicitate, ac candore, quem postulat civilis societas, & commercij humani fides. Cæterùm neque his præceptis ad veracitatem peculiariter spectantibus, neque vllo alio tenemur semper loqui iuxta mentem alterius, neque abstinere ab his loquendi modis, vnde alij sumunt occasionem errandi ex malitia, aut ignorantia, neque præcavere ea signa, quæ superficialiter considerata important mendacij speciem; sed ex causa hæc omnia licent, & mali rationem exuunt: sicut contingit in scandalo, vbi eadem omnino actio, quæ operanti imputaretur ad peccatũ, si absque iusta

cau-

causa fieret, ob causam præponderantem scandalum esse desinit, ac nulli malitiæ subest. Neque amplius opus est in istis immorari, cùm eadem in praxi contingant, etiam contrariæ sententiæ, & sæpe aliàs inveniantur sine piaculo exercita, vt planè habetur ex hucusque dictis, atque confirmatis tot instantijs, & exemplis.

72. Atque ex eis tandem concludes contra P. Arriaga *disp. 4. de Fide. num. 76.* quæ diximus de restrictione mentali, non solùm habere locum in propositionibus negativis, quales sunt *Nescio*, aut *Non feci*; verùm etiam in affirmativis. Affirmativa enim erat illa, qua dixit Iacob, se esse Esau primogenitum Isaac, & qua Raphaël Archangelus asseruit Tobiæ, se esse filium Ananiæ. Qui certè mentiti essent, si absque vllo addito, tàm externo, quàm interno, talia verba dicere voluissent. Ideò autem mẽtiti non sunt, quia Iacob in mente retinebat, se Divina electione, ac privilegio esse primogenitum Isaac; Raphaël verò, se esse filium Ananiæ repræsentativè, ac impropriè. Vterque autem alteram huius sui conceptus partem, etsi apparenter falsam, verbis expressit, & alteram ex causa idonea interiùs occultavit. Et similiter, quamvis certò præviderent, Tobiam, & Isaac esse erraturos, quia penitus ignorabant restrictionem, aut causam restringendi prædictas affirmationes; adhuc illi deceptores non fuerunt, nec simulatores dolosi, aut violatores candoris humano commercio debiti. Quippe neque totam mentem suam aperire tenebantur, neque abstinere ab expressione partiali sui conceptus, vt aliorum errorem impedirent; sed eum permittere poterant, cùm causa adeò iusta subesset nõ propalandi mysterium, quod tacitè gerebatur.

CAPVT VIII.

Vtrùm suprædictis obstet condemnatio Pontificia?

73. SI vel leviter obstare suspicarer, egomet ipsa comburerem, nullius iussione expectata. Sed non obstare persuadetur primò. Quia scopus Pontificis non fuit damnare opiniones communi Doctorum calculo post diligens examen ab antiquo receptas tanquã probabiles, securasque in praxi; sed quasdam alias noviter adinventas, aut noviter suscitatas, cùm iam essent antiquatæ: ita enim expressis verbis habetur in decreto Alexandri VII. edito *die* 24. *Septembris anno* 1665. cuius salubre opus voluit continuare Innocentius XI. vt ipse testatur in decreto, de quo loquimur, vbi prædictam propositionem confixit simul cum alijs. At quòd in aliquo casu vrgentis necessitatis, aut vexationis iniquæ, cui absque incommodo gravi, proprio, vel alieno, aliter occurri nequit, liceant restrictiones tacitæ, occultæ, aut mẽtè retentæ, etiam iuratæ, non est opinio noviter inventa, nec noviter suscitata; sed valde antiqua, & nũquam antiquata; imò iugi continuatione defensa ab auctoribus maximi nominis post diligens, & accuratum examen, vt ex his, quos appellavimus *cap. 1. per totum* affatim constare potest. Non ergo censuræ subiacet prædicta opinio cum illis moderationibus, quibus fuit à nobis tradita.

74. Secundò, quia eadem opinio grave fundamẽtum habet acceptum ex Sacris litteris, & auctoritate Patrum, præsertim Augustini, Gregorij, atque D. Thomæ, quibus eam tribuunt plerique ex auctoribus anteà laudatis. Non est autem verisimile, opinio-

opinionem tot testium omni exceptione maiorum auctoritate vallatam Pontificiâ censurâ inustam esse. Neque credibile est, tot graves Auctores, qui illos in hoc sensu intellexerunt, eisdem attribuisse doctrinam scandalosam, & pernicios am in praxi, vel legisse eos adeò oscitanter, vt ne probabiliter quidem eorum mentem assequuti fuerint. Tentarunt aliqui eorum verba exponere; sed plerisque alijs, qui rem posteà examinarunt, minimè satisfecerunt. Nos etiã de novo addidimus alia non pauca, quæ fortasse videbuntur non esse parvi momenti, si quæstio restringatur ad eos terminos, intra quos est disputata, & ponatur tanquam certum, restrictiones merè voluntarias, aut præponderante causa destitutas semper esse illicitas, atque præceptis veracitatis oppositas: imò in rigore mendaces.

75. Tertiò, quia, vt constat ex dictis, præsertim *cap.* 4. & iam alij Scriptores prænotaverant, opinio affirmans, & negans non differunt quoad praxim externam; sed eisdem omnino verbis vti indulgent Confessarijs, Consiliarijs, aut Legatis Principum, reis iniquè interrogatis, & alijs, qui constringuntur iusta necessitate respondendi, & occultandi secretum, quod in mente ipsorum latet. Fieri autem non potest, vt ex duabus opinionibus, quæ non differunt in praxi, vna sit in praxi pernicios a; altera verò non item. Quare vel vtraque opinio sub hac nota erit prohibita, vel neutra notari debuit. Atqui vtramque esse notatam, & sub præcepto prohibitam, ne vllo in casu ad praxim deducatur, ex his, in quibus conveniunt, nequaquam admitti valet. Ergo potiùs dici debet, neutram tali nota fuisse inustam; sed apud omnes ratum esse debet, in quibusdam evẽtibus talem praxim esse licitam, & solùm erit notandus abusus, & magna laxitas, quæ apud nonnullos subrepsit circa sufficientiam causæ.

76. Quartò suadetur ex dictis *differt. 14. cap.* 1. vbi ostendimus, Pontificem non damnasse mendacij, atque periurij casus singulos sub confixa thesi comprehensos; sed vniversalem, quæ asserebat, loquutiones addita mẽtis restrictione veras, ac iuramento firmatas, ex quocumque fine, aut causa fierent, neque mendacij malitiam, neque periurij contrahere. Porrò nos propositionem istam, sicut iacet, non tuemur; sed eius contradictoriam vt certissimam pro viribus defensamus, ostendimusque ex professo *ibidem cap.* 3. in primis illos mentiri, & propriè, atque in rigore deierare, qui ex intentione fallendi, aut directa voluntate decipiẽdi proximum, vel inducendi ad mẽdacium abutuntur eo artificio, quamvis id faciant ex causa. Ostendimus præterea *ibi cap.* 4. *ac deinceps*, idem omnino contingere, cùm mediante restrictione veritas occultatur, quæ ex præcepto affirmativo fidei, obedientiæ, iustitiæ, aut alterius virtutis candidè, ac integrè debebat manifestari. Et insuper adiecimus, nunquam absque falsitate, eaque sufficiente ad periurium (si iuramentum addatur) contingere eiusmodi restrictiones, cùm in vanum exercentur, sponte, recreationis ergo, vel ex turpi, aut levi causa. Et propterea sicut ad iuramenti honestatem, ac ne in periurium degeneret, tres comites exiguntur, nempe veritas, iustitia, & iudicium, ita pariter ad honestatem cuiusvis restrictionis occultatæ his, quibus loquimur verbis sine restrictione falsis, tres alios comites valdè similes exigimus, quorum nullum postulabat thesis damnata. Imò neque restrictiones purè mentales nominatim exprimit, nec adverbio *purè* vtitur;

sed

sed de mentalibus generaliter loquitur, omnesque excusat à mendacio, & à periurio, abstrahendo ab eo, quòd sint, aut non sint purè mentales, cùm alioqui, iuxta dicta, etiam quamplurimæ ex illis, quæ purè mẽtales non sunt, sint prorsus inexcusabiles.

77. Vnde fit, vt earum vsus passim obvius esse nequeat in convictu familiari. Neque enim passim concurrunt tres comites necessarij; sed adeò infrequenter, vt meritò dici debeat, non dicere regulariter. Vel enim *simplicitas* deficit, qua voluntas decipiendi secludatur. Vel *iustitia*, ne occultetur, quod debet manifestari ex præcepto affirmativo alicuius virtutis. Vel *iudicium* discretionis, quo sine necessitate non fiat, neque ex causa levi, sed ex gravi. Ac longè rariùs licebit eiusmodi loquutiones iuramento confirmare. Nam, si mendaces sunt, periurium erit strictè, ac rigorosè tale. Si autem veraciter fiunt, quia subest idonea causa; adhuc frequenter continget, vt iuramenti adiectione speciale peccatum committatur. Neque enim causa, quæ sufficit ad verum dicẽdum, sufficiens est ad iurandum, sed nova alia, maiorque necessitas ad iuramentum exigitur, qua deficiente, iurare peccatum contra religionem erit, sive periurium dicatur, sive alio quovis nomine explicetur. Et, si sola necessitas ipsius deficiat, non erit grave peccatum.

78. Absolutè autem, quoties iusta causa deficit loquendi cum restrictione mentali, periurium erit adijcere iuramentum ad talem loquutionem apud alios comprobandam. Vel quia mendacium propriè, ac rigorosè tale ibi invenitur, cùm ille simulet, se loqui veraciter, dum leges veracitatis infringit, vt iam anteà fuit ostensum. Vel quia ad periurium propriè tale non requiritur rigorosum, strictumque mendacium consistens in loquutione contra mẽtem; sed sat est ad deceptionem aliorum iuramenti religione abuti, aut falsum iurare falsitate quadam analogica, qualis invenitur iuxta S. Thomam in iuramentis iniustis, temerarijs, aut incautis. Vel denique quia periurium propria, quamvis minùs stricta, significatione appellatur omne iuramentum illicitum, tàm defectu veritatis, quàm necessitatis, aut iustitiæ, vt voluit S. Hieronymus, cui S. Thomas subscripsit, tum alibi, tum *lib. 3. ad Hannibaldum, dist. 39. q. 1. art. 1. corp.* his verbis: *Periurium dicitur iuramentum inordinatum.* Eodemque modo loquuntur Sylvester, & Angelus, quos Sanchez refert *vbi suprà num. 13.*

79. Quocircà minùs erraret thesis damnata, si diceret, eos, qui iuramento affirmant loquutiones sola mentis restrictione veras, tametsi nunquam mentiantur, multoties esse periuros. Sed de his, & plerisque concernentibus integra *dissert. 15.* fuit copiosè disputatum.



DIS-

DISSERTATIO XVIJ.

DE CAVSA REDDENTE LICITVM VSVM restrictionum mentalium.

Circa hanc causam sæpius errare contingit: nam quò minor à nonnullis exigitur, eò maior licentia conceditur vtendi istis restrictionibus in præiudicium conversationis humanæ, ac societatis ciuilis, & propterea sequenti propositione ordine 27. excessus, qui in assignatione illius apud quosdam inualuerat, in decreto Pontificio nominatim profligatur.

CAPVT PRIMVM.

Ostenditur, non causam pro causa in hoc puncto sæpius assignatam esse.

1. IMpegit in istum scopulum thesis, cuius expositionẽ auspicamur, eamque propterea *nimis laxam* dixerat, antequàm condemnaretur, strenuus alioqui mentalium restrictionem defensor P. Martinus Bresserus *lib. 5. de conscient. cap. 19. num.* 186. Porrò verba theseos sic se habent: *Causa iusta vtendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum: ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

2. Idipsum litteraliter habetur apud Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 6. num.* 19. Laurentium Portel *in dubijs regular.* verb. *Iuramentum. in addit. num.* 11. Diana *p. 2. tr. 15. resol.* 25. & fere litteraliter apud Conradum *in respons. casuum consc. 1. p. q.* 137. vbi ait, neminem, *qui gratiâ salutis animæ, vel corporis, pietatis, vtilitatis, vel alterius necessitatis, vtitur eiusmodi amphibologia, mentiri, neque peccare peccato mendacij, etiam quod iuramentum addatur:* semperque ibidem supponit, ex his causis id licere. Legũntur etiam apud quosdam alios verbà æquippollentia istis, omnesque nominatim profitentur, se profeciſſe ex Navarro tanquam ãntiquiore, ac præcipuo anteſignano eius doctrinæ, *in cap. Humanæ aures. q. 2. num.* 10. vbi hæc scribit: *Causâ salutis animi, corporis, honoris, imò & rei familiaris, & cuiuscumque alterius actus virtutis, potest quis vti verbis amphibologicis, ac duplicibus.*

3. Notanduma tamen est, ne in materia amphibologiæ amphibologiâ ipsâ hallucinemur, thesim damnatam specialiter, ac determinatè loqui de amphibologia mentali iuramento confirmata. Quia pronomen illud *his*, quo initio vtitur, non potest referri ad alias, nisi ad eas amphibologias, quarum mentio immediatè anteà præcesserat; non præcesserat

autem nisi illarum, quas iuramentum confirmat, & verificat additum in mente retentum. Nam earum, quæ consistunt in vsu vocis habentis plures significationes integras ex impositione hominum, vt vox *canis*, nulla mentio erat in decreto facta. De eisdem etiam clarè loquitur Navarro *suprà q.* 1. *num.* 9. *ante fin.* vbi propter easdem causas illas excusari censet, necnon Portel, Diana, & Conradus. De P. Sanctio autem res est dubia: quia ad vtrumque amphibologiæ modum iustam causam prærequirit, vt constat ex *num.* 16. & inspecto toto illius contextu, ac corollarijs haudquaquam liquet, an iustas censuerit omnes ad internarum restrictionum vsum, quæ sufficiunt ad vsum externarum, & maximè cùm *num.* 17. ad internas prærequirat, vt non pateat alia via se tuendi.

4. Cuius cuius tamen sit ista doctrina, inde patet, meritò proscriptam esse, quia non postulat maiorem causam ad vsum licitum restrictionum mentalium, quàm requiritur ad veritatem vtiliter, & studiosè occultandam, vt finalia illa verba manifestant, quæ sunt declarativa cæterorum: *Ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, ac studiosa.* Hoc autem à recto tramite morum evidentissimè deviat. Nam occultatio veritatis, esto expediens sit, atque studiosa, sæpe obtineri potest per silentium, & tunc maximè cùm nullus interrogat; sed quis sua se sponte ingerit ad loquendum; imò & cùm interrogatur, si divertendo conversationem, vel respondendo: *Quid ad te?* vel alio modo simili, possit absque gravi incommodo non prodere suum secretum.

5. Porrò, quoties alia media suppetunt occultandi veritatem, quã revelare non expedit, illicitum est hoc peculiare medium loquutionum mente restrictarum vsurpare ad eum finem obtinendum. Habet enim speciem mali, à qua abstinere debemus iuxta præceptum Apostoli, dum causa præponderans deficit: tollit etiam vtilitatem credendi verbis aliorum, vt exteriùs iacent, & ad instar periurij, atque mendacij periculo deceptionis, ac erroris exponit mentem audientium, quos lege simplicitatis ab his malis debemus præservare, si absque notabili incommodo id possimus exhibere. Vnde & illiorum deceptio nobis meritò imputabitur, qui illius occasionem damus, cùm proclive esset aliâ viâ nostrum ius illæsum præservare, & non præbere offendiculum, vnde ruat mens ipsorum: nam sicut peccatum est ruina voluntatis, sic error est ruina intellectus.

6. Patet 2. ex illis Theseos verbis: *Quoties id est necessarium vel vtile.* Disiunctiva enim sunt, & quod hinc sequitur, solam vtilitatem restrictionum occultarum ad licitũ ipsarum vsum sufficere statuunt, quamvis necessitas desit. Hoc autem apertè est absonum, & noxium vitæ sociali, quia frequentissimam facit harum restrictionum praxim, cùm vtilitas ipsarum ad honorem, alios que fines ibi designatos absque necessitate passim detur. Porrò eas non esse passim vsurpandas in rationali convictu, sed ad instar difficilis, ac dolorosi remedij nocentis, cùm absque necessitate applicatur, communis est omnium proborum sensus, & propterea ex mente ipsorum, *dissert.* 14. *cap.* 4. & 5. ex professo ostendebatur, restrictiones merè voluntarias semper illicitas esse. Merè autem voluntariæ sunt illæ, quæ ob solam vtilitatem amantur absque necessitate congruenti. Vnde, quamvis vtiles appareant ad salutem, vel honorem, aut rem familiarem tuendam, vel ad aliquem

aliquem virtutis actum, non ideò licet eis vti, & longè minùs iuramento confirmare, cùm synceriori alia via idem finis potest obtineri.

7. Et quidem si finis ipse studiosus non sit, sed otiosus, aut superfluus, vt iocis, ac recreationibus sæpius cõtingit, nihil proderit, quòd ad illum obtinendum restrictio necessaria videatur, quia homo sua se culpa conijcit in talem necessitatem, & satius est ab ea intentione desistere, quàm illam obtinere per hoc medium. Si verò sit studiosus, & suppetant alia media, huius electio præ alijs merè voluntaria erit, atque adeò illicita & turpis, eisdemque incommodis subiacens, quibus aliæ huiusce generis. Quare vt minimum desiderari debet, vt restrictio penitus occulta liceat, quòd necessaria sit, aut certè longè vtilior ad tuitionem honoris, similiumque bonorum, non quamcumque; sed alioqui iustam, & commensuratam regulis tutelæ inculpatæ. Ac in hoc itidem peccat propositio damnata, quia de tuitione honoris, aliorumque bonorum absolutè loquitur, & iustam ab iniusta non separat, nec debitam ab indebita; sed omnes commiscet pariter, cùm alia longè sit ratio, v.g. de tuitione honoris ab iniqua vexatione alterius, quàm de alijs.

8. Patet 3. Quia thesis non distinguit inter fines parvi, & maioris momenti; vbi autem ea non distinguit, neque nos distinguere debemus; sed ipsam sumere, vt iacet, & in illa generalitate intelligere, quam sua verba præseferunt. Vt sic verò iuxta ipsam licitum cuilibet erit vti restrictionibus, etiam iuratis, merè internis, aut omnino occultis ad quamvis levem reprehensionem, pœnam, aut erubescentiam declinandam, atque ad tenuissimam famæ iacturam, vel honoris, reive familiaris excludendam; imò & ad augenda hæc bona, & lucrum alioqui iustum, licet valde exiguum sit, aut consequibile per alia media, ex restrictione captandum. Quippe illa ad hos omnes fines conducens videri potest, sicut conducit mendacium, & aliunde sola eius vtilitas non sufficit, cùm nec satis sit necessitas (si necessitas propriè dici valet) ad leviuscula ista incommoda evitanda, vel commoda perquirenda, vt opportunè adnotarunt Bresserus, atque Raynaudus appellandi paulò inferiùs.

9. Etenim causa iustificans captiosum hunc modum loquendi, saltem debet esse talis, vt præponderet bono retentæ simplicitatis, ac candoris institutioni signorum, & convictui humano debiti ex præcepto affirmativo præservandi alios ab errore, aut ex negativo eos non decipiendi. Porrò levidensia ista tali bono nõ præponderant, & sæpius neque sufficiunt ad vtendum licitè verbis ambiguis ex permanenti hominum impositione, esto minor causa requiratur ad illorum vsum, quàm ad vsum vocum, quas verificat restrictio interna: maius enim periculum seducendi alios in his latet, necnon maior species mali, & propterea plus caveri debent, vel cùm solæ sunt, & longè ampliùs, cùm credibiliores fiunt adiectione iuramenti.

CAPVT II.

Quænam causa idonea, atque sufficiens reputari debeat ad praxim licitam restrictionum occultarum?

10. HOnestam, ac præponderantem bono loquendi candidè, ad mẽtemque aliorum, sufficientem, ac idoneam reputat P. Raynaudus *tom. 14. tr. de restrict. ment. cap. 5. num. 1.* & *tom. 18. de Miss. Evangel. ad Sinas. p. 2. cap. 1 post med.* Bressérus autem *vbi suprà num. 189.* tunc solùm licere tradit restrictiones, quæ omnino latent audiéntes, cùm eas postulat *moralis necessitas, seu causa, & incommodum, non quodvis; sed grave, quale excusat ab observatione præceptorum positivorũ, v.g. ieiunandi, vel audiendi Sacrum.* Ac demum P. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de iuram. cap. 10. num. 10* cùm præmisisset, hunc modum loquendi per sermonem quasi mutilatum in verbis, & quasi integratum ex conceptibus, non esse licitum, *nisi ex iusta causa, & necessitate*, &, si aliter fiat, culpam committi, &, si addatur iuramentum, regulariter esse grave peccatum, sic tandem concludit: *Solùm ergo licet, cùm aliquis iniustè, vel importunè cogitur ad aperiendum aliquid, & iurandum, quod sibi non expedit revelare. Quando autem quis vel iustæ interrogationi respondet, vel ipse voluntariè se offert ad loquendum, simpliciter loqui debet, prout scit, alium accipere.* Hactenus isti Doctores.

11. Mihi autem clariùs, expeditiùsque componi ista videntur, si dicamus, hîc requiri, & esse satis necessitatem assimilem ei, quæ sufficit, & desideratur ad iurandum honestè, & absque peccato veritatem exploratam loquenti. Vtrobique enim desideratur necessitas, cùm neutrum sit per se bonum, vt oratio, aut eleemosyna; sed solùm de illorum genere, quæ necessitate compellente licent. Vtrobique frequentia, & assiduitas præiudicialis censetur, & sufficienti causa destituta. Vtrobique traditur pro re parvi momenti non esse interponenda media ista. Vtrobique consulitur veritati, occultandę nimirum, cùm oportet, aut comprobandę, cùm expedit. Vtrobique attenditur civili societati, procuràturque eius bonũ, ne scilicet, necessitate vrgente, ei desint licita media occultandi, quę manifestare non licet, aut terminandi suas lites, roborandique credulitatem eorum, quæ dicuntur adiectione iuramenti. Vtrobique tandem leve peccatum committitur, cùm idonea causa deficit, & aliæ virtutes non obstant vsui occultæ restrictionis, aut interpositioni iuramenti. Ergo rectè æquiparantur quoad necessitatem causæ, & magnitudinem eius. Nam ægrè discerni potest, quodnam sit maius peccatum, &, si fortè datur aliquis excessus, potiùs est ex parte iuramenti veraciter, sed absque necessitate interpositi, quàm ex parte restrictionis, cùm illud sit contra virtutem altiorem veracitate, ac directè oppositum præcepto primæ tabulæ, & Divino cultui, ac reverentiæ.

12. Dici etiam potest, tunc dari legitimam causam vtendi hisce amphibologijs, quarum verba vera sunt sub restrictione occulta; falsa verò, quamvis restrictione ablata, *cùm id necessarium est ad vtendum iure nostro, occultando veritatem aliquam, quæ absque notabili incommodo proprio, aut alieno, nec manifestari potest, nec aliter occultari ijs, cum quibus loquimur.*

quimur. Ita planè sumitur, & comprobatur ex his, quæ superioribus dissertationibus stabilita fuerunt, & hîc cursim sunt attacta. Nam in primis excluduntur à numero licitarum restrictiones, quas speciali iure vetant iustitia, obedientia Iudicum, aut Prælatorum præceptum profitendi exteriùs fidem, religio, aut aliæ virtutes distinctæ à veracitate. Ideò enim dicimus hîc opus esse, vt aliquis *iure suo vtatur*; nemo autem in his eventibus ius habet occultandi veritatem sibi notam; sed potiùs obligationem ipsam integrè, & apertè declarandi. Excluduntur etiam restrictiones merè voluntariæ, ioculares, vel otiosæ, quia iusta necessitas deficit, aut alia synceriori via provideri potest malis ex manifestatione imminentibus. Excluduntur præterea necessariæ ad evitandum incommoda parvi momenti, nam ideò exigitur *notabile incommodum*, tàm ex manifestatione proveniens, quàm ex omnimoda taciturnitate. Notabile autem incommodum maius parvo debet esse, & non iam leve, sed mediocre, aut graue, habito respectu ad personas, materiam, & circumstantias negotij, quod inter manus versatur.

13. Quantum autem esse debeat, cùm ex tanta rerum varietate pendeat, nulla certa regula determinari valet, sed arbitrio prudentum committitur, sicut quantitas necessitatis requisitæ ad licitè iurandum, & grauitas causæ necessariæ ad respondendum verbis æquivocis æquivocatione reali. Vsui tamen esse poterit regula præponderantiæ, quam Raynaudus exhibebat, si constiterit, gravius esse præiudicium hîc, & nunc loquenti imminens ex non vsu restrictionis necessariæ ad illud præcavendum, quàm malum alteri impendens ex eo, quòd alius non ad mentem eius, sed ad suam tunc loquatur. Et in summa, hæc difficultas etiam sententiæ contrariæ communis est, quia ipsa etiam debet assignare idoneam causam, ex qua liceat interrogantem eludere vtendo verbis impropriis, figuratis, aut æquivocis, imò iis ipsis, quibus vtitur nostra sententia. Neque enim semper id licet, quamvis liceat aliquando, & in plerisque eventibus neutra sententia differat ab alia in praxi, vt *dissert.* 16. *cap.* 4. discutitur.

14. Hinc casus magis conspicuus, in quo occultæ restrictiones licent, is communiter censetur, in quo aliquis obligationem habens occultandi aliquod secretum gravi metu, seu vi cogitur ad directè respondendum iniquæ interrogationi sibi factæ circa scientiam, aut exequutionē eius. Tunc enim inevitabilem necessitatem patitur occultandi illud, cùm absque peccato ipsum prodere non valeat, & aliunde gravis metus, aut vis, qua iniquè compellitur ad respōdendum directè affirmando, vel negando, eum reducit ad extremum, vt vel mentiri cogatur negando scientiam, aut factum nulla omnino restrictione adhibita, sive externa, sive interna, vel minùs syncerè agere adijciendo verbis suis interiorem restrictionem, penes quam verificantur, & eam occultando exteriùs. Porrò mendacium non licet; hæc autem minor synceritas, qua mens nostra partim proditur, partim occultatur absque intentione fallendi, vt sumpsi ex S. Gregorio, neque mēdacium involvit, nec deceptionem iniquam; sed defensionem honestam iuris proprij, quæ non semel potest esse omnino necessaria ad evitandam perplexitatem conscientiæ. Neque id nocet civili conversationi; sed illi prorsus noceret, quòd in iis angustijs nullum iniuriam patienti suppeteret medium licitum, quo se defende-

fendere posset ab iniqua vexatione alterius.

15. Cuius rei exempla sumpsimus communiter recepta ab Auctoribus *dissert. citat.* præsertim *cap.* 1. & 3. ex his, quæ accidere possunt Confessarijs, Consiliarijs, aut Legatis Principum, vel alijs personis, quæ secreto naturali tenentur. Cœterùm causa adeò gravis, & vrgens adeò necessitas, sicut ad licitè iurandam veritatem non requiritur, neque ad licitè exercendas plurimas actiones, vnde ruina aliorum meritò timeri potest, ita neque ad occultandam veritatem per restrictionem mentalem desiderari videtur, quamvis inde prænoscatur eventura proximi deceptio. Sufficit enim, quòd ille iure interrogandi careat, & sua iniqua compulsione adigat ad respondendum, quod alius licite celare potest, & absque gravi dispendio manifestare non valet, etsi manifestatio liceret. Neque enim cum tanto damno, sive proprio, sive alieno, sive spirituali, aut temporali debet illum præservare à deceptione, cuius ipse sibi est prima causa malitiosè compellendo alterum ad responsionem directam, & ita præcludendo viam silentij, aut alias minùs incommodas, quibus sibi posset satisfieri.

16. Quocircà malefactores interrogati à non iudice, vt adultera à marito, vel à iudice, sed contra iuris ordinem, & compulsi ad respondendum, hoc etiam medio vti possunt, & iuramentum adijcere, si compulsio ad iuramentum etiam extendatur. Ratòque tentare proderit candidiora alia remedia, vt nihil respondere, vel non clarè, sed æquivocis, aut obscuris verbis: nam id magnam suspicionem generabit delicti commissi, quod est per se grave incommodum, & curiositatem interrogantis augebit, ne à vi, aut metu iniustè illatis desistat, donec sublatis ambagibus responsionem absolutè negativam, aut affirmativam facti sibi interrogatus reddat. Ac præsertim in iudicio eiusmodi tergiversationes non solùm infructuosæ, sed valde periculosæ erunt reis, aut testibus iniquè interrogatis, vt cum Soto observat P. Sanchez *dicto cap.* 6. *num.* 17. quia ibi semper postulatur responsio clara, & directa.

CAPVT III.

Miscellanea quæstionum.

17. QVæres 1. Vtrùm sola importunitas interrogantis absque alia vi, aut metu sufficiat ad vtendum licitè his amphibologijs, præsertim cùm iuramento? Respondeo importunitatem, etiam gravem, nunquam esse satis, cùm absque notabili incommodo veritas syncerè, ac candidè alteri manifestari possit: quia importunitas alterius nullum ius confert occultandi veritatem abutendo externis signis, pervertendoque synceritatem conversationis humanæ, cùm nulla, aut exigua causa manifestationem impedit, & occultationem exigit. Cœterùm cùm grave incommodum imminet detegēti veritatem, & aliud medium non suppetit sese præservandi illæsum, sufficiens motivum dabunt preces importunæ ad respondendum cum restrictione mentali. Quia assidua, & vrgens petitio, etiam inferiorum, aut æqualium, magnam molestiam ingenerat, vexatque, & cogit quodammodo eos, qui eam patiuntur, vsque adeò vt quamplures censeant æquiparari violentiæ, & afferre metum cadentem in constantem virum, sufficientemque ad contractus dissolvendos, & invalidandas licen-

licentias accipiendi, aut erogandi, quas subditi à Prælatis extorquent, vt latè discutit Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 7.

18. Non est autem necessaria tanta causa ad vsum restrictionis mentalis, quanta exigitur ad hos effectus; sed mediocris molestia satis fuerit, vt se ab illa iustè liberare satagat per restrictionem occultam is, cui immeritò infertur, & intentioni inferentis absque notabili incommodo aliter satisfacere non valet. Atque in hoc duntaxat sensu fuisse loquutos existimo, qui importunitatem assignant inter sufficientes causas vtendi loquutionibus mente restrictis, vt Suarez, Emmanuel Rodriguez, Navarro, Moure, Valentia, & alij, quos dabit Sanchez *in dicto cap.* 6. *num.* 20. semper enim postulant, vt alioqui intercedat iusta causa non revelandi veritatem illam, de qua importunè rogamur, & sub hac moderatione eis etiam subscribit *eo num.* 20. cum Sylvestro ipsemet Sanchez. Quæ autem de importunitate diximus, servata proportione, dici debent de metu reverentiali, ac blanditijs, siquando importunè fiunt, & in molestiam degenerant non aliter evitabilem.

19. Quæres 2. An mutuo petenti aliquid, quod tu habes, possis respondere licitè, te illud non habere, subintelligendo ad mutuandum, &, si opus sit, hanc tuam responsionem iuramẽto confirmare? Respondeo, secluſa necessitate, id nunquam licere; sed semper esse obseruãdas regulas hucusque præscriptas, vt veritas facti denegetur, & restrictio tacita licitè adijciatur. Quocircà si mutuare nolis, & absque notabili incommodo possis aliter mutuum denegare, & rationabilem aliam excusationem afferre, vsus restrictionis tacitæ merè voluntarius erit, & oppositus syncere veritati. Sin autem ex eo, quòd dicas, penes te esse rem petitam, & adhuc nolis illam mutuo dare, v.g. quia illâ indiges, aut quia difficilè recuperabitur, & inde prudenter timeas notabile incommodum, vt inimicitiam petentis, offensionem non vulgarem, rixas, simultates, dissolutionem amicitiæ, substractionem aliorum commodorum, quæ ad te ex ipso solent redundare, vel quidpiam simile, tunc proclive erit negare cum restrictione, te habere rem, de qua est sermo. Nam, attentis circumstantijs, peculiare ius competit tibi occultandæ veritatis, vt tuæ indemnitati consulas, & medium, quo vteris, non est illicitum in casu necessitatis. Vnde huius sententiæ sunt Vincẽtius Candidus *disquisit.* 26. *art.* 3. *dub.* 12. Antonius Fernandez Moure *in exam. Theolog. moral.* 1. *p. cap.* 5. § 8. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *in* 2. *Decal. præcept. q.* 1. *punct.* 12. *num.* 3. Sanchez, Rodriguez, Navarro, Philiarcus, Sayrus, Salon, Trullenc, Palao, Diana, & Leander à SS. Sacramento *tom.* 2. *in Decalog. tr.* 1. *disp.* 45. *q.* 22. qui eos sequitur, & loca consignat.

20. Quæres 3. Vtrùm, cùm interrogando nulla nobis fit iniuria, fas sit vti restrictionibus mentalibus, aut verbis in alio sensu, quàm audiẽtes ea percipiunt? Respondeo, si non solùm absque iniuria, verùm etiam iure interrogamur, certum est, id esse nefas: quia tunc iure destituimur occultandi veritatem, & potiùs subiecti sumus iuri alterius, quo nos potest obligare ad respondendum iuxta sensum, atque mentem suam. Sin verò ille iure careat exigendi responsionem claram, ac dilucidam, & nihilominùs ad illam compellat, ex eo capite iniurius est nobis: quia etsi nõ interrogando, cogendo tamen, iuri nostro derogat, sicut alij, qui sibi indebita poscunt vi, aut metu, & propterea

ptereà inspecto saltem interrogationis modo, in hoc casu dici nequit interrogare absque iniuria. Quòd si interrogans meritò existimet, se interrogare iuridicè, alius autem iure possit veritatis manifestationem detrectare, tunc maior est difficultas, quia videtur esse bellum iustum ab vtraque parte, & vnus iustè compellere; alius verò detrectare iustè.

21. Casus evenire potest, cùm iudex præcedentibus legitimis indicijs interrogat Petrum, an homicidium patraverit, quod ille verè commisit; sed iustè, quia ob defensionem propriam, & cum moderamine inculpatæ tutelæ; quam tamen probare nequit, semel confesso homicidio. Porrò in hoc eventu communis sententia fert, ex qua id tradit Ioannes de la Cruz *in Directorio. q.* 3. *circa* 8. *Decal. præcept. art.* 3. & cum Suarez, Lessio, atque Diana, Trullenc *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 15. *num.* 8. licitè negari posse veritatem facti, dicendo *Non feci homicidium*, & subintelligẽdo *criminosum*, aut *punibile in iudicio*. Nam de hoc solo iure interrogari potest secundum rei veritatem, & quòd Petrus de homicidio absolutè interrogetur, & ad directè respondendum compellatur, ex iudicis ignorantia, quamvis inculpata, contingit. Vnde, licet interrogando non peccet, iniuriam saltem materialem irrogat illi, qui innocentiam, ac moderationem suam, detecto homicidio, comprobare nequit, aut non nisi cum magnis impensis, diuturno carcere, vel alijs ærumnis. Non tenetur autẽ Petrus tot incommoda subire, vt alterum à deceptione præservet, existimaturum fortasse, eum non patrasse homicidium; sed iure defensionis vti poterit, & alio sensu intelligere sua verba, quàm ille accipiet.

22. Idemque licebit illi, qui sub iuramento adigitur dicere, vtrùm centum mutuo acceperit, & cùm ea verè persolverit, cogendus iterum est ad solvendum, si accepisse fateatur, quia probare nequit, se solvisse. Necnon ei, qui interrogatur, vtrùm veniat ex eo loco, qui falsò creditur infectus peste, & propterea est impediendus, ne ad suam domum tempestivè regrediatur, aut notabile aliud damnum per iniuriam materialem acceptus. Atque hac ratione alij casus evenire, aut cogitari possunt, vbi simile artificium licet, & in praxi eisdem verbis est vtendum, vt passim tradunt Auctores, sive in hac sententia, sive in alia, vt videre est apud Azor *p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *regul.* 1. *&* 2. Sanchez *suprà*, & *lib.* 1. *de matrim. disp.* 10. *num.* 27. *&* 28. necnon *disp.* 11. *num.* 2. Filiucium, Suarez, Diana, Trullenc, & alios, quos congerit *sup.* Leander *q.* 8. Semper tamen præcavendum est scandalum, ne reputetur mendax, aut periurus cum speciali damno pusillorum, qui sic se gerit: tunc enim maior causa postulabitur, vt illud non sit datum, sed acceptum, & iuxta proprias regulas eius materiæ exhibenda erit decisio.

23. Quæres 4. an vti liceat restrictione mentali, cùm interrogans ignorat, hîc, & nunc subesse causam, vnde reddi possit licita? Casus iste peculiarem difficultatem involvit. Nam, cùm iusta causa restringendi manifesta est interroganti, vel quia ipse eam dedit sua interrogatione iniqua, vel ex alijs circumstantijs, faciliè conijci potest, respondentem vti iure suo, & adijcere de facto restrictionem, quam non exprimit, vt ambiguitate sensus mens alterius confundatur. At verò, dum causa latet, & verba negativa respondentis ab audiente accipi nequeunt, nisi in sensu omnino falso, quia licitam ipsorum restrictionem non timet, cùm nulla argumenta ei suppetant id timendi,

mendi, aut suspicandi, tunc gravior difficultas est, quia periculum alienæ deceptionis longè gravius est, & ægrè apprehenditur, non esse occasionem datam ab eo ipso, qui sic loquitur, vt ei imputetur error, à quo debemus alios præservare.

24. Cœterùm, quanta quanta sit hæc difficultas, ex dictis *disser. præced. à num.* 34. constat, eamdem militare omnino in contraria sententia, si ponamus, circumstantias officij, personæ, aut loci, vnde implicitè verba restringuntur, & ea propter sine mendacio possunt vsurpari, esse penitus audienti occultas, & prorsus credere nullam subesse, ex qua liceat respondere in alio sensu, quàm explicito & omnino claro. Porrò ex his, quæ inibi habentur, & ex proximè assertis denuo confirmantur, satis liquet, alienam ignorantiam causæ iustificatis restrictionis vsum non obstare habenti ipsam, quominùs iure suo vtatur, idque contigisse vidimus Isaac, ac Tobiæ, dum Iacob, & Raphaël se ipsis occultabant, seque alios esse asserebant, vsurpando verba, aliàs mendacia, in sensu improprio, ac restricto, quem illi neque intelligere poterant, nec suspicari eius causam. Erit tamen opus in eo eventu eò graviori necessitate, seu causa, quò gravius vrget periculum efficiendi, vt decipiatur audiens deferendo auctoritati illius, cuius verba prudenter credi possunt absque vlla suspensione iudicij orta ex metu restrictionis licitæ, & credi nequeunt, nisi assensu falso. Videantur, quæ ex Caietano produximus *num.* 28. dissertationis antea præcitatæ.

25. Quæres 5. An respondendo ad mentem interrogantis vsus restrictionem liceat? Omnes licere supponunt, quia interrogatio, & responsio non solùm casu, sed sensu concordare intelliguntur, & restrictio, quæ tacitè, aut expressè in interrogatione importatur, responsioni quoque adiecta creditur, quamvis verba illius generaliora videantur. Mentietur quidem coram Deo respondens, si interrogationi sese accommodare nolit; sed voces in sua tota generalitate contra propriam, & alterius mentem vsurpare velit; attamen dum aliud non exprimit, cum eâdem limitatione, tametsi tacita, respondere præsumitur, atque ideò loqui veraciter. Et quidem dum limitatio interrogationi expressè adijcitur, optimo iure interpretari possumus, in mente respondentis etiam fuisse adiectam, quamvis illam verbis supprimat, & mens legitimè præsumpta prævalet amplitudini verborum, qua explicatur. Casus apertè proponitur *in L. Si sine interrogatione. 9. §. Qui interrogatus. ff de interrogat. in iure faciend.* vbi *qui interrogatus, an sit hæres, se hæredem esse respondet, nec adijcit, ex qua parte, ex asse respondisse dicitur.* At verò *si interrogatur, an ex dimidia parte hæres sit, & responderit: Hæres sum, ad interrogatum respondisse putatur:* vt non ex asse, seu ex toto, sed ex dimidia tantùm parte, se hæredem dicere intenderit. Et quamvis vtrobique sit eadem responsio quoad verba, pro modo interrogationis restringitur, aut ampliatur, & tàm in iudicio, quàm extra id locum habere dicitur, *ibidem* §. 1. hoc est, *sive à Prætore, sive ab adversario respondens interrogetur.*

26. Neque absimiliter philosophari debemus, cùm limitatio non adijcitur expressè ab interrogante, si illa suppleatur iure, aut consuetudine, vel ex modo agendi, aut alijs circumstantijs meritò suppleri debeat: tunc enim etiam responsioni nostræ tacitæ adiecta intelligitur, & in ea quoque suppletur. Sic interrogante confessario, an peieraverit pœnitens,

ipse verissimè negat, se peieraſſe abſolutè, ſi poſt confeſſionem vltimam nullum periurium admiſit, eſto quam plura patraverit in ſpatio vitæ anteactæ, quæ iam olim fuit confeſſus. Nam Confeſſarius de his ſolùm examinare intelligitur, quæ pœnitens in præſenti confeſſione tenetur manifeſtare; non verò de alijs, quæ legitimè fuerunt expiata in confeſſionibus alijs, & tunc repeti non debent. Sic in forenſi iudicio licet iudex generaliter interroget, verba illius non extenduntur ad ea, quæ interrogare non valet, iuris ordine ſervato, nec cogere ad reſpondendum: iuridicè enim interrogare præſumitur; non verò iniquè, aut malignè, dum aliud clarè non explicat, atque ideò ad mentem ipſius veraciter is reſpondet, ſive reus, ſive teſtis, qui his ſatisfacit, quæ iure interrogari poſſunt, nec iuramẽto præiudicat dicendi, quæ ſcit, aut fecit, licet de alijs nihil dicat. Sic denique interrogatio non creditur de illis facta, quæ ſub ſecreto cognovimus, & paſſim ad evitandum abſurdum, quod ſequitur, ſi fortè voces in tota ſua amplitudine accipiantur, præſumimus intra mentem tacitè fuiſſe reſtrictas.

27. Quæres 6. Vtrùm, nullo interrogante, liceant reſtrictiones iſtæ? Reſpondeo, nunquam licere, neque fieri abſque mendacio, ſaltem moraliter, ac reductivè tali, cùm quis ſe ad loquendum ingerit, offerrive ad teſtificandum motu proprio, ac ſponte ſua. Sin verò iuſta neceſſitas, qualem hucuſque explicavimus, eiuſmodi cautelam poſtulet, vſus eius erit licitus, etiam nullo interrogante. Rariſſimè autem id continget, quia valde rari ſunt illi caſus, vbi eius modi neceſſitas intervenire poſſe cogitatur. Duos conſignat peculiariter Caſtro Palao *tom. 3. diſp. 1. de iuram. punct. 7. num. 4. & 5.* Primus eſt, cùm obligaris reſtituere famam proximo, & alia via commodior non datur. Secundus, cùm ſocios criminis, quos manifeſtare non debebas, malitioſè, aut incautè detexiſti, & mediante occulta reſtrictione ſperas te poſſe illorum damnum reparare. Ita etiam Sanchez *dicto cap. 6. num. 21. & 28.* vbi refert Canum, Mancium, Bañez, Petrum de Ledeſma, Salon, Sayrum, Rodericium, Henriquez, & quoſdam alios, quibus addi poſſunt Bonacina *vbi ſuprà num. 5. verſ. Quarto.* Leander *ea diſp. 45. § 2. q. 31. & § 1. q. 8.* Candidus *citato art. 3. dubit. 1. dicto 3.*

28. Verumtamen in his Auctoribus minimè poſſum probare, quod nonnulli ex ipſis exprimunt, ſolam vtilitatem ſufficere ad hoc medium vſurpandum: iam enim vidimus, neceſſitatem requiri, & ſæpius alius modus non deerit, quo reſtitutio iſta fieri valeat, etſi iſtum reliquis præferat Bañez, vt notavit Tapia, qui & illum non improbat *in Catena tom. 2. lib. 5. q. 27. art. 2. num. 3.* Iuſta autem neceſſitate ſuppoſita, quam inducit in his caſibus obligatio reſtituendi, defectuſque alterius medij, nõ diſplicet, quod hi Auctores tradunt, nempe iuramentum etiam interponi poſſe, & infamatorem obligari ad vſum eius ex iuſtitia quidem, ſi malitioſè fuit facta alieni criminis, aut ſociorum detectio; ex charitate verò, ſi abſque culpa, & ob meram ignorantiam. Proximi enim damnum perſeverat per iniuriam formalem, aut materialem à nobis irrogatum, idque reparare cogimur, dum aliunde non occurrit excuſatio.

29. Quæri denique poſſent alia plurima, quæ ſingillatim proſequuntur Sanchez, Leander, Bonacina, Palao, Azor, Layman, Coninc, & alij ex anteà appellatis. Sed ex dictis facilè decidi poſſunt, & iuxta præiacta principia corrigenda ſunt, aut moderanda,

randa, ne in re lubrica laxentur eis habenæ, qui odiosis hisce cautionibus intemperanter indulgent. Pro maiorique securitate proderit habere præ manibus Azorium, Layman, & alios, qui restrictiones vniversim improbare videntur, dum ex aliqua exteriori circumstantia nequit deprehendi, quonam sensu quis loquatur. Nam, vt alibi prænonui, sæpius quoad praxim concordant, licet ex alijs principijs.

DISSERTATIO XVIIJ.

DE ILLICITO RESTRICTIONIS VSV IN iuramentis iudicialibus.

Ansam huic quæstioni præbuit Lessius lib. 2. de iustit. cap. 42. num. 48. *vbi cùm primùm statuisset, tam restrictiones occultas, quàm orationes ambiguas nũquam licitè adhiberi, nisi quando iustè possumus veritatem occultare, & malum aliquod imminet, quod aliter nequit auerti, consequenterque adiecisset, illas posse iuramento confirmari, si necessitas, vel notabilis causa id etiam postulet, posteà quærit, quid dicendum sit*, quando quis electus ad Magistratum cogitur (*vt quibusdam locis fit*) sub gravi pœna acceptare, & nihilominùs cogitur iurare, se nihil egisse, vt commendaretur electoribus. *Cui dubio varijs ipse distinctionibus respondet, atque ex illius verbis hinc inde discerptis propositio statim subijcienda videtur confarcinata.*

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm Magistratus munere, aut commendatione promoti id fateri teneantur iudici exigenti ab ipsis iuramentum?

1. THesis 28. sic respondet: *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officiũ publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Hactenus thesis, cuius nullum proferunt Auctorẽ Lumbier, Filguera, Sinnichius, Brezmes, & alij, qui huic studio operam suam diligenter manciparunt. Neque, vt reor, vspiam invenietur; sed hostis fictus est, quem tutò ferire liceat Lessij suggillandi causâ. Quis-

quis autem, vti iacet, præfato lemmati institerit, illicò absolutos credet, maximè à culpa periurij, eos, qui mediante subornatione, aut favore promoventur ad officia in ijs locis, vbi eiusmodi statuta vigent.

2. Sed longè aliud fert conspicua veritas, & hæc est haud levis ratio dignam reddens eam doctrinam censuris, quibus notatur. Nam qui ijs medijs sese promoveri ambiunt, triplici peccato, eoque gravi, obnoxij fiunt, vt rectè notavit Lessius *eo num. 48 in fin.* Primum fit cõtra statutum, quod non est purè pœnale; sed morale, & defectum commendationis, ac subornationis exigit tanquam cõditionem valde necessariam, vt non prætermittantur in electione digniores, & ne electi eisdem malis artibus vtantur, dum officia publica administrant. Secundum est consensus in periurium: nam, cùm de facto promoveri velint, & sciant electionem suam non aliter esse approbandam, quàm eo iuramento adhibito, eo ipso iurare intendunt negando subornationem contra mentem statuti, & ex tunc consensum præbent in periurium posteà committendum, quod iam est periurij crimen: neque enim illos excusare possunt æquivocatio, aut restrictio, cùm necessitas iurandi subdolè ex nequitia ipsorũ suboriatur, qui se sponte ingesserunt ad prætensionem officij, & desistere nolint à proposito per fas, aut nefas obtinendi illud: vnde in casu planè simili idem censet P. Vasquez *in 1. 2. tom. 2. disp. 168. num. 50.* Tertium denique committitur in ipso iurandi actu, si absque notabili incommodo detrectare valeant iuramentum, etiam recusando officium, quia officij recusatio non debet computari inter præiudicia illius, qui vt illud obtineret, sponte sua se privavit qualitatibus iure requisitis ad consequendum id ipsum.

3. Rursus eadem confixio iustissima fuisse ostenditur, distinguendo, quod asseritur, à ratione, quæ subiungitur. Indefinitè enim traditur, eos, qui munere, aut commendatione promoti sunt ad officia, vbi talia iuramenta postulantur, non teneri ad respondendum habito respectu ad mentem exigentis; sed restrictione mentali posse tegere defectus suos. Hoc autem ita indistinctè, atque generatim traditum plusquàm scandalosum est, & valde pernicioſum: quia exinde quivis intelliget, idem iuris esse, quamvis præcedat favoris, aut subornationis infamia, vel semiplena probatio, vel indicia æquipollentia ipsi. Nemo autem bene Catholicus hoc explicitè affirmaverit. At satis expressè dicitur, cùm assertio non restringitur ad favorem, vel subornationem occultam; sed indefinitè traditur in materia doctrinali, nam indefinita in his materijs æquivalere creditur vniversali. Vtique ratio subiuncta expressim loquitur de crimine occulto, dum assumit, neminem teneri ad illud manifestandum; exinde autem solùm potuit inferre, eiusmodi vitia, si occulta sint, non esse manifestanda iudici exigenti iuramentum: nam alioqui consequentia inepta redditur, & improbabiliter colligitur ex particulari vniversalis, ac si quis ita discurreret: *Reus fateri non tenetur legitimo iudici crimen occultum. Ergo reus absolutè non tenetur crimen suum idem iudici manifestare, sive occultum sive publicum.*

4. Tertiò. Demus, non esse sermonem nisi de subornatione, vel commendatione occulta, ac de his solis negari obligationem respondẽdi ad mentem iudicis, & adhuc meritò damnata erit doctrina, quæ in thesi traditur. Esto namque verum sit, nullam dari obligationem fatendi crimen occultum Superiori criminaliter

naliter agenti, & ad punitionem eius interroganti suum subditum; oppositum tamen est dicendum sine dubio, cùm interrogatio primariò ad punitionem non tendit; sed ad impediendum peccatum, aut frequentes occasiones eius, vel pernicioſa alia damna Reipublicæ impendentia exinde. Vt cùm inquiruntur merita personę, & quæritur de habilitate ipsius ad matrimonium, ordines, Episcopatū, vel aliquid huiusmodi. Interest enim Reipublicæ, ne inidonei, vel inhabiles his muneribus se immiscеant, & propter commune bonum ius habet interrogandi de impedimentis ipsorum, quæ non minùs sibi nocent ex eo, quod sint occulta. Ita autem in præsenti accidit, quia primariò non inquiritur ex affectu vindicandi crimen, subornandi, aut sese commendandi; sed ex affectu iustitiæ distributivæ, aut legalis detegendo impedimenta illa, quę per statutum reddunt homines inidoneos, aut inhabiles ad Magistratus, & officia publica. Vnde in hoc casu, & quoad effectum istum negari nequit competere Regi, aut Reipublicæ ius inquirēdi etiam cum interpositione iuramenti de criminibus occultis; vbi autem iudex legitimus secundum iuris ordinem interrogat, subditis nullo prætextu respōsionem claram, ac synceram detrectare licet.

5. Quartò, cùm in thesi assumitur ad istiusmodi obligationem excludendam ratio illa: *Quia non tenetur fateri crimen occultum*, nova series absurdorum nascitur, qua intolerabilior fiat. Nam vt aliquid concludat, & non sit mera nugatio, sive petitio principij, sumi debet in sensu vniversali, quasi nunquam teneamur ad præceptum Superioris fateri candidè crimina occulta, neque ille inquirere possit iuridicè de occultis impedimentis in favorem animæ, vel boni publici. Porrò id non vni, vel alteri, sed omnibus planè Auctoribus valde temerè repugnat. *Omnium* namque est doctrina ista, si credimus Card. de Lugo *disp. 37. de iustit. & iur. num 63. in fin.* qua asseritur, ad impediendum damnum, quamvis nō ad punitionem, iudicialiter inquiri posse de occultis, & imponi criminoso ipsi nolenti desistere à cœptis obligationem respondendi ad mentem interrogantis veritatem illius facti, cuius nulla semiplena probatio, neque infamia anteà præcessit, vel æquipollēntia indicia. Quare idipsum tradunt Angelus, Soto, Sylvester, Tabiena, Armilla relati, & subscripti à Sanchez *lib. 6. consil. moral. cap. 3. dub. 19 num 2.* qui ait, *casum esse certum*: necnon Navarro *in rubric. de iudicijs num. 92.* Salas *disp. 15. de legib. num. 44.* Lessius *lib. 2. de iust cap. 31. num 9.* vers. *Adverte tamen* Vasquez *dicta disp. 168. num 47. & 48.* Suarez *lib. 5. de legib. cap 9. num. 15.* Layman *lib. 3. Theolog. moral. sect. 5. tr. 6. cap. 2. num. 3.* vers. *Altera.* Basilius Legionensis *lib. 5. de matrim. cap. 33. per totum.* Montesinos *tom. 2. in 1. 2. disp. 24. q. 2. num 40. & 41.* Gibalinus *de censur. fol. 97.* vers. *In hoc toto*, & qui rem egregiè tractat differens de impedimentis ad matrimonium, & Ordines, licet nonnulla sint impedimenta criminis, Sanchez *lib. 3. de matrim. disp 14. per totam.*

6. Quintò, plus crescit absurditas, cùm dicitur, hoc iuramentum *de mandato Regis exigi.* Nam Regis mandatum motu proprio ab ipso emanans ad legitimam inquisitionē de occultis certæ personæ, criminibus sufficere creditur, quamvis ad pœnam illius iuridicus processus instituatur. Ita Villalobos *in summa. p. 2. tr. 14. diffic. 8. n. 8.* vers. *El quarto*, cum Innocentio, Baldo, Julio Claro, & Glossa, quā dicit *receptam* Mascardus.

dus. Imò Clarus putat, idem iuris esse, quamvis inquisitio non fiat motu proprio, aut certa scientia Regis; sed solummodò ad instantiam partis. Et quidem si, vt censent plurimi, infamiæ præviæ necessitas ad interrogationem specialem non oritur ex iure naturali, vel Divino, sed ex positivo duntaxat, facilè intelligitur, supremos Principes liberiùs posse contra istam formam statuere. Cœterùm, tametsi demus, esse iuris naturalis vetantis omnibus infamationem proximi, vt multis contendit Navarro *in dicta rubric. de iudicijs à num.* 77. adhuc cum ipso est dicendum *ibidem num.* 89. *&* 90. licere iusta de causa summis Principibus inducere commissione, aut lege sua novum casum, in quo inquiratur specialiter adversus aliquem, nulla præcedente infamia, vel alio æquivalenti, sicut à Federico Imperatore fuit statutum, ac receptũ communi approbatione omnium Nationum, circa læsæ maiestatis, & alia nonnulla crimina.

7. Porrò in præsenti non deest causa maximè sufficiens, quia mandatum ordinatur ad cavendam iniustitiam Reipublicæ summè noxiam, quæ in Magistratuum, & aliorum publicorum Officialium promotionibus frequenter irreperet, si fierent favore, aut munere: & iuramentum exigitur sub ratione boni præponderantis infamiæ, quæ privato illi resultat ex detectione sui criminis. Quocirca, mandante Rege, etiam ad vindictam posset inquiri in hoc casu, & obligari subditus ad respondendum: quia speciale bonum publicum, quod vltra bonum punitionis intenditur, longè pluris æstimatur, quàm malum infamiæ, aut pœnæ irrogandæ criminoso. Neque enim est pura pœna; sed pœna præservativa, atque, vt sic loquar, medicinalis Reipublicæ, cuius incolumitas ex eo maximè dependet, quòd per Magistratus optimos administretur, & expurgetur ab illis, qui pravis medijs officia comparatunt, & ab eis nolunt desistere.

8. Cessat autem omnis difficultas, cùm ex instituto non agitur de castigandis criminibus, sed de tollenda ignorantia, qua dentur officia cõmunitatis indignis, aut de corrigendo errore, quo data sunt inhabilibus, cùm ob occultationem suorum criminum existimarentur habiles. Vnde ita inquiritur, nulla præcedente infamia, de moribus, ac vita electi in ordine ad confirmandam, vel cassandam electionem eius, iuxta formam traditam *in cap. Nihil. 44. de elect.* & in plerisque alijs casibus, quos *suprà num.* 85. congerit idem Navarro.

CAPVT II.

Quousque liceat occulta commendatione, vel munere ad Magistratum promotis, & iuramento compulsis crimen suum non manifestare?

9. THesis damnata de promotis loquitur, & de promovendis tacet, qnamvis oscitanter deliquerit, non restringendo doctrinam ad commendationem, subornationemve occultam, sicut eius ratio postulabat. Nos verò de occultis loquimur, atque vt radicitùs res tota exponatur, noto, similia statuta, quibus nonnulli privantur activa voce, aut passiva, propter eiusmodi crimina, sæpesæpius inveniri in plerisque alijs electionibus. Vt in Vniversitatibus inhabiles sunt ad Cathedras, qui muneribus corrumpunt scholasticos aliàs gaudentes iure suffragandi, ipsique scholastici donis corrupti privantur etiam iure suffragandi: &

de

de his, qui in Vniversitate Complutensi per litteras commendatitias ad aliquem ex electoribus datas ad togam insignis Collegij S. Ildephonsi eliguntur, statutum est à Fundatore, vt pro illa vice efficiantur inhabiles, vt latè Vasquez prosequitur *dicta disput.* 186. *à num.* 51. & Montesinos *suprà à num.* 29. etsi dicat, id non esse in vsu.

10. Quæstionis ergo est huic nostræ prorsus conterminæ, vtrùm illi, qui sub iuramento interrogantur, an aliquid egerint contra eiusmodi statuta, teneantur id apertè cõfiteri quamvis sit occultum, & interrogatio fiat, nullo præcedente indicio, semiplena probatione, vel infamia? Notare tamẽ oportet antequàm de iuramenti obligatione statuatur, inhabilitatem aliquando induci ex vi legis prohibẽtis facto ipso absque vlla condemnatione, vel iuridica declaratione criminis; aliquando verò sententiam condemnatoriam, vel saltem criminis declaratoriam postulare, & ante ipsam non incurri. Pendet autem ex verbis ipsius legis, ac mente legislatoris, vtro ex istis modis proponatur, faciliùsque in nostro casu, quàm in alijs intelligitur, induci ex vi solius legis. Quia exequutio ipsius non postulat vllam actionem patientis, nec eum privat bonis suis; sed alienis, nimirum communitatis Ecclesiasticæ, aut Civilis, quæ non vult illa conferre, nisi habentibus certas qualitates, scientiæ v.g. seu ætatis, aut defectum certi criminis. De quo accuratè Molina *tom.* 1. *de iust. & iur. tr.* 2. *disp.* 96. & plures alij ex scribentibus. Nobis autem in præsenti sufficit vtriusvis generis leges inhabilitantes dari, & hoc certum esse in genere.

11. Igitur si ex vi statuti inhabilitas solo ipso facto commendationis, aut subornationis occultę absque vlla iudicis sententia contrahatur; evidens est, subditum à Superiore suo sub iuramento interrogatum ex fine evitandi errorem, ac damnum ipsius Reipublicæ obligari ad respõdendum ad mentem interrogantis, & non posse crimen suum diffiteri, vt in officio permaneat, absque peccato periurij. Ita Suarez *vbi suprà num.* 11. Salon *tom.* 1. *in* 2. 2. *q.* 63. *in fin.* Vasquez, Montesinos, Basilius, Salas, alijque appellati *num.* 5. quorum doctrina in hoc maximè casu locum habet: neque facilè invenietur vllus Auctor, qui sub his terminis oppositum dixerit. Nam Sotus, & alij infrà adducendi, qui aliter sentire videntur, non loquuntur, nisi in casu, quo lex, aut statutum postulet sententiam iudicis. Et hæc est scandalosa alia, atque pernicioſa absurditas theseos damnatæ. Quia ex vna parte supponit, subornationem, commendationemve occultam fuisse verè criminosas, & proinde contra legem aliquam obligantem in conscientia Candidatos ad abstinendum ab ipsis (quamvis sola commendatio ex natura rei non foret crimen, & forsan nec subornatio, nam & illa solet quandoque esse licita) & aliunde non distinguit inter prædictos eventus, dum sub iuramento fit interrogatio ad detegendam (siqua interfuit) nullitatem promotionis ortam ex crimine occulto; sed indiscriminatim loquitur, & generaliter tollit obligationem iurandi ad mentem interrogantis, cùm sine dubio foret excipiẽdus is casus, quem proposuimus, qui non est extraordinarius circa istud genus bonorum; sed obvius, & satis frequens in Collegijs, Religionibus, Ecclesijs, ac Civitatibus, & Communitatibus reliquis, quas percurrit singillatim Azor 1. *p. lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 4.

12. Porrò quòd in illo vrgeat obligatio iurandi syncerè, ac candidè,

dè, demonstrativè suadetur. Tum à priori, quia iuramentum istud non defertur ad vindictam criminis commissi in transgressione statuti, nec de pœna illius hîc agitur; sed de exclusione inhabilium ab officijs, quorum se incapaces reddiderunt facto suo, licet occulto. Tum à pari ex his, quæ diximus cum P. Sanchez, & communi omnium Doctorum de criminibus occultis inhabilitantibus ad matrimonium, ordines, aut beneficium: fatenda enim sunt absque vlla ambiguitate, non secùs, quàm impedimenta alia, quæ absque peccato inhabilitant, & manifesti periurij reus foret, qui illa negaret, quavis restrictione adhibita, ne manifestatio sibi esset obstaculo perveniendi ad destinatum finem. Tum vlteriùs, quia in præsenti inhabilitas contracta reddit promotionem nullam, & illicitum promoto quodvis eius exercitium, vt in matrimonijs accidit, quamvis contracta sint in facie Ecclesiæ cum impedimento dirimente occulto; nemini autem sua malitia, qua se immiscet istis actibus, nec vult ab illis desistere, debet suffragari, vt iuret contra mentem iudicis interrogantis, cùm iure suo non vtatur; sed potiùs iure non suo ad iudicem decipiendum, & persistendum in vitio.

13. Tum præterea, nam quod quidam dicunt ex Bartolo *in L. 2. C. si servus, aut libertus. lib.* 10. eum, qui promovendus est in iudicem, si interrogetur, vtrùm aliquod impedimentum habeat, non teneri ad illud manifestandum, si occultũ sit, locum habet in infamia, aut impedimentis alijs, quæ dum occulta sunt, non inhabilitant, nec impediunt administrationem officij, vt cum Abbate notat Sanchez *dicta disp.* 14. *num.* 5. & Lessius *eo num.* 48. vers. *Ex dictis, prope fin.* In nostro autem casu aliter evenit, quia subornatio, aut commẽdatio, tàm publica, quàm occulta, ipso iure inhabilitare ponitur, & ideò non est mentienda ad normam aliorum criminum, quæ non impediunt, nisi fuerint publica; sed ad mensuram illorum, quę, tametsi occulta, nocent, redduntque invalidum actum, & vsum illius illicitum, vt impedimenta matrimonij. Quamquam, etiam posito valore actus, satis esset, quod non posset exerceri absque peccato, vt obligatio iurandi palam, & apertè incumberet, sicut irregularibus accidit, qui, tametsi validè ordinentur sua inhabilitate non obstante, & plures actus ordinis valide exerceant; nihilominùs quia ab vsu illorum suspensi sunt, adhuc debent pandere crimen occultum, dum interrogatio fit ad perseverantiam mali auctoritate publica impediendam.

14. Tum demum, quia sic promotus nullam habet iustam causam non parendi præcepto Superioris exigentis responsionem claram, atque suæ menti conformem. Ergo neque vtendi restrictione occulta, seu verbali, seu mentali; sed sua sponte ita respondet, atque ideò evitare nequit simul cum transgressione præcepti crimen mendacij, ac periurij. Consequentia evidens est ex his, quæ iam anteà diximus, præsertim *dissert.* 14. *cap.* 4. de restrictionibus merè voluntarijs, & de speciali obligatione abstinendi ab vsu illarum, quæ interdum oritur ex obedientia, iustitia, aut alijs virtutibus distinctis à veracitate. Antecedens verò exinde patet, quia talis causa, aut sumeretur ex eo, quòd parendo Superiori promotus excludendus est ab officio, & electio ipsius cassanda, aut ex eo, quòd famæ suæ, alioqui illæsæ, præiudicare non debet, & esse vnicus, aut primus testis criminis à se patrati. Porrò isti meri prætextus sunt apertè destituti colore omni rationabili.

Nam

15. Nam officium ipsemet promotus tenetur non acceptare, aut dimittere, quamvis non interpelletur, neque ad iurandum cogatur, cùm agnoscat, se esse intrusum, & incapacem obtinendi, retinendi, aut licitè exercendi illud. Privatam verò famã suam tueri non potest adversus præceptum Regis intendentis aliud bonum longè maius bono famæ, aut punitionis eius. Nam à peccato intrusionis, ac retentionis iniquæ eum in futurum præservat, & bono communi providet, ne cum præiudicio habilium inhabiles præficiantur, & posthabitis dignioribus, qui suis meritis nituntur, non verò favore, ac munere, officia propria Reipublicæ ijs per errorem donentur, qui ad ea obtinenda, aut retinenda omni prorsus iure carent. Sibi autem imputare debent in eas angustias redacti, non autem Regi, aut Reipublicæ, quòd se se ambitiosè ingesserint, & persistant contumaciter in proposito adquirẽdi contra voluntatem veri domini bona illa, quæ ipse iure optimo dare non vult, nisi illis, qui ea morum honestate sunt præditi, qua prędicta crimina excludantur.

16. Quare non solùm tenetur sic promotus se ipsum prodere, nisi detrectet officium, cùm personaliter interrogatur de inhabilitate sua quoad hunc effectum; sed etiam cùm inquisitio instituitur virtute monitorij generalis præcipientis revelare criminosos istos sub excommunicatione latæ sententiæ. Nam cùm inquisitio non tendat ad vindictam purè præteriti criminis, vnde promotus contraxit inhabilitatem suam; sed ad præcavenda peccata, extirpandasque morales eorum occasiones, vel alia similia damna alioqui permansura, aut impendentia, Ecclesia iuridicè interrogat, & ipsemet criminosus, cuius emendatio procuratur, mandato parere debet, nisi recuset officium. Et alioqui excommunicationis vinculo innodabitur, vt innodaretur ille, qui simili monitorio non pareret promulgato ad detegenda impedimenta occulta Ordinum, aut matrimonij.

17. Omnium quippe est eadem ratio, vt Raynaudus bene vidit *tom. 14. de monitor. Ecclesiast. 1. p. quæsito 10. ante fin.* cùm idem statuisset de testibus, *quæst. 2. vers. Respondeo secũdò*, & ante ipsum Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 13.* qui *num. 5.* id extendit etiam ad eos testes, qui noverunt sub secreto, sed extra confessionis sigillum, illa impedimenta, quæ matrimonium non dirimunt. Quæ est doctrina communissima apud Diana *p. 3. tr. 4. resol. 221.* licet eam ex parte vellicet Basilius Legionensis *dicto lib. 5. cap. 34. à num. 4.* Videatur præterea idem Sanchez *lib. 6. consil. cap. 3. dub. 26. num. 4.* vbi generaliter loquitur de omni criminum inquisitione instituta ad præcavendum grave damnum tertij, vel communitatis, quod aliter nequit impediri, dicens esse *conclusionem certam apud omnes.*

CAPVT III.

An in nostro casu ad mentem iudicis respondere teneantur, qui ex vi sui criminis non sunt inhabiles ante sententiam iudicis?

18. NEgativè respondendũ videtur ex his, quæ tradunt in simili Soto *lib. 1. de iust. q. 6. art. 6 ad 4. vers. De legibus autem*, & clariùs *lib. 4. q. 6. art. 3. sub finem.* Martinus de Ledesma *2. 4. q. 18. art. 2. fin.* & cum alijs valde doctis, tametsi

innominatis, P. Sanchez *lib. 2. consil. cap. 1. dub. 52. num. 5.* aiunt enim, quoties eligentis inhabilitas (eadem autem est ratio de inhabilitate electi) non est contracta ipso facto, donec per sententiam iudicis crimen subornationis declaretur, reum non interrogari iuridicè, nisi præcedat infamia, vel probatio semiplena, &, quod hinc sequitur, non esse obligatum respondere ad mentem eius, nec peccare occultando veritatem facti per verba sensus ambigui, quamvis interponatur iuramentum. Quam sententiam P. Suarez probabilem esse censet *eo cap. 9. num. 12.* & supposito eo principio de inhabilitate non contracta ante sententiam, satis apparenter persuaderi valet.

19. Iam enim vidimus, reum non interrogari iuridicè de crimine occulto, si interrogetur ad pœnam, & proinde nec teneri ad respondendum Superiori interroganti ad mentem eius; sed ad suam. In præsenti autem sic accidit, quia eiusmodi inhabilitas non est nisi pœnalis, & interrogatio criminis ad hoc dirigitur, vt fatente ipso veritatem, pœnam inhabilitatis subeat, cuius anteà immunis erat, & privetur iure eligibilitatis, & capacitate ad Magistratum, quam possidebat legitimè, antequàm condemnaretur. Confirmatur. Nam prædicta interrogatio non ordinatur ad impediendum subornationis peccatum, cùm illud sit iam commissum; neque ad evitandum crimen, quod alioqui committeret subornatus eligendo, aut occultus subornator acceptando promotionem suam: neuter enim peccabit ijs actionibus, cùm vterque vtatur iure suo, & nondum sit inhabilis, dum eas exercet; sed mediante sententia iudicis inhabilitandus, si suum crimen fateatur. Igitur re vera tota eiusmodi inquisitio eò tendit, vt purè præteritum peccatum subornationis puniatur; nõ verò ad vitandam culpam, vel iniuriam tertij imminentem in futurum. At, cùm inquisitio ad pœnam per se primò destinatur, ordo iuridicus servari debet, qui præviam infamiam postulat, & neminem cogit, vt contra se ipsum fit accusator, testisque potissimus in iudicio criminali.

20. Et profectò ista doctrina non videtur improbanda, si inquisitio de occultis instituatur, non circa promovendum; sed circa promotum, & iam fortè constitutum in sui possessione officij. Quia is, vt vidimus, neque acceptando peccavit, neque peccat exercendo illud, cùm adhuc non sit inhabilis; sed desit sententia declaratoria criminis, quæ ad hunc effectum supponitur necessaria. Quocircà neque inquirendo intenditur præservatio ipsius à continuatione, seu persistentia in peccato, nec Reipublicæ consulitur impediendo nullitatem actorum, quæ ab eo geruntur. Valida enim sunt, cùm ab inhabili non proficiscantur, & valida remanerent, quamvis posteà declararetur inhabilis, & sentẽtia quoad effectum istum non esset retrotrahenda ad diem commissi criminis, cùm inhabilitas eo toto tempore fuerit occulta, & communi errore populi, atque colorato titulo is reputaretur habilis securiùs, quàm servus ille intrusus ad Magistratum, cuius acta sustinentur ob favorem boni publici *in L. Barbarius. ff. de officio Præsidis.*

21. Vnde in hoc casu nullum bonum speciale præponderans famæ intenditur, aut emolliens magnam illam duritiem, quæ in eo cernitur, quòd aliquis cogatur præcepto iudicis esse contra se testis vnicus, & suæ punitionis Auctor. At verò de nondum promotis est longè diversa ratio: quia inquisitio per se primò non dirigitur ad pœnam; sed ad impediẽ-

dam

dam iniustitiam electionis, & mala publica imminentia ex eo, quòd Magistratus, & alia similia officia muneribus, ac favore inter cives distribuantur. Porrò in ordine ad hunc finem rectè inquisitio instituitur, etiam de occultis, & criminosus ipse iure interrogatur, cùm se statuto voluntariè subijciat conditionem istam inter alias postulanti, vt iustitia distributiva servetur, & personarum acceptio non gliscat. Quare sicut rectè non promotus sub iuramento interrogatur de inhabilitate occulta iam anteà ob crimen contracta, vt constat ex suprà dictis, ita etiam interrogari potest de crimine, propter quod inhabilitari debet, priusquàm mittatur in possessionem officij. Nec quidquam obstare potest, quominùs Rex, aut Respublica hanc ab ipso conditionem exigat, vt interrogationibus sibi factis verè respondeat, & non aliter ei conferre velit ius ad Magistratum, vel alia bona communia.

22. Diligenter itaque considerari debet, an iuridicè fiat interrogatio de impedimentis occultis, tàm inhabilitantibus, quàm impedientibus licitam administrationem officij. Nam, si iuridicè fiat, vt sæpe accidere ostendimus, proculdubio interrogatus fateri debet suum crimẽ, & periurus erit, sive taceat, sive quibuscumque vocibus veritatem occultet: agit enim contra obligatoriam, & iuratam promissionem respondendi candidè ad interrogata, quam violat etiam tacendo, cùm respondere promiserit, ac iuraverit. Quòd si non præcisè taceat, sed crimen positivè inficietur, periurium assertorium committet, qualicumque restrictione vtatur. Neque enim restrictio liberat à periurio, aut à mendacio dum adhibetur absque idonea causa; in præsenti autem tantum abest, vt idonea causa subsit, quòd potiùs adsit contraria. Iudex quippe iustè interrogat, & iustè præcipit, vt iuxta mentem suam sibi respondeatur; secluſa autem ignorantia, quæ in hoc casu non intervenit, fieri nequit, vt occurrat bellum iustum ex vtraque parte.

23. Quinimò si in ipso actu promittendi, & iurandi se dicturum veritatem, habebat animum reus negãdi eam sub restrictione occulta, seu mentali, seu verbali, iam tunc periurium assertorium perpetravit, à quo liberari nequit, quamvis posteà palam crimen suum fateatur. Nam, cùm propositum illud sit propositum iurandi cum restrictione sine sufficienti causa, imò cum causa obligante ad non vtendum restrictione vlla, ex tunc periurij crimine involvitur, quia efficax voluntas periurandi malitiam periurij continet, & in illis circumstantijs restrictio minimè iuvat, cùm pro non adiecta habeatur iuxta ea, quæ fusè statuimus, cùm de licito, aut illicito vsu illius tractabamus. Et, quod plus est, iam tunc agitur cõtra veritatem de præsenti, quæ promissioni debetur, & ex eo capite incurritur periurium assertorium consummatum. Nam promittens se dicturum veritatem interroganti iuridicè, promittit se responsurum, sicut respondere debet, & proinde iuxta mentem eius, & de hoc ipso iuramẽtum postulatur. Atqui eo proposito imbutus non habet de præsenti voluntatem respondendi ad eius mentem; sed potiùs contra illam. Ergo periurium committit, non secùs, ac quivis alius, qui promissionem iuramento confirmat cum proposito illam non implendi, sed potiùs agendi contrarium.

24. Iam verò si interrogatio de occultis iuridica non sit, sed contra iuris ordinem, exploratum apud omnes est, reum non debere confiteri

crimen suum, nec promittere, iurare, aut respondere ad mentem interrogantis; sed medijs alioqui licitis posse suam famam tueri contra iniquam vexationem iudicis, & iure defensionis sese præservare ab iniusta compulsione, quam patitur ab eo, qui tunc non agit tanquam iudex, neque vt talis præcipit; sed tanquam homo privatus vsurpans sibi iudicium. At quia plerumque appellatio in hoc casu non admittitur, nec permittitur detrectare iuramentum, aut promittere, vel respondere verbis æquivocis; sed reus & iurare cogitur, & respondere directè affirmando, vel negando, quod inquiritur, dubium est, vtrùm negare possit, & dicere absolutè *Non feci*, quod certò scit se fecisse, subintelligendo intra se, non feci *vt dicere tenear*, aut non feci *subiectus huic iudicio*, vel quid simile, quo adiecto, verificentur verba, quæ exteriùs promuntur?

25. Affirmant in proprijs terminis harum inhabilitatum P. Suarez vbi proximè, ac Sanchez *num.* 6. & generaliùs agentes de quocumque reo interrogato contrà iuris ordinem plerique ex laudatis *suprà dissert.* 16. *cap.* 1. inter quos valde accuratè rem tractat M. Bañez appellatus inibi *num.* 14. necnon Petrus de Ledesma *in summa. p.* 2. *tr.* 8. *de iust. commut. cap.* 24. *dub.* 2. *concl.* 4. *&* 5. dicens, esse *communem Thomistarum*. Tapia *in Catena moral. p.* 1. *lib.* 5. *q.* 12. *art.* 3. *num.* 2. subiungens, esse *communiorem*, *& in praxi moraliter certam*, Azor 1. *p. lib.* 11. *cap.* 4. *q.* 5. *regula* 2. ac novissimè Pisani *in præsenti. num.* 1. vers. *Sed contra*. Neque hoc pendet ex diversitate opinionum circa licitum vsum, aut non vsum restrictionum, quas Auctores vocant insensibiles, aut purè mentales, eo quòd adeò sint occultæ, vt nullo exteriori signo deprehendantur. Nam, vt alibi præmoneo, eæ opiniones sæpius quoad praxim non differunt, sed eisdem omnino verbis, ac modo respõdendi dimidiato vti permittunt. Vnde in casu, de quo loquimur, etiam hi, qui negativam apertissimè sectantur, vt Azor, atque Pisani, licitum esse pronuntiant absolutè respondere *Non feci*, & nihil aliud orationi externæ adijcere.

26. Esto namque interroganti non constet, an respondens restrictionem intra mentem suam adijciat, sicut opus est ad non mentiendum, sed illa occulta sit quoad exercitium; ei tamen exteriùs constat ex circumstantijs adiunctis licitè adhiberi posse, cùm sciat, se iniquè compellere ad respondendum iuxta mentem suam, & sibi imputare debeat, quòd præcepto omnino invalido ad responsionem constringat. Quare neque reum sic respondentem teneri ad restitutionem accusatori, vel iudici, si propterea infamiam contrahant, meritò notavit Tapia *ibidem num.* 5. neque enim iniustè agit, cùm prosequatur ius suum.

CAPVT IV.

Illationes ad pleniorem prædictorum lucem.

27. EX dictis primum infertur, non rectè Lumbier *in præsent. à nu.* 1586. & Martinum Brezmez Diez de Prado *in Theatro moral. propositt.* 28. totam causam proscribendi thesim, quam exponimus, ad hoc vnũ revocasse, quòd mentales restrictiones admiserit, cùm sint in vniversum damnatæ. Nam, si hoc ita esset, tam forent illicitæ, cùm reus interrogatur contra iuris ordinem, ac cùm servato iuris ordine à iudice interroga-

tur,

tur, & neutro in casu licerent, sicut non licet mendacium. Atqui illas nō esse illicitas, cùm iuris ordo pervertitur, & necessarius est vsus ipsarum ad redimendam gravem vexationem prætextu iudicij illatam, nuper ostensum fuit, neque huius casus exclusionem postulat, quod in præsenti decreto de restrictionibus traditur. Quapropter vera, ac genuina ratio vnde scandalosa redditur, atque perniciosa in praxi thesis proposita, sumi non debet ex principijs adeò generalibus; sed peculiaribus, quæ ad ipsam spectant, & declarata sunt *cap.* 1.

28. Infertur 2. In casu, de quo thesis disserit, valde temerè fuisse permissam facultatem respondendi negativè cum restrictione mentali Principi exigenti à subdito, interposito etiam iuramento, claram, & omnino apertam manifestationem criminis. Falsissimum namque est, reum non teneri fateri crimen occultum, cùm iuridicè de illo interrogatur: & omnino evidens, interrogari iuridicè, cùm interrogatio non tendit per se primò ad punitionem, sed ad præcavenda peccata, & impedienda alia damna perniciosa bono publico. Vnde in dicto eventu triplex peccatum mortale procul dubio committitur, ex mente omnium Theologorum, respondendo negativè. Primum est contra obedientiam Principis iure suo præcipientis planam, & minimè ambiguam criminis declarationem, si fortè fuerit commissum. Secundum periurij promissorij, quia subditus sub iuramento promisit externam confessionem veritatis, qualem exigebat Princeps, & hanc non exhibet; sed aliam subdolam, qua ille decipiatur, putetque, non fuisse admissum crimen, quod re vera est perpetratum. Tertium periurij assertorij, quia restrictio occultè adhibita non liberat à peccato, nec tollit crimen periurij, cùm est merè voluntaria, vt in præsenti contingit: nulla siquidem necessitas, aut idonea causa subest occultandi veritatem, cùm subditus ius suum non persequatur; sed iuri alieno repugnet.

29. Infertur 3. Eamdem thesim meritò fuisse damnandam, quamvis de restrictione mentali nihil omnino dixisset. Nam, vt prætermittam modò alias causas assignatas *cap.* 1. quod notabiliter dissonat simplicitati Christianæ, est asserere, in eventu ibi proposito subditum absque periurio posse respondere, *non habito respectu ad mentem exigentis iuramentum*, quasi de crimine occulto nemo iuridicè interrogaretur, aut quasi interrogatus iuridicè, silentio, vel aliis artibus licitè posset veritatem abscondere, cuius nudam confessionem sub iuramento promiserat. Quocirca licet damnata non sit in genere restrictio verbalis occulta, qua quis submissè, & imperceptibiliter profert additum, vnde completur veritas eorum, quæ audiuntur, & hoc *tenendum esse absque vllo scrupulo*, tradat Diez de Prado *suprà propos.* 26. *num.* 21. adhuc tamen in hoc casu damnata censeri debet, & eius vsus prohibitus. Nam qui sic se gerit, re vera non paret præcepto Principis ab ipso exigētis confessionem claram, & intelligibilem, nec respondet habito respectu ad mentem eius, sed illicitam promissionem violat occultādo veritatem, quam propalare promisit. Nec quoad hoc vlla est differentia inter crimen publicum, & crimen occultum, si vtrobique supponatur interrogatio iuridica.

30. Infertur 4. Quæ diximus, intelligenda esse de subornatore occulto, qui persistit in proposito obtinendi officium: nam, si ab eo desisteret, & iuri, quod ad ipsum habere exi-

stima-

ſtimatur, renuntiaret ante, vel poſt electionem, non deberet iudici fateri crimen occultum. Ita docent agentes de electoribus ſubornatis, & propterea ad eligendum inhabilibus, Vaſquez *ea diſp.* 168. *num.* 47. Salas *dicto num.* 44. *in fin.* & diſſerens tàm de electoribus, quàm de eligendis, Baſilius *vbi ſuprà num.* 3. *&* 4. necnō Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 14. *num.* 2. de illis tractans, qui ad ordines, aut matrimonium adſpirant, vbi *Dicendum eſt*, inquit, *teneri fateri, vel deſiſtere à matrimonio, quamvis impedimentum occultum, & infamatorium ſit.* Ratio autem, quare ſufficiat deſiſtere in his eventibus, ea eſt, quia deſiſtendo obtinetur finis quem intendit Princeps exigendo iuramentum, & fit ſatis menti illius. Non enim intendit pœnam, aut infamiam inquiſiti, neque ratione illius poſtulat notitiam criminis; ſed ne indigni eligant, aut eligantur, aut ne ipſorum electio confirmetur ob ignorantiam indignitatis ipſorum, & mittantur in poſſeſſionem officij, aut in eius adminiſtratione, ac vſu illicitè maneant ob inhabilitatem occultam. Cùm ergo iſti deſiſtentes præveniant omnia hæc incommoda, & ipſemet ſponte ſua abſtineant ab illis iuribus, officijs, aut Sacramentis, à quibus repellerentur facta confeſſione criminis, non eſt cur ad illam adſtringantur cum præiudicio ſuæ famæ, neque id eſt de mente Principis iuramentum poſtulantis.

31. Infertur 5. cum Leſſio *dicto cap.* 42. *num.* 48. eum, qui commendatione, aut muneribus gratiam electorum ſibi conciliavit, vbi eiuſmodi ſtatuta, & iuramenta ſunt in vſu, ſaltem teneri factum ſuum revocare, re adhuc integra, hoc eſt, ante electionem, & procurare viriliter quantum eſt ex ſe apud alios, vt nullam rationem habeant commendationis, aut muneris, neque in eligendo quidquā aliud ſpectent, quàm bonum commune, & merita perſonarum. Ratio autem in aperto eſt. Quia, niſi id faciat, & adhuc perſiſtat in propoſito obtinendi officium, ex tunc periuriū amabit in ſua cauſa, & tacitè conſentiet in ipſum. Iurare enim cogetur, ſi eligatur, & negando ſe hiſce medijs de facto promotum fuiſſe, manifeſtè peierabit, loqueturque contra mentem ſtatuti, ac Superioris interrogantis legitimè. Porrò vnuſquiſque tenetur non adhibere illam cauſam, & non conſervare adhibitam, quam videt cum periurio connexam, & non reddere ſe ineptum ad iurandum, ſi eligatur, contra intentionem iuridicam obligantis ad iurandum titulo boni communis potioris famæ privatæ.

32. Addit Leſſius, ſi electores ita fecerint, vt ab ipſis poſtulatur, & nulla habita ratione commendationis aut muneris, ſua ſuffragia illi detulerint, iurare licitè poſſe, ſe ijs medijs vſum non fuiſſe, quia non fuerunt efficacia, nec habuere vllum influxum in electionem de facto; ſed perinde eſt, ac ſi non fuerint adhibita, poſtquàm fuerunt tempeſtivè revocata. Cœterùm ſi munera non ſint reſtituta, ſed adhuc apud electorem maneant, neque commendatio retractata poſitivè ab eo ipſo, qui eam interpoſuit, mihi difficillimum appareret, quòd per ſolam pœnitentiam, aut exhortationem ambientis eorum influxus tollatur, & longè difficilius, quòd ſublatum eſſe conſtet ea morali certitudine, quæ exigitur ad iurandum. Vbi autem certò conſtiterit, nullum influxum habuiſſe, & retractationem fuiſſe prorſus efficacem, etiam conſtat, promotionem ijs medijs non eſſe factam; ſed intentatam ſolummodò, atque ideò rectè promotus iurare poterit, ſe non eſſe electum

ctum commendatione, vel munere, neque his mediis vsum fuisse, subintelligendo scilicet *cum effectu, & efficaciter*: id enim est, de quo inquiritur.

33. Neque propterea iurabit contra mentem iudicis, aut statuti, quia eius verba, quoties aliud non exprimitur, cum effectu intelligenda sunt, & non de solo conatu irrito, ac inefficaci, vt constat *ex L.1. §. Hæc verba. ff. Quod quisque iuris*, qui translatus est ad ius Canonicum *in cap. Hæc autem verba. 17. de pœnit. distinct. 1.* Restrictione igitur vtitur, habito respectu ad mentem exigentis iuramentum, quod Pontifex non damnavit; sed de sola mentali restrictione fuit loquutus, qua iuramentum præstatur in eo eventu, non habito respectu ad intentionem rogantis. Quo fit, vt illa efficaci retractatione supposita, subditus non teneatur confiteri crimen suum. Nemo enim fateri debet crimen occultum impertinens ad propositum, de quo tractatur; impertinens autem est, quod nullum effectum habuit, ac si quis misisset munera, quæ elector nō acceptavit, vel impetrasset litteras commendatitias, quas postea non voluit dare. De quo postremo casu, & latè, & optimè differit, plurima è re nostra congerens Navarro *lib. 5. consilio 20. de sent. excommunic. iuxta edition Lugdun. Ioannis Baptistæ Buysson. anno 1594.*

CAPVT V.

Aliæ illationes spectantes ad illos, qui interrogati iuridicè negant crimina inhabilitantia.

34. INfertur 6. Illum, qui cùm verè esset inhabilis inhabilitate occulta contracta solo ipso facto ob crimen subornationis, negat sub iuramento suum delictum cum restrictione mētali, etiam postquàm est promotus, esse re vera periurum, nisi desistere malit. Ratio sumitur ex dictis, præsertim *cap. 2.* Nam ille iuridicè interrogatur de inhabilitate occulta, ac ratione illius de crimine, vnde causam habuit; & inquisitio ad vindictam per se primò non dirigitur; sed ad detegendam nullitatem electionis, & impediendum peccatum, quod electus acceptando committet, aut vtendo ministerijs officij sibi delati. Irrita namque fuit eius electio, quia re vera erat inhabilis, & quamvis per ignorantiam missus sit in possessionem, non est possessor bonæ fidei, nec legitimus; sed iniquus detētator, in præiudicium habilium, & contra mentem Reipublicæ nolentis officia sua incapacibus præstare. Et, cùm alia via sibi consulere possit, scilicet officium detrectando, aut continuationem eius, nulla necessitate ad sic iurandum constringitur; sed id sponte sua facit. Iam autem visum est in superioribus, voluntarias, & occultas restrictiones, quamvis causâ vtilitatis fiant, nil prodesse ad excusandum.

35. Oppositum sentire videtur Lessius *dicto num. 48.* quoties electio est iam facta, & nullus locus relictus retractationi efficaci subornationis, *quia,*

quia, inquit, *non teneris fateri crimen occultum, cùm non est infamia, aut probatio semiplena, aut indicia æquipollentia, vt communiter Doctores tradunt, de quo sup à cap. 31. dub 3.* Sed profectò ex eo ipso loco, ad quem se remittit, patet loqui in casu, quo inquisitio fiat ad pœnam, & ideò non sit iuridica, quia dum fit ad impedienda peccata potiùs, ait, non requiri prævium criminis infamiam. Imò in eodem *num.* 48. expressè agnovit obligationem pandendi crimina occulta, quæ licitam officij, aut status assumpti exequutionem impediunt, vt in Ordinibus, ac matrimonio contingit, & etiam in nostro casu. Neque enim licitè potest promotus exercere illud officium, cuius scit se esse incapacem. Tantum vero abest, vt Lessius annuerit propositioni damnatæ, vt etiam casu, quo subditus non debet fateri crimen propter defectum infamiæ, solùm ei permittat sano modo iurare, se illius expertem, *si necesse fuerit, vt si nec officium, nec iuramentum possit detrectare.*

36. Infertur 7. ex Vasquez *dicto num.* 47. quoties inhabilitas ipso iure non contrahitur, sed expectanda est sententia saltem criminis declaratoria ad illam incurrendam, subditum, qui peierando negavit crimen, negãdoque impedivit, ne sententia proferretur, adhuc remanere habilem. Quia neque per legem, neque per sententiam inhabilis factus est, aut voce activa, seu passiva privatus. Peccat quidem ille valde graviter negãdo crimen, de quo iustè interrogatur, sive quia infamia præcessit, sive quia in prædicto eventu ad inquirendum iuridicè non est necessaria infamia; sed inhabilitatem non contrahit, si absolvatur per sententiam iuxta allegata, & probata. Vnde nec posteà peccabit suffragando, si est elector, neque acceptando, aut exercendo officium, si ad illud promoveatur: iure namque suo id exercet, cùm adhuc capacitatem retineat, quam crimen, aut sententia ipsi non abstulit. Quinimò nec tunc tenebitur suum periurium retractare, quia finito iam iudicio finitur officium iudicis, & cum eo rei obligatio, & propterea id esse *extra controversiam* docuit Layman *lib. 3. sect. 5. tr. 6. cap. 5. num. 3.* ac pleniùs diversos casus, & status causæ distinguens Thomas Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 7. à num. 6.* & Card. de Lugo *disp. 40. de iust. à num. 17.*

37. Ex adverso sentiunt Sotus *citata q. 6. art. 3. in fin.* & Montesinos *num. 42.* periurum istum re vera manere inhabilem, ac si crimen fassus esset, & talis per sententiam declaratus, quia periurus esse nequit melioris conditionis, quàm professor veritatis. Et, cùm ille per iniuriam iustam sententiam abstulerit, consequens est, vt reparare debeat omnia damna ex suo suffragio, vel electione sequuta illis, qui eligendi essent, sicut illa reparare debent illi, qui iam sunt inhabiles, & ijdem ipsi, si anteà præcessisset declaratio criminis inhabilitantis illos.

38. Attamen ista doctrina non modicam difficultatem patitur, &, in primis secum ipsa pugnare videtur. Nam si, posito periurio, contrahitur inhabilitas absque vlla prorsus sententia, evidens fit, illam contrahi *ipso facto* peierandi, quin opus sit declaratione periurij, aut alio ministerio iudiciali. At hîc non differitur de inhabilitate contracta solo ipso facto periurij, aut subornationis; sed de illa, quæ ante iudicis sententiam non contrahitur. Rursus, quamvis omnibus inspectis melior sit conditio illius, qui veritatem fatetur, &, ne peieret, vult esse inhabilis, quàm eius, qui peierando suam habilitatem retinet; inconveniens tamen non videtur,

detur, quòd in ordine ad officia, & temporalia alia commoda melior ſit conditio peccatoris, quàm illius, qui non peccat: ita enim paſſim vſuvenit latronibus, libidinoſis, ac alijs, qui peccatis tanquam medijs vtuntur, vt, poſthabitis æternis, divitias, delectationes, & alia huius vitæ bona, quibus iuſti deſtituuntur, cum effectu conſequantur.

39. Cuius rei morale exemplum ſumitur ex his, quæ accidunt illis, qui periurio, aut alijs doloſis artibus impediunt, pœnam lege taxatam applicari per ſententiam condemnatoriam, aut declaratoriam criminis fiſco, denuntiatori, vel alijs: neque enim eam debent ſolvere, aut ſe gerere perinde, ac ſi de facto condemnati eſſent; ſed illam ſibi retinere poſſunt, iuxta ſententiam, quam probabiliorem vocat, & huic noſtro caſui accommodat P. Suarez *eo cap. 9. num.* 13. annuente Bañez, Salon, Aragon, Vaſquez, Azor, Sanchez, Tannero, Villalobos, Leſſio, & alijs, quibus ſubſcribit Diana *p. 3. tr. 6. Miſcellan. reſolut.* 35. Quare licet peierando iniuſtè egerint, & contra religionem peccaverint, ac contra obedientiam debitam iudici legitimè poſtulanti claram confeſſionem criminis, aut etiam contra iuſtitiam legalem comparatione Reipublicæ, adhuc comparatione eligendi, vel illius, cui facienda erat applicatio, iuſtitiam commutativam non lædunt, & propterea minimè obligantur ad reſtitutionem ei faciendam; neque enim in ipſius gratiam inſtituta eſt hæc inquiſitio; ſed bonæ gubernationis intuitu, vt prædicti Auctores explicant, & optimè cum ipſis Palao *tom. 1. tr. 3. diſp. 2. punct. 12. à num* 5. Baldellus *tom. 1. Theolog. moral. lib. 5. diſp. 42. num.* 2. ex quibus ſupplenda ſunt plurima, quæ brevitatis ergo hîc omittuntur.

40. Infertur 8. Eum, qui iuſtè interrogatus negavit iudici iniuſtè inhabilitatem ſuam, & propterea declaratus eſt habilis, electuſque ad Magiſtratum, vel aliud officium publicum, puta Præbendam, aut Cathedram, debere illi renuntiare, ſi poſſit abſque magno præiudicio. Neque enim propter periurium reſtitutus eſt habilitati deperditæ; neque factus habilis ex vi electionis, cùm involuntaria fuerit ob ſubſtantialem errorem, qui fuit cauſa, & ratio illius; nec, ſtante inhabilitate ſibi cognita, per ſe loquendo ipſi licet, aut officio ſe immiſcere, aut munera propria illius executioni mandare veluti miniſter publicus. Alia fortaſſe eſſet ratio, ſi ſuppoſito periurio cogeretur ſub pœna valde gravi acceptare, & exercere officium, aut ſi ex non acceptatione, vel renuntiatione illius ſequeretur magnum ſcandalum, aut ignominia. Neque enim cum tanto damno ſuperaddito, & extrinſeco videtur obligandus eo durante ad deferendum officium. Cœterùm ſimilis caſus etiam poterit contingere irregulari, qui cogitur ſuſcipere ordinem ſacrum. &, ſervata proportione, idem dici debet vtrobique.

41. Concludo igitur ex dictis, iuridicè interrogatum, & nulla iuſta excuſatione munitum teneri ſuum crimen pandere, quamvis illud ſit occultum, & minimè ſatisfacere vtendo amphibologijs. Nam hoc regulare eſt, & receptum apud omnes cuiuſvis ſubſellij Auctores, vt ſuprà viſum eſt, & generatim obſervarunt cum Caietano, Soto, ac multis alijs Thomas Sanchez *in dicto cap.* 7. *num.* 1. & Leſſius *eo cap.* 42. *num.* 46. Idemque evenit, cùm iuramentum declarandæ veritatis exigitur ad inſtantiam alicuius privati, cuius intereſt ratione contractus illam nudè, ac candidè aperiri. Dixi autem conſultò eſſe

sermonem de eo, qui nulla iusta excusatione munitur. Nam per accidens interdum contingit, vt quamvis legitima sit interrogatio per se loquendo, & quantum est ex vi illorum, quæ necessaria sunt ex parte iudicis, reus nihilominùs peculiarem aliquam excusationem habeat, quæ ipsi ad tacendum sufficiat. Ita enim interrogatus de crimine dirimente matrimonium poterit illud negare, si pro suæ conscientiæ foro iam anteà impetravit dispensationem occultã. Er ita passim vsuvenit in ipsis Ecclesiæ præceptis, ieiunandi ex. g. vel audiendi sacrum, valde legitimè impositis, quæ excusationem admittunt infirmitatis, vel occupationis iustæ, ob quam cessat eorum obligatio in illis circumstantijs. Non est autem efficacius, aut vrgentius præcepto communi Ecclesiæ præceptum speciale iudicis.

42. Notat autem optimè Suarez *in dicto lib. 5. de legib. cap. 9. num. 14.* in nostro casu sufficientem excusationem censeri, si quis nequeat *respondere verum sine magno scandalo, vel infamia propria, vel inimicitia, vel alia simili gravi iactura.* Prudenter tamẽ adiecit, rarissimè in praxi contingere, vt eiusmodi excusationes locum habeant, etsi in rigore sufficiant ad negandum, tollendumque nunc peccatum inobedientiæ, ac periurij. Nimirum quia omnia ista incommoda possunt aliter vitari, non comparendo ad iurandum, aut desistendo ab officio, vel ita moderando responsionem suam, vt de inhabilitate ipsa constet, non verò de ipsomet crimine, ex cuius propalatione infamia gravis, scandalum, aut similia damna imminent.

CAPVT VI.

Expenditur invectiva quædam adversus Cardin. de Lugo valde immerenter prolata.

43. Occasione eorum, quæ diximus de obligatione respondendi ad mentem iudicis legitimè interrogantis, acriter invehitur contra Card. de Lugo Laurentius Maria Pisani *in præsenti num. 4.* eo quòd dixerit *disp. 40. de iust. & iur. à num. 14.* reum illum, qui præcedente semiplena probatione, vel infamia interrogatur de crimine præsertim capitali, non obligari ad confessionem illius, si spes evadendi sententiam mortis affulgeat: & adhuc detonat acriùs adversus Tamburinum *lib. 3. cap. 4 §. 3. à num. 5.* quia non solùm id extendit cum eodem de Lugo ad pœnam triremium, verberum, confiscationis, magnive dedecoris; sed etiam intolerabiliter ampliat ad malum leve effugiẽdum, nisi bonum commune Reipublicæ, vel damnum tertij aliud exigat.

44. Contrarium Pisani sequitur, ac tribuit Doctori Angelico, Sylvestro, Soto, Navarro, & alijs, traditque, fuisse communem opinionem per sæcula præcedentia hoc œvum, in quo cæpit obtinere laxitas. Ac tandem his verbis exclamat: *O sæcula! O mores! Trepidarunt Sancti Patres ad mendacij aspectum; integris linteis deglutire non erubescunt periuria moderni! O Divina lex, vbi observantiam invenies, si in his, quæ sunt primæ tabulæ, & negativa præcepta, tot reperiuntur effugia!*

45. Cœterùm, siquid culpatur in de Lugo, & Tamburino, multò potiori

potioti rationi detorqueri posset adversus duos graves Thomistas, nempe Sylvestrum, & Fumum, qui longè antiquiores fuerunt, & Pisani non pateretur recenseri inter modernos illos huius ævi, qui relaxant antiquam morum doctrinam. Vterque siquidem verb. *Confessio iudicialis*. primus *in summa num.* 2. alter autem *in Armilla num.* 8. cum Panormitano affirmat, reum tunc debere solummodò ad inquisitionem iudicis confiteri veritatem criminis, etiam notorij, aut semiplenè probati, vel de quo flagrat infamia, *quando agitur ad spiritualem pœnam, non ad aliam*: & hoc tantum sensu verum esse putant, quod de hac obligatione generaliùs videbatur tradidisse Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. Quocircà iuxta hanc sententiam in legitimo iudicio nulla erit obligatio fatendi crimen admissum, cum agitur ad pœnam corporalem, etsi demus eam esse levissimam: nulla, cùm ad pecuniariam: nulla, licet desit spes fugiendi pœnam temporalem amphibologica denegatione veritatis: nam in crimine notorio idem procedere dicitur. Quis autem non videat, hæc omnia à de Lugo, alijsque modernis non ampliata, sed valde restricta fuisse?

46. Propterea Petrus Navarra *lib.* 2. *de restitut cap.* 4. *p.* 2. *num.* 29. *in* 2 *edit. fol mihi* 617. hanc Sylvestri, Fumique doctrinam, pro qua appellat Angelum, & Alcocer, ita vniversaliter acceptam, sicut apud ipsos iacet, *falsam omnino* esse dixit, *& contra omnium ferè Theologorum sensum.* Nec qui posteà sunt sequuti, aliter existimarunt, quasi gravis obligatio respondendi verum nunquam apud eos vrgeret, nisi in causis, vbi in ordine ad spiritualem pœnam interrogatio dirigitur. Ita enim solæ censuræ Ecclesiasticæ, degradatio, depositio, increpatio, vel infamia sub hac regula comprehenderentur. Nam has duntaxat enumerant inter pœnas spirituales Sylvester, ac Fumus verb. *Pœna.* §. 2. ad quem ipsi se remittunt, vt hæ pœnæ secernantur ab alijs, quæ spiritales non sunt, & respectu quarum semper deficit, iudicio ipsorum, obligatio confitendi veritatem criminis. Cuiusmodi sunt pœna sanguinis, aut mortis, & aliæ afflictivæ corporis, vt carcer, ieiunium, exilium, confiscatio omnium bonorum, & pecuniariæ aliæ mulctæ, quæ ab ipsis eodem loco recensentur, & ab spiritualium numero excluduntur.

47. De hac sententia loquebatur, appellatis nominatim suis Auctoribus, Luisius Turrianus *disp.* 50. *de iust & inr. dub.* 2. *num.* 7. cùm dixit, eam esse omnino improbabilem, & non habere pro se, nisi auctoritatem trium, aut quatuor Summistarum. An autem excesserit, considerandum relinquo ipsi Laurentio Pisani. Excessisset autem proculdubio, si eâdem censurâ taxasset cum Texeda *tom.* 1. *Theolog. moral. lib.* 2. *controv.* 7. *num.* 80. opinionem, quam sequutus est de Lugo. Nam licet contraria sententia reos sine exceptione obligans ad confessionem sui criminis, de quo præcessit infamia, aut semiplena probatio, vel indicia æquipollentia, probabilissima sit, & communissima, eamque pluribus relatis defendat cum Angelico Doctore Thomas Sanchez *lib.* 6. *consil. cap.* 3. *dub.* 29. *num.* 4. nihilominùs illa, quæ excipit casum, vbi incurrenda est pœna mortis, facta confessione criminis, & evitanda meriò speratur, reo non confitente illud, & quæ id extendit ad alias ex gravioribus, qualis est pœna triremium, mutilationis, confiscationis omnimodæ, vel alia magni dedecoris, tot Auctores pro se habet, & adeò solidis rationibus nititur, vt fidenter Diana scripserit

(quamvis oppositæ adhæreat) *p.* 10. *tr.* 13. *resol.* 13. *improbabiliter vocari improbabilem, seu imprudenter*, vt Gibalinus statim referendus dixit.

48. Ibidem etiam eam dicit *receptam in Cathedris, & confessionalibus*, refertque plures Doctores, vt Bassæum, Bardi, Pellizzarium, Trullenc, Escobar, Gesualdum, vltra quãplures alios, quos exscripserat *p.* 2. *tr.* 15. *resol.* 27. vbi ait, esse *probabilissimam, & tutam in praxi*. Idipsum asservit Lugo *loco superiùs citato* adducens Petrum Navarra, Lessium, Suarium, Malderum, Henriquez, Salas, Vega, Emmanuelem Rodriguez, Filliũcium, Villalobos, Fagundez, Reginaldum, Peyrinis, Portel, atque Ioannem Sanchez. Et, qui rem exacte discutit, & istis adijcit, præter Tannerum, & Sa, iurisperitos non paucos, Dicastillo *lib.* 2. *de restitut. tr.* 1. *disp.* 6. *à num.* 20. concludens *num.* 22. hanc opinionem plus sibi placere, quàm contrariam. Quibus addendi sunt de eadem probabilitate contestantes Machado *tom.* 2. *de Perfecto Confessario. lib.* 6. *p.* 4. *tr.* 1. *docum.* 8. *num* 6. advertens, *esse communem*, Bonacina *in Decal. disp.* 10. *q.* 3. *punct.* 2. *num.* 7. Verricelli 1. *p. singular. opinion. tr.* 2. *q.* 31. *num.* 5. & 6. Fragoso *tom.* 2. *de regim. Reipub. Christ. lib.* 12. *disp.* 25. §. 3. *num.* 10. Raynaudus *tom.* 14. *p.* 1. *de monitor. cap.* 3. *quæst.* 10. *fol. mihi* 378. Busembaum *in medulla Theolog. moral. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 4. Angelus Bossius *in moralib. p.* 1. *de conscient. num.* 307. & ex novioribus Thomistis Serra 2. 2. *q* 69. *art.* 1. *dub.* 1. annuente insuper Iacobo Raggio *de regim. regul. centur.* 1. *p.* 3. *dub.* 68. *num.* 5. Ludovico Scildere *tr.* 2. *de consc. num.* 55. Gibalinus *de censur. fol. mihi* 97. Ianuarius *de casib. reser. resol.* 54. *num.* 2. & alijs relatis Didacus de Avendaño *in auctario Indico. p.* 1. *à num.* 572.

49. Accedit maximi momenti ratio. Quia iudici non est concessa facultas obligandi in conscientia reos in hoc casu ad apertam confessionem criminis: foret enim in destructionem potiùs, quàm in ædificationem, & re vera solùm deserviret ad implicandas conscientias laqueis inextricabilibus, & impervijs conditioni humanæ. Vix namque è millibus malefactoribus inveniretur vnus, vt experientia ipsa constat, qui cùm aliàs non esset occidendus, contra se testificari vellet, ac se certæ morti objicere ex solo metu peccati. Porrò lex humana debet esse morali modo exequibilis; non verò adeò dura, & aspera, vt desperetur exequutio ipsius propter summam rei difficultatem. Quare Angelicus Præceptor *quodlib.* 10. *art.* 9. *corp.* quamdam opinionem reijcit ex eo præcisè, quòd *nimis videtur aspera*. Et *quodlib.* 2. *art.* 8. *versus fin.* alios à peccato excusat, qui decimas non solvere consueverant, quia, inquit, *durum esset dicere, quòd omnes homines Italiæ, & Orientalium partium damnarentur, qui decimas non solvunt*. Nulla autem opinio durior, aut asperior illa, de qua nunc disquiritur, excogitari valet.

50. Confirmatur 1. Quia evitandæ mortis causâ quamplurima permittuntur, quæ alioqui illicita forent, & iuri alterius contraria, vt sustentari ex alienis, aut occidere aggressorem vitæ iniustum cum debito moderamine. Vnde iuxta S. Thomam, quem sequuntur omnes alij, 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. *Si aliquis sit cõdemnatus, vt fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat*. Imò (quamvis aliqui dissentiant) nisi sumeret, peccaret: *Quia*, inquit, *non sumere, esset seipsum occidere*. Quòd si leges, & præcepta humana regulariter non obligant, vbi adest vitæ periculum, quomodo obli-

obligare poterunt, cùm mors ipſa prævidetur certiſſimè ſequutura, ſi præceptum obedientia compleatur? Vtique actus adeò heroicos, ac difficiles, quales modò recenſuimus, nullus iudex poterit præcipere, nulluſque ſuperior, niſi neceſſarij ſint ad ſubveniendum Reipublicæ graviter periclitanti.

51. Confirmatur 2. Quia in hoc caſu reus ſuo teſtimonio poſitivè cõcurreret ad mortem, quam eſt paſſurus, ſicuti concurrunt teſtes, qui adverſus ipſum teſtantur. Onus autem eſt vix ſupportabile, ipſum ſub peccato gravi obligare ad hunc concurſum, cùm obſiſtat in contrarium ſumma, & honeſtiſſima inclinatio conſervandi proprium eſſe, quivis indita à natura. Quamobrem neque reus abſens in cauſa ſanguinis, aliiſque affinibus tenetur comparere coram iudice, quamvis ab eo vocetur per edicta. Neque damnatas ad mortem, verbera, aut triremes debet remanere in carcere, ſi citra iniuriam aliorum fugam arripere valeat. Nec teſtes valde coniuncti, vt Vxor, Filius, aut Pater, obligantur in his cauſis ad teſtificandum contra ſuos, vt ex iure poſitivo conſtat, quod naturale potiùs declaravit fundatum in hac magna coniunctione, & morali quaſi identitate perſonarum, quam id indulſit de ſuo. Si ergo naturalis charitas, & moralis quaſi identitas hoc præſtat reſpectu aliorum, quid vnicuique præſtabit iuris erga ſemetipſum, cui nemo alius eſſe poteſt magis coniunctus, aut charior?

52. Et hæc quidem licet efficaciùs vrgeant, cùm de pœna mortis agitur, ſervata proportione, locum obtinent in alijs pœnis minoribus; ſed ex ſe non parum gravibus, vt mutilatione, carcere perpetuo, infamia, aut alijs, quæ mors civilis dicuntur, vel mors quædam prolongata, & morali æſtimatione morti ipſi interdum æquiparantur. *Melior eſt enim mors, quàm vita amara*, vt animadvertit Sapiens *Eccleſiaſt.* 30. 17. Vnde Auctores præcitati de hiſce pœnis ſentiunt pariformiter, nec diſſentiunt adverſarij: quia, admiſſa ſemel exceptione veræ mortis, omnes eorum rationes enervantur, locuſque apertus relinquitur cæteris, quarum magnitudo ſolet deterrere viros alioqui valde conſtantes, & propter quæ evitanda quandoque licere creditur mortem ipſam exoptare, iuxta ea, quæ ex profeſſo habentur *ſuprà diſſert.* 9. *cap.* 6. *&* 7.

53. Cùm verò duntaxat agitur de effugienda pœna alia leviore, aut abſolutè levi, Tamburinus non docuit aſſertivè (vt ipſi imponit Piſani) etiam tunc licitum eſſe diffiteri crimen aliàs ſemiplenè comprobatum, nec quoad hoc Sylveſtro aſſenſit, aut Fumo; ſed ſolùm ſub dubio dixit, *à mortali fortaſſe eſſe excuſandum*, niſi bonum commune, aut amor proximi poſtulet rem fieri aliter. Ratio ipſius fuit inter alia, quia in hoc eventu ipſum præceptum leviter tantùm obligare videtur, & leve eſt damnum Reipublicę, quamvis leves iſtæ pœnę ex defectu plenæ probationis, quam compleret rei confeſſio, de facto non imponantur. Sed lenimentis iſtis non obſtantibus, contrarium tenendum reor cum Card. de Lugo loco citato *num.* 16. *verſus fin.* cui cæteri adſtipulantur, adducti *num.* 48. nullus enim huiuſce extenſionis meminit, & eam excluſere ſatis, cùm ſolùm excipiunt mortem, aliaſque ex pœnis gravioribus à regula generali.

54. Et profectò neque eiuſmodi præceptum eſt de re ſumme difficili; nec poteſtas imponendi illud ſub obligatione gravi excedit facultatem Reipublicæ, quæ ad alia ſimilia incommoda cives ſolet obligare; neque

que expediens est, vt illa nunquam vtantur iudices, cùm gravitas criminis non est tanta, vt per tormenta iustè possit extorqueri candida confessio veritatis. Quia, deficiente vtroque metu, tàm tortutæ, quàm periurij, & inobedientiæ gravis, cum maxima illius pernicie ex defectu probationum impunita remanerent non solùm delicta promerentia levem pœnam, sed etiam pleraque alia, vtique graviori digna, sed non tanta, qualem poscunt, quæ tacente, vel negante reo interventu tormentorum legitime examinantur. An autem ob parvitatem materię præceptum iudicis obliget aliquando tantùm sub veniali, sive immediatè ad veritatem candidè aperiendam, sive ad præstandum iuramentum respondendi iuxta mentem eius, ex communibus principijs legum, atque præceptorum admittētium materiæ parvitatem decidendum est. Dummodò rectè applicentur, quia in ordine ad finem propriũ iustitiæ vindicativæ, & damnum publicum ex impunitate resultans sæpe sæpius grave erit, quod intra genus pœnæ leve apparet.

55. Leve quoque Tamburinus iudicat inibi *num.7.* si reus neget cum æquivocatione veritatem, quando nulla spes affulget evitandi pœnam capitalem: quia tunc ad summum offenditur iudicis potestas in re levi, nec pœna iusta evitatur, cùm reus sit certò plectendus, qui iam aliunde supponitur aut convincendus per testes, aut convictus ob notorietatem facti. Cœterùm duntaxat loquitur, vt ex ratione ipsius patet, de peccato pervertendi iustitiam vindicativam, & inobedientiæ erga iudicem legitimè interrogantem reos de capitali crimine saltem casu, quo non deficit eiusdem plena probatio. Et restringendo quæstionem ad hos terminos, non videtur adeò facile ostendere, in hoc eventu dari istud genus peccati, quamvis reus negando mentiretur, quia mendacium officiosum potiùs reo appareret, quàm pernicioſum iudici, aut communitati pariter exequuturæ mortem, satisfactumque vindictæ publicæ, eo confitente, aut negante. Absolutè autem longè meliùs reliqui dixerunt, absque peccato mortali non posse negari crimen, nisi spes affulgeat mortem declinandi.

56. Tum quia sicut inutilis est ad tuendam vitam negatio criminis reo planè convicto, & æqualiter puniendo, licet non confiteatur, ita Reipublicæ parum vtilis interrogatio videtur ex abundanti præcisè, & ad pleniorem comprobationem dũtaxat, & ideò interrogari non solet, nec torqueri, nisi ob complices, vel alios fines, ex quorum levitate, aut gravitate mensurari debet huiusce peccati gravitas. Tum quia prædicta interrogatio nõ fit in iudicio absque interpositione iuramẽti, & propterea peccatum grave periurij nunquam potest evitari, quamvis reus in promittendo vtatur restrictione aliqua occulta: nullam enim iustam causam habet; sed merè voluntariè adhibet illam, cùm neque ad fugiendam mortem, neque ad aliud ius tuendum restrictio sibi sit vtilis, nedum valde necessaria. Tum quia ibi fere semper admiscebitur lethale peccatum scandali, nam in foro externo ille periurus censebitur, & in suo peccato obstinatè perseverans, non obstante spirituali aliorum damno. Qua ratione Tamburinus ipse excepit cum P. Sãchez *lib.3.in Decal. cap.7. num.11. in fin.* crimen hæreseos, obligavitque hæreticum negativum ad confitendum suum crimen, etiam finito iudicio, ne decedere credatur pertinaciter in hæresi, de qua est convictus, & vivicomburio mancipatus per sententiam.

CA-

CAPVT VII.

Enodantur argumenta: & ibi vtrùm poſſit dari bellum ab vtraque parte iuſtum inter iudicem, & reum ob opiniones contrarias?

57. CONtra certam probabilitatem, & ſecuritatem opinionis, quam tractamus, præcipuum argumentum inde ſumitur, quod iuxta illam admittatur quoddam quaſi bellum iuſtum inter iudicem, & reum, ſecluſa vtriuſque ignorantia. Neque enim iudex ignorat, ſe interrogare de crimine promerente pœnam mortis, neque eum latet difficultas ſui præcepti; & nihilominùs licitè interrogat, & iuſtè obligat ad promittendum ſub iuramento claram, ac ſynceram confeſſionem veritatis, præcedente ſemiplena probatione, vel infamia æquipollente. Ergo ſi ex adverſo reus in eiſdem circumſtantijs ſibi notis poteſt licitè veritatem occultare cavendæ mortis prætextu, & media æquivocatione interrogantem eludere, vterque iuſtè procedit, ſcienterque inter ſe belligerantur ſervatis iuſtitiæ regulis in iudicio criminali.

58. Propterea Petrus Navarra *vbi ſuprà num.* 34. cui Peſantius, & nonnulli accedunt, non veretur admittere in hoc caſu bellum iuſtum ab vtraque parte, quamvis nullus invincibili ignorantia præoccupetur: vterque enim iure ſuo vtitur, iudex perconctando intuitu boni communis; reus verò veritatem abſcondendo, vt propriam vitam tueatur. Cœterùm, ſi ſermo ſit de bello hinc, & inde iuſto ſecundum rei veritatem à noſtris opinionibus independentem, vel, vt alij loquuntur, iuſto materialiter, implicatoria videtur hæc doctrina, & nuſquam admittenda. Aut enim iudex re vera excedit ſuam poteſtatem obligando ad confeſſionem veritatis, nõ obſtante ſupplicio mortis inferendæ, aut re vera eam non excedit? Si non excedit, bellum erit re ipſa iuſtum ex parte obligantis, & iniuſtum ex parte reſiſtentis, cùm ius, ac poteſtas iudicis defenſioni ipſius prævaleant. Si verò excedit, è contrario bellum hoc iniuſtum erit ex parte obligantis vltra ſuam poteſtatem, iuſtum verò ex parte reſiſtentis. Ergo tàm implicat bellum re ipſa, & materialiter iuſtum ex parte vtriuſque bellantis, quàm implicat, aliquẽ ſecundum rei veritatem excedere, ac non excedere limites ſuæ poteſtatis. Et hoc pariter procedit in quacumque pugna, aut lite civili, ſeu criminali, aut etiam caſtrenſi. Nam in rei veritate nunquam geret bellum ſecundum ſe iuſtum illa pars, quæ iuri alterius derogat potentiori, ac prævalenti ei iuri, quod ſibi adeſt.

59. Ideò expeditior ſolutio fert, in noſtro eventu dari bellum ab vtraque parte iuſtum formaliter, & iuxta conſcientiam; ſed non abſque ignorantia invincibili alicuius veritatis. Ob contrarias enim opiniones practicè, ac certò probabiles, quas iudex, ac reus ſequuntur, neque ille coram Deo peccat præcipiendo, neque iſte imperium detrectando; ſed vterque iuſtè agit, dum non temerè, ſed valde prudenter iudicant, vnus, eſſe ſibi licitum præcipere, velleque obligare; alius verò, ſibi etiam licere non obedire. Et, quamvis alter ex ipſis neceſſariò decipiatur, nam ex duabus opinionibus invicem contradicentibus vna debet eſſe vera, altera falſa; nihilominùs dum inculpatè ignoratur, quæ falſa ſit, aut quæ vera, & accuratum examen tot Doctorum

id

id discernere non potuit ob rationes iusti ponderis persuadentes, ac obstantes, quales sunt, quæ hîc intervenunt, vtraque pro vera haberi potest quoad effectum operandi licitè. Nemoque in hoc sensu diffiteri poterit, inveniri sæpe sæpius bellum ab vtraque parte iustum.

60. Verumtamen inde emergit haud dissimulanda difficultas. Quia esto prædicta sint vera, dum pugna est inter æquales, longè aliter dici debet, cùm contentio ista versatur inter Superiorem, ac Subditum, quales sunt iudex, ac reus. Superiori enim certò tali, ac præcipienti: iuxta opinionem probabilem suæ potestati faventem parendum est proculdubio, quamvis subditus speculativè contrariam opinionem sequatur, & concedere in hoc casu licitam non obediendi facultatem, ait Suarez *lib. 5. de legib. cap. 18. num. 20. nimia esset licentia, & multam confusionem, & scandala pareret.* Equidem etiam cùm subditus opinatur probabiliter, Superiorem non esse re ipsa talem, aut respectu, aut absolutè, quia credit electionem eius fuisse invalidam, sentiunt plurimi cum Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 3. num. 29.* necessariò esse obediendum, saltem si sit in possessione officij. Igitur à fortiori idem debet dici, cùm certa est Superioritas, ac certum præceptum, & probabilitas subditi solùm versatur circa qualitatem rei præceptæ, quam opinatur illicitam, vel adeò difficilem, vt excedat potestatem eius.

61. Respondeo 1. ab hac regula excipiendum esse cum eodem Sanchez *ibidem*, & pleniùs *num. 7.* casum, quo opinio probabilis, omnibus inspectis, dictat hîc, & nunc licitum esse subdito non obedire, quamvis etiam sit probabile ad obediendum teneri. Quam exceptionem non esse controversam, sed indubitatam, etsi subditus contra se habeat probabiliorem opinionem, tradit Raggius *dicto dub. 63. num. 3.* sequutus vtrumque Sanchez, & vtrumque Lugo, Sayrum, Petrum Navarra, Luisium de Torres, Palao, & alios valde communiter, licet ab illis discedant Salas, atque Bossius *suprà à num. 290.* Porrò casus, quem tractamus, est hic ipse. Nam opinio, quæ reis favet, id ipsis licere dictat, & sub eisdem circumstãtijs, quod alia putat illicitum: & pro eis faciunt illa omnia, quæ Doctores cumulant pro vsu licito cuiusvis opinionis certò, ac practicè probabilis. De quo alibi statuimus.

62. Quòd si fortè plus desideres, & exigas, vt opinio, quam subditus in praxi sequitur, non sit aliena, sed sua, aut communis, aut iudicio ipsius probabilior, neque hæc circumstantia deerit in præsenti. Quippe rei non occidendi, nisi ex sua confessione, facilè sibi appropriabunt opinionem, quæ ipsis favet in re tanti præiudicij. Illam verò esse communem, non tãtùm reorum, sed etiam iudicum, & iurisperitorum, fere centum ab hinc annis tradebat Emmanuel Sa, verb. *Iudiciales actus. sub titul. De reo.* vers. *Reus non est cogendus*, & posteà ex Theologis tot alij accessere valde probati iudicij, vt vel ipsi soli possent reddere istam opinionem communem, ac certò probabilem ab auctoritate extrinseca. Esse autem probabiliorem stando rationi, Lugo tradidit cum alijs, & multi ex anteà appellatis illam, omnibus inspectis, absolutè veram putant haud temerè, si rationes ipsæ iam adductæ perpendantur. Et, cùm hæc diversis intellectibus comparentur, nil obstabit, quominùs, & reus, & iudex inter se mutuò discordent, & quilibet absolutè veram, aut probabiliorem reputet doctrinam sibi faventem; contrariam autem reijciat tanquam veritate

tate deſtitutam, aut certè minùs probabilem.

63. Reſpondeo rurſus, plures etiam ex Auctoribus, qui prædictam regulam ſequuntur, excepiſſe inter alios noſtrum caſum. Aiunt enim, cùm ex obedientia certò ſequitur ſubdito, vel alij tertio grãde aliquod malum in bonis corporis, fortunæ, aut famæ, imponi non poſſe obligationem obediendi certam ob opinionem probabilem, qua Superior credit, quamvis cum formidine, ſe procedere iuridicè, & non obligare vltra limites legitimæ poteſtatis. Ita cum alijs viginti docet latiſſimè Boſſius *à num.* 301. cui adde Thomam Hurtado 1.*p. reſol. mor. tr.* 3.*cap.* 1.*reſol.* 5. qui plus addunt, nempe in hoc eventu vel rationabile dubium ſufficere ſubditis, ne præceptum exequãtur. Potiùs namque eſt reo faven-dum, & illi, qui futurus eſt in damno gravi, certòque ſpoliandus vita, honore, aut libertate, quàm illi, qui nullum damnum certò paſſurus videtur; ſed forſan agit iniuſtè. Et quamvis reus non ſit in poſſeſſione ſuæ omnimodæ libertatis; ſed potiùs ſubiectus iudici, vel Superiori; adhuc tamen talia bona iuſtè poſſidet, & ius, quo licitè poteſt ſuæ ſecuritati conſulere, & in caſu incerto à morte, vel alijs malis affinibus ſeſe indemnem conſervare. Iſtud namque ius præponderat iuri, quod tunc iudex habet, ſicut præponderat iuri, quod privati habent ad ſua bona, dum alter indiget ipſis ad ſuam vitam conſervandam, & in alijs occaſionibus, quas *num.* 50. *&* 51. indicavimus.

64. Sed dices. Eſto hæc ſint vera, cùm ex defectu obedientiæ non ſequitur aliud damnum, contrarium eſſe dicendum, cùm exinde bonum publicum periclitatur: ita autem in noſtro caſu contingit, quia niſi certa obligatio reis ſemiplenè convictis imponi poſſit à iudice, atrociora delicta non punientur iuxta meritum, & alij audentiores fient ad ſimilia perpetranda ob ſpem effugiẽdi mortem, niſi aliunde convincantur. Reſpondeo, idem inconveniens cogitari poſſe, tàm in iſtis, quàm in alijs gravibus, etſi minoribus, delictis ex eo, quòd reus obligari nequeat ad apertam confeſſionem veritatis abſque ſemiplena probatione, vel infamia: illa enim multoties deficit; & tamen non reputatur abſurdum, aut pernicioſum Reipublicæ, quòd ob defectum ipſius illa impunita remaneant. Non inficior, grave damnum publicum, imò privatum alicuius innocentis, quod aliter impediri nequit, ſufficere ad obligandum certiſſimè in hoc eventu, vt rectè perpendit Leſſius *lib.* 2.*cap.* 41.*num.* 46. verſ. *Adverte tamen*; ſed aio, longè efficaciùs impediri ſubijciendo reum torturæ, quàm obligando ad peccatum. Metu enim peccati vix vllus è malefactoribus fatetur; ſed vitæ amore obcœcantur, vt experientia demonſtrat, idque medium non occurrit malis publicis; ſed conſcientias reorum maculat. At verò metus torturæ ſæpius ab illis extorquet veritatem, quam negaverant, & in tormentis fatentur, quod alioqui diffiteri mallent. Vnde afflictivum hoc medium meritò introductum eſt iure ipſo gentium ad comprobationem criminum, quamvis non detur in pœnam veritatis denegatæ: nam tunc iudici adhuc eſt incertum, vtrum reus negativus loquatur verè, vel falſò.

65. Reſpondeo tertiò (ne quid deſit in re, quæ pleriſque alijs controverſijs inter Superiores, ac ſubditos, ſervata proportione, valet deſervire) regulam generalem *num.* 60. propoſitam non eſſe vſqueadeò certam, quin plures, graveſque Auctores

oppositam aut absolutè sequantur, aut valde probabilem esse diiudicēt, censeantque ex adverso, subditos non obedientes à culpa excusari, cùm probabiliter reputant, rem præceptam esse illicitam, aut excedere præcipientis facultatem. Ita in primis Gibalinus *tom.* 1. *de scient. Canon. lib.* 3. *cap.* 7. *q.* 5. *conclus.* 1. *num.* 1. addens, esse sibi *fere certum*, Petrus de Ledesma *in summa. p.* 2. *tr. de statibus. sub titul. de Religiosis. cap.* 4. Raggius *eo dub.* 68. *concl.* 4. Scildere *dicto num.* 65. *assert.* 3. *&* 4. Lessius *vbi proximè.* vers. *Dico quartò.* Ioannes Sanchez *in selectis. disp.* 33. *à num.* 32. Merolla *disp.* 3. *cap.* 4. *num.* 65. Ianuarius, Rocasful, Spinola, quorum verba per extensum affert Diana *p.* 9. *tr.* 9. *resol.* 45. & dicens, esse *probabilissimam.* Palao *tom.* 1. *tr.* 1. *disp.* 2. *punct.* 6. *num.* 5. Suarez quoque idipsum reputat valde probabile *disp.* 4. *de censur. sect.* 6. *num.* 6. *in fine*, cùm manifestè probabilius est, id, quod præcipitur, excedere Superioris potestatem: eidemque accessit Franciscus de Lugo *de conse. p.* 1. *cap.* 3. *num.* 97. *fol. mihi* 164.

66. Duodecim pro hac opinione rationes congessit Thomas Hurtado *in dicto tr.* 3. *cap.* 2. atque in eisdem dissolvendis multum laborat deinceps. Ea autem satis verosimilis apparet, quæ ex contrarijs probabilitatibus circa substantiam totius iurisdictionis desumitur. Eadem namque ratio esse videtur partis ad partem, quæ est totius ad totum, neque vlla lex potiùs cogit in foro interiori subditum obedire Superiori in his, quæ spectant ad suæ iurisdictionis extensionem, quàm in spectantibus ad totam iurisdictionem suam. Sed cùm tota iurisdictio Superioris est solùm probabilis, & subditus opinatur, eum non esse verè Superiorem, ex. g. ob aliquem defectum, qui in eius confirmatione, aut electione intercessit, non tenetur ei parere, neque vllus dubitat, hoc esse certò, ac practicè probabile; imò esse absolutè verum sentiunt multi ex eis, qui aliter censent, cùm probabilitas opinionum contrariarum ex hoc capite nō sumitur, sed ex parte rei præceptæ, quæ prudenter existimatur illicita, vel alio titulo excedens præcipientis potestatem, vt Vasquez 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 6. *in fin.* Salas *tom.* 1. *tr.* 8. *num.* 78. Thomas Hurtado *vbi suprà cap.* 3. *num.* 149. Ergo idem erit dicendum respectivè ad illum casum, vbi similis opinionum contrarietas circa partem iurisdictionis versatur: maximè, quia circa legem privatam, seu votum, & extensionem ipsius communissimè Doctores hoc modo philosophantur.

67. Explicatur. Tum ex eo, quòd opinans, præceptum Superioris alioqui legitimi esse de re illicita, aut excedente eius potestatem, eo ipso opinatur, non esse verum præceptum; sed apparens, atque re ipsa nullum: verum enim præceptum in conceptu suo involvit esse de re licita, & inclusa intra limites officij, ac potestatis. Porrò, cùm verum præceptum deficere prudenter creditur, obedientia non constringit: & ideò subditus nec legi Divinæ, neque alij obedire debet, quamvis possit, cùm opinio practicè probabilis sibi dictat, illam non extendi ad casum aliquem ex solius voluntatis defectu, nedum ex defectu potestatis. Idemque evenit, cùm lex communis varias interpretationes certò probabiles habet, & Superior nil de suo præcipiens, sed soli ipsius exequutioni intendens rigidiorem sequitur; subditus verò benigniorem sectatur. Tum quia, secluſa speciali conventione, aut voto parendi in omnibus, vbi peccatum manifestè non apparet, nulla lex certa exhibe-

tur,

tur, quæ hunc modum obedientiæ præſcribat, præſertim cùm iubet Superior iuxta opinionem minùs probabilem, & ſubditi opinio, inſpectis omnibus, apertè probabilior reputatur: de quo plura hinc inde Auctores, dum emergit controverſia circa iuſtitiam tributi, aut excommunicationis in caſu vtrimque probabili.

68. Tum demum, quia quòd Superior ſit, aut non ſit in poſſeſſione officij, nihil eum poteſt iuvare. Officij enim poſſeſſio ſolùm cõfert, vt auctoritate illius liberè vti poſſit quoad eam partem, quæ ſub ipſa certò comprehenditur; præcipiendi autem illicita, aut excedentia poteſtatem ſuam vera poſſeſſio non datur; ſed quoad partem hoc modo controverſam tàm eſt incerta poſſeſſio Superioritatis, quàm proprietas, ſubdito nimirùm prudenter opinante, & forſan verè, reſpectu illius ſe eſſe potiùs in poſſeſſione ſuæ libertatis. Quòd ſi controverſia detur, v.g. inter Epiſcopum, & Regulares exemptos, erit difficultas gravior. Nam Epiſcopus ex vi ſui muneris eſt in poſſeſſione præcipiendi in certis caſibus, quibus Regulares ipſi ſubijciuntur; iſti verò ſunt in poſſeſſione ſuæ exemptionis, & ratione illius non parendi in multis alijs. Cuius igitur poſſeſſio prævalebit, cùm eſt vtrimque probabile, caſum eſſe, & non eſſe comprehenſum ſub iuriſdictione Epiſcopali? Adeſt enim vtrobique poſſeſſio certa quoad nonnullos caſus, & vtrobique probabiliter contenditur de extenſione illius quoad alios. Vtraque ſanè prævalere nequit, quaſi certum ſit, Epiſcopum iniuſtè præcipere, & ſimul etiam ſit certum, exemptos eius imperium illicitè detrectare. Ergo potiùs dici debet, licitè omnes operari ſequendo opinionem ſuam, & poſſeſſionem quoad aliqua certam, quoad incerta non iuvare.

69. Vides igitur, quot modis reddatur certò probabilis, & in praxi tuta opinio, quam adeò acerbè exagitabat Piſani, quaſi peculiaris eſſet Card. de Lugo, aut Tamburino, cùm re vera ſit adeò communis, vt Octavianus Spatharius apud Baſſæum verb. *Reus. num.* 4. atteſtetur, ſe vidiſſe eam per totum orbem practicari ab omnibus reis, & in omnibus iudicijs, tàm Eccleſiaſticis, quàm Regularibus, aut Sæcularibus. Neque labefactat illam, quòd ad eius vſum exigatur aliqua æquivocatio, vel reſtrictio occultè adhibita promiſſioni iuratæ reſpondendi verum, atque reſponſioni ipſi. Nulla namque eſt in hoc caſu ſpecialis difficultas; ſed ea communis his omnibus, quibus probabile eſt, ſe non interrogari iuridicè, vndecumque tandem id proveniat.

70. Nam, tametſi reus iſte cognoſcat, ſe à iudice interrogari, præcedente ſemiplena probatione, vel infamia; nihilominùs meritò opinatur, pro crimine capitali id non eſſe ſatis; ſed contra iuris naturalis ordinem apertam confeſſionem iniungi, & iuramentum deferri. Neque enim temerè putat, adhuc ſibi ſupereſſe ius tuendi propriam vitam quovis modo probabiliter honeſto, & non miniſtrãdi arma, quibus afficiatur morte, quam effugere aliàs ſperat. Quocircà, ſicut communi ſententia poſſet promittere, atque reſpondere æquivocè, vel cum reſtrictione occulta in re tanti præiudicij, ſi probabiliter exiſtimaret, ſe interrogari contra iuris ordinem ex defectu ſemiplenæ probationis, infamiæ, aut indiciorum ipſi æquipollentiũ, ſic pariter eiſdem medijs licitè vti poteſt, cùm aliunde non eſt convincendus, neque damnandus ad mortem, quàm ex teſtimonio ſuo. Sano ergo modo poterit promittere, ſe palam dicturum veritatem, ſubintelligendo, *Si ad id certò*

teneor, vel *Si crimen possit plenè comprobari aliunde*, vel *Nisi probabilis excusatio mihi assistat*: nec non & absolutè negare, se commisisse idem crimen, nempe *publicè*, vel *ita vt plenè probari possit absque testimonio suo*. Neque istiusmodi additiones erunt merè voluntariæ, aut solùm vtiles; sed necessariæ ad defensionem maximi illius iuris, quo vitam servare possumus, eamque tueri ab interrogatione, quam putamus saltem materialiter iniquam, & contrariam illi ordini, quem in causis capitalibus ius naturale præscribit. Vnde sive restrictiones istæ, id non percipiente iudice, lingua proferantur, sive intra mentem consistant, non possunt censeri ex illis, quas mendaces declaravit condemnatio Pontificia. Nam ex externis circumstantijs negotij sufficienter deprehenditur necessitas adijciendi ipsas, & consuetudo reorum, ac publica probabilitas opinionis, quæ ipsis favet, iustam præsumptionem generat vsus illarum in tanto vitæ discrimine.

71. Neque iuramentum superadditum earum naturam immutat, aut aliter intelligi facit, quàm per se deberent accipi tàm assertio, quàm promissio; sed sub eisdem conditionibus explicitis, aut implicitis, expressis, aut potiùs tacitis, eius obligatio adiungitur, vt luculentis exemplis, atque ad praxim valde vtilibus demonstrat circa iuramenta promissoria Lessius *eo lib. 2. cap. 42. num. 22.* Quòd si reus promittendo apertam confessionem veritatis, omnem prorsus restrictionem positivè excluderet, periurium proculdubio contraheret occultando posteà crimen, & promittendo etiam periurus esset, si tunc haberet intentionem occultandi illud. De quo accuratiùs, quàm alij, nec sine fructu pertractat Dicastillo *lib. 2. de iust. tr. 1. disp. 6. à num.* 42. Eritque satis proficuum in facti contingentia Confessarijs relegere Busembaum *in medulla. lib. 4. cap. 3. dub.* 8. vbi diligenter examinat modum, quem cum reis servare debent, vt conscientiæ ipsorum consulant, & indemnitatis curam non omittant.

DISSERTATIO XIX.

DE SIMVLATA ADMINISTRATIONE Sacramentorum.

Simulatio non tantùm administrando, sed etiam conficiendo, & recipiendo Sacramenta contingit, vt in decursu explicabitur; sed de administratione specialiter quæstio instituitur, quia de illa specialim loquitur propositio, cuius impugnationem adornamus.

CAPVT PRIMVM.

An vrgens metus gravis sit causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi?

1. CAusam iustam esse affirmat *thesis* 29. inter damnatas ab Innocentio XI. Neque ego comperi Auctorem, qui id asserere ausus fuerit tanta generalitate, vt Sacramenta omnia indistinctè comprehendat, & quoscumque modos simulandi, atque patiendi metum. Tribuunt illam Ioanni Sanchez Palao *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 1. *punct.* 13. *num.* 8. Lumbier *in præsenti num.* 1865. & Diana *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 83. in hæc scribens: *Ioannes Sanchez in select. disp.* 35. *num.* 6. *asserit, ob timorem mortis, & gravem causam in administrandis Sacramentis licitam esse simulationem.* Sed ille eo loci, ac deinceps non loquitur generaliter; sed quosdam casus adducit, vbi licere pronuntiat absolvere absque intentione absolvendi, & consecrare absque intentione consecrandi, qui in rigore ad simulationem non spectant, cùm illa propriè sumpta non consistat in verbis; sed in factis. Alius verò casus, quem proponit *num.* 9. de fœmina suspecta adulterij metu mortis simulante se communicare, aut confiteri, non est proprius ministrantis; sed potius suscipientis Sacramenta ista.

2. Immeritò autem huic Auctori imputat ibi Palao, vt etiam animadvertit Diana, quòd in hoc eventu Sacerdoti liceat porrigere prædictæ fœminæ hostiam non consecratam pro consecrata: id namque nunquam licere, constanter inibi affirmat; neque suscipienti ipsi hoc permissum esse, quamvis inscio Sacerdote id faceret, satis manifestè sequitur in consequentiam doctrinæ ab eo traditæ. Vnde neutri istud permittit; sed duntaxat simulare susceptionem hostiæ consecratæ, cùm re vera illa non detur; sed subtrahatur occultè, vt Sanchez ipse præfatur in initio eiusdem numeri. Qui casus longè diversus est, illumque expediemus infrà.

3. Interim tamen adverto, Palao in eo loco dixisse, sententiam Ioannis Sanchez *redolere audaciam, & temeritatem.* Quæ censura nimium rigida visa fuit Antonio de Escobar *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 1. *num.* 138. Sed certè rigida nõ debuit videri, si illius Auctо-

Auctoris doctrina sub ea tota generalitate sumatur, qua in thesi condemnata proponitur, & qua diximus fuisse intellectam, ac relatam à Palao, Diana, & alijs. Constat enim, metum gravem iustè illatum iniustè detrectanti administrationem alicuius Sacramenti non esse iustam causam simulandi administrationē eius; sed deponendi iniustitiam, qua nolebat illud ministrare. Certum est insuper, solum metum nunquam esse iustam causam huiusce simulationis, nisi simul in Ministro detur causa valde gravis, & idonea ad non ministrandum illud, ex. g. quia timet, se peccaturum, si id faciat, quia à suo Superiore est prohibitus, aut quia est in statu peccati, aut quia videt pœnitentem indispositum, vel alia ratione inhabilem, vt si ad Ordines accedat, quem novit irregularem. Nam, cùm talis causa deest, simulatio merè voluntariè eligitur præ valida administratione Sacramenti, & metus mortis, ex quo solo posset excusari, nullo pacto ad eam determinat.

4. Certum est vlteriùs, metum gravem, sive iustum, sive iniustum, qui directè non incutitur ad extorquendum administrationem alicuius Sacramenti, nunquam esse iustam causam exercendi illud simulatè, quamvis plerumque contingat, & maximè in matrimonio, vt illud tanquam medium eligatur ad evitandam mortem imminentem, v g. à iudice, vel parentibus propter stuprum puellæ, aut raptum. Certum est tandem, metum non præbere licitam facultatem simulandi, quoties simulatio externa, vel se sola iniuriam irrogat Auctori Sacramentorum, aut alijs, qui decipiuntur iniustè, aut est occasio idololatriæ, aut opponitur præcepto confitendi exteriùs fidem, aut cedit alia ratione in eiusdem fidei odium, aut religionis contemptum, aut non fit absque mendacio. Nec de his casibus potest esse controversia; sed, cùm illos excipere debuisset thesis proscripta, vt aliquo colore sustineri posset, eos omnes indiscriminatim comprehendit, & regulam generalem indistinctè tradidit simulationis permissivam occasione metus gravis ad administrationem vrgentis.

5. Porrò ea regula multoties evidentissimè fallit ob varios modos, ac causas simulandi, atque patiendi metum, quæ in hoc negotio permiscери valent. Imò vel sola vox ipsa *simulationis* ostendit, semper, & vbique fallere: quia semper sumitur in malam partem, sicut dolus, & hypocrisis absolutè, aut propriè accepta. *Longissimè enim à veritate dissidet omnis simulatio*, vt Chrysostomus scribebat *tom. 5. orat. 2. contra Arianos, col. 7.* & propterea illi ab intrinseco repugnat habere causam, qua iustificetur, non minùs, quam detractioni, dolo, aut invidiæ, quibus eam associat S. Petrus *epist. 1. cap. 2. 1.* hisce verbis: *Deponētes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & SIMVLATIONES, & invidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite.*

6. Asserendum ergo est, metum gravem, etiam iniustè, atque directè incussum, nunquam esse iustam causam simulandi administrationem cuiuscumque Sacramenti, & oppositum, vt minimum esse scandalosum, ac pernicioسum in praxi. Ita sumitur ex Sacris litteris, ac decreto Pontificio, persuadeturque ratione convincenti, nisi voces alienentur, & à suo significatu vero, ac proprio distrahantur. Nam, si nunquam datur iusta causa simulandi, longè minùs dari poterit in rebus tanti momenti; nuper autem visum est ex D. Petro, tàm re-

repugnare iuſtam cauſam ſimulandi, quàm invidendi, detrahendi, aut doloſè decipiendi alterum. Explicatur. Quia nullus in dubium vertet, obnoxium fore his cenſuris eum, qui diceret, metum mortis, peccati, vel alterius gravis mali eſſe iuſtam cauſam mentiendi; idem autem dictu eſt eſſe iuſtam cauſam ſimulandi, ſive adminiſtrationem, ſive confectionem alicuius Sacramẽti, ſive quodvis aliud. *Nam ſimulatio propriè eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens*, vt tradit Doctor Angelicus 2.2.*q.*111.*art.* 1.*corp.* qui rectè exinde concludit inhærendo Canonicæ doctrinæ S.Petri, *omnem ſimulationem eſſe peccatum.*

7. Omne enim mendacium peccatum eſt, & ſimulatio, aut propriè talis non erit; ſed aliud quidpiam ea voce abuſivè, & valde improprie ſignificatum, aut propriè mendacium erit. Nam ait ibi S. Thomas: *Sicut ad mendacium pertinet, quòd aliquis per verba exteriora aliud ſignificet, quàm habet apud ſe, ita etiam veritati opponitur, quòd per aliqua ſigna factorum, vel rerum aliquid ſignificet contrarium eius, quod in eo eſt, quod propriè ſimulatio dicitur.* Quòd ſi vox iſta improprietur, vt eo pacto eius malitia abſtergatur, pari licentia impropriari poſſet vox *mendacij*, & expurgari ab intrinſeca malitia, quam ſignificat ex proprio ſuo conceptu, ac dicere cum Caſſiano, & quibuſdam alijs PP. mendacium licere in caſu metus, aut gravis neceſſitatis.

8. Nec obſtat, ſi fortè obijcias, mendacium verbis, ac vocibus, non verò rebus, aut factis, committi. Nam etiam nutibus poteſt committi mendacium, & lachrymis, ac ſuſpirijs, & quibuſcumque alijs rebus, quæ ſigni rationem habent. Malitia enim mendacij in hoc conſiſtit, quòd aliquis ſignis externis ad fallendum abutatur, & *culpa mentientis eſt in enuntiando animo ſuo fallendi cupiditas*, vt tradebat Auguſtinus *lib.* 1. *de mendacio. cap.* 3. Quòd verò ſignis vocalibus, aut alijs quibuſque fiat, merè materialiter ſe habet, & eodem modo præiudicat ſociali converſationi, ac convictui rationali. Vnde veracitatis officium ad omnia ſigna ſe extendit, ſeu verbalia, ſive realia, & eius eſt, vt S.Thomas ſcribit 2. 2. *q.* 109. *art.* 2. *corp. exteriora noſtra verba, vel facta debitè ordinare ad aliquid, ſicut ſignum ad ſignatum.* Cùm autem mendacium definitur eſſe falſa vocis ſignificatio, non ideò à conceptu illius excluduntur ſigna realia; ſed potiùs nomine *vocis* omne ſignum denotatur, ſicut nomine *viſionis* actiones aliorũ ſenſuum ſæpeſæpius exprimuntur. Nam *quia voces*, inquit S.Thomas *ibidem. q* 110. *art.* 1. *ad* 2. *præcipuum locum obtinent inter alia ſigna, ideò cùm dicitur, quòd mendaciũ eſt falſa vocis ſignificatio, nomine* vocis *intelligitur omne ſignum. Vnde qui aliquid falſum nutibus ſignificare intenderet, non eſſet immunis à mendacio.*

9. Erit ergo ſimulatio formaliter, ac propriè accepta, vt cum D. Thoma loquar, & communiter cum alijs, *mendacium conſiſtens in ſignis, non verbi, ſed rei, aut facti.* Et quemadmodum ad mendacium verbale neceſſariò exigitur falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi, ita ad ſimulationem formaliter, ac propriè talem neceſſaria erit omnino falſa facti, aut rei ſignificatio cum intentione fallendi. Vnde opus eſt ante omnia, vt res, aut factum, vi cuius ſimulatio exercetur, verè habeat rationem ſigni, prout eam habet ſæpe ſæpius, non tantùm naturaliter, ſed etiam ad placitum. Fumus enim naturaliter ignem ſignificat, & alij effectus ſuas cauſas; ad placitum verò, &

ex

ex publica hominum impositione, vel communi sensu, ac vsu ramus ante tabernam declarat, ibi esse vinum vendibile, & sonitus campanæ convocat ad Missam audiendam. Opus præterea est, vt significatio sit falsa, saltem iuxta existimationem exhibentis signum, & contra mentem ipsius: nam alioqui non præberet occasionem deceptionis à consilio, nec posset dici deceptor, qui mentitur verbo, aut facto. Et propterea, qui re ipsa verum profert, quod ipse falsum existimat coram Deo mendax est, & mendacium verè incurrit, quamvis non sit falsa eius expressio, comparando signum ad rem significatam. Nisi fortè mavis dicere cum S. Thoma *in vtroque scripto super 3. sentent. dist. 38. art. 1. ad 1.* illum mentiri in eo eventu; sed non dicere mendacium, quod simulationi potest pari iure accommodari.

10. Opus est insuper intentione fallendi formali, vel virtuali. Non enim semper requiritur directa, aut formalis; sed sufficit indirecta, aut virtualis inclusa in voluntate proferendi falsum tanquam ipsi proferenti verum, ac creditu dignum, vel, quod eòdem recidet, in voluntate exhibendi falsa signa, quibus alter decipiatur, si exhibendi fidem adhibere velit. Cùm autem falsum profertur nō tanquam ipsi proferenti verum, aut credibile in eo sensu, sed animo significandi ex ipso veritatem aliquam, intentio fallendi deficit, & consequenter mendacium. Et hac ratione apologi, aut parabolæ, hyperboles, ironiæ, ac loquutiones tropicæ, vel figuratæ absque mendacio dicuntur, & tanquam gesta narrantur, etiam in Divinis litteris, cùm verè gesta non sint: quia non animo significandi, ea esse verè gesta, proferuntur; sed manuducendi ex narratione ipsorum ad notitiam alterius veritatis. Optimè autem tradit, & prosequitur fusè S. Augustinus *lib. contra mendacium, cap. 13. non esse falsam significationem, vbi etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen, quod significatur, si rectè intelligitur*; posteà autē ait, tunc rectè intelligi, *cùm ad id, quod loquens voluit significare, refertur.* Vnde & fictiones, quæ nihil aliud significant, nisi rem fictam, mendacia sunt; quoties autem ad aliquam veritatem denotandam componuntur, vt cùm Christus finxit se longiùs ire, neque simulationes sunt, neque mendacia, iuxta S. Thomam *in dicta q. 111. art. 1. ad 1.* Sed de his plura in superioribus, maximè *dissert. 17. cap. 6. & 7.*

11. Constat igitur ex dictis, ad simulationem propriè talem hæc omnia necessariò requiri, & propterea intrinsecè turpem esse, & nullo metu, aut causa posse cohonestari; sed semper esse fugiendam, vt fugiēdum est mendacium: neque enim mentiri licet, etsi millies mori oporteat, vt ex Augustino sumitur *in enarrat. ad Psalmum 5.* & ex Alexandro III. *in cap. Super eo. 4. de vsuris.* Porrò vox simulationis non potest in alio sensu vsurpari, vel intelligi in ea thesi, cuius damnationi insistimus. Est namque exponenda, vt iacet, id præmonente Pontifice, & propterea in sensu proprio, quem sua verba præseferunt; non autem in sensu alieno, qui nullum prorsus fundamentum habet in contextu, aut modo ipsius. Et quamvis latiorem alium sensum aliquando admitteret, cùm propositus sit omnino proprius, absolutus, ac communiter receptus apud Scriptores classicos, id sufficeret, vt notâ scandali inusta esset propositio. Quandoquidem, sicut ex verbis inordinatè prolatis hæresis solet incurri, ita incurri potest scandalum, & pernicioſa praxis suboriri exinde.

Pro-

Proclive enim esset cuilibet sumenti thesim, vt iacet, intelligere, simulationem absolutè, ac propriè sumptam, & consequenter mendacium, ibi esse permissam, & licitè deducibilem in Sacramentis ad praxim, quod in quacumque materia valde dissonum apparet, & illorum sanctitati specialiter repugnat, vt inferiùs declarabitur.

12. Vtique vox ista *dolus* quandoque etiam impropriatur, & non solùm dolus malus, qui est prava astutiæ exequutio, & non fit absque mendacio, sed etiam bonus admittitur, accipiendo dolum pro solertia se tuendi, vel res suas: nec propterea erit, qui dicat, hanc propositionem absolutè tolerari posse: *Vrgens metus gravis est causa iusta Sacramenta dolosè administrandi.* Vsus enim iam obtinuit, vt hoc vocabulo absolutè sumpto non vtamur, nisi in malis, vt Festus animadvertit, & è re Theologica disertè tradit S. Thomas 2. 2. *q.* 55. *art.* 4. *ad* 1. notans, acceptiones alias abusivas, & improprias esse. Et propterea S. Petrus loco superiùs citato *omnem dolum* reijciebat, semperque in Divinis litteris tanquam vitium improbatur. Consulti quoque in hoc sensu illum accipiunt, vt constat *ex L.* 1. *ff. de dolo malo*, & inter regulas iuris *L.* 55. generaliter proponitur, eum, qui iure suo vtitur, non videri dolo facere. Quod si simulatio posset absque mendacio contingere, dolo idem posset accidere iuxta S. Augustinum loco proximè citato. *Dolus enim*, inquit, *est, cùm aliud agitur, aliud simulatur*, & ex ea definitione infert, in illis verbis Psalmi, *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus*, vocem *dolosus esse referendam ad mendacium*, quod ipso dolo committitur.

13. Non me latet, acrem controversiam fuisse exagitatam inter Hieronymum, & Augustinum circa nonnulla facta Apostolorum, quæ simulationem redolere videbantur. Sed apud Doctorem Angelicum, & omnes alios Scholasticos invaluit sententia Augustini improbantis facta illa, si re vera ibi interfuit simulatio, seu falsa signi exhibitio. Sunt etiam in Sacris litteris alia simulationis exempla exhibita à Iosue, David, ac alijs nonnullis viris sanctis, quos proinde durum videtur reos peccati facere. Sed eorum facta, aut non fuisse simulationes, sed occultationes licitas alicuius veritatis, vel fuisse verè peccata, communis sentētia est, quam eleganter pertractat, nihil intactum relinquens, Marquez *in Gubernatore Christiano. lib.* 1. *cap.* 14. §. 1. *per totum*, nec prætermittendus Vasquez *tom.* 2. *in* 1. 2. *disp.* 182. *cap.* 4. & alia, quæ subijciemus ad disputationis calcem.

CAPVT II.

Vtrùm aliquando liceat simulare in Sacramentis proferendo verba Formæ absque intentione ad illorum valorem necessaria?

14. IOannes Sanchez *vbi suprà* modum istum fingendi numerabat inter eas simulationes, quæ Ministris licent, accedente gravi metu, aut causa. Et quamvis in verbis potiùs, quàm in signis facti consistant, & deficiant ex eo capite ab stricto simulationis cōceptu, opus ei fuit vti hoc nomine, vt odiosam mendacij vocem vitaret. Asserit itaque, ob metum, vel ob aliā causam gravem, licitum esse Ministro absolvere absque intentione absolvendi, & exteriùs consecrare, si opus esset, totum panem vendibilem in foro existentem, absque intentione

tamen consecrandi. Supponit tamen cum omnibus, absque idonea causa id esse illicitum, & ex genere suo grave peccatum contra virtutem religionis, & neque licere iudicat, quāvis mors sit subeunda, si in contemptum fidei, aut Sacramenti exigatur.

15. Quo sensu eum sequi videntur quoad vtrumque casum Diana *p.3.tr.6.resol.83.* & *resol.30.* vers. *Nono*, & Trullenc *lib.2. in Decal.cap.1. dub.15.num.4.* Et quoad absolutionem in eo eventu licitè sine intentione impertiendam, latè tanquam probabile id tuetur Verricelli *1. p. tr.1.q.10.à num.3.* Cui solet adiungi Ludovicus de S. Juan *1.p. summæ.tr. de Eucharistia.q.7.art.8. diffic.4. fol. mihi 167.* sed ille duntaxat dixit, licitum esse dare absolutionem cautelosam in aliquo raro casu. Generaliùs est loquutus P. Moya *p.1.select.tr.4. q.3. §.3.* vbi re ex professo ventilata, *num.20* concludit, *in omnibus Sacramentis licitum esse ex iusta causa simulatione vbi, proferendo verba formæ absque intentione requisita.* Verbis autem ludere videtur, nam initio prænotaverat, se non loqui de simulatione strictè sumpta, sed largè, & illam nimis impropriè cum æquivocatione, aut mentali restrictione confundit, cùm istorum nominum sit longè diversa ratio.

16. Statuendum tamen absolutè est, nulla de causa licitum esse Ministris Sacramentorum fingere, seu simulare, se verè absolvere absque intentione absolvendi, aut consecrare absque intentione consecrandi, & ita in reliquis. Meritò enim S. Thomas dixit *quodlib.5. art.12.corp. In Sacramentis Ecclesiæ nihil esse per fictionem agendum*, vt ex eo principio generali inferret, illicitum esse peccatori occulto ministrare hostiam non consecratam pro consecrata, ne alioqui indignè communicet. Valdeque eleganter scribebat S. Augustinus *lib. 50.homiliar. homil.50. cap.3. Ex hoc ipso certè, & graviter, nullo dubitante peccamus, cùm inter ipsa Sacramenta mentimur.* Plurimi quoque ex antiquis, quos sequitur P. Vasquez *tom. 3.in 3.p. disp.209. art.41.* & Gaspar Hurtado *disp.9 de Eucharistia in fin.* monuerunt, in Sacramētis fictionem *perniciosam esse, & execrandam.* Censura insuper audaciæ, ac temeritatis, qua Palao suprà inurebat opinionem Ioannis Sanchez, & eum sequutus Aversa *q.64. de Sacram. sect. 3.* vers. *Quinto*, hæc exempla nominatim comprehendit, & ideò in fine concludit, *certum* esse, illa, quæ pertinent ad communem, & generalem ritum Sacramentorum, ob nullum timorem posse omitti, immutari, aut *simulari.* Denique circa absolutionem ita factam idipsum expressè habet Coninc *disp.28.de matrim. num. 38.* & valde commune est alijs Auctoribus circa omnia alia Sacramenta, præter matrimonium, de cuius exceptione posteà agemus, quia illa non rectè intellecta fuit plerisque occasio errandi.

17. Ratione præterea assertio efficaciter probatur. Primò à pari. Nam ex nulla causa licet iurare absque intentione iurandi, semperque eiusmodi fictio illicita est in iuramentis, vt constat ex condemnatione propositionis 25. quamvis, servatis servandis, sæpe liceat iurare cum æquivocatione, vel restrictione aliqua occulta ei, cui iuratur. Ergo pariter in Sacramentis continget. Nam quòd defectus intentionis, quam se habere simulat Minister, faciat, ne ibi detur verum Sacramentum, cui fiat illusio, aut iniuria, nil potest obstare; imò hoc ipsum est, quod reddit prædictam simulationem, non tantùm mendacem, sed sacrilegam. Sic enim ille, qui simulat, se iurare, cùm non ha-

habeat eam intentionem iurandi, quam vox externa significat, verum iuramentum non præstat; sed solùm apparens, ac fictum; & nihilominùs ex hac ipsa fictione contra virtutem religionis delinquit, & turpitudinem contrahit, quam nulla causa iustificat. Nec minùs absurdum est fictè agere contra Sacramenti veritatem in essendo, quàm contra iuramenti veritatem in iurando; sed vtrobique Deo illuditur abutendo signis sacris contra eorum institutionem, alibi fingendo, se interponere nomen, & auctoritatem Dei ad sua dicta confirmanda; alibi verò fingendo, se cõferre, & ministrare nomine, & auctoritate Dei rem valde sanctam, summique momenti, cùm nil faciat, nisi propria auctoritate, & nil præstet, nisi verba inania, & vacua valore, ac fructu.

18. Probatur 2. Quia metus, aut alia causa, quantumvis gravis, non tollit deformitatem prædictæ simulationis. Ergo neque potest esse iusta causa illam exercendi; sed eam ipsam malitiam ex obiecto retinebit facta ex metu, quam, si fieret sine causa vlla. Consequentia est in aperto. Quia dum perseverat deformitas, actio nequit exerceri absque peccato, & cùm hoc tollitur ratione metus, vel alterius causæ, eo ipso auferetur tota pravitas actionis, & à morali malitia, quam alioqui haberet, expurgatur. Antecedens autem sic suadetur. Nam metus in primis non tollit malitiam propriam mendacij, cùm fictio adhuc perseveret, & contrarium eius, quod in mente habetur, tanquam verum, atque fide dignum, voce externa proferatur. Minister enim significat, vt incutienti metum satisfaciat, se velle validè absolvere, ac nomine Christi agere, & sententiam absolutionis proferre accipiendo verba illius, vt Sacramenta lia sunt, & in eo sensu, quem habent ex Divina institutione, & cùm hoc significare intendat, plane novit, esse falsum, vtpote intra se cognoscens absolutionem externam, sublata voluntate absolvendi, esse figmentum inutile, & nullius auctoritatis. Confirmatur ex dictis *differt.* 14. *cap.* 3. Nam culpa mendacij non tollitur proferendo talia verba merè materialiter, aut æquivocè, vel cum restrictione aliqua occulta, dum istiusmodi artificia vim simulationis habent. Ergo longè minùs tolli poterit, cùm absque vlla restrictione, aut artificio dicuntur, & eo sensu, qui sufficeret ad Sacramenti valorem, si intentio verè absolvendi in mente Ministri extaret.

19. Rursus, neque metus tollit malitiam illam specialem virtuti religionis oppositam, quæ huic simulationi accrescit ex eo, quòd versetur circa Sacramenta administranda. Illa namque in eo consistit, dum absque metu exercetur, quòd Minister suo mendacio, & rebus sacris illudat, & ex defectu intentionis falsificet verba ministerij sacri, fingatque, se Christi nomine tanquam causæ principalis exercere actionem valde sacram, institutamque ad Dei cultum, & fidelium sanctitatem, cùm re vera non exerceat illam, neque eam, quam Christus instituit, sed aliam merè profanam, indignamque, vt ei tribuatur tanquam principali agenti, cùm repugnet ipsi, v. g. falsò absolvere, aut offerre sacrificium falsum. Porrò totam hanc irreverentiam metus non tollit, nec vlla quantumvis magna necessitas, sed eadem perseverat, sive ille desit, seu adsit. Explicatur. Quia aut eam tolleret reddendo Sacramẽtum irritum independenter à fictione ministrantis, aut efficiendo, vt cesset specialis obligatio abstinendi ab ea fictione, sicut cessat, mortis metu vr-

gente, religiosa obligatio suscipiendi Baptismum, aut non celebrandi sine vestibus sacris. Non ex postremo capite. Quia positiva irreverentia erga Christum, & res sacras nullam excusationem admittit, cùm sit intrinsecè turpis, ac deterior, quàm ipsa simulatio, & non mala, quia prohibita ex motivo religionis; sed prohibita, quia mala. Non ex primo. Tum quia ob metum non irritantur alia Sacramẽta, præter matrimonium, & hoc metus non invalidat, iuxta receptiorem sententiam, per se, atque ratione sui; sed solùm ratione legis adiunctæ sibi per accidens. Tum quia eiusmodi irritatio facit, ne Minister possit efficere Sacramentum validum, quamvis id intendat; sed non tollit falsificationem sacri ministerij, ac signi ipsi Ministro imputabilem. Porrò id ex natura sua valde irreligiosum est, sicut absolvere sine potestate absolvendi, vt publicè excommunicatis evenit, aut illis, quibus per reservationem fuit iurisdictio sublata. Parum enim ad tollendam hanc irreverentiam refert, quòd falsitas ex defectu potestatis contingat, vel non nisi ex defectu voluntatis.

20. Probatur 3. Specialiter ex confectione Eucharistiæ, cuius verba proferuntur in persona Christi à Sacerdote; non verò in persona sua: dicendo enim: *Hoc est corpus meum*; nõ significat, id esse suum corpus; sed corpus Christi. Quo fit, vt prædicta simulatio in Christum ipsum redundet, qui per Sacerdotem loquitur, illumque simulatorem, atque deceptorem faciat, sicut contingeret, casu quo Angelus, qui Moysi, aut alijs Patriarchis veteris testamenti loquebatur in persona Dei, quidquam fallaciter, aut simulatoriè diceret; & sicut contingit, cùm dæmon, simulando se esse Christum, & sua verba esse illius verba, audientes decipit, ac Deo ipsi illudit. Neque ab his actibus vnquam valet separari superstitio falsi cultus. Tum ex parte rei significatæ, quia verba consecrationis significãt, Deo sacrificium offerri, & ibidem, esse corpus, ac sanguinem Christi, quorum vtrumvis est falsum, cùm intentio deficit Ministro. Tum etiam ex parte colentis, qui falsarius invenitur, quatenus exteriùs significat, virtute saltem, & in actu exercito, se vti potestate consecrandi, ac sacrificandi validè, idque simulat, cùm re vera ob defectum intentionis tali potestate non vtatur, nec modum observet, sub quo, & non aliter, est sibi commissa.

21. Confirmatur. Nam, si istud genus fictionis esset aliquando licitum, à fortiori etiam liceret, cùm verba Consecrationis non proferuntur; sed solùm simulatur ea proferri, & consecrationem re ipsa fieri, cuius oppositum definitum est ab Innocẽtio III. *in cap. De homine. 7. de celebrat. Missar.* tradente, id esse peccatum gravius, quàm indignè celebrare. Quæsitum namque est ab ipso, quid censendum esset de illo Sacerdote, qui cùm sciat, se esse constitutũ in peccato mortali, & necessitate constrictus Missarum solemnia omittere non potest, *Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur Corpus Christi, panem, & vinũ tantummodò purè sumit.* Respondet autem, *qualibet necessitate*, & indignitate non obstante, id minimè esse faciendum; sed *falsa* potiùs *obijcienda remedia, quæ sunt veris periculis graviora.* Nam licet ille, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignũ ad tale, tantumque ministerium *peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen*, inquit, *videtur offendere, qui ita fraudulenter illud præsumpserit simulare. Cùm ille in solius misericordis Dei manus incidat;*

incidat; iste verò non solùm Deo, quem illudere non veretur, sed etiam populo, quem decipit, se obstringat.

22. Probatur denique. Quia leges omnes prohibentes aliquid intrinsecè turpe, obligant cum vitæ periculo: neque enim sunt facienda mala, vt veniant bona: nec, si oporteat millies mori, quidquam scienter amplectendum, à quo nequit malitia separari. Porrò ex supradictis constat, simulationem, de qua est sermo, intrinsecè turpem esse, & à mendacio, aut fallacia irreverenti erga Deum positivè inseparabilem. Et confirmatur. Nam vti signis sacris ad fallendū, cùm potiùs sint instituta ad Deum colendum veraciter, & communicandam sanctitatem hominibus, non minùs repugnat religioni, ac cultui, quàm repugnat veritati, vti quibuscumque signis ad fallendum, cùm potiùs sint instituta ad suos conceptus cæteris communicandos, & vtrobique respectivè par signorum abusus invenitur illorum institutioni, atque naturæ contrarius. Atqui ob hanc rationem, iuxta S. Thomam, & alios Doctores, neque ex metu, neque ex alia causa vllum mendacium separari potest à malitia oppositа veracitati. Ergo neque à malitia repugnante religioni vnquam potest separari abusus similis in signis sacris.

23. Scio, dari leges plurimas, quæ non obligant cum certo vitæ periculo, vel alterius grandis mali, vt lex naturalis restituendi alienum, vel non occidendi alium, lex Divina cōfitendi omnia peccata, aut præmittendi Sacramentalem confessionem peccati lethalis aliàs non confessi, antequàm suscipiatur Eucharistia, necnon leges purè humanæ, quæ non intendunt bonum adeò necessarium communitati ad suam indemnitatem, & conservationem, vt secundum charitatis ordinem meritò præferri debeat peculiari bono propriæ vitæ. Sed in his omnibus semper attenditur, ne quid intrinsecè turpe propter metum admittatur, & quod necessitas cessare faciat simul cum obligatione legis actionis exequendæ turpitudinem, vt cessat, cùm alter ob iustam defensionem occiditur, cùm alienum in extrema necessitate subtrahitur, cùm materialis integritas confessionis non servatur, quia revelatio sigilli, occisio, aut grave aliquod malum pœnitenti à Confessario imminet, si peccatum ipsi fateatur.

24. Quo tandem concludes, ex hoc capite valde defecisse thesim à Pontifice damnatam. Nam, cùm certo foret excipienda omnis simulatio mendax (si fortè daretur aliqua absolutè, ac propriè talis, quæ mendax non sit) & vniversim omnis illa, quæ intrinsecam turpitudinem continet, quia religioni, aut iustitiæ specialiter opponitur, vt passim in Sacramentis administrandis aut conficiendis contingit, thesis nil horum distinxit, nec curavit, vtrùm metus incutiatur in odium fidei, vel contemptum Sacramenti, iustè, an iniustè, ab extrinseco, vel ab intrinseco, ad extorquendum directè consensum Ministri, vel ob aliam causam; sed omnia confudit paucis, sed valde nocivis, ac scandalosis verbis, meritò propterea à Pontifice notâ iniustis, sicut iacent.

CAPVT III.

An aliquando metus gravis faciat licitam simulationem in Sacramento matrimonij administrando?

25. EX hoc præcipuè capite argumentũ sumit Vericelli,& Moya *suprà*. Nam qui gravi metu ad id iniustè incusso adigitur contrahere matrimonium,non peccat,quãvis se contrahere simulet, & externa verba formæ proferat absque intentione ad illius valorem necessaria. Ergo in reliquis Sacramentis idem dici debet: neque enim Sacramẽtum matrimonij illa sanctitate caret, qua cœtera perfruuntur; sed auctoritate Christi,sicut cœtera, exercetur, & in illo omnes rationes instantur,quibus hucusque contendimus, quamlibet simularionem esse illicitam, & eam maximè, qua Sacramenta exercentur fictè, & absque illa intentione, quam important verba externa, & ex vi illorum loquens vult significare.

26. Supponit quidem obiectio, ipsos contrahentes esse huius Sacramenti ministros. Nam, si vera esset, aut probabilis sententia Melchioris Cani,quam postea secuti sunt mordicus Sylvius, & Estius apud Diana *p.3.tr.4 resol.254.* asserentes,soli Parocho id ministerium competere, nõ foret exacta paritas. Eo autem posito, argumentum validè instauratur. Nam in matrimonio ideò licet eiusmodi simulario, quia ratione metus, ac defectus intentionis tunc deficiunt forma, atque materia ipsius, & matrimonium secundum se totum deficit; vbi autem nihil Sacramenti datur,nil fictum est, quod irreverenter tractetur: nil, quod per actionem ministri rèddatur irritum. Atqui hæc ratio,quæ potissima, imò vnica est in præsenti, pariter in alijs Sacramentis administrandis per simulationem currit. Ergo id nullibi,aut vtrobique licebit.

20. Cœterùm obiectio ista principium sumit manifestè falsum, & potiùs probat oppositum,quàm propositum. Nullibi enim reperietur, contrahentibus matrimonium esse omnino licitum simulare intentionem,quam non habent, aut proferre absolutè verba illa: *Accipio te in meã vxorem:* eo sensu,quo proferuntur ab illis, qui verè contrahunt, & Sacramentum conficiunt,absque intentione faciendi,quod significant, se facere.Quocirca vel ita loquens habet re vera intentionem,ac consensum, quẽ talia verba significant absque vlla æquivocatione, aut occulta restrictione prolata, vel illum non habet? Si illum habet, eo ipso sumus extra casum quæstionis: quia nil simulat, nec fingit, nec quid dicit, quod non sentiat,quamvis aliàs propter metum matrimonium sit invalidum. Si non habet,cùm fictè loquatur, & illam se habere simulet, saltem nequibit excusari à mendacio: nam id generale est omnibus, qui vnum sentiunt, & contrarium fingunt,ac significare intendunt,sive verbis, sive factis, seu silentio solo: nam silentium quoque interdum vim habet significandi ex circumstantijs adiunctis.

28. Ita expressè S. Thomas *in 4. dist.29.q.1. art.3. quæstiunc.1. corpor.* loquens de hoc ipso, qui per metum cogitur matrimoniũ celebrare: *Peccavit*,inquiens,*si dixit, se consentire, & non consensit.* Et quia *Ecclesia non debet præsumere peccatum de aliquo, quousque probetur*, inde concludit, eam potiùs præsumere, adhibitum fuisse consensum, quamvis simul iudicet,

dicet, eum, quia metu extortum, ad valorem matrimonij non ſufficere. Id præterea *certum* vocant Thomas Sãchez *lib.* 4. *de matrim. diſp.* 16. *num.* 1. & Cornejo *in* 3. *p. tr.* 6. *diſp.* 7. *dub.* 25. *num.* 3. *extra controverſiam* verò, *cõmunemque ſententiam Doctorum* Baſilius Legionenis *lib.* 4. *de matrim. cap.* 16. *num.* 1. Conſentiuntque inter modernos de matrimonio ſcribẽtes, vt plures alios omittam, Averſa *q.* 4. *ſect.* 3. *ante fin.* Gaſpar Hurtado *diſp.* 6. *num.* 19. Coninc *diſp.* 28. *dub.* 3. Dicaſtillo *tom.* 3. *de Sacram. q.* 4. *num.* 123. Palao *p.* 5. *diſp.* 2. *punct.* 12. *num.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tr.* 10. *cap* 4. *num.* 112. Petrus de Ledeſma *in addition. ad* 1. *p. ſummæ. cap.* 7. *difficul.* 4. *fol.* 106. *editionis Salmantic. anni* 1602.

29. Dices tamen, iſtud ſolùm eſſe veniale quoddam, officioſumque mendacium; non verò ſacrilegum, aut pernicioſum in praxi. Ergo idem in reliquis Sacramentis fictè adminiſtrandis, aut conficiendis continget, quoties premit metus gravis. Negat antecedens Scotus *in* 4. *diſt.* 29. *q. vnica.* verſ. *Hic dicitur.* Supplementum Gabrielis *ibi art.* 2. & quidam alij nullam prorſus diſparitatem agnoſcentes inter matrimonium fictum, & reliqua Sacramenta; ſed vtrobique putantes id genus mendacij eſſe pernicioſum, graveque peccatum iniuſtitiæ, ac ſacrilegij; quia proximus in re gravi decipitur quoad contractum, & miniſter Sacramentum facit irritum ſpeciali titulo, nempe fictionis, qui vel ſe ſolo ſufficeret ad nullitatem illius, quamvis ratione ſui metus nullum aliud dirimens impedimẽtum importaret. Neque enim abſurdum eſt, ſi matrimonium dicatur duplici de cauſa irritum; imò ita contingit, quoties aliquis compellitur ad contrahendum, v. g. cum ſua conſobrina, vel affine intra ſecundum gradum.

30. Ita Scotus ſatis probabiliter, & eo poſito, corruit obiectio, nullũque ex conficto matrimonio ad reliqua Sacramenta pro adverſarijs argumentum ducitur; ſed contra ipſos potiùs retorquetur. Nam, ſi talis fictio, aut ſimulatio in matrimonio eſt mendacium pernicioſum, & religioni contrarium, à fortiori idem continget in cœteris Sacramentis, quibus maior reverentia debetur, eo quòd ſint actiones merè ſacræ, & inſtitutæ ſolùm ad Dei cultum, ac fidelium ſanctitatem. Sed nihilominùs, quia ab Scoto receſſit communis ſententia Auctorum, & ſpeciatim P. Thomas Sanchez, Ledeſma, Cornejo, & alij, quos nuper appellabam, videndum eſt, vtrùm poſſit congrua aſſignari diſparitas. Nam extendere eam doctrinam ad omnia alia Sacramenta, & in prędicta fictione nullum peccatum agnoſcere, niſi officioſum mendacium, parum congruit decretõ Pontificio, vbi propoſitio, de qua loquimur, damnatur vt ſcandaloſa, atque *pernicioſa* in praxi, & repugnat tum rationibus, tum etiam auctoritatibus *cap.* 2. productis, vnde habetur, fictionem in Sacramentis *pernicioſam* eſſe, & *execrandam.*

31. Ex eo autem capite Henriquez *in ſumma. lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 6. Card. de Lugo *diſp.* 14. *de pœnit. num.* 116. & Dicaſtillo *diſp.* 6. *de pœnit. num.* 263. idoneam diſparitatem ſumi putant, quòd circa Sacramentum matrimonij ob contractum civilem, quem includit, alius modus reverentiæ, & minor, quàm in alijs, exigatur. Non enim conſiſtit, ſicut cætera, in actibus, qui non erant neceſſarij, ſeu proficui ad alios fines, & ſolummodò inſtituti fuerunt ad Deum honorandum, & communicandam gratiam; ſed ex peculiari conditione ſua fundatur in contractu quodam familiari ipſis hominibus civilem vitam agen-

agentibus, & necessario ad illorum procreationem, & alios honestos fines intra ordinem naturalem, quamvis satis oneroso, ac difficili. Ne autē ipsis onerosior fieret occasione elevationis ad rationem Sacramenti, Christus suæ propriæ naturæ illum relinquere voluit, & permittere, vt intuitu elevationis non alia, nec maiori obligationi teneantur procurare eius valorem in ratione contractus, quàm si nulla elevatio præcessisset. Satis enim est, quòd ratio Sacramenti accedat huic contractui, quoties fuerit validus, & non accedat, quoties fuerit irritus; obligatio autem illum conficiendi validè ad religionem non spectat; sed ad veracitatem, iustitiam, & virtutes reliquas, quæ sunt contractuum mensura.

32. Confirmatur. Quia ob hanc causam plura in matrimonio licent, quæ in reliquis Sacramentis nullatenus permittuntur, vt posse celebrari per nutus, aut per procuratorem in absentia, validè contrahi, & aliquando licitè sub conditione de futuro, posse irritari ab Ecclesia irritando ipsum contractum, sicuti factus est irritus, qui celebratur per metum iniustè, ac directè incussum, aut sine Parocho, & testibus, necnon & alia perplura, quæ cum his ipsis recensent Lugo, & Dicastillo *ibidem*, Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 5. n. 1. in fin.* Ergo pariter per religionem licebit, eritque absolutè licitum, nisi aliæ virtutes obstent, contrahentibus immediatè irritare suum contractum ob defectum intentionis se obligandi, vel alterius essentialis requisiti, & ita efficere quasi per resultantiam, ne Sacramentū consurgat. Neque enim tunc Sacramentum irritatur, aut falsificatur in se ipso; sed in alio, cuius valor præsupponi debet ad hoc, vt ipsum consurgat. Imò nec tunc in re ponitur forma, vel materia proxima ipsius, quia hæc consistunt in contractu de se valido, & hic solus elevatus est in lege gratiæ ad rationem Sacramenti iuxta institutionem Christi. At contractus, qui ibi intervenit, non est validus; sed irritus.

33. Confirmatur 2. Applicando specialiter ad metum, quæ digessimus in generali. Metus quippe hoc peculiare habet ex vi legis Ecclesiasticæ, vt ratione illius contractus matrimonij sit irritus, quin sit in contrahentis potestate, licet velit, & conetur quantum potest, eo durante, Sacramentum validum efficere. In reliquis autem Sacramentis hoc non evenit; sed potiùs oppositum: validè enim consecrat, absolvit, aut ordinat omnis Minister legitimus, qui istiusmodi Sacramenta ex quovis metu ministrat subiecto aliunde capaci, si congruentem habeat intentionem, quæ ad valorem vltra signa externa in omnibus Sacramentis necessariò postulatur. Vnde fit, vt is, qui fingit, se contrahere occasione metus (iam constat, de quo loquamur) nullam irreverentiam committat, & nihil contra religionem peccet ex eo præcisè, quòd in illis circumstantijs non velit, aut etiam nolit Sacramentum ministrare. Tum quia videt, illud fore invalidum, se volente, vel nolente, ex vi legis irritantis, & non potest obligare religio ad validum Sacramentum matrimonij conficiendum, mediante contractu invalido. Tum quia nolendo non irritat Sacramentum, aut contractum; sed solum cedit impotentiæ physicæ administrandi illud validè. Neque ea nolitio se opponit institutioni Sacramenti, aut auctoritati instituentis; sed se potiùs quoad eam partem conformat institutioni, atque voluntati ipsius, qui ordinarias regulas contractuum in isto servari voluit, non obstante, quòd exinde existentia Sacramenti præpediatur.

Qua-

34. Quare, ſi quid tunc delinquitur, ſolùm eſt contra veracitatem, quatenus Miniſter dicit abſolutè, & abſque addito, ſe habere voluntatem, quam non habet, & ideò loquitur contra mentem ſuam. Atqui mendacium iſtud nulli nocet, & mentienti ipſi eſt proficuum, vt ſe liberet ab incuriente metum. Ergo tranſilire nequit mendacij officioſi limites. Nam quod Scotus conſiderat, nempe aliũ contrahentem decipi in re gravi ob fictionem iſtam, locum habere non poteſt, cùm ipſe eſt, qui metum infert, vel alij, eo ſciente. Et, quamvis id ignoret, re vera ſolùm decipitur circa conſenſum mentientis; non verò circa valorem Sacramenti, vel cõtractus, quorum nullitas ex metu oritur, & non pendet à conſenſu, vel diſſenſu illius, qui metum invitus patitur.

35. Ex his igitur ad principale argumentum veriùs reſpondetur, ac conformiùs ad receptiorem ſententiam, antecedenti conceſſo, & conſequentia negata, ob aſſignatam rationem, quæ in matrimonio procedit, & reliquis Sacramentis nullatenus adaptatur. Cœterùm, ſi fortè eveniat, aliquem, qui vtrumque poſſet, velle efficere contractũ validum, & adhuc nolle Sacramentum conficere, ſed ſiſtere in ſolo contractu, is proculdubio contra religionem peccaret. Nam ex defectu intentionis formalis, aut virtualis ſpecialiter requiſitæ ad Sacramentum, poſito contractu valido, quæ eſt forma, ac materia illius, immediatè, atque directè Sacramentum ipſum irritaret. Quòd ſi nihilominùs fingeret, ſe habere intẽtionem celebrandi non ſolùm contractum, ſed etiam Sacramentum, duplex ibi eſſet peccatum aliud mẽdacij, & aliud ſacrilegij, & de huiuſmodi fictione eadem prorſus eſſet ratio, quæ de cœteris, vbi alia Sacramenta ob defectum intentionis invalidè miniſtrantur.

36. Ita notat Dicaſtillo *ſuprà num.* 121. & *diſp.* 2. *num.* 191. & *num.* 228. vbi duas iſtas intentiones ex ſuis obiectis diſtinguit nimis exactè, & contendit, illas eſſe ſeparabiles, ac neceſſarias ad valorem Sacramenti, atque ex defectu illius, quæ propriè ad ipſum ſpectat, de facto poſſe contingere etiam inter baptizatos, vt matrimonium ſubſiſtat in ratione contractus, & in ratione Sacramenti non ſubſiſtat; ſed ſit penitus invalidum. Sed de hoc decernemus alibi.

CAPVT IV.

Vter plus peccet, qui ex metu irritante ſimulat, ſe habere intentionem celebrandi matrimonium; an is, qui verè illam habet?

37. SImulantem plus peccare, exinde ſequitur (ſi inter hæc extrema rectè poteſt comparatio inſtitui) quia conſentiens nihil peccat, iuxta ſententiam communem, quam ſequuntur Thomas Sanchez, Ledeſma, Cornejo, Averſa, Baſilius, Filliucius, Gaſpar Hurtado, Coninc, Palao, Dicaſtillo locis *num.* 28. conſignatis, necnon Valentia *tom.* 4. *diſp* 10. *q.* 3. *pun.* 1. *ad* 1. Salas *diſp.* 11. *de legib. num.* 10. *in fin.* Layman *tom.* 1. *lib.* 1. *tr* 4. *cap.* 14. *num.* 10. Martinus Perez *diſp.* 17. *de matrim. act.* 12. *num.* 12. & *diſp.* 22. *ſect.* 5. *num.* 2. P. Georgius Gobat. *in Theolog. experimental. de Sacrament. tr.* 9. *num.* 256. Adſtipulaturque Angelicus Doctor eo loci diſertè ſcribens, ibi conſenſum præſumi, ne præſumatur peccatum. Accedit & ratio. Quia in eiuſmodi fictione,

ne, iuxta dicta, non intervenit peccatum sacrilegij; sed solius mendacij, quatenus simulans, se habere dicit voluntatem, quam non habet. Atqui mendacium istud non incurrit ille, qui verè consentit, & interiùs habet seriam intentionem contrahendi. Caret igitur omni peccato.

38. Cæterùm doctrina ista non parvo indiget examine, illique è diametro opponi videtur P. Suarez *lib. 5. de legib. cap. 20. num. 5.* generaliter statuens, grave peccatum sacrilegij esse, contrahere matrimonium cum quolibet impedimento irritāte, sicut & facere professionem religiosam, quæ spirituale quoddam matrimonium est, & alias actiones sacras, sine requisitis ex præcepto Ecclesiæ ad valorem ipsarum necessarijs. Caietanus quoque docet 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. hominem teneri potiùs mori, quàm matrimonium contrahere cum consanguinea intra gradus ab Ecclesia prohibitos. Idipsumque tenent Sotus, Medina, & alij quamplures, quos sequutus est Navarro *in Manuali. cap. 27. num.* 141. *fin.* notans, talem transgressionem nullo metu posse excusari à mortali.

39. Et quidem, dum sic consentiens, certò agnoscit legem irritantem, vel illam sua culpa ignorat, &, ea non obstante, intentat celebrare matrimonium, res videtur satis clara. Nam quamvis sæpe contingat scienter operari absque peccato contra leges non prohibentes, sed duntaxat irritantes actionem, si fortè fiat contra formam ab eis datam (vt his evenire creditur, qui ex metu, vel alia causa testamētum conficiunt absque debita solemnitate) oppositum tamē proculdubio dici debet, quādo actus adversum legem purè irritantem exercitus, ex vi sui obiecti, ac naturæ talis est, vt illum attentare, cùm validè fieri nequit, rectæ rationi adversetur, & repugnet honestati. Ita autem in matrimonio contingit, vt in Sacramentis alijs. Quia velle efficere Sacramentum validum ex materia, aut forma invalidis, & contra Dei institutionem attentare symbola sacra conficere ex signis merè profanis, intrinsecè turpe est, ac religioni contrarium. Id autem intentat, qui intendit Sacramentum matrimonij conficere, & se actu obligare, ac tradere ineundo contractum irritum: quia ratio Sacramēti ex institutione Christi solùm convenit contractui valido, & hic solus est, qui ab ipso sacer factus fuit ex profano. Invalidus verò non habet hanc prærogativam; sed perinde est habere intentionem conficiendi Sacramentum ex vi illius, ac velle novum aliud genus Sacramenti instituere non institutum à Christo; sed positivè ab ipso reprobatum.

40. Explicatur. Quia non facilè intelligitur, quisnam sit ille consensus, qui in prædictis circumstantijs existimatur sufficiens ad excludendum peccatum. Vel enim est absolutus, vel modalis, aut conditionatus? Si absolutus est, metuensque intendit, secluſa omni conditione implicita, vel explicita, verum Sacramentum conficere causativum gratiæ supernaturalis, ac se ipsum cum effectu tradere alij coniugi, atque traditionem eius recipere, & acceptare, valde irreligiosus erit. Quia eo ipso intendit contra Christi institutionem facere, ac recipere verum Sacramentum ex materia, & forma invalidis, & propria auctoritate à se institutis. Quare non minùs peccaret, quàm si vellet baptizare, aut baptizari cum aceto, & non cum aqua, vel ordinare, aut ordinari, quando certò novit, irritam fore traditionem potestatis absolvendi, aut consecrandi. Atque in ipso matrimonio alia exempla occurrunt passim, vt siquis seriò con-

contenderet illud inire cum filia, vel ſub impotentia generandi certò cognita, vel ſine Parocho, & teſtibus, vel ſuperſtite alio coniuge.

41. Si verò talis conſenſus non eſt omnino abſolutus, ſed modalis, aut conditionatus, quia impedimentum agnoſcens vult duntaxat miniſtrare, atque recipere Sacramentum matrimonij *Si poſſit*, vel *In quantum poteſt*, tunc mendacium non vitabitur: quia verba exteriùs prolata omnino abſoluta ſunt, atque in eo ſenſu dicuntur, ſecluſa (vt modò ſupponimus) quacumque æquivocatione, vel occulta reſtrictione eiſdem verbis ſuperaddita. Porrò verba in ſe abſoluta, & per modum orationis integræ prolata, verificari non poſſunt per actum non abſolutum, ſed merè conditionatum: nam illa vt ſic verũ conſenſum de ſe efficacem, & abſolutum affirmant, qui in illo caſu non datur; ſed ſolùm velleitas quædam contrahendi, ſi fieri poſſet, vel niſi alia impedimenta obſtarent. Quinimò voluntas illa, quæ eſſe dicitur cõſenſus, re vera non eſt conſenſus ſerius, qualem verba denotant; ſed nugatorius, atque (vt ita loquar) de obiecto non ſupponente. Verè namque nugatorium eſt, illum ſe velle obligare, quantum poteſt, qui novit, ſe nihil poſſe, licet quantum poteſt faciat, & in illis circumſtantijs ſuum conſenſum nullam obligationem inducere civilem, aut naturalem. Conſentire igitur illum obligationi ſuæ, & velle alienam acceptare, atque ad effectum mutuæ traditionis perducere, ſi poteſt, aut in quantum poteſt, re vera eſt pro tunc non conſentire, quia conſenſus ad eventum poſſibilitatis refertur, quam prænoſcit tunc non dari.

42. Quæ cùm ita ſint, cenſeo nihilominùs, optimè dixiſſe S. Thomam, & alios relatos ſuprà, caſu quo metuens conſentiat, nullum ibi eſſe peccatum. Neque enim ipſi loquuntur, vt Suarez, & Caietanus, de conſenſu priorſus abſoluto conficiendi Sacramẽtum, aut contractum, quem vidimus eſſe illicitum, & qui fortaſſe tunc eſt impoſſibilis; vt Conine rectè annotavit *diſp. 24. de matrim. dub. 6.* & putat ſatis probabile Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp. 33. num. 1.* ſed ſermo eis eſt de modali, quo metum patiens decernit contrahere in quantum poteſt, & ex parte ſua nullum interponere impedimentum ſpeciale. Hæc autem modificatio omnia inconvenientia removet, quæ ex virtute religionis abſoluto conſenſui opponebantur, & veracitati ſatisfacit, quamvis verba abſoluta videantur. Tacitè namque ineſt in eo eventu, vt in cæteris contractibus, & pro expreſſa haberi poteſt, tametſi non exprimatur. Neque enim metum incutiens ad impoſſibilia compellit, nec patiens tenetur velle vltra illud, quod poteſt facere. Quare, ſi in hoc ſenſu intendat ſua verba proferre, & non in ſenſu abſoluto, ſicut poſſet, ſi mentiri vellet, contra mentem ſuam nil loquetur; imò nec contra mentem cogentis, qui ab eo non poſtulat, quod nequit facere. Vnde licet ille affectus ſit merè nugatorius, ſtante metu, quoad effectum conficiẽdi matrimonium validum; valde vtilis eſt quoad effectum declinandi mortem, & evitandi mendacium. Ceſſabit enim compulſio, eo faciente quantum poteſt, & mendacium nullum erit, cùm verba implicitè denotant, quod loquens in mente habet.

43. Dixi, tunc fortè non poſſe dari abſolutum conſenſum, etiam phyſicè, quia nullatenus apparet, quonam pacto dari poſſit vera intẽtio, ſeriuſque conatus validè efficiendi eum actum, qui nullius roboris futurus prænoſcitur, quolibet conatu

non obstante. Nam id velle, nil est aliud, quàm impossibilia intentare, & contendere ad suum finem pervenire per media inutilia omnino, & inepta ad illum comparandum. Quocirca solùm videtur talis intentio possibilis, cùm intervenit ignorantia, seu inadvertentia metus, aut alterius impedimenti vt irritantis. Tunc enim, cùm contrahens nesciat matrimonium esse invalidum, & potiùs iudicet (quamvis per errorem) esse in sua potestate contractum validum, ac Sacramentum conficere; nil obstat, quominùs id facere intendat absolutè, & media adhibeat ad eum finem necessaria. Neque eiusmodi ignorantia est insolens; sed frequenter inveniri valet in his, qui metum patiuntur, sicut in eis invenitur, qui eum incutiunt, ineptè illum incussuri ad verum matrimonium extorquendum, si scirent, vel solo suo facto cassari.

44. Tunc autem distingui debet ignorantia vincibilis, aut invincibilis, vt de culpa contrahentis rectum iudicium feratur. Nam, si invincibilis sit, ab irreverentia, & sacrilegio formaliter imputabili ad vituperium, ac pœnam eiusmodi intentionem excusabit. Si verò fuerit vincibilis, aut etiam affectata, vel crassa, ad excusandum non proderit; sed eiusdem speciei peccatum erit, ac si scienter fuisset habita, & Minister sic se gerens contra reverentiam Sacramento debitam imputabiliter aget. Vtrùm autem solùm peccet contra legem naturalem prohibentem, ne vllum Sacramentum attentetur, quando nequit fieri validè, vel etiam contra legem positivam qua irritatur propter metum, anceps quæstio est. Quia licet nulla ignorantia effectum irritationis impediat, nec metus cessare faciat efficaciam legum irritantium, & earum maximè, quæ impedimenta matrimonij constituunt, cùm ipse metus sit vnum ex illis; hoc tamen speciale habet, quòd ratione illius sæpe cessat obligatio legum humanarum, qua prohibentium nequid fiat absolutè, vel absque tali forma, aut circumstantijs: rarò namque solent obligare ad culpam cum mortis periculo, vel alterius grandis mali.

45. Vnde probabile est, vt rectè advertit Suarez *lib. 5. de legib. cap. 22. num. 10.* & tenent plurimi, illum non peccare contra legem Ecclesiasticam, qui ex metu mortis contrahit cum affine, aut consanguinea, sicut nec ille, qui ob similem timorem profitetur ante legitimam ætatem, quamvis vterque actus sit irritus, & prior duplici ex capite, scilicet ratione metus, & ratione affinitatis. Semper tamen remanebit peccatum irreverentiæ contra legem naturalem, tàm in hoc Sacramento, quàm in reliquis, nisi verba externa limitentur, & per aliquam amphibologiam in alio sensu, quàm absoluto, accipiantur. Quatenus autem hoc liceat Ministris Sacramentorum ratione metus, vel alterius causæ, exponendum deinceps erit.

CAPVT V.

An in Sacramentis liceat ratione metus, vel alterius causæ gravis vti verbis formæ in sensu æquivoco, aut occulta restrictione limitatis?

46. VT certa separentur ab incertis, pono primò, id non licere per veracitatem, si æquivocatio, vel restrictio fiat voluntate fallendi, & propterea vim simulationis habeat, aut etiam fallaciæ, vel deceptio-

ceptionis activæ: iſta namque nunquam culpâ vacant mendacij, vel mendacio æquipollentis, & oppoſita præcepto non decipiendi proximum, vt conſtat ex nuper dictis, & latiùs demonſtratum fuit *diſſert. 14. præſertim. cap. 3. & 4.* Pono 2. id non eſſe illicitum, attenta præciſè virtute veracitatis, cùm deeſt intentio fallendi, & vrget gravis neceſſitas vtendi prædictis medijs ad occultandum veritatem aliquam, quam ſine peccato, aut alio notabili præiudicio manifeſtare non poſſumus, & ſervatis alijs, quæ ſervanda diximus circa propoſitionem 26. & 27. ex damnatis. Pono 3. ex ibi dictis, ſæpe evenire per accidens ex debito Religionis, Fidei, Obedientiæ, aut Iuſtitiæ, aliorumve virtutum, vt eiuſmodi occultationes non liceant: prohibet namque illas lex vrgentior ſuo ſpeciali iure poſtulans nudam confeſſionem veritatis: atque ita evenit, cùm in odium fidei, vel contemptum Sacramenti, aut ſcandalum puſillorum occultatio redundaret.

47. Quocirca cùm gravis metus, cadenſque in virum conſtantem ſoleat eſſe iuſta cauſa vtendi verbis æquivocis, aut altera amphibologia mente, aut lingua occultè adiecta, ad occultandam nullitatem alicuius actus, vel aliam veritatem, cuius abſcondendæ ius nobis aſſiſtit; quæſtionis eſt, vtrùm etiam in Sacramentis miniſtrandis hæc licita fiant per metum, ſicut fiunt licita in materijs alijs? Neque enim in præſentiarum diſcutimus modum agendi, quo id licet, nec quo pacto is à mendacio excuſetur; ſed ſupponimus (quod nemo negat) eiuſmodi occultationes per verba æquivoca, aut reſtrictionem mentalem, ſervatis ſervandis, licere: adeò vt Thomas Hurtado contendat ex profeſſo *tom. 2. variarum reſol. tr. 7. à num. 8.* errorem eſſe in fide id inficiari, & hoc ſuppoſito, inquirimus, an interdum ea doctrina extendatur quoque ad Sacramenta? Ratio autem negandi eſt, quia ob reverentiam ipſorum virtus religionis generaliter videtur poſtulare, ne eiuſmodi occultationes ibi exerceantur; ſed nudè, ac apertè pateat veritas eius, quod geritur, ne ſacra profanis miſceantur, & auferatur vero Sacramento honor ſuus, aut non ſuus falſo deferatur.

48. Et ſanè, quoties Miniſter poteſt, ac tenetur verum Sacramentum conficere, ac miniſtrare pœnitenti ex.g. ſibi iam confeſſo, ritèque diſpoſito, evidens eſt, nulla de cauſa ei eſſe licitum vti verbis Formæ in alio ſenſu, quàm Sacramentali. Quia in alio ſenſu prolata, puta non in ſenſu iudiciali, ſed merè deprecativo, non conficiunt verum Sacramentum; imò neque illud conficerent, quamvis ipſe alioqui haberet internam voluntatem abſolvendi. Sacramenta ſiquidem ex verbis conſtant practicè ſignificantibus veritatem rei, quæ geritur cum intentione Miniſtri; nõ verò aliud quidpiam, quamvis aliàs ſint capacia alterius extranei ſenſus. Quare certiſſimum eſt, non confecturum Sacramentum Euchariſtiæ Sacerdotem, qui proferret verba illa: *Hoc eſt Corpus meum*: deſignãdo per pronomen *Hoc* ſuum proprium corpus; non verò materiam præſentem, & per vocem *Meum* non corpus Chriſti; ſed illud, quo ipſe completur.

49. Quòd ſi vſurpando verba in dicto ſenſu, nihilominùs intenderet ex vi ipſorum verum Sacramentum facere Euchariſtiæ, aut pœnitentiæ, graviſſimum ſacrilegium committeret: quia vt Miniſter Chriſti vellet conficere Sacramentum ab ipſo non inſtitutum, & mediante forma invalida Sacramentum validum conſtruere. Si verò non haberet intentionem

tionem conficiendi Sacramentum, sed potiùs non conficiendi, idque vellet occultare, proferendo verba, quæ eam significare solent, atque vt Sacramentalia sint, significare debent, tunc etiam contra religionem peccaret: quia ob intentionis defectum, & prolationem verborum in sensu, qui ad Sacramentum non sufficit, ministrat illud invalidè cùm validè ministrare debeat. Atque in vtroque casu solùm proderit artificium æquivocationis, aut restrictionis mentalis ad occultandum peccatum externa superficie verborum Sacramentalium, sed peccatum ipsum semper remanebit. Tantaque erit eius gravitas, quanta erat obligatio conficiendi Sacramentum validum, & eò maior, quò alijs data occasione confundendi verum Sacramentum cum invalido, decipitur proximus in re magni momenti.

50. Verumtamen si ex adverso supponamus, Ministrum, tametsi velit, non posse validum Sacramentum ministrare, ex.g. Baptismum ei, qui iam est baptizatus, aut absolutionem indispositi, erit difficultas gravior, si nihilominùs compelliatur metu mortis ad ipsum absolvendum, aut rebaptizandum. Quid enim tunc miser faciet? Absolvere cum intentione absolvendi omnino absoluta, qualem verba denotant? Atqui hoc non potest absque gravi sacrilegio: quia religio Sacramenti postulat, vt verba perfectiva ipsius non proferantur seriò, & ex animo in vanum, seu in casu, quo futura sunt nullius effectus, vt dictis exemplis patet. Absolvere sine intentione absolvendi? Sed hæc est simulatio condemnata, quæ à mendacio saltem excusari nequit, sicut nec iurare absque intentione iurandi. Silere omnino, vel submissè obmurmurare, alia distincta verba, vel aliquam conditionem, aut modificationem perceptibilem adijcere verbis formæ? At qui compellit, nihil istorum patietur, semperque vrgebit, donec forma seriò, ac palam profetatur absolutè, & eisdem vocibus, quibus vtuntur absolventes validè. Igitur vel certæ morti se objiciet, vel confugere debebit, vt fit in alijs materijs, ad amphibologiam aliquam occultam cogenti; sibi verò notam, & proficuam, vt eum quieter, & iuxta mentem loquatur.

51. Quę doctrina satis probabilis esse videtur, & eius praxis aliena in prædictis circumstantijs, tum à culpa mendacij, vel simulationis; tum etiam à peccato sacrilegij, aut cultus falsi. Mendacium namque, aut simulatio ideò aufertur, quia metuens cõtra suam mentem non loquitur; sed solùm contra spem, mentemque alterius absque intentione fallendi; neque illum decipit, sed solùm permittit passivam deceptionẽ illius, quod licitum est iniquam vexationem patienti, & non aliter potenti sese ab illa liberare, nisi alia potentior lex ipsi resistat. Nulla est autem, quæ resistat generaliter in eo eventu. Nam religio, & sanctitas Sacramenti, quæ solùm posset obstare, non obligat ad impossibile faciendum, aut intentandum. Imò nec coactio externa ad hoc compellit; sed vis eius præcisè ad illud extenditur, quod physicè facere possumus; ad ea verò, quæ non possumus, vel quæ coactioni nõ subsunt, quales sunt actus interni, sine quibus externi fieri possunt, nunquam compellere valet.

52. Non ergo tunc debet Minister ex debito religionis verum Sacramentum facere, nec proferre formam eius sub eo sensu, & intentione, quæ necessariò requiritur, vt validè conficiatur. Quinimò potiùs tenetur abstinere ab istis, quia intrinsecè malum est, & repugnans rationi, ac honestati,

neſtati, attentare ſacrum miniſteriũ, cùm non poteſt fieri validè, v.g. baptizando illum, qui iam anteà eſt baptizatus, contrahendo cum coniugata, ordinando fœminam, conſecrando hordeaceam hoſtiam, vngendo hominem omnino ſanum. Quòd ſi nihil horum poteſt, etiam gravi metu vrgente, facere licitè, aut validè, rectè faciet, ſi nec verba proferat in eo ſenſu, quo ſunt forma Sacramenti, neque intentionem ei correſpondentem habeat. Sed nec peccat contra religionem, aut contra veracitatem occultando mentem ſuam ſano modo, & ſicut licet in negotijs alijs, vt ita vitam ſuam redimat, & ab iniuſta vexatione ſe defendat, quamvis inde deceptio alterius ſequatur. Ergo, omnibus inſpectis, ac per ſe loquendo, nullo ex capite peccabit.

53. Confirmatur. Quia etſi ſemper ſit peccatum iurare exteriùs abſque intentione iurandi, ſæpe licet ex idonea cauſa, qualis proculdubio eſt gravis metus, iurare cum æquivocatione, vel reſtrictione aliqua occulta, vt oſtendi latè *ſuprà diſſert. 13. à cap. 3.* & *diſſert. 14.* Ergo parili ratione in Sacramentis debemus philoſophari, niſi ſpecialior alia circumſtantia prevalens metui aliud poſtulet, vt etiam in iuramentis contingit, cùm ad eorum contemptum evitandum, vel ex charitate, aut iuſtitia ad mẽtem aliorum ea præſtare, ac mentem noſtram palam manifeſtare tenemur. Quippe duo iſti modi agendi valde diſſimiles ſunt, licet materiali ſono, ac ſuperficie verborum maximè inter ſe conveniant, & propterea nunquam prior excuſari poteſt à peccato, cùm poſterior interdum excuſetur. Exteriùs enim abſolvens (eadem ratio eſt de iuramento) non immutat ſignificationem vocum, neque eis vtitur in alio ſenſu, quàm Sacramentali; ſed eo ipſo, quem habent, vt ſint forma Sacramenti, & quo ab illis proferuntur, qui verè abſolvere intendunt, & propterea ſi non habeat intentionem abſolvendi, & vtendi poteſtate ſupernaturali ſibi data ad gratiam remiſſionis conferendam, mentitur, & pernicioſa fictione ſimulat ſe agere vt Miniſtrum Chriſti, falſamque ſententiam profert in ſignificando, & in eſſendo.

54. At verò qui æquivocè loquitur, aut occultè ſua reſtingit verba, vel ea profert merè materialiter, quatenus ſunt quidam ſoni, nil ſignificare intendens, re vera illa non pronuntiat, vt ſunt externa forma Sacramenti, neque in ſenſu, qui ad abſolvendum ſufficeret, quamvis abſolutè vellet, & ideò prædictis vitijs non ſubiacet, licet poſſit alijs ſubiacere vtendo artificijs iſtis abſque neceſſitate valde vrgenti. Nam quoties ſine neceſſitate exercentur, ſemper ſunt illicita, etiam in alijs materijs, & pro qualitate iſtius, quæ eſt adeò ſancta, & in Auctorem ipſum Sacramentorum refunditur, vice cuius Miniſter operatur, vt ea liceant, valde gravis neceſſitas occultandi mentem ſuam, & extraneum ſenſum, in quo verba proferuntur, intervenire debet. Non eſt autem impoſſibile, vt ea quandoque interveniat, & tunc maximè cùm verba abſolutionis neque validè, nec licitè proferri poſſunt, vt ſunt forma Sacramenti, v.g. quia Miniſter debita iuriſdictione caret, aut diſpoſitione pœnitens, atque ea propter, ſi tunc vrgeat metus mortis compellens ad proferendas voces illas, integrum erit Miniſtro eas proferre in alio ſenſu, idque occultare, vt compulſio iniqua ceſſet, & Sacramento nulla iniuria fiat, deficiente abſolutione, tàm interna, quàm externa.

55. Confirmatur iterum ex dictis ſuprà. Quia etſi numquam liceat ſimulare, aut fingere, præſertim in Sacra-

Sacramentis; adhuc licitum est in matrimonio, metu gravi compellente ad illud celebrandum, proferre absolutè ea verba, aut eos nutus, qui esse solent vera forma ipsius, non in ea practica significatione, qua sunt forma; sed in alia amphibologica, & insufficienti ad eum effectum; imò & in sensu merè materiali, ac si nil ad placitum significarent, vt speciatim expresserunt inter illos, quos adduximus *num.* 28. *&* 37. Ledesma, Thomas Sanchez, Dicastillo, & alij, annuente Suario *lib.* 3. *de Legib. cap.* 30. *num.* 14. Ergo generica ratio Sacramenti huic artificio non obstat, licito in alijs materijs; sed ad alia quoque extendi poterit, nisi peculiariter resistat propria alicuius differentia. Etenim quamvis in matrimonio aliqua liceant, quæ in alijs licere nequeunt, in præsenti nulla est ratio, quæ id à reliquis secernat.

56. Neque enim in Sacramento, & contractu matrimonij vlla de causa fit licitum simulare, vel decipere exteriùsve contrahere absque vera intentione contrahendi, aut attentare id conficere, cùm validè fieri nequit. Hæc namque omnia intrinsecè turpia sunt, & omnino præcaveri debent, vt vsui amphibologiæ, aut restrictionis occultæ, possit licite exerceri. Præcaventur autem, cùm in matrimonio intervenit metus gravis iniustè, ac directè incussus ad extorquendum consensum. Quia ille in primis reddit Ministro impossibilem, eo quòd sit impedimẽtum dirimens, validam administrationem Sacramenti. Præbet etiam iustam causam redimendi vexationem suam, non loquendo ad mentem compellentis; sed vsurpando verba formæ in alio sensu ab eo, qui prærequiritur ad valorem Sacramenti: frustra namque in illo sensu, quo sunt forma, illa vsurparet, cùm prævideat, etiam eo modo prolata nullum habitura effectum. Atque id totum fieri potest nõ animo simulandi, aut decipiendi, vel significandi aliud, quàm sentit; sed duntaxat occultandi mentem suam, & sensum, quo verba profert ad declinandum periculum mortis alioqui imminentis. Porrò hæc omnia Sacramento pœnitentiæ, & alijs rectè possunt adaptari in circumstantijs similibus, & licere, sicut licent in matrimonio, & extra illud in plerisque alijs eventibus.

57. Quod vero nonnulli obijciunt, hac ratione Sacramentum irritari, & hoc cedere in iniuriam eius, nullius põderis apparet. Neque enim dicendum est, id fieri irritum; sed potiùs non fieri absolutè, & in eo casu, quo nequit fieri licitè, vel validè. Nihil enim fit, aut dicitur mediante æquivocatione, aut occulta restrictione, quod ad Sacramentum propriè spectet, aut vnquam spectare valeat; sed aliud quidpiam superficialiter simile quoad sonum externum vocum; sed significatione diversum, ac prorsus dissimile in ratione signi sacri. Vnde neque Sacramento fit iniuria (secluso alio inconvenienti) si occasione huius convenientiæ materialis alij decipiantur, & id habeant pro vero Sacramento: quia deceptio in illis circumstantijs passiva est, & non activa comparatione Ministri, vt dici solet de scandalo, & tanquam decipienti, ei debet imputari, qui metum incussit, & ad eas angustias negotium istud redegit. Nullusque, vt opinor, dicet, Sacerdotem iurisdictione carentem ratione reservationis, aut vi censuræ Ecclesiasticæ, & absolvere compulsum peccare, si occultè supprimat tres primas litteras verbi *Absolvo*, & solùm dicat, *Ego te olvo*, aut si tres alias imperceptibiliter addat dicens, *Ego non te absolvo*, quamvis inde similis deceptio sequatur,

tur, quæ ex verbis formæ prolatis integrè, sed alio sensu nequaquam Sacramentali.

58. Parum etiam refert, si dicamus, ex metu non irritari alia Sacramenta, præter matrimonium. Quia in proposito idem erit, quòd Sacramentum nequeat ministrari validè, ex quocumque capite id proveniat, v. g. ex materiæ ineptitudine, aut incapacitate subiecti. Atque in matrimonio id ipsum licere posset, si ignorans invincibiliter, metum esse impedimentum irritans, cum consanguinea, aut affine contrahere cogeretur. Pariterque ab omni culpa ille immunis appareret, qui consecrare compulsus panem confectum ex glandibus, vel alia materia inepta, per eas voces *Hoc* & *Meum* corpus suum significare vellet; non verò id, quod debent denotare, vt sint forma Sacramenti: sicut Christus non peccavit dicens Ioannis 2. 19. *Solvite templum hoc*, id occultè intelligendo de templo corporis sui, & non de templo Hierosolymitano, intra quod erat, & de quo ab omnibus alijs, etiam discipulis, loqui credebatur, vt Evangelistæ ipsi profitentur.

59. Iam verò, si supponamus, Sacramentum posse ministrari validè, non tamen licitè, & nihilominùs Sacerdotem compelli ad ministrandum, tunc distinguere oportebit, vt de illius culpa, aut innocētia rectum iudicium feratur, vtrùm id esset illicitum ex vi legis obligantis, etiam cum vitæ periculo, aut alterius grandis mali, vel non; sed solummodò ex vi legis, cuius obligatio cessat ob prædictam circumstantiam? Nam, si vrgente metu gravi, cessat obligatio legis, vt multoties evenire ostendimus *num.* 23. iam tunc cessat tota causa, quæ Ministrum impediebat ab exercitio sui muneris, & nullitas Sacramenti culpæ ipsius imputabitur, qui præcisè pro suo libito falsum Sacramentum exhibet, cùm posset præstare validum. At verò, si vrgente metu, nondum cessat legis obligatio, sed adhuc Minister debet abstinere ab exercitio conficiendi, ac ministrādi, tunc erit diversa ratio, & eodem iure is censebitur in tali eventu, quo illi, qui neque physicè possunt verum Sacramentum ministrare. Id enim possumus, quod iure possumus, & sicut virtus religionis non potest ad impossibilia obligare, ita neque ad faciendum aliquid illicitum, sive leve, sive grave.

60. Res exemplo declarabitur. Sacerdos approbationem, ac iurisdictionem habens, cui simplici præcepto, & non ex vi censuræ, suus Superior interdixit exercitium audiendi confessiones, validè absolvit (quamvis aliàs peccet) quia omnibus requisitis est instructus ad valorem Sacramenti necessarijs. Ponamus igitur, eum gravi metu compelli ad istud Sacramentum ministrandum, & dico, tunc nil peccare, si id faciat verè, & ex animo, quia præceptum Superioris non obligat cum tanto discrimine, sive vitæ, sive famæ. Peccaturum autem valde graviter, si verba absolutionis non proferret in suo proprio sensu, & cum debita intentione, nihilque illi profuturam vllam æquivocationem, aut restrictionem mentalem, sicut his nihil prodesset, qui nullum præceptum habent. Nam perinde est, ac illud non habere, versari in illo conflictu, vbi cessat eius obligatio. Cœterùm, si idem præceptum iniunctum esset ob causam publicam tanti momēti, vt cum periculo vitæ adhuc etiam obligaret, tunc sanè non posset licitè verum Sacramentum ministrare; sed neque ei liceret fingere, se velle absolvere exteriùs absque intentione absolvendi, seu dimittendi peccata, quia id est

intrinsecè turpe, & illicitum ex alio capite.

61. Integrum tamen ei esset, metu vrgente, mentem suam occultare eisdem medijs aliàs licitis, quibus illi se tuentur, qui absolvere nequeunt validè. Et quoad hunc effectum par esset omnino ratio de illo, qui hoc modo est prohibitus, ac de Sacerdote publicè excommunicato, qui citra mortis articulum nequit absolvere validè, aut licitè, quamvis alioqui non sit indispositus, & ad absolvendum metu mortis compellatur. Quia metus ei non restituit iurisdictionem ablatam ex vi censuræ, vel reservationis, ac propterea attentando absolutionem vsurpatione Sacramentalis iudicij, & alijs modis peccabit, vt opportunè adnotarunt P. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 18. *num.* 8. Coninc *disp.* 13. *de cens. à num.* 103. Suarez *disp.* 6. *de cens. sect.* 3. *num.* 3. Baldellus *in Theolog. moral. tom.* 1. *lib.* 5. *disp.* 26. *num.* 3. Bonacina *disp.* 2. *de peccat. q.* 8. *punct.* 2. *num.* 7. *in fin.* & *disp.* 2. *de excommun. q.* 2. *punct.* 6. *num.* 62. & passim legi potest apud alios. Quæ ergo huic licent, vt eludat absque fallacia, & mendacio vim sibi imminentem, nisi absolvat, faciatque, quod nequit re ipsa facere, quantumvis velit, & audeat, eadem licebunt alij, vt si verba merè materialiter vsurpet, aut occultè adijciat conditionem illam: *Si licitè possum*, vel vtatur alijs medijs, quæ *num.* 57. exponebantur.



CAPVT VI.

Vtrùm aliquando liceat simulare in Eucharistia, porrigendo hostiam non consecratam pro consecrata?

62. FRequens hîc solet occurrere necessitas, quæ istum simulandi, seu dissimulandi modum videtur reddere licitum. Prima autem sumitur ex parte Ministri negligentis, qui non habet Eucharistiam repositam in sacrario, & quæritur, an ei liceat ad vitandum scandalum, fugiẽdam pœnam, & palliandam suam incuriam, dare hostiam non consecratam ei, qui consecratam postulat, & communionem desiderat? Licere affirmat Altisiodorensis *in summa. lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 5. *q.* 4. saltem cùm senex decrepitus, aut ægrotus solius devotionis gratiâ vult frequentare Eucharistiam; secùs verò, si illam petat in extremis, illâque vt Viatico indigeat. Cœterùm inter vtrumque casum nullam solidam disparitatem inveniri, meritò contendit Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 209. *num.* 42. & 43. atque ad postremum extensam Altisiodorensis sententiam *improbabilem*, & *intolerabilem* dixit P. Suarez *disp.* 67. *de Sacram. sect.* 4. vers. *Circa tertiam.* Vanus namque est ille prætextus, vt in re tanti momenti liceat fideles decipere, & facere, vt infirmus deferat pani communi eum honorem, & eam fidem, qui soli Christo debetur, & in eo, quod ibi latet, suam spem collocent, illudque diligant super omnia tanquam Deum, à quo gratiam, ac redemptionem requirunt.

63. Secunda est. An saltem liceat dare hostiam non consecratam excommunicato, aut peccatori occulto

culto ad vitandum sacrilegium eius, & infamiam, aliudve periculum ipsi imminens, nisi communicet? Vbi ante omnia poni debet tanquam res omnino certa, & vix ab vllo his temporibus in controversiam adducta, tunc committi crimen valde perniciosum, si id fiat, ignorante illo, qui ad communionem accedit, & potiùs existimante, hostiam consecratam sibi tribui. Neque enim hoc pacto evitatur sacrilegium eius, qui se videt indispositum, & nihilominùs audet accedere ad mensam Christi, putans esse mensam eius, & ipsius corpus se manducaturum. Atque in hoc maximè differt, & deterior est hæc fictio, quàm illa Altisiodorensis, vbi ex parte suscipientis devoti, aut præparati ad Viaticum nulla præerat indignitas. Aliunde verò hîc concurrit pariter grave aliud flagitium Ministri simulantis esse Deum, quod non est, nisi profanus cibus, proponentisque creaturam adorandam exteriùs cultu Divino. Quia esto suscipiens non peccet coram Deo imputabiliter, excusante ipsum invincibili ignorantia, Minister, qui id non ignorat, grave peccatum committit, sicut dœmõ dum occultus apparet, ac se adorandum, & credendum proponit sub specie Crucifixi simplicibus, qui prę-stigijs eius assensuri sunt absque vlla culpa.

64. Quare tota difficultas ad illum casum devolvitur, in quo id fit ex conventione suscipientis, ac ministri: tunc enim & vitatur sacrilegium indignè communicandi, & exterior idololatria adstantium, ac ignorantium fictionem declinari potest, ostendendo adoraturis alteram hostiam verè consecratam, vel solam, si fieri potest, vel simul cum non consecrata abscondita à tergo ipsius. Et demum tota ista fictio officiosa potiùs, quàm pernicioſa censebitur, quia vt scribit Albertus infrà, *non est falsitas, sed cautela mali, quod posset ex scandalo multorum esse, nec est simulatio in Sacramenti confectione, sed potius in similitudine vsus Sacramenti.* Sic sentiunt idem Albertus *in* 4. *dist.* 13. *art.* 20. *q.* 1. S. Bonaventura *in* 4 *dist.* 9. *art.* 2. *q.* 4. *ad vltim.* Iavellus *tom.* 1. *Philosoph. Christ. p.* 5. *tr.* 4. *cap.* 6. Adrianus *quodlib.* 3. *art.* 3. Angles *in floribus. super* 4. *sentent.* 1 *p. q. de suscipient. Euchar. art.* 4. *difficul.* 4 *fol. mihi* 103. Ludovicus de S. Juan 1. *p. summa. tr. de Eucharist. q.* 7. *art.* 8 *difficult.* 4. Villalobos *in summa. tom.* 1. *tr.* 7. *difficult.* 88. *in fin.*

65. Mihi autem omnino placet, id nullo in casu esse licitum; sed semper grave peccatum sacrilegii. Ita S. Thomas 3. *p. q.* 80 *art.* 6 *ad* 2. & ex professo *quodlib.* 5. *art.* 12. & est communis sententia, quam, plurimis relatis, sequuntur Ioannes Sanchez *in selectis. disp.* 35. *num.* 3. & Leander *tom.* 2. *de Sacrament. tr.* 7. *q.* 60. dicens, sibi esse *certissimam.* Ex schola autem Societatis nullum relegere potui, qui oppositum affirmaverit. Quia esto Franciscus de Lugo *lib.* 6 *de Sacram. cap.* 6. *num.* 65. & Escobar 1 *p. tom.* 3. *Theolog. moral. lib.* 20. *num.* 327. dixerint, non esse improbabile, Lugo opinionem communem tanquam securiorem, ac probabiliorem sequitur; Escobar verò, vt longè probabiliorem. Cæteri autem absolutè ei tanquam veræ subscribunt, & nominatim Suarez, Vasquez, Henriquez, Valentia, Reginaldus, Card. de Lugo, Dicastillo, Palao, Granado, & Gaspar Hurtado in locis à Leandro consignatis. Quibus addendi sunt P. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 8. *num.* 213. P. Anellus Perficus *de officio Sacerd. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 112. *fol. mihi* 785. P. Moya *in select.* 1 *p. tr.* 4. *q.* 2. §. 1. *&* 2. P. Tamburinus *in opusc. de commun. cap.* 6. *num.* 22. P. Georgius Gobat *in*

Theolog.experim.de Sacram.tom.1.tr. 4.nu.397. Luisius Turrianus *in summa morali.p.2.cap.55.dub.1.num.5.* & latè, & eruditè, vt assolet, P. Theophilus Raynaudus *tom.16.in Heteroclitis spiritualib. sect.1.punct.4.à nu. 61. fol. mihi 68.* atque ex externis Aversa *de Eucharist.q.10.sect.5.vers. Sexto.*

66. Præcipuum huius sententiæ fundamentum sumi solet ex *cap. De homine.7. de celebratione Missarum*, cuius speciem, & decisionem exhibuimus *num.21.* Sed non placet, quia casus est longè dissimilis. Hîc enim duntaxat agitur de Ministro, qui alij scienti præbet hostiam non consecratam pro consecrata, cuius est indignus, & quoad hoc tantùm decipit adstantes, quatenus simulatione sua facit, vt existiment, alterum re vera communicasse, & hostiam consecratam suscepisse. In textu autem sermo erat de Sacerdote, qui fingit, se consecrare, & non consecrat, se Deo offerre sacrificium Corporis Christi, & non offert, se illud consummare, & non consummat, se denique Missam celebrare, & non celebrat. Porrò tota ista fraudulenta simulatio longè est deterior, quàm illa, & gravissima peccata intra se involvit, à quibus alia est aliena. Vnde, etsi Pontifex dixerit, gravius delinquere istum Sacerdotem, quàm si indignè celebrasset, & nō tantùm Deo se obstringere, quem non veretur illudere, sed populo etiam, quem decipit, cùm nullam causam in particulari distinxerit, sed de tota illa fictione, prout gesta ferebatur, iudicaverit, immeritò ex vi textus pronuntiabitur, id etiam in eo casu militare, vbi tot fœdæ circumstantiæ desunt. Nec facilè erit ostendere, etiam Theologica ratione inspecta, gravius peccare Sacerdotem, qui solummodò ministrat hostiam non consecratam peccatori consentienti ad vitandum sacrilegium eius, quàm illum, qui indignè suscipit, cùm hoc sit vnum è gravissimis peccatis, quod osculo, atque proditioni Iudæ, & crucifixioni Christi iuxta SS.PP. æquiparari censetur.

67. Decipitur quidem tunc populus circa vsum Sacramēti, eiusque similitudinē, vt B. Albertus Magnus suprà laudatus aiebat; sed in casu, de quo Pontifex, vltra deceptionem istam non divisam inter duos, sed in vno, eodemque coniunctam ministrante, ac suscipiente, dantur aliæ separabiles valde peioris exempli. Falluntur enim adstantes circa confectionem Sacramenti ante eius vsum, & circa oblationem sacrificij, & cùm ipso suo modo sint offerentes, eo toto fructu privantur, quem ratione rei oblatæ, & ex opere operato, ex vero sacrificio, & vera Missa possent sperare, ac referre. Quinimò nec comparatio est æqualis, quamvis duntaxat spectetur sumptio Sacramenti post alias actiones prævias. Nam quæ fit à Sacerdote celebrante, est pars intrinseca Missæ, & ad essentiam, aut integritatem huius sacrificij spectat, vt quamplurimi Doctores censent, vel saltem ad perfectionem sibi connaturaliter debitam: atque ea propter in Concilio Toletano 12. *cap.5. certum esse* dicitur, *quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominici Sacramenti*: & post pauca: *Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*

68. In ratione ergo huius sacrificij, quod institutum est per modum cibi, & in supremo munere sacrificandi nomine Christi, & Ecclesiæ, fundatur, quòd Sacerdos ipsam victimam, nempe corpus Christi, ac sanguinem, consumere debeat, & hoc speciali titulo peccaret, quamvis aliàs confeciisset Sacramentum, qui nullam

nullam hoſtiam aſſumeret, neque fictam, neque veram. Atqui hic titulus in eo etiam deficit, qui alios communicat, & in iſtis ſæpeſæpius obligatio ſuſcipiendi Sacramentum. Ergo hi caſus quoad malitiam nullam proportionem ſervant. Qualis qualis autem ſervaretur, licet in multis deficiens, ſi ponamus, laicum aliquem, aut Sacerdotem, qui laicorum more accedit, obligari ad communionem, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ, & poſtulare hoſtiam fictam, quia veram, & conſecratam dignè recipere nequit. Sed tunc longè difficiliùs poſſet Miniſter annuere deſiderio ipſius, & cooperari fictioni, qua eludere vult præceptum. Nam cùm ille teneatur ſuſcipere communionem veram, ac ſe, vt oportet, diſponere ad vitandum ſacrilegium indignè communicandi, non apparet, quo prætextu liceat Miniſtro fideli cooperari illi peccato, quod non communicando committitur, cùm vtrumque vitari poſſit, ac debeat, ac fortaſſe vitaretur, vrgente ex vna parte metu infamiæ, & ex alia metu indignæ ſuſceptionis, niſi Sacerdos viam peccandi ſterneret, & porrigendo hoſtiã falſam immediatè, ac poſitivè adiuvaret ad exequutionem vnius ex peccatis illis.



CAPVT VII.

Argumentis S. Thomæ monſtratur vera concluſio.

69. NOn eſt ergo ſatis efficax fundamentum, quod deſumitur ex textu præcitato, quia negativè procedit arguendo à maiori ad minus, & vix poteſt adaptari alijs caſibus, qui in hac materia frequentiùs poſſunt occurrere. Sed non ideò deſunt alia magni momenti, vnde poſſit prædicta fictio improbari generaliùs, ac ſolidiùs. Duo ſuggerit Angelicus Doctor *dicto quodlib. 5. art. 12. corp.* quæ rem videntur conficere, & vnde ipſe ſic concludit: *Hoc in nullo caſu eſt faciendum, vt hoſtia non conſecrata exhibeatur vni, vel pluribus tanquam conſecrata.* Alterum ſumitur ex natura fictionis execrandæ in Sacramentis, & ſpecialiter in Euchariſtia, quod verbis eius graviſſimis longè meliùs, quàm meis, proponetur: ita enim ſcribit: *Dicendum, quod veritati non eſt aliqua fictio adiungenda, quia nulla eſt conventio lucis ad tenebras, vt Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 6. & propter hoc Auguſtinus probat in lib. 83. quæſtionum, quòd corpus Chriſti non fuit phantaſticum, quia veritas, quæ eſt Chriſtus, non potuit fallere, & ideò in Sacramentis Eccleſiæ nihil eſt per fictionem agendum, & præcipuè in Sacramento altaris, in quo totus Chriſtus continetur. Eſſet autem quædam fictio, ſi hoſtia non conſecrata loco conſecratæ daretur.* Explicatur. Nam hîc fingitur ipſa conſecratio, atque in eum errorem circumſtantes inducũtur ipſo facto porrigendi hoſtiam nõ conſecratam, ac ſi conſecrata fuiſſet, vt credant, nõ eſſe panem, ſed Deum ſub

sub specie panis latentem, quod non est Deus, sed panis vulgaris. Quis autem non videat, hunc errorem, vel se solo, esse valde pernicioſum, & iniurium Divinæ Maiestati, longè plus, quàm si quis fingeret verbo, aut facto corpus cuiusdam latronis esse corpus Sancti Pauli?

70. Aliud Sancti Doctoris argumentum sic ab ipso declaratur: *Sacerdos, quantum in se est, populo fieret idololatrandi occasio, qui quamvis peccatum idololatriæ non incurreret æstimans probabiliter, hostiam esse cõsecratam, tamen Sacerdos in hoc, quòd hostiam non consecratam populo exhiberet adorandam idolatriæ crimen incurret.* Hæc ibi, vnde concludit *ad* 3. multò magis peccare Sacerdotem, qui istiusmodi fictionem facit, quàm peccaret alius indignè sumendo, & in peccato mortali. Scio, P. Vasquez, Bresserum, aliosque eximere ab hac culpa Sacerdotem. Quorum ratio potest esse, quia neque ipse adorat illam hostiam, neque præbet alijs occasionem adorandi illam vt Deum. Ad Christum namque immediatè, quem putant ibi latere, vt in alijs hostijs latet, eorum intentiõ dirigitur; non verò ad panem, quem citra omnem culpam iudicant ibi non esse: & hoc duntaxat significat tota eorum externa adoratio, ac genuflexio minimè exhibenda ab illis, si scirent nõ esse Christum, sed panem, quod sub illis speciebus continetur. Porrò cùm exterior adoratio ex suo intrinseco conceptu spectet ad genus signi denotantis submissionem, venerationẽque internam, fieri nequit, vt ea habeat rationem idololatriæ, etiam purè materialis, dum ea significatione caret, quam istud vitium importare debet. Atqui idololatria in suo formali conceptu necessariò importat intentionem adorandi non Deum, seu creaturam tanquam Deum. Igitur cùm signa externa hanc intentionem non denotant, sed potius cõtrariam, fieri nequit, vt ea habeant rationem idololatriæ, etiam materialis, & externæ.

71. Cœterùm evasio ista non placuit Angelico Præceptori *in* 3. *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 6. *ad* 2. nec pleriſque scholasticis, nobisque displicuit *suprà disser.* 2. *num.* 28. & 29. Quia in primis Sacerdos ipse, & laicus fictionis conscius, quamvis nõ adoret panem affectu interiori, vt Deum, nec iudicet esse in illo aliquã Divinitatem; exteriori tamen ritu, ac cœremonijs eum tractat, & veneratur vt Deum, confingitque eodem affectu, atque iudicio ipsum sumere, quo sumuntur hostiæ consecratæ: nam si aliqua fiat discretio, nil proderit simulatio. Adorat ergo illam hostiam, & coadorat accidentia ipsius adoratione latriæ huius Sacramenti propriæ, quamvis absque intentione adorandi. Vnde quamvis non sit verè idololatria, quia ad hoc erat necessaria Divinitatis opinio, & voluntas adorandi cultu Divino creaturam, excusari tamen nequit ab idololatria simulata, atque conficta, per eos actus, qui ex Ecclesiæ vsu, & consensu omnium fidelium, appropriati sunt huic Sacramento, & solùm exercentur circa Deũ, quatenus in ipso personaliter assistit, ac se præbet manducandum. Porrò iste modus fictionis, quamvis in essendo nõ sit idololatria, sicut non est verum iuramentum, quod fit absque intentione iurandi, ad eam tamen revocatur, sicut periurium fictum ad periurium verum, estque verè idololatria exterior, & gravissimum peccatum contrarium confessioni externæ veræ fidei, ac honori Christo debito, quatenus in isto Sacramento latet.

72. Quocirca nullo prætextu, seu Divino, sive humano, nullaque neces-

necessitate, aut metu etiam mortis ita se gerere licet Sacerdoti ministrãti, aut laico suscipienti. Quia tribuere Divinitatem verbo, aut facto creaturæ certò cognitæ, vt creaturæ, eamque illo ritu tractare, qui non nisi Deo tribuitur, intrinsecè malum est, vt offerre illi sacrificium, aut adolere idolo incensum, quamvis nihil horum fiat ex animo. Nec quidquam iuvare potest vlla mentis restrictio, aut occulta protestatio suæ intentionis, quia intentio gerendi exteriores actus proprios huius Sacramenti circa panem in isto casu non deficit, & ea sola, quamvis cætera fingantur, positivam Christi dehonorationem exequitur, & externam fidei negationem affert: negat enim ipso facto suscipiendi, aut ministrandi esse panem, & affirmat esse Christum, quod latet sub accidentibus hostiæ, quam certò cognoscit non esse hostiam cõsecratam.

73. Iam verò, si sermo sit de reliquis circumstantibus, qui ignari fictionis, putant per errorem invincibilem Christum esse, quod præbetur alteri ad communicandum, & sub hac persuasione illud adorant tanquam terminum, & obiectum quod adorationis, hi quidem in intentione non adorant nisi verum Sacramentum; sed in exequutione aliter accidit, quia res de facto adorata, & species simul coadoratæ per externum actum non est verum Sacramentum, sed fictum, ac simulatum. Vnde hoc ipsis contingit, quod his, qui invincibiliter putant se dicere, ac iurare verum, cùm non iurent nisi re ipsa falsum, & propterea sicut isti merè materialiter mentiuntur, ac peierant, sed sua bona fide, atque intentione excusantur, imò actum veracitatis, ac religionis exercent, ita illi coram Deo non sunt idololatræ formaliter, ac imputabiliter; sed potiùs exercent actum veræ latriæ, & idololatriam solùm materialiter. Nam idololatria materialis rectè dicitur, vt reliquis peccatis evenit, actio, quæ ex sola ignorantia inculpata suæ malitiæ, ac voluntarij defectu desinit esse formalis. Vide Lessium, nec pigebit, *lib 2. de iust. & iur. lib 2. cap 43. num 21.*

74. Quamvis autem hi excusentur, nullatenus excusantur à peccato coram Deo hi, qui scienter ministrantes, atque suscipientes hostiam nõ consecratam pro consecrata illis præbent occasionem proximam, & efficacem errandi circa adorationem hîc, & nunc tali hostiæ debitam, & exercendi erga ipsam idololatriam materialem. Neque enim ignorantia ipsos excusat, sicut excusabat alios; imò, quia sola ignorantia sibi inculpata alios circumstantes excusare poterat, rectè sequitur, eos, qui scienter eos decipiunt in re tanti præiudicij, qualis est deferre honorem veri Dei puræ creaturæ, nullatenus excusari. Neque metus, etiam mortis certò alioqui subeundę, quidquam eos iuvare valet; sed hîc maximè habet locum, quod pari metu constrictus edocebat Eleazarus 2. *Machab.* 6. præmitti se potiùs velle in sepulchrum, quàm suæ senectuti hanc maculam, & execrationem cõquirere, vt simulatè exercendo ritus religionis falsæ, adstantes deciperentur, & suo exemplo similia perpetrarent. Nec demum iuvare potest, quòd hostia non consecrata proponatur à tergo consecratæ. Tum quia illa separatur, dum peccatori exhibetur, & vt sic etiam obijcitur adorationi circumstantium. Tum præterea, quia fideles per modum vnius adorant, quod est in Ministri manibus, aut vasculo Sacramenti parato ad communionẽ exhibendam, quãvis id non videant immediatè: ita enim adorant calicem, & in ipsa hostia,

hostia, quæ ostenditur, non tantùm reverentur superficiem extimam; sed partes etiam internas, & illam, quæ retro iacet.

75. Dubitari tamen potest, quale sit istud peccatum, quatenus idololatria ficta præbet alijs occasionem idololatrandi merè materialiter? Sed hoc generale est omnibus, qui præbent alijs proximam, & efficacem occasionem exercendi res materialiter pravas: percant enim peccato scandali, & malitia ipsius ex modo cooperationis debet æstimari. Nam si directè intendatur talis actio, & suasione, vel consilio alij ad ipsam moveantur, proculdubio cooperatio ad illud vitium pertinebit, ad quod ea spectat, quod in nostro casu erit idololatria. Sin autem non sit directa, sed indirecta duntaxat, v.g. quia in præsenti non intenditur deceptio, aut inductio aliorum ad idololatriã materialem, tunc iuxta diversas, ac probabiles sententias Theologorum diversimodè philosophabimur. Nam qui dicunt, scandalum indirectum esse tantùm contra charitatem, non verò contra eam virtutem, cui opponitur opus alterius, idem consequenter affirmabunt in præsenti. Illi verò, qui scandalum indirectum satis esse putant ad incurrendam eam peculiarem malitiam, qua opus proximi inquinatur, Sacerdoti hoc novo titulo idololatriam imputabunt vltra fictam illam, quæ non pendet ex aliorum scandalo, nec mensuratur regulis illius.



CAPVT VIII.

De Sacerdote, qui simulat, se præbere hostiam consecratam peccatori occulto, & nullam præbet, vt infamiam eius, & sacrilegam communionem devitet.

76. MOdus iste vitandi indignam susceptionem Sacramẽti absque infamia peccatoris facilior est, quàm præcedens, qui maiori opera indiget, vt hostia non consecrata inveniatur, ponaturque à tergo aliarum, & separetur à reliquis, vt in tempore possit deservire. Hîc autem quævis hostia ex verè consecratis ori peccatoris admovetur, & clam in pyxidem mittitur, ne possit notari ab alijs, quod Sacerdos in ictu oculi potest efficere. Sed & Theologicam rationem inspiciendo, hîc desunt inconvenientia præcipua, quæ alibi reperiebantur. Nam in primis deficit idololatria, sive ficta, sive vera, cùm nihil adorandum proponatur peccatori, aut alijs, nisi verum Sacramentum corporis, ac sanguinis Christi. Deficit etiam pernicioſa fictio, quia non fingitur perfectio sacrificij, aut confectio Sacramenti; sed duntaxat vsus, & receptio illius, neque adstantes decipiũtur circa quidquam aliud; sed totus eorum error in eo consistit, quòd supponant, aut præsumant, eum verè communicasse, eo quòd non viderint hostiam ori eius admotam, continuò fuisse subtractam.

77. Mendacium denique facti, quod solum supereſt, facilè admisceri poterit, vt in alijs stratagematis, si occulta subtractio fiat intentione deci-

decipiendi alios, & ex iſto capite interveniet vera ſimulatio, ac planè illicita, ſed non ſacrilega, ſed officioſa, tum ipſi Sacerdoti, qui ſuo muneri ſatisfacit negando communionem peccatori occulto, cùm id facere poteſt abſque illius infamia, tum peccatori id poſcenti, quia eo artificio vitat ſacrilegium eius, & non detegit indignitatem: nec religioni plus officit, aut alijs, qui decipiuntur, quàm ſi verbis mentiretur affirmando, ſe dediſſe communionem ei, cui illam nõ adminiſtravit. Cœterùm mendaciũ iſtud, vt facilè commiti poteſt, ita etiam facilè evitari valet, ſi animus fallendi deſit, & ſolùm inſit voluntas occultandi pro ſuo munere denegationem Sacramenti, quod occultò peccatori nequit publicè negari: ita enim occultatur ſine crimine, quibuſdam factis, denegatio abſolutionis illi peccatori facta, qui indiſpoſitus ad confeſſionem publicè acceſſit.

78. Et profectò ſicut ex verbis publicè prolatis, & alijs occultè dictis, quoties iuſta cauſa ſubeſt non manifeſtandi totam mentem noſtrã, componitur vna vocalis oratio non mendax, neque activè deceptiva aliorum, ſed permiſſiva duntaxat deceptionis, quam fortaſſe patientur, ita ſimiliter ex porrectione publica Euchariſtiæ, & occulta ſubtractione illius licitè componi poteſt vnum factum adæquatè conforme menti noſtræ, nullaque ſordens malitia, ſi idonea cauſa non deſit, vt ſupponitur ex circumſtantijs eius non deeſſe in noſtro caſu, & eo faciliùs, quo facta ſunt ſigna magis æquivoca eorum, quæ à nobis geruntur, quàm verba, & ſigna vocalia. Poteſtque pleniùs vrgeri, ſi ponamus, peccatorẽ ipſum comminari mortem, aut grave aliud malum Sacerdoti, niſi hoc faciat, vel maritum zelotypum, ac ſeverum obſervare, vtrùm communicet vxor ſibi de adulterio ſuſpecta, aut eam compellere ad communicandum, vt ſuſceptione Euchariſtiæ ſeſe purget à crimine imputato.

79. Nihilominùs Laurentius Maria Piſani *in gladio Gedeonis propoſit. 29. num. 8. in fin.* ſcribit, hoc nunquam licere; ſed non videtur agnoſcere aliud crimen, quàm mendacij. Vnicus tamen mihi eſt inter eos omnes, quos inveni hanc quæſtionem pertractaſſe in proprijs terminis, & ex adverſo id licere ſub prædictis circumſtantijs expreſſè tradunt P. Henriquez *in ſumma. lib. 8. cap. 33. num. 3.* Diana *p. 4 tr. 4. reſol. 47. fine.* Leander *tom. 2. de Sacram. tr. 7. diſp. 7. q. 61.* Moya *in ſelect. 1. p. tr. 4. q. 2. num. 10.* Eſcobar *dicto lib. 20. Theol. moral. num. 327.* & *in ſumma, tr. 7. examine 6. num. 41.* Franciſcus de Lugo *lib. 1. de Sacram. cap. 6. num. 66.* Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp. 35. num. 9.* Theophilus Raynaudus *tom. 16. in Heteroc. ſpiritualib. ſect. 1. punct. 4. fol. mihi 71. colum. 1.* cuius ſententiam refert, putatque probabilem Emmanuel Gonçalez *in cap. de homine. 7. de celebrat. Miſſarum*, nec diſplicet Anello Perſico *lib. 3. de officio Sacerd. cap. 6. num. 113. fol. mihi 785.* vbi addit, doctum quẽdam, & prudentem Sacerdotem hoc medio in praxi vſum fuiſſe, & idem de ſe teſtatur Eſcobar *dicto num. 41.*

80. Mihi quoque iſta ſententia non videtur improbanda, etſi maiori explicatione indigeat. Conſiderari enim debet, quænam cauſa ſit ſufficiens Sacerdoti, vt hoc ei liceat, & quæ peccatori occulto, aut excommunicato publicè accedenti ad mẽſam Euchariſticam. Nam ex parte Sacerdotis illa videtur ſufficere, quæ ſumitur ex indignitate accedentis perſeverante, ac ſibi certò cognita extra confeſſionem, v. g. ex teſtimonio ipſius, qui indignè accedit, &

mavult Sacramentum sibi occultè denegari, quàm immane sacrilegium committere. Quia esto peccator ius habeat ex vi Baptismi simul cum possessione bonæ famæ ad hoc, vt hoc Sacramentum non negetur sibi publicè, & in illis circumstantijs, vbi denegatio redundaret in gravem infamiam suam; nullum tamen ius proximum habet exigendi, ne sibi denegetur occultè, & absque vlla infamia: nam illud, quodcumque erat, per excommunicationem, aut indignitatem perseverantem amisit, & propterea omnes supponunt, illi denegandam esse communionem occultè petenti illam. Atqui par omnino est ratio, quamvis se publicè immiscat alijs communicaturis, si subtractio ipsa Eucharistiæ occultè fiat, & absque vlla infamia, aut scandalo. Ergo, subsistente hac causa, nulla dabitur, ob quam occulta subtractio Sacramenti fiat illicitè. Ita enim Sacerdos consulit tàm famæ, quàm cõscientiæ peccatoris, & tuetur honorem Christi, propulsando ab illo iniuriam irreverentis sumptionis attentandæ à peccatore, nisi hoc medio succurratur pervicaci obstinationi ipsius.

81. Cæterùm ex parte peccatoris accedentis longè plura necessaria apparent, vt sibi liceat hoc petere, ac procurare. Aut enim id petit merè voluntariè, ac sponte sua? Aut non; sed gravi necessitate communicandi compulsus? ex. g. quia vrget præceptum Communionis annuæ, metusque excommunicationis solitæ his imponi, quos non constat ei satisfeciſſe; vel quia vi extrinseca adigitur, quando non vrget præceptum, vt accidit in casibus recensitis *num.* 78. quibus plures alij similes possunt associari. Si sponte id faciat, nimirùm nulla, aut levi necessitate compulsus, sed præcisè vt larva illa virtutis occultiorem reddat suæ conscientiæ pravitatem, vtique mendacium facti declinare nequibit, quamvis restrictione aliqua occulta, vel amphibologia vtatur: iam enim sæpius ostendimus, quæ huiusmodi sunt, si sponte fiant, vel citra necessitatem non parvi momenti iuxta conditionem materiæ, esse re vera mendacia. Eritque in prædicto eventu vitium hypocrisis, quo simulatis virtutibus non solùm occultantur, sed foventur peccata gravia, tolluntur que impedimẽta continuationis ipsorum, & arripitur occasio liberiùs manendi in ipsis, ac diutiùs perseverandi, & propterea erit peccatum mortale. Nam hi sunt, de quibus dicitur Iobi 13.16. *Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita*, quia volunt non esse iusti, sed videri, vt rectè explicat S. Thomas 2.2. *q.* 111. *art.* 4.

82. Iam verò si vrgeat necessitas communicandi ex præcepto, adhuc eiusmodi fictio erit peccatum lethale. Violatur enim lex magni momenti, & obligans valde graviter, cùm isti haudquaquam communicent; sed solùm fingant, se communicare. Communio autem ficta non iuvat, vbi vera postulatur. Neque excusat indispositio peccati adhuc permanens, quia permanentia illius valde culpabilis est, cùm sit merè voluntaria, & qui hæc fingunt, debeant se disponere, ac recedere à peccato, possintque illius pœnitere gratia Dei opitulante, nam mandata ipsius non sunt impossibilia volentibus, ac conantibus. Quare neque isti vitabunt excommunicationem iustè fulminatam adversus eos, qui suo tempore huic legi non satisfaciunt; sed illam occultè contrahent, etsi nominatim denuntiari nequeant, quia à Prælatis per errorem satisfeciſſe putantur.

83. Quòd si alter casus eveniat, & isti metu, vel minis compellantur ad

ad Communionem indebitam, ex cuius publica omissione prudenter sibi timent grave aliquod malum mortis, infamiæ, paternæ inimicitiæ, exhæredationis, alteriusve crudelitatis iniquæ, tunc id erit iusta causa manifestandi Ministro indispositionem suam, & postulandi ab illo occultam Eucharistiæ subtractionem, nisi alio prætextu licito se possint coram incutiente metum à Communione excusare, ac declinare periculum. Nam ex parte Sacerdotis sufficiens causa negandi occultè Eucharistiam est accedentis indignitas sibi certò cognita extra confessionem, & scientia, ac patientia illius exequutionem facilitat, & omnem vmbram iniuriæ removet, siqua daretur, cùm illo invito idem faceret. Ex parte autem accedentis, qui communionem detrectat, quia non vult, tametsi possit, desistere à suo peccato, maior posset esse difficultas, erat namque in potestate ipsius pœnitendo omnia componere, & non egere toto isto artificio. Sed nihilominùs, quia iniustè opprimitur libertas eius, & ius habet sese defendendi medijs licitis ab oppressione iniqua, rectè potest etiam vti hoc medio, cùm ad eas angustias est redactus, vt alia sibi non supperant. Porrò licitum est, vrgente hac causa, vti restrictione occulta facti, aut verbi absque intentione fallendi, neque id erit simulatio, vel mendacium; sed stratagema iustum, vt paulò antè monstrabatur, & plerisque alijs exẽplis receptis in praxi ab omnibus monstratur *cap.* 5.

84. Quæres tamen pro maiori luce, vtrùm hæc liceant, si prævia cõventio fiat inter occultum peccatorem & Ministrum? Licere negat Ioãnes Sanchez *in dictanum* 9. Alij verò præcitati generaliter loquuntur absque ista limitatione, & Raynaudus, qui illam attigit, reijciendam putat absque dubio. Ego reor, eam convẽtionem non licere, quoties peccator occultus peccat omittendo, aut simulando Communionem, vel quoties propterea fiet animosior ad perseverandum in obstinatione sua, à qua desisteret forsitan, ac sese rectè disponeret metu communicandi in eo statu, nisi Sacerdos indulgentia sua ei promitteret negationem Eucharistiæ occultam. Quia in his casibus id esset, Sacerdotem sponte sua positivè cooperari novo illi peccato, & adiuvare directè ad ipsius exequutionem, quod nulla de causa licet. Et prætextus maioris mali evitandi, Communionem scilicet sacrilegam, ad quam alter videtur obfirmatus, Sacerdotem non excusat, vt non excusat iuvantem ad occisionẽ extranei, quod sin aliter committendum esset parricidium.

85. At verò quoties non peccat communicando apparenter ille, cui hostia subtrahitur, nullius labe peccati hoc pactum videtur infici. Neque enim Sacerdos peccat actione, vel cooperatione sua. Non actione. Quia ipse rectè faciet occultando se negare Communionem, sicut & absolutionem, quam nequit negare publicè. Non cooperatione. Quia peccator ille occultus non peccat communicando apparenter, cùm nulla lege constringitur ad communionem; sed solo metu, vel minis iniustis ad eam arctatur, vt etiam in confessione contingit. Facilèque accidere poterit, vt de consilio prudentis Sacerdotis confessionem, atque Communionem differat, & cùm iustam causam dilationis habeat, minæ, aut metus dilationem non permittant. Quo casu evidentius cernitur nullo ex capite esse illicitum tàm pactum, quàm factum ipsum communicandi apparenter, siquidem vera confessio, & Communio non differtur præ

voluntaria obstinatione peccatoris; sed vt se, vt debet, examinet, securiùs præparet, & rectiùs consulat conscientiæ suæ.

86. Quæres 2. An Sacerdos aliquando teneatur vti hoc medio, cùm id licet? Non teneri affirmat P. Henriquez *in summa lib. 6 cap. 22. num. 4.* Cæterùm Franciscus de Lugo *dicto num. 66. in fin. Ego*, inquit, *non liberarem Sacerdotem ab hac obligatione.* Et suaderi potest. Tum quia ex naturâ rei debet non proijcere margaritas ante porcos, nec præbere sanctum canibus, si licitè potest: id enim postulat recta administratio Sacramenti, & munus, quod actu exercet, quâvis illud voluntariè susceperit, & non ex officio Parochi. Tum quia peccator occultus, cessante infamia, & scandalo, aut revelatione sigilli, nullum ius habet petendi ab illo Eucharistiam; ipsi verò incumbit obligatio tuendi, vt potest, Christi honorem, & impediendi executionem iniuriæ, quam ille attentat volendo indignè communicare. Tum quia huic occultè petenti non solùm potest, sed debet Eucharistia denegari, quia prædicta incommoda tunc cessant. Si ergo pariter cessare possint, dum publicè fit petitio, eadem obligatio remanebit. Publicitas enim eatenus illam removere valet, quatenus ratione ipsius ægrè præcaveri possunt, maximè peccatore non prænonito, & invito, ac renitenti.

87. Tum demum, quia, publica petitione non obstante, debet Sacerdos sacrilegam alterius Communionem impedire, si alij prætextus occurrant exequibiles absque ipsius infamia, vt si obtendat, deesse formas consecratas, vel sibi deficere vires, aut tempus: sicut proculdubio teneretur, si sciret, hostiam postulari non ad manducandum, sed ad illam conculcandam, vel ad aliquam incantationem ope diaboli efficiendam. Vnde P. Vasquez *tom. 3. in 3. p. disp. 209. num. 29. extrà controversiam* esse dixit, Sacerdoti hanc obligationem incumbere, *si in publico efficere posset, vt peccatorem occultum subtili aliquo modo prætermitteret, vel consumendo omnes hostias, quas haberet, antequàm ad ipsum perveniret, & ne ille notaretur, alios etiam cum eo sine communione relinqueret, aut alio modo sine nota ei negare posset Eucharistiam.* Hæc Vasquez. Vbi maximè est notandus ille casus, in quo alij iustè petentes privarentur Communione, ne cum ipsis indigno etiam ministranda esset: peculiarem enim difficultatem involvit pertinentem ad materiam scandali, & ex eo pendet, an debeat prætermitti opus præcepti, aut consilij, cuiusmodi esse solet in hoc casu ministrare Communionem alijs iam paratis, ac petentibus, ad evitandam exequutionem peccati ab altero ex malitia committendi. Videantur interim Sanchez *in selectis. disp. 37.* & Franciscus de Lugo *eo cap. 6. q. 10.* qui rem tractant ex professo.

88. Quæres tandem, vtrùm liceat in hoc casu simulare administrationem Sacramenti? Ex præmissis *suprà cap. 1.* iam constat, hoc inquirere, perinde esse, ac postulare, vtrùm mentiri liceat ministrando, aut recipiendo Sacramenta? Quare indubitanter respondendum est, id esse illicitum, tàm in isto casu, quàm in alijs, quos paulò anteà recensebam, diligenterque cavendum ab ea inordinata loquutione, maximè post decretum Innocentij. Auctores autem, qui eâ vtuntur in præsenti, satis explicant in suo contextu, se non loqui, neque vt licitam admittere simulationem formaliter, ac propriè talem; sed metaphoricam, & purè materialem, qualis est restrictio occulta, aut dissimulatio veri, quæ sola

ad

ad hoc factum ſufficit, ſecluſa qualibet voluntate fallendi. Neque enim debet Miniſter, aut poteſt licitè intendere deceptionem aliorum, ſed præciſè occultationem Euchariſtiæ denegatæ neceſſariam, vt abſque infamatione peccatoris evitetur ſacrilegium eius. Non ergo erit ſimulatio falſi tale factum; ſed diſſimulatio veri, & reſtrictio facti publici, quo Euchariſtia admota ori videtur actu dari ad manducandum, per ſubtractionem occultam. Porrò quamvis ſimulatio propriè talis nunquam liceat, quia eſt ſignificatio falſi vt falſi, ſæpe tamen licita eſt diſſimulatio, ſeu occultatio alicuius veritatis, quam revelare non expedit: necnon reſtrictio realis, & externa vnius facti publici per aliud continuatum, quo occultè eius ſignificatio limitatur, & tota actio vera redditur.

CAPVT IX.

Execrandæ duæ ſimulationes ſpectantes ad Officium Sanctæ Inquiſitionis.

89. PRima eſt eorum, qui, cùm ad ſacrum presbyteratus Ordinem non ſint promoti, Sacerdotij auctoritatem ſibi temerè aſſumentes, Miſſarum celebrationem vſurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumunt. Quam ſimulationem Summus Pontifex Clemens VIII. *nefariam, & ſacrilegam* vocat, eiuſque punitionem, & examen Sanctæ Inquiſitioni committit Bulla incipiente: *Etſi alias.* edita *die* 3. *Februarij anno* 1602. eſtque 81. huius Pontificis in Cherubini Bullario. Et ſanè, quatenus ea fictio ſpectat ad Sacramentum Pœnitentiæ, perſpicuè apparet, hoc auſu *eius dignitatem contemni, & Chriſti fideles decipi* (quemadmodum ſcribit Pontifex) *magno cum periculo, ac ſcandalo.* Ibi ſiquidem aperte cernitur peccatum vſurpationis iudicij, non qualiſcumque, ſed ſacramentalis, & præcellentiſſimi inter omnia, quæ in hoc ſæculo exerceri valent. Pernicioſè quoque decipiuntur in re maximi momenti aperientes ſuæ conſcientiæ maculas abſque vllo fructu ei, qui nequit eos abſolvere, vel ligare. Invalida namque ſunt omnia acta ipſius, prorſuſque inepta, vt in cœlo habeantur rata. Neque error communis, aut Eccleſia ea convalidare poteſt, aut ſupplere eorum defectus, cùm oriantur à Miniſtro iure Diuino incapaci.

90. Quatenus verò eadem fictio ad celebrationem Miſſæ, oblationem ſacrificij, & exhibitionem hoſtiæ non conſecratæ pro conſecrata refertur, vltra ſuperſtitionem falſi cultus tàm ex parte perſonæ, quàm ex parte rei oblatæ, eiſdem incommodis ſubiacet, quæ *ſuprà cap.* 7. cum Angelico Doctore expendebantur. Eaque præſertim, quæ ex conceptu idololatriæ proponuntur *à num.* 70. graviſſima huius Pontificis auctoritate firmantur. Ita enim dicitur in Bulla præcitata §. 2. *Nos igitur animadvertentes, huiuſmodi perditos, & nefarios homines ad ſacrum presbyteratus ordinem non promotos, Miſſarum celebrationem vſurpare præſumentes, non ſolùm actus idololatriæ ſaltem extrinſecè, ſeu per externa, & viſibilia Religionis, & pietatis ſigna exercere, ſed etiã quantum in ipſis eſt efficere, vt Chriſti fideles, qui credunt eos ordinatos eſſe, & ritè conficere Sacramentum Euchariſtiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum tanquam verum Chriſti Domini noſtri corpus, & ſanguinem eiſdem adorandum proponentes.*

Ha-

Hactenus Clemens.

91. Atque indidem colliges, omnino improbandum esse factum eius Sacerdotis, qui, cùm die Paraſcevés inveniſſet hoſtiam pridie reſervatam eſſe in calice ita madefactam, vt coram populo elevari non poſſet, aliam non conſecratam elevavit ad diſſimulandum ſuam incuriam. Ita Petrus de Ledeſma 1. *p. ſummæ. cap.* 25. *de Euchar. fin. pag. mihi.* 334 *colum.* 1. qui in facti contingentia conſultus reſpõdit, fore peccatum graviſſimum tunc conſecrare aliam hoſtiam, & gravius elevare aliam non conſecratam. Ita etiam Franciſcus de Lugo *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 10. *num.* 35. & Henao *tom.* 3. *de Sacrif. Miſſæ diſp.* 29. *num.* 204 Ratio autem eſt, quia etſi in hoc caſu hoſtia non conſecrata nulli adminiſtretur, populo tamen adoranda proponitur, coliturque ab ipſo Sacerdote per ſigna externa religionis, & pietatis, ac ſi verè conſecrata fuiſſet. Quare ex hoc facto eadem ipſa incommoda ſequuntur, quæ Pontifex opponebat, vt ſacrilega, & nefaria illi Sacerdoti ficto: ſatiuſque erit, cùm id accidat, prætermittere elevationem ſolius hoſtiæ, & illam ſimul cum calice vna elevatione erigere.

92. Improbari quoque debet ob eamdem rationem alterius Sacerdotis artificium, qui, cùm Sacramentum eſſet publicè exponendum, & grandis hoſtia conſecrata deficeret, non conſecratam expoſuit, ſed habẽtem aliam parvam conſecratam ſibi vnitam. Sic ſentiunt expreſſè Gobat *vbi ſuprà tr.* 3. *num.* 837. Tamburinus *in methodo celebr. Miſſam. lib.* 2. *cap.* 8. §. 5. *num.* 25. & referens Quartum Henao *in dicta diſp.* 29 *num.* 205. Neque prodeſt illa affixio parvæ hoſtiæ conſecratæ, quia fideles abſolutè adorant per modum vnius totam hoſtiam ſibi expoſitam, cùm totam conſecratam eſſe exiſtiment abſque ratione vlla dubitandi, aut adijciendi conditionem aliquã adorationi ſuæ: & ſæpe evenire poterit, vt à longè conſtituti, vel à latere dũtaxat, videant partes hoſtiæ grandioris, quæ non ſunt conſecratæ, & circa illas ſpecialiter dirigant ſuam intentionem, & earum intuitu ad alias, quas ſuis oculis non vident. Quòd ſi non iuvabat ponere à tergo hoſtiæ conſecratæ alteram nõ conſecratam porrigendam peccatori occulto, vt *num.* 74. attingebam, & omnes tradunt communiter, longè minùs adiuvare poterit modus iſte, quo pars maxima eorum, quæ videntur, non ſunt niſi panis purus. Neque ego quidquam iſtorum conſulere auderem, aut in praxim revocare, omnia namque ſunt vnius farinæ: rectèque monuit Suarez *tom.* 3. *in* 3 *p. diſp.* 67. *ſect.* 4. verſ. *Circa tertiam. moraliter, ac in praxi aliter fieri non poſſe.*

93. Secunda ſimulatio ad Confeſſionem peculiariter ſpectat, ſumiturque ex *Conſtitut.* 34. *Gregorij XV. edita die* 30. *Auguſti anno* 1622. incipiente *Vniverſi Dominici gregis*, vbi §. 4. denuntiari præcipit Inquiſitoribus, aut locorum Ordinarijs non ſolùm eos Confeſſarios, qui in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive antè, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu illius, quaſcumque perſonas, ſive fœminas, ſeu maſculos, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum alijs quomodolibet perpetranda ſolicitant, etiam ipſa confeſſione non ſequuta; verùm etiam omnes illos, cuiuſcumque præeminentiæ ſint, ac dignitatis, qui eaſdem perſonas *extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque, vbi confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, SIMVLANTES IBIDEM CONFESSIONES AVDIRE, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illici-*

illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.

94. Ex quibus cùm certum sit, vel solam simulationem confessionis obligare ad denuntiandum; imò, id mandante Pontifice *inibi* §.7. & Cõfessarios ad monendum de hac obligatione suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab alijs vt suprà solicitatos; gravis tamẽ difficultas est discernendi, quinam actus ad hanc simulationem sufficiant. Nam cùm ista Constitutio simulantes, & non alios, severissimis pœnis subijciat, quamvis alioqui sit lata in favorem animarum, & propterea latè intelligenda, saltem quoad eam partem, quæ dispositiva est, ac prohibitiva; nunquã tamen latitudo debet esse tanta, vt vltra omnem proprietatem verborum extendatur. Quocirca, cùm lex loquatur de his, qui confessionem simulant, vox *simulationis* non est extrahenda ad sensus metaphoricos, & improprios, vt ea ratione etiam pœnæ, quæ de se sunt valde odiosæ, ac restringendæ, in simulatione quoque impropria, & abusiva locum habeant; sed de sola simulatione propriè tali debet exponi, ac intelligi, vt omnes supponunt, & notat peculiariter Thomas Hurtado *p.* 1. *resolut. moral. tr.*4. *cap.* 3. qui eo loci omnia pertinentia ad hoc decretum *à cap.* 1. *vsque ad* 6. diffusissimè pertractat.

95. Porrò simulatio propriè talis mendacium quoddam est in exteriorum signis factorum consistens, nec alio sensu absolutè, aut propriè solet vsurpari, vt ex Divo Thoma, & alijs ex professo ostensum fuit *cap.* 1. *num.* 6. ac deinceps, & exornat cum Ludovico Turriano, Sylvio, Thoma Sanchez, Tannero, Vasquez, Suarez, Azor, Castro Palao, & alijs Thomas Hurtado *in dicto cap.* 3. Vnde, nisi facta Confessarij mendacia sint, & ipse contra mentem suam significet, se audire confessionem, quam non audit, nulla simulatio ibi interveniet, nec subiectus erit eorum pœnis, qui extra occasionem veræ confessionis solicitant in confessionario, aut alijs locis destinatis ad confessiones audiendas. Pontifex enim vtrumque copulativè requirit, solicitationem, ac simulationem: & quemadmodũ, vera solicitatione deficiente, locus non est dispositioni ipsius, ita verè, ac propriè deficiente confessione simulata, eidem dispositioni locus deerit.

96. Ita sentiunt inter alios Castro Palao 1 *p. tr.*4. *disp.* 9 *pun.*8. *num.*4. *in fin.* Lezana *in summa quæstion. regular. p.*1. *cap.*19. *num.* 34. *volum.*1. Leander à SS. Sacramento *tom.*1. *de Sacram. tr.*5. *disp.*13. *q.*29 *&* 30. & cum Angelo Bossio, & Trimalcho, Thomas Hurtado plena manu *in dicto tr.*4. *cap.*5. *resol.*8. dicens, frustra plurimos in hoc puncto torqueri scrupulis, & absque vlla ratione dubitandi, cùm verba Bullæ sint clara, & in ea expressè dicatur: *Simulantes ibidem confessiones audire.* Nec quẽquam movere debet, quòd ea verba fuerint prætermissa in brevi synopsi Bullarum ad Officium S. Inquisitionis spectantium, quæ de mandato ipsius quotannis legitur pro communitate Regularibus *feria* 6. *post Octavam Assumptionis*, & semper in publico habetur. Nam cùm ea synopsis Bullam ipsam Gregorianam referat, & relatum sit in referente cum omnibus suis qualitatibus iuxta cõmunem parœmiam, perinde fuit se ad illam remittere, ac omnes eius qualitates inferere. Nec synopsis, quæ præcisè habetur loco indicis ad memoriam adiuvandam, & tollendum ignorantiæ prætextus, debuit omnia per extensum proponere; sed satis ei fuit indicare fontes, vnde hauriri potest instructio, & integra, & plena.

Maius

97. Maius negotium facessit aliud decretum anterius Congregationis S. Inquisitionis Romæ habitæ coram Paulo V. *die* 10. *Iulij anno* 1614. vbi *facta relatione, quòd multi Confessarij tractant cum mulieribus in Confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, sanctissimè decrevit, vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in sancto Officio.* Ita ex Coriolano refert Ioannes Sanchez *in selectis disp.* 11. *num.* 66. & ex eius serie patet, confessionem simulatam in isto casu non exigi. Sed certè Inquisitio Hispana huius decreti non meminit in Indice præcitato, neque illud publicavit, aut recensuit inter alia, quæ ad Officium suum spectant. Videtur etiam sano modo declaratum, & propositum vniversali Ecclesiæ per posteriorem Bullam Gregorianam, & ad terminos illius revocãdum esse. Ad hæc. Decretum non præcipit denuntiare Inquisitoribus crimen illud, neque mandat Confessarijs admonere pœnitentes ab alijs solicitatos de hac obligatione, nec loquitur de alijs locis destinatis, aut electis ad audiendas confessiones Sacramentales; sed de confessionali dũtaxat. Vnde ex vi illius, sicut iacet, ad nil istorum tenentur, qui eius criminis notitiam habent; sed solùm ex vi Bullæ Gregorianæ, quæ sine simulatione confessionis, neque solicitationem factam in confessionario denuntiare præcipit. Immeritò autem Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 38. & iterum *p.* 9. *tr.* 9. *resol.* 33. non perpenso eius tenore, plusquàm diximus, huic decreto attribuit. Quod adhuc mihi non constat, an habeat auctoritatem authenticam, & præsertim requisitam, vt vbique possit obligare.

98. Maneat igitur, simulationem confessionis in hoc casu necessariam esse, vt necessitas incumbat denuntiandi. Sed quandonam interveniat necessariò requisita simulatio, hoc opus, hic labor est. Vidimus enim, nõ sufficere impropriã, seu materialem; sed necessariò requiri mendaciũ facti, &, quod hinc sequitur, significationẽ falsi cũ intentione fallendi formali, vel virtuali. Hoc autem nõ semper datur, quamvis in confessionario contingat solicitatio. Ibi namque alia negotia multoties tractari solent, vt tractantur in Ecclesia, aut in alijs locis sacris, sedente fœmina, vel etiam genuflexa, vt secretiùs, & ad aurem loqui valeat. Neque est consequens, vt confessio simuletur, cùm actus, qui ibi geruntur, sufficientem vsum de se habeant, vt possint absque vlla omnino simulatione exerceri, & faciliùs absque simulatione confessionis, quã determinatè non significant, siquidem attento etiam vsu, ac consuetudine, indifferentes sunt ad plura alia, & veluti signa æquivoca ex intentione ea exhibentis æstimanda sunt vera, aut mendacia.

99. Propterea non pauci censent, nullam esse obligationem denuntiandi Confessarios illos, qui extra occasionem confessionis in confessionario solicitant fœminas ibi sedentes, aut stantes. Nam is modus, omissa genuflexione, & alijs, quæ de more exteriùs geri solent, dum veræ confessiones audiuntur, ad negotia alia solet ordinari, & confessionis tunc auditæ iustam suspicionem removere valet. Ita Fagundez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 19. *num.* 19. Freitas, Sousa, alijque citati, & subscripti à Leandro *in dicta q.* 30. vbi occurrit decreto illi Pauli V. cui plus iusto detulisse Dianam paulò anteà monui, nec pœnitet, etsi adhuc amplius ei deferat, longèque fidentiùs Escobar à Corro *tom.* 2. *tr. de Confessarijs solicitantibus. p.* 1. *q.* 4. §. 1. *num.* 35. qui tamen in limitationibus subiunctis posteà *à num.* 66. & præsertim *num.* 70. videtur

tur deſtruere omnia, quæcumque inædificaverat. Addit inſuper Thomas Hurtado *in dicto cap.* 5. *à num.* 76. ex his, quæ latiùs præmiſerat *cap.* 4. *per totum*, adhuc non ſufficere, quòd ſolicitatio fiat, genuflexo eo, qui ſolicitatur, niſi adijciantur alia ſigna externa veris confeſſionibus præmitti ſolita, vt ſignum crucis, atque tunſio pectoris, & in fine abſolutio ſimulata, aut niſi Confeſſarius ſolicitans mentiatur dicens, ſe audire confeſſionem eius, quem intentat provocare.

100. Refert pro hac ſententia ibidem Hieronymum Rodriguez, Thrimarchium, Acuña, Ioannem à Trinitate, Portel *in dubijs regul.* verb. *Solicitare num.* 12. & Ægidium Trullenc *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 74. & omnium verba conſignat. Sed, vt prætermittam alios, quos conſulere non licuit, quia libri non ſunt præ manibus, Trullenc non ſolùm obſcurè, ſed etiam inconſequenter eo loci loqui videtur, ac ſibi ipſi cõtradicere, vt Leander etiam notavit. Portel verò minimè requirit omnia ſigna enumerata, vt obligatio denuntiandi incumbat; ſed contendit, illam non incumbere, quamvis ea omnia ſimul cum ſolicitatione, ac ſimulatione confeſſionis adſint. Cœterùm doctrina iſta improbabilis omnino eſt poſt extenſionem Bullæ Gregorianæ, neque, vt reor, illam admitteret ipſe Hurtado, qui Portelij verba adduxit, ac decurtavit.

101. Portelius verò ideò excuſatur, quia loquitur iuxta terminos alterius Bullæ tranſmiſſæ ad Inquiſitores Luſitaniæ, editæ à Paulo V. *die* 16. *Septembris anno* 1608. cuius totam ſeriem refert, & ex profeſſo declarat ſimul cum publicatione illius anno ſubſequenti facta. Ibi autem Pontifex de ſimulata confeſſione nõ differit, nec de alijs extenſionibus additis à Gregorio XV. ſed agit duntaxat de illis, *qui Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutuntur, mulieres pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum confeſſiones audiunt, alliciendo, & provocando*, & hoc eſt fundamentum, cui nititur hic Auctor, vt fuſè expendit ibidem præſertim *num.* 6. Porrò conſtitutionem Gregorianam neque vidit, nec videre potuit, quia ſcribebat vndecim annis à publicatione Paulinæ, vt *ibidem num.* 8. atteſtatur, nimirùm anno 1620. duobus prius quàm Gregorius condidiſſet legem ſuam.

CAPVT X.

Regulæ practicæ circa obligationem denuntiandi Confeſſarios ſolicitantes, qui ſimulant confeſſionem extra occaſionem ipſius.

102. HÆc de mente Auctorũ dixerim; ego autem video, rem pendere ex circumſtantijs, quæ infinities diverſificari, & combinari poſſunt, & ideò comprehendi nequeunt regulis vniverſalibus adeò exactis, vt vi illarum omnes caſus decidantur abſque ſapientum, prudentum, timoratorumque arbitrio; aliquas tamen certiores pro foro interno exhibebimus, quibus ad difficiliora manuduci poſſint conſulentes, ac conſulti. Prima, & capitalis ſit ſæpius iam data, ad obligationem denuntiandi eos, qui ſolicitant extra occaſionem confeſſionis, requiri ſimulationem omnino propriam; imò iuxta plures rigoroſam, & ſtrictam. Nam conſtitutionem iſtam ſtrictiſſimè exponendam eſſe, vt valde odioſam, correctoriamque iuris communis, tenet cum Riccio Sanctarello, &

aliis Carena *de Officio Inquisitionis. p. 2. titul. 6. §. 2. per totum.*

103. Secunda sit, quam vocat extra dubium Escobar del Corro *suprà num.* 40. hic non sufficere, imò nec requiri simulationem eius, qui solicitatur; sed necessariam esse omnino simulationem Sacerdotis solicitando fingentis, se confessionem excipere. Quippe Pontifex de hac sola loquitur, vt patet ex illis verbis: *simulantes ibidem confessiones audire*, quod proprium est Confessarij, & alienum ab eo, qui non audit; sed audiens. Quocirca, sicut ibi non est sermo, nisi de solicitatione facta à Confessario, ita neque de simulatione, nisi facta ab ipso: nam sua simulatio solicitationi adiuncta est, quæ ipsum suspectum reddit, & arguit, malè sentire de Sacramentis Ecclesiæ; non verò aliena. Potest autem ipse nolle simulare, sed positivè resistere verbis, aut factis externis fœmineæ simulationi, quamvis solicitationi consentiat, & ex parte sua soliciter. Etenim à disparatis, ac mutuò separabilibus nullatenus fit illatio; talia autem sunt solicitare ad venerea, & simulare confessionem. Et propterea nisi occasione inde arrepta ipse quoque Confessarius simuler, cœptamque simulationem ab alio ex parte sua prosequatur, quamvis gravissimè peccet, non ideò erit denuntiandus, nec tractandus tanquam de fide suspectus ex vi Constitutionis Pontificiæ.

104. Tertia sit, ab obligatione denuntiandi excusare in his casibus, quæcumque excusant legitimè Confessarium à mendacio, & falsa significatione confessionis. Ratio sumitur ex dictis: quia, his sublatis, etiam tollitur simulatio strictè, aut propriè talis; vbi autem stricta, aut propria simulatio audiendi confessionem deficit, sola solicitatio non est satis extra occasionem illius. Quare, quotiescumque actus externi, qui in confessionario exercentur, non significant confessionem ibi audiri, indubitatum apparet, nullam esse obligationem denuntiandi. Nam vbi nulla omnino significatio confessionis datur, longè minus dari potest vera, aut falsa significatio illius. Evidens autem videtur ex eorum definitionibus, deficiente falsa significatione verbi, aut facti, eo ipso mendacium, ac simulationem deficere, & cum ipsis denuntiandi quoque obligationem cessare, simul cum pœnis, quæ duntaxat imponuntur confessionem mentientibus, ac simulantibus.

105. Quarta sit, ex eo præcisè, quòd solicitatio fiat in confessionario, aut alio in loco ad audiendas cõfessiones electo, vel deputato, non est consequens, vt simuletur confessio, aut incumbat obligatio denuntiandi. Ita Castro Palao, Leander, Thomas Hurtado, Trimalchius, & alij appellati suprà, quibus etiam annuit, qui de his rebus strictissimè solet opinari, Ioannes Escobar à Corro *dicto num.* 66. *&* 70. & suadetur, tum ex verbis Bullæ, vbi frustra addita fuisset ea modificatio: *Simulantes ibidem confessiones audire*, si omnis secreta alloquutio extra occasionem confessionis ibidem per Confessarium exercita esset confessionis simulatio. Tum etiam, quia sæpe occurrunt alia signa istis contraria, quibus positivè excluditur omnis suspicio confessionis simulatæ, vt expendebam *num.* 99. & hæc invicem conferri debent in casibus occurrentibus: nam indicia indicijs, & coniecturæ coniecturis enervantur. Tum demum ex dictis *suprà num.* 98. quia is modus se habendi alijs signis consuetis destitutus non significat determinatè exercitium audiendi confessionem, cùm ibidem sæpesæpius absque animo con-

confitendi alia negotia indifferentia propria, vel aliena ſoleant pertractari, & conſilij, vel auxilij petendi cauſâ ad Confeſſarios deferri, ac cum eis communicari, etiam flexis genibus, & interdum prœmiſſo ſigno Crucis ad poſtulandum ſecretum adinſtar eius, quod ſub ſigillo confeſſionis claudi tur.

106. Verumtamen, ſi ſolicitatio fiat in loco ita deſtinato ad confeſſiones, vt nulli alij negotio deſervire ſoleat, neque aperiri, niſi ad eum effectum, vt alicubi contingit in confeſſionarijs Monialium, tunc proculdubio interveniet ſimulatio confeſſionis, & vrgebit obligatio denuntiandi, vt rectè prœmonebat Ioannes Sanchez *in ſelectis. diſp.* 11. *in fin.* Ratio autem eſt, quia ex vi illius deputationis, vel ſola poſtulatio clavium, & apertio loci ingreſſuſque ad eum determinatè ſignificat id fieri ad confeſsionem audiendam; non verò ad negotium aliud. Et quamvis Confeſſarius ingrediatur animo ſolicitandi, non autem audiendi confeſsionem, & cum Moniali ita convenerit, non ideò tollitur, ſed perficitur potiùs ſimulatio. Nam ex inde falſa redditur ſignificatio huius facti, & Confeſſarius mentitur confeſsionem, quam non facit, dum aliud in mente gerit, & aliud demonſtrat factis. Porrò vera, ac propria ſimulatio hoc ex conceptu ſuo poſtulat, & abſque mendacio, ac falſa ſignificatione non datur. At verò cùm locus inſervit alijs negotijs promiſcuè, valde fallax eſt indicium, quod ex eius qualitate naſcitur, licet primariè, vt ſic loquar, ſit ad confeſsiones deſtinatus: atque huius generis eſſe confeſsionalia in noſtro Regno, his verbis tradit Hurtado *ſuprà num.* 79. *Etenim in fere totâ Hiſpania Confeſsionarij, tàm Regularium quàm Sæcularium, indifferentes ſunt ad loquendum vrbanè, & ad confitendum peccata, quamvis ſint dies, in quibus maxima multitudo ſit pœnitentium.*

107. Quinta ſit. Quoties ea, quæ geruntur extra occaſionem confeſſionis in confeſsionario, aut in loco quocumque, vbi confeſsiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad confeſsionem audiendam electo, determinatè ſignificant, ibi audiri à Confeſſario confeſsionem alterius, ſive fœminæ, ſeu maſculi, toties obligatio premit denuntiandi Confeſſarium ſolicitantem, aut allicientem ad venerem, aut laſciva colloquia ibi miſcentem, vel de inhoneſtis tractantem. Hoc apertè ſumitur ex verbis Bullæ, & manifeſtè probatur. Nam, ſiqua ratione poſſet iſte Confeſſarius excuſari, ea foret, quia extra occaſionem confeſſionis id geritur, & neque ipſe, neque alius ibi acceſſit animo efficiendi Sacramentum, ſed explendi ſuam libidinem, aut tractandi de alijs rebus minimè ad ipſum ſpectantibus. Atqui tota iſta excuſatio frivola eſt, quia conſtitutio Gregorij comprehendit ſolicitantes extra occaſionem confeſſionis in ijs locis, aut in illis exercentem quemcumque ex prædictis actibus, & vltra ipſos ſolùm poſtulat ſimulationem confeſſionis Sacramẽtalis. Porrò ſimulatio iſtius evidentiſſimè cernitur, cùm facta, quæ ibi geruntur, determinatè ſignificant animum, ac exercitium excipiendi confeſſiones, ac præterea nihil aliud: & perinde eſt quoad hunc effectum, quòd ſacrilegum mendacium Confeſſarij, falſaque ſignificatio confeſſionis fiat verbis, aut factis, vel nutibus.

108. Diximus *cap.* 1. *à num.* 8. non ſolùm voces, ſed facta, ac res ipſas poſſe habere rationem ſigni naturalis, vel ad placitum, & inde diſcerni poteſt, quando facta Confeſſarij vnicè, ac determinatè ſignificent exer-

exercitium excipiendi confessionem, & quando illud non significent ; sed indifferenter se habeant, & veluti signa æquivoca. Etenim, cùm hæc significatio pendeat ex hominum vsu, & communi sensu, ac placito, perspicuum est, inveniri determinatam significationem confessionis, vbi, attentis circumstantijs, omnia illa concurrunt, quibus pro more regionis veræ, ac solæ Sacramentales confessiones denotantur: nam, si aliud quidpiam itidem significent, signa æquivoca confessionis esse poterunt ; non verò determinata.

109. Ideò, cùm sedente Confessario pro tribunali, vt sic loquar, mulier genuflexa accedit, ac se signat signo Crucis, & dicit, *Confiteor Deo*, pectus suum percutit, ac sese ad aurem applicat, & loquitur, libenter auscultante Confessario, & apparenter exhortante, aut obiurgante posteà, nemo cordatus dubitare poterit, ibi audiri confessionem, si velit deferre signis, & maximè si tandem accedat absolutionis species, ac figura. Cæterùm neque omnia ista simul sumpta requiruntur (quidquid suprà Hurtado dixerit) quia Pontifex non requirit absolutionem simulatam ; sed auditionem confessionis : & satis est, quòd concurrant signa ita appropriata veræ confessioni, vt extra eius occasionem non dentur, nisi agendo contra morem, neque intervenire soleant, dum negotia alia ibi tractantur sine dolo, & bona fide.

110. Sexta sit. Cùm, omnibus inspectis, facta non sunt signa, nisi æquivoca veræ confessionis, quia nõ tantùm dum ea auditur, sed cùm alia pertractantur extra occasionem eius, exhiberi solent, id potest sine simulatione contingere, & ex animo exhibentis pendet eisdem vti in hac significatione, & non in alia ex duabus, quibus applicari possunt talia signa. Suadetur, tum quia in ambiguo sermone idem contingit: nam qui eo vtitur, non dicit vtrumque, sed quod vult, vt habetur *in L. 3 ff. de rebus dubijs* suprà expensa, & exornata à nobis *differt.* 16. *num.* 56. Tum quia in factis, vt sunt signa aliarum rerum, idem evenit multoties: fuga v.g militum signum metus esse solet, & communiter arripitur ex desiderio evadendi inimicum potentiorem ; sed quia interdum fieri potest ex desiderio aggrediendi ipsum in loco tutiori, & cum maiori commoditate, & auxilio, ideò non mentitur, qui ita fugit, nec propriè simulat, aut falsum significat, licet hostes aliud fortè credant, & per discursum fallibilem suppleant, quod indicijs deest, ac semetipsos decipiant putantes, fugam tunc oriri ex metu, quia ex illo solet oriri. Tum præterea, quia in gravissimo negotio, quale est professio veræ fidei, non censetur simulatio illicita falsæ religionis ; sed dissimulatio licita veræ, quam in corde habemus, & tunc licitè occultare possumus vti in terris infidelium, absque intentione fallendi, vestibus, aut alijs signis communiter apud illos vsitatis, vbi non sunt distinctiva vnius religionis ab alia ; sed ambigua, & indifferentia ad vtramlibet, vt fert communis sententia, quam rectè exponit Suarez *disp.* 14. *de Fide. sect.* 5. *maximè ex num.* 7.

111. Tum demum, quia in hoc modo agendi non intervenit simulatio formalis, & propria, cùm illa importet voluntatem significandi falsum per facta, & animum decipiendi directum, aut virtualem ; sed solùm datur simulatio impropria, & merè materialis consistens in factis hîc, & nunc separabilibus à significatione obiecti falsi, & vsurpatis ad significãdum aliud quidpiam conforme mẽti, iurique facientis, vel ad nil significandum. Porrò materialis ista simulatio


latio neque propriè talis eſt, nec de ſe illicita; ſed quemadmodum in verbis, ita in factis ſæpeſæpius abſque mendacio, aut alia culpa poteſt exerceri. Imò faciliùs in factis, quæ cùm ſæpius habeant alium vſum ſibi proprium, ac primarium, vt veſtes, & alia eiuſmodi, & non ſint inſtituta, ſicut voces ad communicandum alijs noſtram mentem, ſunt ſigna magis capacia ambiguitatis, & iuris exercendi illa in ſenſu vero, quidquid ſit de falſa intelligentia aliorum, qui ſemetipſos decipiunt, & accipiunt illa in ſenſu falſo, quem non intendit, qui eis vtitur; ſed nullum, aut certè alium.

112. Ideò Chriſtus non fuit propriè ſimulator, nec deceptor, cùm finxit ſe longiùs ire, aut cùm interrogavit quaſi neſciens, quis eum tetigerit, vel vbi Lazarus ſepultus eſſet? Ideò etiam in Sacra pagina multi ſanctiſſimi viri dati nobis in exemplum ſimilia egiſſe leguntur, quorum facta ideò excuſantur, quia illa agendi ius habebant, & re vera falſum nõ ſignificabant; ſed ſignificando quoddam verum ſignis ambiguis occultabant veritatem aliam, cuius manifeſtatio ſibi, aut alijs noxia foret; occultatio autem proficua. Ita quamplurimi excuſant fugam Ioſue, ac populi à vitio ſimulationis *Ioſue* 8. eſſetque aptior excuſatio, niſi ſacer textus diceret *ibi* verſ. 25. eos *ceſsiſſe loco ſimulantes metum*, nam id propriè ſumptum denotat, eos metum mentitos fuiſſe. Ita quoque purgat à peccato Caietanus 2.2.*q.* 111. *art.* 1. David, dum ſe mente captum finxit coram Rege Achis, *quia*, inquit, *facta, niſi ex intentione ſignificandi fiant, ſignificandi vim non per ſe habent ex parte facientis.* Ita etiam S. Thomas ibidem in ſanum ſenſum trahit S. Hieronymum, qui interdum ſimulationem abſolutè approbaſſe videbatur, putans de ſimulatione largè, & impropriè accepta eſſe loquutum.

113. Vltima ſit, metum gravem mortis, aut infamiæ non excuſare à pœnis Sacerdotem illum, qui ratione illius conſentit fœmineæ ſimulationi, ac ſolicitationi abſque animo cõfitendi; ſed illius prætextu factæ. Ita Carena *in dicto tit.* 6. §. 19. *per totum*; & Ioannes Sanchez *in ſelectis. diſp.* 11. *num.* 30. mirati, Bonacinam, Cabreros, & alios poſt conſtitutionem Gregorij contrarium fuiſſe opinatos. Caſum proponunt, quo fœmina decumbens in lecto, quaſi ſua peccata confiteri vellet, Confeſſarium advocaverit, & illi accedenti animum ſuum depravatiſſimum retegat, ſolicitando eum ad venerem, & comminando, ſe proclamaturam, quaſi vim ab illo pateretur, niſi Confeſſarius annuat. Aiunt itaque, in eo eventu, ſicut metus non excuſat à peccato, ſed illud diminuit, ita neque excuſare à pœnis Bullæ Sacerdotem conſentientem, ſed eas minuere, nec reliquos ab obligatione denuntiandi. Ratio eſt. Quia negari nequit, tunc haberi à Confeſſario in loco ad confeſſionem electo inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus; hoc autem ſufficit in terminis Gregorianæ Bullæ, vt ex eius verbis diſiunctivis patet, nec determinatè exigitur, vt Confeſſarius ad illos ſolicitare, vel procurare tentaverit. Auctores autem, qui aliter ſentire viſi ſunt, aut ſcripſerunt ante Gregorij Bullam, aut loquuntur iuxta terminos aliarum præcedentium, quæ hoc non exprimebant, aut profectò verba illius non ſatis conſiderarunt.

114. Meliùs forſan hi dixiſſent, Sacerdotem excuſari, ſi ſimulationi non conſentiat; ſed ſolicitationi duntaxat. Nam Pontifex ſimulationem Confeſſarij determinatè requirit, & locum ad audiendam confeſſionem ele-

electum. In hoc autem casu ille non simulavit, se venire ad confessionem; sed optima fide accessit existimans, se ad illam vocari: neque ipse locum elegit ad confessionem audiendam; sed sola fœmina finxit, se eum eligere ad faciendam illam, vt eo prætextu commodiùs solicitaret. Posteà verò cùm suum animum detegit, ac metum incutit, poterit, si velit, Confessarius nolle simulare ex parte sua, nec simulationem alterius approbare; sed permittere duntaxat, quia cum adeò gravi incommodo vitæ, aut famæ non tenetur illam impedire, aut aliorum deceptionem ortam ex alterius culpa positivè devitare. Cœterum ista excusatio tot conditiones requirit, vt metaphysica, & speculativa potiùs, quàm practica, videatur: &, siquando dubium esset, vtrùm deservire posset, Dominis Inquisitoribus deferre oporteret totius facti iudicium, & examen. Quomodo autem ab obligatione denuntiandi excuset iustus metus patiendi grave aliquod malum in se, vel in consanguineis, aut affinibus, apud Dianam legi potest, qui Fagundez, Ioannem Sanchez, Peyrinis, Lezana, & alios appellat *p. 4. tr. 5. resol. 19.* quibus adde Ioseph Pintre *de Confessar. solicit. sect. 24. & sect. 54.*



DISSER-

DISSERTATIO XX.

DE HOMICIDIJS PALLIATIS.

Sicut iniuſtitia vſuræ interdum offuſcari, ac tegi ſolet excuſationibus frivolis, & ideò dicitur vſura palliata, *ita iniuſtitia homicidij vanis quibuſdam prætextibus aliquando palliatur, & propterea occiſiones, quæ ita fiunt, voco homicidia palliata, de quibus inter damnatas aliquæ propoſitiones inveniuntur.*

CAPVT PRIMVM.

An liceat alios occidere ad præoccupandam calumniam, vel recuperandum honorem amiſſum alapa, vel ictu arundinis?

1. VTrumque licere tradit propoſitio 30. ſed alterum ſaltem eſſe certò illicitum, ſcãdaloſum; ac pernicioſum in praxi, eſt neceſſariò dicendum, ne illa, vt iacet, defendatur, & fiat irrita damnatio illius. Tenor eius ſic ſe habet: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſiquis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.* Hæc ibi. Sed quia duas diverſas partes continet, eas ſeparatim tractabimus, nam diverſa quoque eſt ratio vtriuſque.

2. Aſſero itaque, ſcandaloſam eſſe, & valde pernicioſam Reipublicæ partem illam primam, qua affirmatur: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit.* Ita ſentiunt Piſani, Torrecilla, Lumbier, Filguera, & cæteri quotquot decretum Innocentij ſuis ſcriptis elucidarunt; ante illud verò Paſqualigus dixerat *diſſert.* 451. eam opinionem nullam habere probabilitatem; Leſſius verò *lib.* 2. *de iuſt. & iur. num.* 47. *Etſi fortaſſe ſpeculativè probabilis videri queat, non tamen in praxi eſſe admittendam.* Layman autem *lib.* 3. *Theolog. moral. ſect.* 5. *tr.* 3 *p.* 3 *cap.* 5. *num.* 2. verſ. *Dicendum tertiò*, illam *practicè vix probari poſſe*, additque inſuper, quod valde congruit prohibitionibus ab Innocentio latis: *Si ſententia illa vel ſcripto, vel ipſo facto à viris doctis defendatur, multos facili negotio perſuaſos ſibi ab Actore iniuriam, vel calumniam inferri, ad eumdem è medio tollendum clanculum aggreſſuros, cum maximo Reipublicæ detrimento*, vt Leſſius etiam notavit, Suarez, Raynaudus, & alij, quos appellabimus infrà.

3. Ratio autem exinde ſumitur, quia ea theſis, ſicuti iacet in decreto, eſt valde fallax, incertæ menſuræ, laxa, lubrica, periculoſa, & abuſibus magnis expoſita in re tanti momenti, quanti eſt vita, & occiſio calumniantis. Nam in primis, cùm eiuſmodi licentia non omnibus concedatur, ſed

sed solummodò honoratis viris, maxima statim occurret perplexitas discernendi viros honoratos ab inhonoratis: quia vnusquisque se satis honoratum reputabit quoad effectum non patiendi calumniam, contumeliam, aut infamiam in eo genere peccati, quod nullatenus commisit, licet alioqui quoad alia se iustè diffamatum inveniat, verumque honorem amiserit. Et propterea parum refert, quòd vir sit contemptibilis, aut honorabilis, vbi calumnia non tendit præcisè ad auferendum honorem, sed ex ea sequitur condemnatio illius ad mortem, mutilationem, triremes, vel quidpiam simile: quia sese tuendi ab his malis cum debito moderamine, si ea sint immerita, omnibus adest facultas. Vnde si debitum moderamen non excedit vir honoratus præoccupando calumniatorem per mortem in his casibus, nullus alius id excedet, quantumlibet propudiosus, ac vilis; sed promiscuè omnibus habenæ laxantur interficiendi suos adversarios prætextu accepto ex calumnijs.

4. Viri quoque religiosi, Sacerdotes, aut Episcopi, minimè essent computandi inter viles, aut inhonoratos, cùm sint maxima veneratione digni ob regale Sacerdotium, & alias prærogativas sui status, & propterea plus iuris eis tribueretur præoccupandi falsas suas calumnias per occisionem illorum, qui illas inferre nituntur, quàm sæcularibus, etiam nobilissimis: neque enim thesis eos excipit; sed cum cæteris confundit. Porrò hoc ipsum iam erat specialiter damnatum, æterno silentio addictum, & à fidelium praxi iussum exulare, decreto Alexandri VII. edito *die* 24. *Septembris anno* 1665. *propos.* 17. & à Hyacintho Donato referente plures alios latè refellitur *in praxi Regularium tom.* 4. *tr.* 1. *q.* 22. & Lezana *tom.* 4. *c onsult.* 29. *per totum.* Quorum vterque rectè animadvertit, contrariam opinionem non tenuisse Amicum *in Cursu Theologico. tom.* 5. *disp.* 36. *de iust. & iur. num.* 118. cùm expressè protestetur, se loqui tantùm disputandi gratiâ, & nil ibi velle dicere, quod communi sententiæ contradicat. Vnde & eum plenius defendit Bernardus Stubrochius *in notis ad notas epistolæ* 13. *Montalcij. fol. mihi* 196. Honoratus Faber *in Apologetico Dialog.* 10. *fol. mihi* 208. *colum.* 1. nec longa defensione indigebat, cùm numerum præcitatum absolvat hisce formalibus verbis: *Verùm quoniam hæc apud alios scripta non legimus, nolumus ita à nobis sint dicta, vt communi sententiæ adversentur; sed solùm disputandi gratiâ proposita, maturo iudicio relicto penes prudentem lectorem.* Vide infrà *num.* 51.

5. Errat secundò, prout iacet, thesis proposita, quia promiscuè, ac generatim de omnibus calumnijs loquitur, cùm secernere debuisset saltem illas, quarum prudens metus cadit in virum constantem, ab alijs minoris ponderis. Nullus enim, qui Theologiam Christianam à limine salutaverit, audebit dicere, paratum inferre calumniam non adeò gravem apud iudicem, aut populum morte præveniri posse, cùm aliud medium non supersit impediendi eius propositum; sed siquando locus esset huic licentiæ, vt minimum necessaria foret tanta, tamque gravis impostura falsi criminis, vt eius pavor virum fortem, ac cordatum meritò posset deijcere. Quando aggressor calumnioſus imponit ex.g. crimē aliquod, ratione cuius alter est morte plectendus, tunc aliquo colore dici posset, licitum esse eum anteoccupare occidendo, quia ea videtur moderata defensio vitæ propriæ. Cùm item ex falsi criminis impositione inevita-

inevitabiliter imminet aliud malum adeò grave, vt æquiparetur morti, & tale, vt licitè posset quis optare mortem suam potiùs, quàm illud subire, vt servitus, perpetuus carcer, & alia, de quibus egimus *dissert. 9. cap. 6.* tunc etiam minori inverisimilitudine adstrueretur ea doctrina: nam ibi quoque videtur inveniri prætextus qualisqualis defendendi propriam vitam. At verò, cùm nil istorum timendum est ex calumnia, omnino contra iustitiam, & ordinem charitatis eligeretur occisio nitentis illam inferre tanquã minus malum, quàm patienter sustinere mala adeò inæqualia morti illius, quæ ad vindictam immoderata posset reputari, nedum ad honestam defensionem.

6. Errat tertiò, quia vltra modum, & metam extendit istam occisivam præventionem ad plures casus, quàm vllus alius Theologus. Tum ex parte personarum, cùm neque Clericos, aut Religiosos excipiat à prævẽtione calumniæ per calumniaturi mortem: neque ab occisione eximat Principes, aut alios viros, quibus indiget Respublica ad meliorem sui conservationem. Tum ex parte offensæ illatæ. Quia ignominia, sive læsio boni nominis, non tantùm oritur ex calumnijs, sed etiam ex contumelijs, convitijs, irrisionibus, aut detractionibus, quibus defectus in se veri, sed occulti, propalantur: vnde, si ad evitandam eam solam fas est viris honoratis sese ab illa præservare interficiendo adversarium, idem quoque eisdem licebit respectu omnium aliorum, quorum imminentia dicta, aut facta essent sibi ignominiosa. Tum demùm ex parte damni, cuius præoccupandi causâ dicitur defensio moderata occisio iniusti aggressoris. Neque enim thesis proposita aliud damnum prærequirit, præter ignominiam ipsam, nec maiorem causam postulat. Porrò ignominia non semper est adeò atrox, vt morte alterius præoccupari valeat; sed quemadmodum calumnia, detractio, aut contumelia, vnde nascitur, levis, gravis, aut gravissima esse potest, & eadem inæqualitas in illa cernitur, quæ in vilipendijs, aut infamationibus. Nam ex cõceptu suo solùm importat notam, seu læsionem boni nominis, vt S. Isidorus tradebat *lib. 5. etymolog. cap. 27.* Brissonius in Lexico iuris, & alij Nomenclatores. Vnde *in L. Pedius. 7. ff. de receptis arbitr.* ille, qui est *integræ famæ*, contraponitur *ignominioso.*

7. Errat quartò. Quia nullo prætextu dici valet, morte præveniri posse eum, qui nõ nititur inferre calumniam medijs violentis, sed ordinarijs spargendo falsa crimina apud populum. Cuius signum est à posteriori, quia in omni bene ordinata republica ille vt homicida plecteretur. A priori verò inde patet, quia tametsi cuivis liceat vim vi repellere, servata debita moderatione; nulli tamen indulgetur ea licentia, cùm nulla vis intercedit; sed sola iniustitia actionis. Porrò in calumnijs sic evenit: nam quamvis iniustæ sint, & eas quilibet invitus patiatur, sicut & quamcumque iniuriam (quia iniuria scienti, ac volenti nullo modo potest irrogari) non ideò sequitur, eas omnes per vim inferri: sicut non omne furtum est rapina, seu violenta contrectatio rei alienæ, quamvis omne furtum postulet, vt res invito domino capiatur. Vis enim vltetiùs exigit, actionem fieri, sciente, ac renitente altero, & proinde invito, non tantùm privativè, sed contrariè, vt constat *ex L. 1. & toto tit. ff. Quod vi, aut clam.* Calumniæ verò sæpe occultè, & clandestinè sparguntur, nec de conceptu ipsarum est vis aliqua, sicut neque de cõceptu detractionis: nam calumnia nihil est aliud, quàm *impostura falsi criminis,*

& calumniari *falsum crimen intendere*, seu obijcere, vt habetur *L. 1. ff. ad Turpilianum*, & doctè inter alios explicant Raynaudus *tom. 12. in hoplotheca contra ictum calumnia cap. 1.* & Gibalinus de negotiatione. *tom. 2. lib. 6 cap. 8. art. 2. num. 7.*

8. Quoties igitur calumnia imminens à violentia separatur, perspicuum apertè est, illam violentia occisiva nullo modo posse anteoccupari; imò nec minori alia, quia calumnia non vi, aut cœdibus, sed veritatis manifestatione propulsatur. Nec, siquando media desint ad illam manifestandam, ideò transire licebit ad homicidia, aut alia media violenta, & inordinata, quia dum nulla vis infertur, nulla est vis, quæ repellatur. Nec prætextus defensionis iuvat: nam se à vi per vim defendere, servatis servandis, licet; sed à non vi sese per vim tueri, nulla honesti regula iuvatur. Quocirca dum quivis nititur calumniam absque vi inferre, & falsum probrum obijcere derogans honori vero, aut bono nomini, cuius cura nobis commendatur, nullo pacto licebit eum occidere, quamvis fingamus, occisionem esse medium efficax, & nullum aliud suppetere ad calumniam evitandam; sed patienter id ferre tenemur, ac si etiam vires ad occisionem deficerent: quia perinde est omnem prorsus defensionem esse nobis physicè impossibilem, & non esse re vera possibilem nisi illicitam, & sanguinariam.

9. Quod si hoc verum est, cùm falsus calumniator iam nititur, & conatur gravem calumniam sine vi inferre, à fortiori verum erit, cùm nondum nititur, nec cœpit adhuc, sed solùm minatur, se illam illaturum, vel eam inferre proposuit minis, quas exequi solet, vel animo pertinaci, & obfirmato ad calumniam. Minus namque est solùm proponere, aut comminari, quàm niti: nam qui nititur aliquid facere, iam vires exerit, laborat, & conatum adhibet ad perficiendam exequutionem illius; alij verò non nituntur propriè, & cum effectu, donec media aliqua præparent, & opus aggredi incipiant. Vnde, quamvis exploratum sit, atque receptum communiter eum, qui conatur occidere aliquem ex sæcularibus, si aliud medium non supersit, ab illo licitè occidi, contrarium tamen asseritur de eo, qui duntaxat mortem alteri minatur absque vllo nisu, aut conatu, licet alioqui sit solitus ad effectum perducere suas minas. Ita Malderus 2.2. *tr. 3. cap. 1. dubio 7.* Lezana *suprà num. 18.* Diana *p. 5. tr. 4. resol. 10.* notans sententiam oppositam forsan in foro exteriori procedere, sed in foro poli minimè, quamquam neque in foro fori illam admittendam iudicet, pluribus Iurisconsultis relatis, Cabreros *lib. 2. de metu. cap. 45. num. 37.*

10. Errat quintò verbis illis: *Si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Tum quia, quamvis aliter vitari nequeat, sunt plures casus, quos comprehendi vidimus in prædicta thesi sumpta, vt iacet, vbi certissimum est, non posse calumniaturum formaliter occisione prævenire. Tum quia identitas rationis postularet, vt eadem licentia tribueretur occidendi quemvis alium iniustè agentem nobiscum, damnumque inferre parantem, quod aliter evitari nequit, licet non sit verè calumniator, neque violentus aggressor; sed præcisè damnificator iniustus, sive famæ, sive honoris, sive bonorum fortunæ. Nam invasoribus istis etiam resistere possumus haud secùs, quàm calumniantibus, servata moderatione; sed non medijs adeò perniciosis, & exorbitantibus, qualis est occisio, cuius nimia frequentia hisce licentijs Rempublicam totam

fu-

funeſtaret, & clancularijs cædibus omnia polluueret.

11. Tum quia eo prætextu pariter liceret impedire ignominiam imminentem abſque formali calumnia, & occidere eum, qui per detractionem ſimplicem vera probra, ſed occulta, niteretur publicare, complicem ex. g. qui ſe iactare attentaret de ſecretiſſimis lapſibus cum viro, aut fœmina optimæ reputationis commiſſis; imò & eum, qui falſa crimina obijcere niteretur in iudicio, aut extra illud, ſed bona fide, quia illa vera putat per errorem invincibilem, & alij argumenta deſunt, quibus ea poſſit excutere. Nam in iſtis etiam caſibus par ignominia reſultat, cuius impediendæ per alterius mortem ius innocenti tribuitur. Neque enim in occiſione attenditur punitio alieni criminis, quæ ad ſolos iudices ſpectat; ſed privata defenſio iuris noſtri, & propulſatio ignominiæ aliter inevitabilis. Qua ratione etſi furioſus, aut amens ſtricto gladio alium invadens ad mortem, non peccet coram Deo; nihilominùs licitè occiditur, vbi alia ſubſidia deſunt, & vis eius vi repelli poteſt, ac ſi ſana mente id faceret, vt peculiariter notat Tannerus *tom.* 1. *diſp.* 4. *q.* 3. *num.* 69. Palao *p.* 1. *tr.* 6. *diſp.* 1. *num.* 7. id quoque extendens ad ebrios, & cum eo Gobat *tom.* 2. *tr.* 5 *cap.* 19 *à num.* 4. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 9 *num.* 42.

12. Tum præſertim, quia non ſufficit calumniam proximè immimentem eſſe valde gravem, & inevitabilem, niſi ſit irreparabilis. Nam ſi ex poſt facto reparari valeat, elevando fidem adverſarij, vel oſtendendo innocentiam ſuam alijs mediis, nemo audebit dicere, occiſione præveniri poſſe, ne illam inferat, aut hoc eſſe moderamen neceſſariæ, iuſtæque tutelæ; rariſſimè autem continget, vt ante, & poſt calumniam illatam mitiora alia media deſint, quia, vt fert parœmia vulgaris, veritas tandem non frangitur, etſi interdum extenuetur. Et præterea neque eſt ſatis, quod omnia alia media deſint, niſi mors calumniaturi prænoſcatur fore medium planè efficax ad illam evitandam. Quia vnus ſolus abſque alijs complicibus, & conteſtibus non merebitur adeò plenam fidem, vt famã honeſti viri, & alieni ab eis criminibus irreparabiliter perimat. Si verò, alio occiſo, adhuc alij conſpiratores ſuperſunt, aut occidendi erunt omnes cum magna pernicie, ac ſcandalo, aut anticipata, & occulta mors vnius parum proderit ad perditæ famæ tutelam.

13. Errat ſextò, quia prædicta regula, practica cùm ſit, ac directiva morum, in praxi ſolùm deſerviet ad homicidia pallianda; non verò ad famam tuendam. Nam, ſi res vt eſt in ſe inſpiciatur, tot conditiones requirit, & adeò difficulter exequibiles ſine peccato, vt vix, aut ne vix quidem, vnquam convenire valeant; & caſus tanquam moraliter impoſſibilis ſpeculativæ potiùs conſiderationi ſubſerviat, quàm praxi licitæ, aut vſui. Si verò conſideretur, vt eſſe ſolet plerumque in apprehenſione, & phantaſia hominum mundialium, paſſim evenire poterit, vt ira, aut odio, aut vindictæ, nimioque amore præventi ſuæ famæ, & honoris ſibi falſo perſuadeant nil prorſus ex his deeſſe, quæ ad hanc præventionem neceſſaria reputantur, & ita tota hæc doctrina ipſis fieret in ſcandalum, & Reipublicæ in pernicicm.

14. Explicatur ex iam dictis. Quia, vt talis præventio liceat, opus eſt graviſſima calumnia, eaque violenta, irreparabili, & formaliter iniuſta, inferendaque viro conſpicuo, quem ex honorato reddat infamem, ac vilem. Secundò, quòd ignominia

non sit imaginaria, aut opposita vano honori, quem duellistæ sibi proponunt tuendum; sed vero illi, qui nascitur ex virtute consentanea professioni, ac statui eius, qui intentat defensionem occisivam. Tertiò, quòd calumniaturus sit iam actualis aggressor, & aliqua media adhibeat, quibus nitatur exequutioni mandatæ suum propositum, aut minas. Quartò, quòd protervia illius sit satis perspecta, ita vt prudenter credatur nullatenus destiturus ab inceptis, nec mutaturus propositum, re meliùs considerata, aut metu mortis, aut aliorum precibus, vel monitis, ac consilijs. Quintò, quòd inter media violenta omnia alia mitiora desint, ita vt præventio occisiva sit vnicum, efficax, & necessarium, non solùm ad evitandum, ne calumnia nobis inferatur; sed ne, cùm illata fuerit, perseveret ignominia. Sextò, quòd occisio fiat absque aliorum scandalo, quod rarò eveniet ob summam speciem mali, quod illa secum adducit. Et tandem, quòd occisurus sit animo adeò pacato, vt nec odio, nec vindicta moveatur; sed præcisè ob defensionem suam, adeò vt quamplurimi existiment, occisionem in eo eventu directè amari non posse, etiam sub ratione medij necessarij ad talem finem.

15. Quæ cùm ita sint, liquidò apparet, quàm sit difficile, simul inveniri hæc omnia, prout inveniri oportebat, vt occisio foret licita: & ex adverso, quàm facilè homines calumnia conturbati hallucinari possint, & arripere occasionem interficiendi adversarios confundendo causas veras cum falsis, aut non satis expendendo circumstantias, quæ deficiunt, aut existimando, eâdem innocentia, & puritate affectuum rem posse exequutioni mandari, qua describitur in libris. Vnde, licet prædictæ sententiæ cum suis moderationibus probabilitatem detulerint Bañez, Navarra, Thomas Sanchez, Tapia, & alij, speculativam ad summum illi concedendam esse, practica sublata omnino, tenent præter Lessium, & Layman *num.* 2. appellatos P. Suarez *disp.* 13. *de Charit. sect. vltima. num.* 6. P. Raynaudus *vbi suprà sect.* 3. *cap.* 1. *q.* 6. *in fin.* Bassæus *in Floribus.* 1. *p.* verb. *Homicidium.* 1. *num.* 17. Card. de Lugo *disp.* 10. *de iust. & iur. num.* 165. *in fin.* & agentes de accusatore, vel testibus intentantibus calumniam in iudicio Villalobos *in summa. p.* 2 *tr.* 16 *diffic.* 9. *num.* 6 *&* 7. ac plena manu P. Moya *in select.* 1. *p. tr.* 6. *disp.* 3. *q.* 1. *num.* 11.

16. Vnde tandem satis aperta ratiocinatione concluditur, iustissimè explosam esse vt scandalosam, & pernicioſam in praxi thesim, quam modò discutimus. Etenim, vt vsus eius esset aliquando tutus, ac licitus, opus erat, vt ea foret certò probabilis practicè, neque est satis, vt sit solùm probabilis probabiliter, ad tradita in superioribus *differt.* 4. *cap.* 5. At verò prædicta opinio ante decretum Pontificis non erat certò probabilis; sed adeò incertò, vt quam plures magnæ auctoritatis, ac iudicij viri eam censerent practicè improbabilem. Quinimò nec probabilitas speculativa certò ipsi constabat: ideò enim, cùm de ea loquuntur Suarez, Lessius, Layman, & Raynaudus, adijciunt adverbium *forsan*, quod est nota incertitudinis. Pasqualigus etiam *vbi suprà* dixit, eam esse improbabilem, & P. Moya *eo num.* 11. Georgiusque Gobat *tom.* 2. *tr.* 5. *cap.* 30. *num.* 3. Nec defuerunt alij, qui affirmarent, qualem qualem probabilitatem, quæ doctrinæ isti competeret attentis naturis rerum, ablatam esse positivis legibus prohibentibus homicidium, quas ad hunc casum extendi praxis iudicum demonstrat non admittentium eiusmodi

modi excusationem, idque meritò exegisse censent magnum, certumque periculum frequentissimarum cœdium, insidiarum, & abusuum, quod adduceret pernicioſa ista licētia. Ita Coninc *de act.ib. ſupernat. diſp.* 32. *num.* 12. Trullenc *lib.*5. *in Decal. cap.*4. *dub.* 6. *num.* 11. Diana *p.*3.*tr.*5.*reſol.*97.

17. Denique,cùm theſis loquatur de occisione illius,qui nititur calumniam inferre, quin distinguat, an nitatur in iudicio,aut extra illud, nova exinde detegitur labes eius. Nam qua parte comprehendit calumniantem in iudicio, iam anteà proscripta erat ab Alexandro VII.*in decreto* 24. *Septembris anno* 1665.*prop.*18. cuius hæc sunt verba: *Licet interficere falſum accuſatorem,falſos teſtes,ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.* Qua autem parte etiam complectitur conantes calumniari extra iudicium, vel ex eo apparet deterior,quòd præcipui Auctores,qui admittebant, licitè occidi parantem calumnijs alium impetere, non sunt ausi id affirmare, nisi duntaxat de illo, qui id in iudicio prætendit. Sanè de eo solùm loquuntur Bañez 2.2.*q.*64.*art.*7.*conc.*3.Thomas Sanchez *lib.*2. *in Decal. cap.* 39.*num.* 7. *ante fin.* Petrus Navarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.*3. *in* 2 *p. num.* 290. Tapia *in Catena morali. tom.*2.*lib.*5.*q.*7.*art.* 9. Et meritò. Quia impostura iudiciales maiorem infamiam irrogant, & plus nocent, quia pœnæ mortis, aut alijs valde gravibus subijciunt,ac paucioribus medijs dilui valent,coniuratis, & iuratis testibus cum accusatore ad calumniam.At verò extraiudiciales, aut de viris vitæ honestæ non creduntur;sed à malevolis disseminatæ putantur, aut elevando eorum fidem evanescunt, aut anteactæ vitæ testimonio,alijsque medijs consuetis inverisimiles fiunt,aut per querelam legitimam in iudicio eventilari possunt, estque casus purè metaphysicus, quòd ab eis immineat talis,tam certa, tantaque ignominia, & adeò irreparabilis, vt sola anticipata morte calumniantis repelli possit, ac dilui.

CAPVT II.

Vtrùm liceat interfectio illius, qui fugit, postquàm impegit alapam, aut fuste percussit?

18. HÆc est altera pars propositionis 30.quę sicut viro honorato fas esse credebat occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit, ita pariter existimabat *idem quoque esse dicendum, ſiquis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam,vel ictum fuſtis fugiat.* Quæ doctrina non paucos patronos habuit ante Innocentij decretum: ita enim Navarrus senserat *in Manual.cap.*15. *num.*3.*in fin.* Petrus Navarra fusè in loco nuper citato *ex num.*373. licet duntaxat affirmet, *id non videri omnino à ratione alienum.* Moure *in examine moral.* 1. *p. cap.*9 §.1.*num.*16.Philippus Faber *in* 4.*diſp.*52.*cap.*1.*num.*29.& problematicè Serra 2.2.*q.*64.*art.*7.§.*Poſtquam*, cuius verba refert, & probat Diana *p.*9.*tr.*4 *reſol.*25. quamvis nimis variè hac de re scripserit:nam *p.*2.*tr.*15. *reſol.* 15. sententiam Navarri iudicat esse probabilem, & tutam in praxi, eidemque absolutè videtur adhærere *p.*5.*tr.*4 *reſol.*11. illi verò,quæ speculativam tantùm probabilitatem concedit, *p.*8.*tr.*7.*reſol.*51.*fin.*

19. Refert etiam pro hac sententia,

ila, quam neque ipse approbat, neque improbat, alios quamplures Auctores P. Henriquez *in summa. lib.* 14. *cap.* 10. *num.* 3. *litt. T.* & inter alios S. Antoninum 3. *p. tit.* 4. *cap.* 3. §. 1. Armilla verb. *Defensio. num.* 3. Antoniū Gomez *tom.* 3. *variar. resolut. cap* 3. *num.* 32. Abulensem *in cap.* 21. *Deuteronomij fin.* Cœterùm, si experimētum ex istis sumere licet ad alios, quos consulere non potui, parum fidendum est allegationi ipsius. Nam in S. Antonino nil reperio, quod favere possit huic doctrinæ. Armilla oppositum docet *ibi num.* 2. necnon & Antonius Gomez *ibi num.* 24. & Abulensis *in cap.* 5. *Matth. q.* 109. vers. *Dicendum tamen.* Longè plus favent, qui affirmant, occisionem fugientis tunc licere, si in continenti fiat, & absit periculum odij, vindictæ, & excessus, quas duas conditiones prætermisit thesis, quam modò oppugnamus, & ex hoc capite nimis exorbitasse videtur. Hi autem sunt Gaspar Hurtado *disp.* 11. *de iustit. & iur. difficul.* 11. & qui id probabile dicunt, & tutum in praxi, Leander à SS. Sacramento *tr.* 2. *de irregularit. disp.* 14. *q.* 3. Giballinus *de irregular. cap.* 4. *q.* 3. *diffic.* 14. Atque illi insuper, qui sub his moderationibus id probabile esse affirmant, Villalobos *tom.* 2. *tr.* 12. *diffic.* 12. *num.* 3. & Acacius de Velasco *tom.* 2. *resol. moral.* verb. *Homicidio. resol.* 42. *num* 3 passimque Dominicanos PP. istam sententiam amplecti attestatur Caramuel *in Dialexi. fol. mihi* 84. *num.* 172. *prope finem.*

20. Mihi autem indubitatum apparet, hanc doctrinam nec esse, nec vnquam fuisse tutam, aut certò probabilem practicè, aut speculativè. Nam, visis eius rationibus, ac momētis, P. Vasquez dixit *in Opusculo de restitut. cap.* 2. §. 1. *dub.* 9. *num.* 37. illam sapere gentilitatem, & non esse Christianam, sed legem Evangelicam, imò & Decalogi destruere. Cui censuræ etiam subscripsit Card. de Lugo *tom.* 1. *de iust. & iur. disp.* 10. *num.* 190. Omnino improbabilem eam reputat P. Moya *in select. p.* 2. *tr.* 6. *disp.* 3. *q.* 1. *num.* 9. & contrariam proculdubio affirmandam, amplectendamque esse monuit P. Molina *tom.* 4. *de iust. & iure. tr.* 3. *disp.* 17. *num.* 8. Certissimā, & Catholicam doctrinam esse censet Bañez *vbi suprà dubitat.* 3. addens insuper, esse communem Theologorum bene sentientium. *Et siquis*, inquit, *aliter sentit, iudicio nostro contradicit Sacræ Scripturæ.* Auctores etiam præcipui, qui aliqualem probabilitatem speculativam detulere huic opinioni, practicam vocant in dubium, vt Lessius, Layman, Filliucius, Reginaldus, Bonacina, Dicastillo, Ægidiusque Trullenc, ac Ludovicus Lopez, qui post factum nonnihil in eam inclinat, *in instructorio conscientiæ. 1. p. cap.* 62. vers. *Et quidē*, ingenuè fatetur, illam esse *licentiosam.*

21. Et meritò, quia licentiam tribuit in re magni præiudicij, & valde periculosa sequendi in praxi opinionem, quæ omni certa probabilitate destituitur, cùm alioqui omnis opinio, quæ practicè non est certò probabilis, eo ipso careat illa probabilitate, quam postulat recta ratio, vt sit sine peccato exequibilis. Et, re maturè perspecta, vix apparet humano modo possibile, vt absque scandalo, excessu, aut appetitu vindictæ istiusmodi speculatio exequutioni mandetur adversus illum, qui destitit, & ne offensam prosequatur, fugit. Quia esto id facile considerari valeat separatum ab istis circumstantijs, vnde apertè redditur illicitum; difficillimè tamen ad praxim revocabitur ab hominibus vehementer iratis, & gravi offensa perculsis. Quoties

ties autem magnum est periculum exequendi aliquam speculationem aliter, quàm ipsa dictat opus esse, vt liceat eius praxis, non tuta, sed valde periculosa in praxi censeri debet, & probabilitas eius speculativa solùm, non verò practica dicitur.

22. Asserendum ergo est, thesim propositam satis certò esse improbabilem, & exitialem hominibus in tali eventu occidendis, aut occisuris. Ratio autem, vltra illam practicam, quam proximè dicta suggerunt, ex eo sumitur, quòd percussorem occidere, mutilare, aut repercutere in illis circumstantijs, nil est aliud, quàm vindictam sumere, ac reddere malum pro malo, idque putare honorificum perversa imaginatione, qua adversus claram Dei legem viri mundiales imbuuntur. Neque enim id est vim vi repellere, cùm fugiens nullam vim inferat, sed anteà intulerit, & iam cessaverit, prorsusque ab illa destiterit. Neque item est se defendere, quia fugiendo non offendit, sed potiùs ostendit metum, & iniuriam anteà illatam pusillanimitate diminuit. Neque est insuper honorem suum in specie recuperare, quia fugiens non portat illum in bursa, sicut latro pecuniam furto ablatam, vt ex potestate illius auferri possit illud ipsum, quod abstulerat. Nec demum est facere, vt alius sibi restituat honorem, nam honoris restitutio fit retractatione iniuriæ, veniæ petitione, & alijs actibus honorificis offenso, quos occisus nequit facere.

23. Relinquitur ergo, vt sit tantùm velle honorari ob vindictam sumptam propria auctoritate, & eo facinore ostendere, se non fuisse dehonorandum, quasi verè esset honorificum reddere malum pro malo, ac maius pro minore, & quasi Deus sibi, atque ministris suis vltionem non reservasset. Deuteron. 32. 35. *Mea est vltio, & ego retribuam.* Ad Roman. 12. 19 ad Hebræos 10. 30. Vnde 1. Petri. 3. 9. omnibus dicitur: *Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto*: quod non esse meri consilij, sed præcepti, apertè sumitur ex Ecclesiastico *cap.* 28. his præter cætera: *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam.* Confirmatur. Nam siquando foret licitus ille modus resarciendi honorem occisione dehonorantis, tunc maximè, cùm maritus invenit adulterum, & adulteram in adulterio flagranti: ea namque iniuria est gravissima, & maxima dehonoratio, quæ pœnam mortis meretur, & si calore iracundiæ illam inferat maritus, non punitur in iudicio humano. Atqui id illicitum esse coram Deo, & tunc maximè, cùm hi fugiunt, & sese abscõdere satagunt, omnes Theologi pronuntiant, profitenturque ijdem ipsi, quibuscum nunc disputamus, & planè constat ex præcitato decreto Alexandri VII. *propos.* 19. vbi inter alias pernicioſas, & scandalosas thesis ista profligatur: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprehensam.* Quæ profectò esse videtur sensibilis demonstratio, & illa habita præ oculis, quidquid adversarij obijciunt, retorquetur, & instatur.



CA-

CAPVT III.

Obiectiones ex honore mundiali.

24. OBijcies 1. Latronem fugientem licet persequi, & sagitta confodere, si non possim aliter rem meam ab ipso recuperare. Ergo etiam illum, qui fugit, postquàm mihi honorem abstulit. Nam licet honorem meum in specie secũ non deferat, sed ille peremptus maneat alapa, vel adulterio; adhuc tamẽ resarciri potest, ac si non fuisset ablatus, dum lęsio veluti pendet, & suspẽsa sunt iudicia aliorum magnum aliquid expectãtium de tua generositate, ac fortitudine ad illum recuperãdum. Igitur, dum aliâ viâ recuperari non potest, licebit interfectione fugientis idipsum recuperare, ne alioqui semper sit tibi ignominiosè vivendum, & in populo quasi vilipendio tuo consentiens vilis, & abiectus habearis.

25. Respondeo, quidquid sit de antecedenti, quod reputat esse falsum Covarrubias *in Clem. Si furiosus. p.* 3. *§. vnico. num.* 6. vers. *Nono*, & alij non pauci apud Diana *p.* 8. *tr.* 7. *resol.* 47. comparationem hanc non rectè instituì cum fure, qui rem meã secum portat, quia percussor meum honorem secum non defert; sed cum illo v. g. qui segetes meas combussit, & posteà recedit vacuus; hunc autem occidi posse in continenti, aut deinceps, quamvis damnum mihi illatum aliter recuperari nequeat, nec lex Divina permittit, neque ratio naturalis. Vnde potiùs argumentum retorquetur. Quia non licet comburere illius segetes, qui tuas anteà combussit, nec abscindere illius aures, qui tuas abscideratprius, neque damnum tibi illatum absque alio lucro inferentis ab illo repeti potest, inferendo ipsi propria auctoritate absque alio lucro tuo aliud damnum simile. Ergo longè minùs potest repeti inferendo gravius malum in bonis altioris ordinis, qualia sunt honor, aut fama, & adhuc minùs in vita, quæ pretiosior est omnibus alijs. Nam quod hîc obtendi posset, nimirùm malum alterius reputari bonum tuum propter iniustam læsionem, quam passus es ab illo, ita pariter in alijs casibus dici valeret: quia bonum vindictæ pluris fieri solet ab hominibus, quàm commoda pecuniaria, & sicut invidus, aut æmulus alterius bona esse reputat sua mala, ita vice versa, qui se vindicat, inter bona sua computat malum alteri intulisse.

26. Respondeo iterum, honorem alapa, vel fuste ablatum non esse recuperabilem honore vindictæ privatæ; sed congrua restitutione, vel cõdigna satisfactione percussoris, aut etiam vindicta publica per iustitiæ Ministros obtinenda. Et quidem in tanta perturbatione impossibile videtur accuratè examinare, & concludere prudenter omnia ista media defutura esse, nam id plus temporis postulat, quàm patiatur festinatio fugiẽtis; vbi autem percussus non iudicat, prætermisso maturo examine, omnia illa esse defutura, id fatentibus vel ipsis adversarijs, ad occisionem deveniri nequit. Cœterùm esto admittamus (quod difficillimum est) non supereresse aliam viam, nec prudenter sperari posse satisfactionem condignã, idque certò prægnoscì; adhuc medium occisionis subitæ, sicut & præmeditatæ post finitam rixam, aut superfluum erit, aut contrarium recuperationi intentæ, aut certè prorsus inutile.

27. Nam, cùm honor sit in honorante,

norante, non verò in eo, qui honoratur, vel recuperari debet apud eum ipsum, qui alapa percussit, & eo signo demonstravit, se nihili facere, atque vilipendere colaphizatum, vel apud alios? Non apud eum ipsum. Nam ex eo, quòd occidatur, non retractat vilipendium; imò occisione ipsa fit ipsi impossibilis retractatio; veniæque petitio, & reliqua signa honoris, quibus eam maculam posset abluere: nec occidens sibi assumit, aut appropriat ex honore proprio occisi, quantum necessarium est ad suum damnū compensandum, vt in debitis pecuniarijs contingit. Non apud alios. Nam alij nequaquam mutant conceptum, quem anteà habebant de excellentia, ac dignitate offensi, eo quòd ab vno tractetur malè, & indignè; sed id potiùs attribuere solent temeritati, & audaciæ percussoris, iudicantes ex conceptu anteà præhabito immerenter vilipensum fuisse. Manent ergo, sicut anteà, in suo conceptu honorifico, & ea occasione illum renovant: tantum abest, vt ratione illius quidquam apud ipsos deperdatur, vel quòd maneant quoad hanc causam suspensa illorum iudicia. Vbi autem nihil deperditur honoris debiti, & habiti apud alios, superfluum est apud illos recuperationem quærere, quia nihil recuperatur, nisi priùs fuerit amissum.

28. Quòd si iudicium mutaverint, aut suspenderint, expectantes, vtrùm offensus patiatur abire inultā iniuriam sibi ab altero irrogatam, & occisione sequuta, iam meliùs sentire incipiant de dignitate occidentis, tunc quidem alius honor novus cōparabitur fundatus in ipsa actione occidendi; sed non propterea instaurabitur honos percussione amissus. Nam neque ille est verus honor; sed apparens, ac fictitius, vt statim dicam; nec magnus censeri potest, pavidum, & fugientem occidisse à tergo, vel fortè à longè explosa bombarda; nec ille, qualisqualis sit, ab alijs datur nomine occisi, vt ipsi ad satisfactionem, abolitionemque offensæ deservire valeat; sed solùm in præmium vindictæ promptæ, vel præmeditatæ: par est enim ratio vtriusque, quamvis de præmeditata, postquàm fugiens sese abscondit, ac in tutum se recepit, nullus censeat esse licitam. Vnde perinde se habet occisor iste, ac si quispiam depauperatus à fure ob aliam causam diteſceret: semper enim læsum manet ius ipsius, & minus habet in bonis, quàm debebat habere, omniaque ablata ex fure recuperare valet, ac si nihil ab alijs accepisset.

29. Obijcies 2. ex Navarra *suprà num.* 374. Prius quàm sit illata iniuria, potest quis propulsando, ac præveniendo impedire, ne inferatur, & honorem suum tueri per mutilationem, occisionemve aggressoris, si aliter vitari nequeat læsio illius. Ergo à fortiori id licebit, postquàm est iam actu illata: nam plus iuris vnicuique esse videtur ad recuperandum honorem, quo fuit iniustè spoliatus, quàm ad illum nunquam amittendum. Confirmatur. Nam si ille confestim non repercutiat, quantum opus est ad reponendum suum honorem in eo statu, quo erat anteà, percussio, quamvis physicè transacta, dehonoratioque exinde sequuta habitualiter manebit, continuaraque in futurum efficiet, vt dehonoratus parvi fiat apud populum tāquam pusillanimis, ignominiosus, infamisque infamia facti, non minùs, quàm si à principio eam non propulsasset. Vnde non solùm patietur hanc maculam apud vulgus, dum eam continuari sinit; sed veluti honore indignus, atque sua vilitate, & abiectione contentus repelletur à nuptijs sibi alioqui æqualibus, & à

muneribus, tàm civilibus, quàm militaribus, & à reliquis officijs, quæ non consueverunt dari, nisi honoratis, ac strenuis viris.

30. Respondeo, exaggerationes istas apparentes esse potiùs, quàm solidas. Tum quia etsi maritus posset absque vllo peccato occidere adulterum, aut adulteram, qui per vim eidem illatam aggrediuntur, aut continuant opus adulterij, si aliâ viâ illud impedire nequeat, non ideò sequitur, id esse licitum ipsi, cùm iam destiterunt, & iram eius effugiunt, vt rectè monuit Raynaudus *lib. 3. de virtutibus. num.* 256. Tum quia non est eadem ratio aggredientis, & fugientis, postquàm alapam incussit. Aggrediens enim iniustam, gravemque dehonorationem intentat, factum suum exequuturus, etiam alio reluctante; imò (vt communiter accidit, & in eo statu præsumitur) etiam posteà defensurus, si fortè ab alio invadatur; fugiens verò sua ipsa fuga sibi ignominiosa, & alteri, à quo fugit, honorifica, adeò diminuit offensam, vt iam opus non sit, etiam iudicio mundialium, propria auctoritate, aliam, & maximè adeò cruentam, satisfactionem exigere. Tum quia est aperta disparitas. Nam impediens in hoc casu aggressorem violentum, & iniustum, vim vi occidendo repellit, atque iure defensionis vtitur sibi necessariæ ob vim alterius, vt retineat illibatum honorem iustè acquisitum, & ne alioqui ab statu honesto decidat in statum plenum abiectione, & ignominia. At verò occidens fugientem, sicut & occidens illum, qui iam se in tutum recepit, nec vim vi repellit, cùm illa iam transierit; nec se à fugiente defendit, cùm is nihil aggrediatur contra ipsum; sed potiùs illum aggreditur, persequiturque, vt occidat; nec demum impedit continuationem iniuriæ, quia iniuria per fugam discontinuatur, & illa interveniente, aut honos non amittitur, quia ad id necessarium creditur, vt percutiens sustentet factum suum, aut, si quidquam amittatur, id recuperari nequit reddendo malum pro malo, & solo honore vindictæ.

31. Ad confirmationem iam constat, honorem popularem, aut sufficienter recuperari in hoc casu ipsâ fugâ percutientis, quin sit opus occisione, aut occisionem non esse medium vtile ad illum instaurandum: nam occidere à tergo, vel à longè eum, qui neque resistit, neque se defendit, non est actus honorificus, nec generosus, nec fortis, etiam iuxta leges duelli. Quocirca, sicut non licet occidere attentantem percutere alapa, aut arundine, cùm sibi per fugam consulit, antequàm perveniat ad effectum, ita quoque non licebit, cùm iam de facto percussit, si pari remedio vtatur, timore alterius deterritus. Neque iam rationabiliter possunt manere suspensa iudicia eorum, qui viderunt ictum alapæ, aut arundinis quasi occisionem expectãtia, cùm fuga sit satis, & occisio nullius meriti. Vnde nec iuvat, quod additur de habituali permanentia ignominiæ, aut vilipendij: nam, si per fugam aggressoris non tollitur apud populum, non tolletur occisione adeò degeneri; sed semper perseverabit cum iure occidendi illum, vt progressus futurus impediatur, sicut semper perseverat quoad effectum obligandi percussorem ad condignam satisfactionem reddendam.

32. Iam verò cùm ampliùs additur, vilem, ac infamem cẽseri eum, qui alapa accepta non repercutit adversarium, etiam vsque ad occisionem, si via alia recuperationis desit, in primis falsum est, si de adversario fugiente sermo sit, & insuper interrogari debet, quinam id censeant? *Illi*, qui

qui terrena sapiunt, & prudentes huius sæculi; an autem verè prudentes, qui regula virtutis diriguntur, & considerant æterna? Nam, si de primis loquamur, iudicia ipsorum non sunt tanti facienda, vt proximus debeat occidi, ne honori nostro adversentur: iudicant enim secundum prudentiam carnis, quæ mors est, vt ait Apostolus ad Romanos 8. 6. 7. *& sapientia carnis inimica Deo*, atque adeò ignominiæ per errorem deputant, non interfeciſle adulterum, aut adulteram in flagranti deprehensos, non acceptasse, aut etiam non provocasse contumeliosum ad duellum, non vindicasse privatim, & in continenti offensas sibi irrogatas; sed potiùs imploraſſe officium iudicis: & pleraſque alias leges sibi statuunt honoris retinendi, vel recuperandi, quas vel ipsi non ignorant esse irrarionabiles, atque contrarias tàm legi naturali, quàm Divinæ.

33. At verò, si consulantur illorum sana iudicia, qui censent de rebus secundum sapientiam, & prudentiam spiritus, cùm illa sit *vita, & pax* iuxta Apostolum *ibidem*, hi profectò non censebunt ignominiosum, aut vilem eum, qui *non resistit malo*, sed iuxta consilium Christi Matth. 5. 39. *Siquis ipsum percusserit in dexteram maxillam, præbet illi & alteram*; nec vitio vertent, sed virtuti, ac laudi, quamvis alteram maxillam non præbeat, id libenter condonasse, aut patienter sustinuisse. Quinimò tametsi liceat se defendere per occisionem ab illo, qui nos invadit ad mortem, cùm altera via non supereſt; adhuc est valde laudabile, & magni faciendi consilij, sinere potiùs se occidi, quàm occidere iniustum invasorem, & vitam temporalem, ac æternam eodem ictu ab illo eripere, nisi invasus etiam videat, se esse in peccato mortali, & amisſurus sit vtramque vitam, aut nisi fortè temporalem suã servare teneatur, vt subveniat indigentiæ Reipublicæ, vel familiæ. De quo cum S. Antonino, Sylvestro, & alijs prudenter, ac piè differit Lessius *lib. 2. de iust. & iur. cap. 9 num. 55.*

34. Non ergo iudicio prudentum vera prudentia, & Christiana permanenter perdidit honorẽ suum, qui accepta alapa adversarium fugientem non repercussit, nec occidit: sæpeque erit temerarium iudicare, id non egisse amore virtutis, sed præ nimia pusillanimitate, aut ignavia, atque in dubio factum istud non in deteriorem partem interpretari deberet; sed potiùs in meliorem, vt recta ratio præscribit. Quòd si id aliter interpretẽtur prudentes prudentia carnis, & nobiles huius mundi, cùm culpa ipsorum id accidat, non verò culpa fugientis, quamvis occasione accepta ex alapa, quam incussit, non est cur ipse luat pœnam, & interfectione illius procuretur mutatio talis iudicij, & emendetur prava illorum obstinatio, qui non aliter deponent ipsum, quàm si videant vindictam in continenti exequutioni mandatam, aut si tunc fieri non potuit, postquàm omnino cessavit, & alijs actibus contigit interrumpi. Et re vera ratio proxima, ob quam percussus censetur apud viros huius sæculi esse vilis, ac infamis, ea est, quia omisit vindictam, & repercussionem, non quia reputetur pavidus, cùm fugiens eum potiùs ostendat esse timendum, quàm timidum, & censeri timidum ex se præcisè non sit adeò gravis macula, vt tanta propulsatione indigeat: nec item quia accepit alapam, cùm supponant adversarij ipsi, rem adhuc esse in suspenso, & ab statu honoris in statum ignominiæ non transeat, donec videant non repercussisse.

35. Porrò vilitas, quæ ex omissione vindictæ, ac repercussionis re-

sultat, non est vera vilitas, aut contemptibilitas; sed apparens, & falsò existimata ab his, qui dati sunt in reprobum sensum & exprobrante Isaia 5.20. *dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, & amarum in dulce, & dulce in amarum.* Neque falsa ista existimatio fundata in omissione vindictæ vera infamia est apud prudentes, aut veri honoris amissio, vt propterea licitum censeri debeat, vti occisione alterius tanquam medio ad illam evitandam, vel ad recuperandum honorem in eo consistentem, quòd percussus crederetur non passurus vilipendia sua abire inulta; sed redditurus malum pro alio malo. Nam neque ille est verus honos, qui ex perversa ista existimatione procedit, neque licitè potest procurari, maximè cum tanto nocumento illius, cuius actio non est causa proxima iudicij oppositi; sed malitia iudicantium, & sola vindictæ omissio, quæ laudabilis est, & ad percussum non ad percutientem attinet. Vnde nec iuvare potest, quòd cætera media desint, quia esto finis esset bonus, in defectum eorum, quæ sunt licita, non potest medijs illicitis, ac ineptis intentari. Nec ibi præscindi potest ratio vindictæ ab occisione recuperativa honoris, nam occisio casu facta, vel ob alium finem disparatum, neque honorifica creditur secundum prudentiam carnis, nec sufficiens ad recuperandum honorem, sed intuitu iniuriæ debet fieri, & ad resarciendam eius ignominiam, vt istum effectum habeat.

36. Ex quibus primò colligitur, illum, qui ita occidit, fieri irregularem, quia homicidium istud neque fit ad defensionem, neque ad recuperationem veri honoris cum debito moderamine, neque ob aliam causam, quæ ipsum iustè possit à peccato mortali liberare. Cæterùm, quia factum creditur calore iracundiæ, ac iniuria adhuc fumante, & non præmeditatò, aut per insidias, sed ex apparenti causa, sicut in foro sæculari eius pœnæ non sunt adeò irremissibiles, sicut pœnæ homicidij voluntarij, ita etiam in Ecclesiastico facilius remitti potest irregularitas, quæ ex inde incurritur, & eius dispensatio comprehenditur sub facultate concessa Episcopis in Tridentino *session. 24. cap. 6.* & sub quacumque alia, vbi solùm excipiuntur homicidia voluntaria, vt P. Suarez observat *disp. 46. de censur. sect. 1. prope fin.* advertens etiam *ibidem num. 9.* excessum solum venialem, qui rarò evitari poterit in tanta consternatione, non inducere irregularitatem.

37. Colligitur vltimò, non esse damnatam vi istius decreti opinionem eorum, qui affirmant, licitam esse occisionem eius, qui continuat ictus cum arũdine, vel repetit alapas, vel in eodem loco adhuc persistit defensurus, quod patraverat. Quippe decretum de solo fugiente loquitur, & cùm in cæteris casibus vis iniusta continuetur, & nondum sit consummata iniuria, donec percutiens recedat, percussio non transit in aggressionem; sed vim defensionis habet, & vis alterius perseverans adhuc, aliâ vi iustè repellitur, dummodo ea maior non sit, quàm necessitas efflagitat: nam, si percussus compellendo ad fugam continuationem iniuriæ posset evitare, non esset licita occisio; imò neque mutilatio. Videantur Armilla verb. *Defensio num. 2.* & Tapia *tom. 2. Catenæ moral. lib. 5. q. 7. art. 12. num. 2.* vbi occidentem ad impediendam geminationem percussionis excusant, necnon Leander *in dicta disp. 14. q. 2.* vbi cum Gibalino similiter sentit de eo, qui per barbam iniuriosè trahitur, & *quæst. 9.* de eo, in quem non

non est prolatum integrè, sed cœptū duntaxat verbum *mentiris*, & Moya alijs relatis *dicta disp. 3. q. 3. num. 14.* de eo, qui non fugit; sed persistit defensurus, quod malè perpetraverat.

CAPVT IV.

Vtrùm regulariter sit licitum occidere furem pro conservatione vnius aurei?

38. DE hac quæstione ità sentiebat thesis 31. ex damnatis: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione vnius aurei*: cui reponit P. Lessius *lib. 2. de iust. & iure dubit. 11. num. 68.* ius defensionis non videri concessum cum tanto alterius malo pro re minima: *est enim*, ait, *valde iniquum, vt pro pomo, vel etiam vno aureo servando, alicui vita auferatur.* Notationes quoque ad Aretinum *de maleficijs*, vt refert, nec improbat Malderus *de iust. & iur. tr. 3. cap. 1. dub. 13. concl. 4.* quamvis nimis laxè in hac materia opinentur, adhuc monent, rem, pro qua licet occidere simplicem furem, *non debere esse minoris valoris, quàm duorum aureorum.* Alij verò aut nullam summam designant, contenti cum Lessio exigere rem *magni momenti*, aut certè *non parvi*, quod, inspectis mente, atque contextu ipsorum, ad idem reducitur. Notantque omnes cum Molina *tom. 4. de iust. & iur. tr. 3. disp. 16. num. 1.* veri. *Contrariam sententiam*, id intelligendum esse, quando res aliter liberari nequeunt, aut est grave eas amittendi periculum, seu, vt Lessius *suprà num. 69.* exactiùs loquitur, cùm non est spes probabilis aliter recuperandi illas. Quam cautionem omnino prætermisit thesis proposita, & meritò profligari potuit ob hanc causam, quia nec vitam defendere licet occidendo, cùm aliter servari valet; nec regulare est, vt res nostræ non aliter, quàm occisione furis retineri possint, nec vt ablatæ amittantur irrecuperabiliter.

39. Sed & præcisè inspiciendo parvam illam quantitatem, pro cuius conservatione defensionem occisivam permittit thesis, satis clarè apparet, meritò fuisse proscriptam. Quia vnus aureus regulariter non est necessarius ad conservationem vitæ suæ, vel suorum, vt solet esse pauperi sartori sua acus vnica; neque item ad conservationem status iustè adquisiti, quasi deficiente sibi vnico aureo sit homo melioris status in statum paupertatis, ac penuriæ recasurus; nec demum tanti momenti, vt metus carendi illo cadat in virum constantem, aut morti appareat æquivalens. Vbi autem omnia ista desunt, aliave similia eidem, absurdissimum appareret, necem alterius permittere pro conservatione vnius aurei parum necessarij, vel superflui omnino: nihili enim æstimari debet comparatione alienæ vitæ, neque suffert recta ratio interfectionem hominum pro nihilo. Vtique defensio nostri, rerumve nostrarum nunquam esse potest vsque ad occisionem licita, nisi fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt omnes sentiunt, & omnia iura loquuntur. Porrò moderamen istud, vt inculpatum sit, & in immoderationem non transeat, non tantùm postulat, vt damnum nobis imminens sola occisione propulsari valeat, sed etiā vt magni æstimari possit eo carere: nam, si hæc mensura excedatur, iniuria non erit tanta propulsatione condigna, & homicidium non quasi coactè ob iniquam aggressionem alterius, sed propria auctoritate, ac voluntate patrabitur.

Arguo

40. Arguo præterea, quia regulariter non licet in praxi occidere furem pro sola conservatione bonorum temporalium. Ergo longè minùs id licebit pro sola conservatione vnius aurei. Consequentia est in aperto; antecedens autem patet. Quia tot conditiones simul sumptæ requiruntur ad licitam exequutionem mortis ob eam causam, vt valde difficulter concurrant, & non nisi rarò, ac in paucis. Sparsim eas tradunt Auctores; sed perdoctè, & accuratè eas P. Suarez collegit *dicta disp. 46. de censur. sect. 2. num. 1.* his verbis: *Prima circumstantia est, vt temporale nocumentum actu, & iniustè inferatur, sitque grave, & dignum tali propulsatione. Deinde vt sit irreparabile, vel non sine tanta difficultate, & periculo, vt vel ob eam causam possit grave dispendium reputari. Tertia, vt defensio sit moderata, & pura. Quarta, vt sit inevitabile nocumentum proximi, vt defensio habeat effectum.* Quis autem non videat, experientiâque compertum habeat, quidpiam istorum sæpe sæpius deficere, sive ex parte ipsarum rerum, quæ homicidio defenduntur, sive etiam ex parte animi illius, qui sua bona defendit, sed non illa puritate intentionis, & affectus, quæ necessaria est, vt defensio nõ transeat in vindictam, sicut transit, cum occisio intenditur, & amatur in alterius malum? Et propterea idemmet Auctor *sect. 1. num. 9.* generaliter præmiserat, in istis defensionibus moraliter inevitabilem esse culpam aliquam venialem.

41. Quamvis autem regulariter ita contingat, quia regulare est vt plurimum deficere aliquam ex prædictis circumstantijs, cùm bona temporalia subripiuntur; ista tamen est differentia, dum quæstio ad aureum reducitur, quod aureus per se, atque ratione sui non est tantæ vtilitatis, nec adeò præiudicialis amissio illius, vt, seclusis alijs extrinsecis damnis, eidem amissioni adiunctis, sit ipsius conservatio digna tanta defensione, quãta est alterius occisio. Leve namque furtum reputatur, levequè damnum Reipublicæ, cùm damnum occisionis sit gravissimum: atque idcò ob defectum primæ conditionis defensio occisiva pro illo retinendo immoderata censetur, quamvis tres aliæ conditiones non deficiant. Neque enim licitum est, sed potiùs nimis iniquum, occidere latrunculos pro re parva, ac minimi præiudicij: nam alioqui etiam liceret per se loquendo eos occidere privata auctoritate pro conservatione trium, quatuorve regalium, seu illius summæ, quæ sufficit ad peccatum lethale, & furtum grave coram Deo constituit. Imò, si sola iniustitia, & vis furis eam facultatem præberet, non habita ratione magni damni, ac præiudicij imminentis vero domino ex amissione rei suæ, etiam pro vnius oboli conservatione foret ea defensio licita, quod absurdissimum esse nullus dubitat, & vel ex eo solùm evidenter constat, quod plus incomparabiliter Reipublicæ interfit vitam suorum civium conservari, quàm conservari vnum obolum, quatuor regales, aut etiam vnum aureum apud dominum illius.

42. At verò, cùm res est magni valoris, & maximi præiudicij amissio illius, diversa est ratio: quia neque charitas, neque iustitia postulant, vt cum tanto nostro damno servemus vitam illius. Vnde, si concurrant aliæ conditiones, quibus opus esse diximus ad inculpatam tutelam, ex hoc præcisè capite, nec moderamen deficiet, nec tutela ipsa inculpata; sed mors furis ipsi potiùs ad culpam imputabitur, quàm defendenti res suas. Ipse enim est, qui vim faciens, & aggre-

grediens inferre tantum damnum, vt forsan morti exæquari, vel saltem æquiparari valeat, se temerè morti obiecit,& subiecit naturali iuri,quod omnibus competit vim repellendi,& eò maiori, quò maius nocumentum sibi impendet,& alia minor non sufficit. Nam licet lex charitatis obliget ad præponendum vitam proximi bonis nostris temporalibus, etiam non parvi momenti, id intelligitur, cùm ipsis indiget,& nos pariter ijs non indigemus;secus autem,quoties ille nõ ex indigentia,sed ex vitio illa arripere conatur, & nos maximè indigemus illis. Sed neque iustitia tunc cogit ad servandum eius vitam: nam sicut dolus, & fraus nemini prodesse debet, ita nec vis latrocinij eripit ius defensionis, neque tollit naturalem facultatem vim vi repellendi,servatis alijs, quæ servanda diximus, & semper ponimus esse servanda.

43. Propterea valde prudenter Summus Pontifex solùm proscriplit thesim affirmantem *regulariter* licere furem occidere pro conservatione vnius aurei, nihilque decrevit circa alias quæstiones, quibus hinc inde ventilari posset, vtrùm aliquando id liceat? Quid enim, si fortè is aureus sit alicui extremè necessarius ad cõparanda alimenta, vnde conservet suam vitam? Quid, si alimenta ipsa subtrahantur, nec sit spes habendi alia, quibus se, & vxorem alat cum alijs,quibus debet subvenire? Quid,si sartori acus vnica,cuius lucris sustentatur, quin aliundè illa supplere valeat? Vtique in istis eventibus,& cæteris extremæ necessitatis, non iam pro vno aureo, vnove regali; sed pro acu,& quavis re minima licitum erit pugnare vsque ad interfectionem furis, quia simul vita defenditur, amittenda, nisi latro interficiatur. Et quamvis is non intendat vitam eripere, sed solam acum, quæ secundum se considerata exigui valoris est; in eis tamen circumstantijs tantum valet,quantum vita, & summi momenti redditur ex occasione, & per accidens.

44. Neque absimili ratione idem dicendum videbitur, quoties fur, attentis omnibus, æquiparatur intentanti mortem: sunt enim non pauca mala, quorum perpessio morti naturali exæquatur, & interdum gravior creditur prudenti hominum iudicio. Sic metus stupri patiendi honestis puellis, aut viris *maior, quàm mortis, esse debet*,vt notant omnes ad textum *in L. Isti quidem. 8. ff. Quod metus causa*, vbi id habetur, extenditurque ad parentes eorum, quibus talia imminent, *cùm pro affectu*, inquit Consultus, *parentes magis in liberis terreantur*. Sic *melior est mors, quàm vita amara*,iuxta Sapientis arbitrium Ecclesiastici 30. 17. & propterea amaritudo ex servitute perpetua, captivitate, tetro carcere, aut exilio, continuis persecutionibus, alijsque id genus valde incommodis ærumnis,quamvis vitam corporalem non auferat, adhuc gravior morte existimatur,& eius desiderandæ præbet facultatem licitam,vt ex iudicio, exemplisque Sanctorum visum fuit *differt. 9. num. 57. & deinceps.* Et sic etiam iuxta eumdem Sapientem Ecclesiastic. 40.29. *Melius est mori,quã indigere. Et cap.41.3. bonum est iudicium mortis homini indigenti*: & ideò metus amittendi omnia bona, vel maiorem eorum partem,cùm fundatus est, ac prudens, non solùm cadit in virum constantem;sed metui mortis comparatur, vt ostendunt P.Sanchez *lib.4.de matrim.disp.5. num.21. & 22.* & Basilius Legionensis *lib. 4. cap.4. à num. 8.* cum Tiraquello, & multis alijs,quibus innumeri accesserè postea, tàm ex Theologis, quàm ex Iuristis.

Cùm

45. Cùm igitur res, quam latro per vim conatur arripere, tanti est, vt eius amissio morti meritò exæquetur, quia vitam amaram reddit, laboriosam, ac difficilem, ægrè assignabitur ratio, cur in eius defensionem nõ liceat furem occidere, sicut licitum est in defensionem pudicitiæ, libertatis, & aliorum, quorum irrecuperabilis amissio aut est gravior, aut æqualis amissioni vitæ: defenditur enim quidpiam aliud tantum valens, quantum ipsa, & fur in æquipollenti invasor vitæ censetur, & tanta vi repellendus, quanta invadens, vt occidat. Cœterùm amissio vnius aurei, vel alterius rei superfluæ, tàm ad statum, quàm ad vitam, ex se, atque ratione sui hac æquivalentia caret, & propterea esse non potest vis illata ad illum auferendum tali propulsatione condigna. Tutori vtique non sufficit, vt se à tutela defendat, quælibet lis pecuniaria cum pupillo: *Nisi forte de omnibus bonis, aut plurima eorum parte controversia sit*, vt constat ex *L. Propter litem. 21. ff. de excusat.* eisdemque verbis rescripsit agens de illis, qui per vim spoliantur, Pontifex *cap. 1. de restitut. spoliator. lib. 6.* Quo ergo pacto ad occisionem sufficiet vnius aurei conservatio, quæ nec pauperiores, nec ditiores homines solet efficere; sed relinquere in eodem statu moraliter loquendo?

46. Cœterùm, etsi aureus vnus secundum se, & absolutè spectatus modici valoris sit comparatione defensionis adeò atrocis, adhuc accidere potest, vt habito respectu ad indigentiam subiecti gravem, aut extremam, & ad alias circumstantias tunc temporis occurrentes, maximi momenti censeatur, vt iam præmonui, &, si tunc liceat occisio furis, non pro re parvæ, vel minimæ æstimationis, sed maximæ, mors patrabitur. Qua ratione P. Sanchez *vbi suprà num. 23.* optimè dixit, metum amittendi maiorem partem bonorum, quamvis illa non sint multa, neque magna, cadere in virum constantem, dum à paupere auferuntur, quia graviorem incommoditatem patitur ex amissione illorum, & difficiliùs sibi, ac suis subvenire potest ex altera exigua parte sibi relicta, quàm ditissimus, etiam si plura bona ab eo auferantur. Atque ad hanc normam expolienda sunt, & revocanda alia exẽpla consignata ab Azor *p. 3. lib. 2. cap. 1. q. 19.* dicens, in ijs convenire omnes Auctores: vt, inquit, si detraherẽtur arma militi, vel homini transeunti per latrones, vel hostes: aut, si vestes detraherentur tempore sævientis frigoris, vel nivis: aut tollerentur alicui bona tempore extremæ necessitatis: aut si quis mendicare deberet, vel aliter ignominiosè vivere: aut, si fur vel bona diripiat, vel rapta asportet: & se armis defendat contra me. Hæc ille, etsi paulò strictiùs loquutus fuisset *p. 1. lib. 2. cap. 12. vers. Quæritur.*

47. Ita quoque intelligenda sunt, & explicanda, quæ tradebat P. Molina *in dicta disp. 16. num. 7.* his verbis: *Quando autem quis iniustè aggrederetur vsurpare rem, etiam valoris vnius aurei, vel minoris adhuc valoris, resistẽte domino, aut custode illius, certè neque ad culpam, neque ad pœnam auderem condemnare, qui illam defendendo interficeret cum moderamine inculpatæ tutelæ iniustum aggressorem.* Hactenus ibi, quibus similia tradit Bonacina *tom. 2. disp. 2. de contract. q. vltim. sect. 1. punct. 10. num. 1. Quia*, inquit, *invasor non solùm rem aufert, sed magnam infert contumeliam:* acceditque Cardinalis de Lugo *disp. 10. de iust. & iur. num. 178.* Et quamvis doctrinam istam tanquam nimis laxam approbare renuat Diana *p. 5. tr. 4. resol. 18.* in eam tamen recidere videtur concludens

dens cum Leſſio *eo num.* 68. id eſſe licitum, cùm probro tibi verteretur, niſi rem minimam à fure extorqueas: *tunc enim*, ait, *poſſes conari, & ſi opus eſſet, occidere, quia non tàm rei, quàm honoris, eſſet defenſio.* Aio autem, in eam recidere, nam etiam in caſu Molinæ contumelioſa eſt illa ſubtractio & honos ſimul cum pecunia defenditur, vt Bonacina, & Card. de Lugo cum ſequentes rectè intellexerunt.

48. Sed non propterea putaverim, ei opinioni adquieſcendum abſque maiori alia explicatione. Nam ſicut pro exigua pecunia non licet occidere quemquam, ita nec pro exiguo honore; ſed vt minimum debet eſſe talis, vt metus eum amittendi cadat in virum conſtantem, & reliquas conditiones habeat, quas *num.* 40. propoſuimus neceſſarias eſſe, vt tutela rerum familiarum poſſit iuſta, moderataque cenſeri. Quando omnes illæ concurrerent, & magni honoris amiſſio inſeparabiliter coniuncta eſſet cum amiſſione rei parvæ, tunc licita eſſet occiſio iuxta ſententiam communem, & ratio, qua id comprobatur, ſine offenſione procederet. Rarò tamen id continget. Quem enim honorem perdet cuſtos vineæ, ſi paucorum racemorum furtum vſque ad furis occiſionem non defendat? Aut quem dominus, ſi potiùs malit rem parvi momenti amittere, & audaciæ furis cedere, quàm pro ea vſque ad mortem pugnare, inſiſtere, ac ſeſe exponere periculo moriendi, aut occidendi? Certè contumelia iſta non eſt tanta, neque honor ea conſummata amittendus, vt meritò comparari valeat vitæ propriæ, vel alienæ: niſi fortè honor mundialis, & communi errore populi reputatus honor verus, hîc ſuam partem habeat, quod iuxta ſuperiùs dicta nullo pacto eſt admittendum, neque enim pro defenſione falſi honoris, ac phantaſtici illa licent, quæ pro defenſione honoris veri, nec mors, quæ nocumentum veriſſimum, ac maximum de ſe importat, pro imaginarijs rebus vindicandis vllo caſu eſt inferenda.

49. Vt vt ſit, valde immerenter Molinam reum eſſe volunt propoſitionis damnatæ Lumbier *in præſenti num.* 1875. & Filgueira *in Lucerna propoſ. in fin.* Neque enim ipſe illam tradidit, vt iacet, neque alijs verbis æquipollentibus; ſed ſub alijs circumſtantijs diſſimillimis. Tum quia ipſe non loquitur de fure indiſcriminatim; ſed de raptore, qui perſonæ ipſi vim facit de eo nimirùm, qui, reſiſtente domino, aut cuſtode, nihilominùs aggreditur bona illius occupare; fur autem, & raptor, ſicut furtũ, & rapina, vel ſpecie diſtinguntur, vt communiter Auctores cenſent cum Angelico Doctore. 2. 2. *q.* 66. *art.* 4. vel ſaltem rapina propter vim domino illatam, ac perſonalem iniuriam novam malitiæ ſpeciem addit furto, novumque, & valde ſpecialem titulum ſe defendendi, & aliâ vi vim iſtam propulſandi. Tum quia Molina non dixit abſque alio addito licere occiſionem furis pro defenſione vnius aurei, nec doctrinam ſuam ampliavit dicens, id licere *regulariter*; ſed, ſemoto adverbio iſto, adiunxit, mediante verbo *non auderem*, quod ſolet eſſe nota ſuſpenſionis, atque dubietatis, ſe non condemnaturum ad culpam, neque ad pœnam eum, qui id faceret *cum moderamine inculpatæ tutelæ:* vbi plures conditiones involvuntur, quæ difficulter concurrunt, & neceſſitas illarum valde reſtringit licentiam, quæ alioqui concedebatur.

50. Tum demum, quia non attendit ad valorem rei defenſæ, nec curat, vtrùm ſit minor, quàm vnius aurei; ſed potiùs ad contemptum, &

violentiam iustè resistenti illatam; hæc autem magna esse possunt, etiam pro re nimis parva. Et ideò cùm, ijs transactis, & re violenter extorta, fur fugam arripit, *ibidem num.* 6. ex Soto refert, ad illam recuperandam in cõtinenti per illius interfectionem non sufficere valorem, etiam quatuor, aut quinque ducatorum; sed necessariò requiri, quòd res sit magni valoris, & spes exigua eam posteà recuperandi. *Neque*, inquit, *id auderem condemnare, modò priùs voce admoneretur, nisi rem relinquat, esse interficiendum. Semper tamen est consulendum, ne proximus in eo eventu interficiatur.* Hæc ille tot peculiares moderationes adijciens illi doctrinæ, ne ipsam condemnare audeat. Adijcerem ego cum Azor *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 20. id tunc solùm esse licitum, cùm latro defert bona mihi necessaria, vel simpliciter ad vitam, vel saltem ad conservandum statum meum, iuxta superiùs dicta, nec quoad hunc effectum alia magni momenti existimarem, etsi alij benignius censeant, si benignitas censeri potest, pro rebus, quæ vitæ propriæ comparari nequeunt, alienæ vitæ non parcere.

CAPVT V.

De defensione occisiva eorum, qui nobis impediunt assequutionem bonorum, ad quæ ius, aut spem habemus.

51. AD hanc classem revocantur thesis 32. & 33. quarum prior sic se habet: *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Sequentis verò hic est tenor: *Licitum est, tàm hæredi, quàm legatario, contra iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam cõtra eorum possessionem iniustè impedientem.*

52. Vtramque leges apud Franciscum Amicum in editione Duacẽsi anni 1642. *tom.* 5. *Cursus Theolog. disp.* 36. *de iust. & iur. num.* 131. *&* 132. dempto ex prima adiectivo illo *Occisiva*, & ex alia adverbio *Taliter*, quod ad defensionem occisivam refertur. Vnde hic Auctor defensionem tunc permisit; sed proportionatam negotijs, de qua intelligi par erat, vbi nihil amplius declaraverat; non verò adeò atrocem, qualis est occisio, de qua theses loquuntur nominatim. Neque aliud quidquam ex antecedentibus, aut consequentibus firmiter colligi potest, si rectis oculis verba inspiciantur: nam in alijs corollarijs, vbi occisionem aggressoris licere credidit, id clarè expressit verbis istis *vsque ad occisionem*, vel alijs paris energiæ; hîc verò penitus siluit, & sola defensionis permissione contentus, modum, ac stylum mutavit. Et, quod plus est, iam præmonuerat *num.* 126. defensionem occisivam, totamque assertionem, vnde hæc corollaria intulit, non nisi tribus limitationibus additis esse admittendam, quarũ nullam postulant theses damnatæ; ipse autem omnes necessarias esse duxit.

53. Attamen, quia interdum evenit, vt aiebat Tertullianus *in Apologet. cap.* 10. *vt qui non vident ea, quæ sunt, videant ea, quæ non sunt*, necui esset offendiculo, sapienti, seu insipiẽti (nam vtrisque debitores sumus) in editione Antuerpiensi anni 1650. vnde prodijt idem Cursus, & singuli tomi illius *ab ipso Auctore accuratè recogniti, multum aucti, ac meliori modo digesti, & in omnibus summè elaborati,*

ti, vt in inscriptione tomi primi habetur, in ea, inquam, editione expunxit vtrumque illum numerum, vt noua hac nativitate libri calumniatium ora obstrueret, seque ab impostoris liberaret. Idipsum ibidem præstitit circa aliam doctrinam, cuius memini *num.* 4. licet ipse eam non defenderet: nam dimidiam fere partem sustulit illius numeri 118. vbi ea proponebatur. Quæ verò de incuria typographi, & alijs in præsenti cavillatur, Filguera, vt Amicum faciat Auctorem istarum thesium, persistentemque in assensu ipsarum, imputanda sunt benevolentiæ, qua Societatis Auctores, velint, nolint, trahere solet ad doctrinas condemnatas. Altiùs autem ipso detonaverant contra Amicum Ludovicus Montalrius *epist.* 13. inter prohibitas, & Sinnichius *in Saule Ex-Rege cap.* 109. *&* 110. Sed Montaltio occurrit acriter Bernardus Stubrockius *in notis ad eius notas fol. mihi* 195. *ac deinceps*. Sinnichio verò Guilielmus le Mayre *in statera. sect.* 1. *cap.* 14. §. 1. *&* 2. & *sect.* 3. *cap.* 9. Nec mihi animus est tragœdias istas iterum repræsentare.

54. Deveniendo autem ad theses, sicut in decreto iacent, ambas pariter coniunximus, quia vna est explicatio alterius, & subsequens nihil peculiare addit ei, quæ immediatè præcesserat, nisi varia exempla iuris inchoati, de quo alia erat loquuta. Tricesima ergo secunda, omissa defensione eorum, quæ actu possidemus, & ad nos spectant pleno iure, ad ea transit, quorum possessionem speramus, & ad quæ ius inchoatum iam habemus. Vnde in duas diversas partes scinditur. Alia, quæ ad spem solam attinet quovis speciali iure destitutam; quo pacto plerique sperant se instituendos esse hæredes ab extraneis, sibi relinquenda esse legata, aut elargienda inter vivos alia bona merè liberaliter. Altera verò, quæ determinatè innititur alicui iuri præhabito, licet imperfecto, ac inchoato, quod *ius ad rem* solet vocari communiter, & huius rei exempla proponuntur *thesi* 33. vt si quis obstet iniustè hæredi legitimè instituto, ne adeat hæreditatem sibi à defuncto relictam; si impediat, ne legatarijs sua legata persolvantur; si habenti ius in Præbendam, aut Cathedrā, adeptionem possessionis sibi debitæ intercipiat. Vtrobique autem permittitur defensio occisiva obijcientis impedimentum iniustum; sed valdè absurdè omittuntur aliæ conditiones necessariæ vltra iniustitiam, quas vel Amicus exegit, vt habere posset locum ea doctrina. Exegit autem *eo num.* 126. etsi alijs verbis, easdem ferè, quas Suarez postulabat cum communi *num.* 40. appellatus.

55. Assero itaque, propositionem, vt iacet, esse evidentissimè absurdam, & iure optimo damnatam: quia nullam aliam conditionem postulat implicitè, vel explicitè ex parte impedientis ad licitam eius occisionem, nisi impedimenti iniustitiam, neque ex parte eius, qui impeditur, nisi spem absque vllo iure, vel ius quoddam imperfectum, & duntaxat inchoatum. Quo fit, vt aditum pandat frequentibus homicidijs, propter iura, & spes plerumque incertas, quas, & earum frustrationes, causasque frustrandi insana lucri cupiditas certas apparere facit. Et, cùm iniustitia impedientis possit esse clandestina, & non violenta, ac vis tàm levis, quàm gravis, facultas, quam solùm tribuit in quibusdam raris circumstantijs vis gravis iniustè illata, omni iniusto impedimento adscribitur, & extenditur ad bona non possessa absolutè, & absque addito. Præterea neque distinguitur, vtrùm res, cuius defensio intenditur, sit magni, aut parvi

momenti; neque an iniustitia consistat in calumnia, aut detractione aliqua propalante verum crimen; neque vtrùm ius, aut spes sit iam extincta, ita vt per mortem aggressoris resuscitari non valeat; neque an occisio sit medium efficax, & vnicè necessarium ad conservationem iuris, vel spei rectè fundatæ. Porrò in omnibus his casibus indiscriminatim admittere licitam interfectionem invadentis spem, aut iura nostra sub prætextu defensionis inculpatæ, non tantùm rectæ rationi manifestè contradicit; sed valde temerè opponitur Theologis omnibus, ac SS. PP.

56. Assero rursus, regulariter loquendo nihil eorum esse licitum, quæ propositio damnata nobis licere pronuntiat. Ratio sumitur ex dictis capite præcedenti. Quia neque in defensionem eorum, quæ iam sunt actu in nostra potestate, regulariter est licita interfectio furis ea invadentis. Longè ergo minùs licebit in defensionem eorum, quæ ad nos non spectant adhuc; sed solummodò sperantur titulo gratuito, aut ex fortuito aliquo eventu, vel ratione iuris diminuti, ac duntaxat inchoati. Eædem quippe conditiones requiri debent, vt minimum ad inculpatam tutelam rerum, quæ nondum sunt nostræ, quàm ad tutelam illarum, quæ nostræ sunt plenè, ac integrè & aliunde conditiones ipsæ longè difficiliùs adaptantur rebus, quæ solùm habentur in spe, aut in iure inchoato, quàm habitis pleno iure. Tum quia sæpius spes, & iura incerta, eis, quorum interest, solent videri certissima, vt passim contingere cernimus litigantibus, ac Candidatis. Tum quia plerumque non constat de iniustitia impedimenti imminentis, neque de efficacia illius ad frustrandas spes, & iura nostra: sæpiusque alicui attribuimus eversionem alienæ voluntatis, quæ non erat attribuenda, nisi mutabilitati ipsius, aut diversis alijs, & occultis causis. Tum ex dictis anteà in simili. Nam occisio malignantis, si sermo sit de instauratione spei amissæ, non tàm erit medium vtile ad eum finē, quàm opus vindictæ privatæ; si verò de præventione occisiva, cùm illa ex suspicionibus fieri non valeat, neque ex signis incertis, aut remotis, sed proximas saltem, & moraliter connexas cum iniuria dispositiones requirat, sæpe intempestiva, aut temeraria erit, & vix vnquam ad illius propulsationem efficax, & necessaria.

57. Tum præsertim, quia vt occisiva defensio licita sit in his casibus, non debet attendi valor etiam magnus earum rerum, quæ sperantur, aut inchoativè debentur; sed actualis valor spei, aut iuris iam tunc nostri, pro cuius defensione pugnamus: ita enim discurrunt omnes, cùm agitur de obligatione restituendi incumbente illis, qui vi, aut dolo sunt in causa, ne assequamur illa bona, quæ in spe, aut iure ad nos spectabant. Continget autem frequenter, vt legitima æstimatio spei, aut iuris inchoati non sit tanta propulsatione condigna, nec defensione adeò acri, qualis est occisio, licet demus ita propulsari posse vim illatam adversus res ipsas, si iam essent in nostra potestate, cùm spes, aut ius minùs valeant sæpe sæpius, quàm res ipsæ, quæ sperantur, aut debentur aliqualiter. Porrò inæqualitas ista evidentissimè cernitur in rebus omnino indebitis, & ex sola alterius gratia, munificentia, aut æquitate speratis: neque enim tanti æstimatur spes hæreditatis opulentæ, quanti hæreditas iam habita. Et similiter in rebus, quarum assequutio pendet ex eventu aliquo fortuito, quamvis prudenter sperato, v. g. in iactu retis minùs valet spes capiendi

piendi magnam piſcium multitudinem, & longè minoris venditur, quàm piſces ipſi iam capti.

58. Atque in illis quoque, ad quæ ius aliquod iam cœpit nobis competere, idem accidit. Quia ius ad rem duntaxat inchoatum multò minùs æſtimatur, quàm integrum, ac perfectum, vt minus eſt eſſe inſtitutum hæredem, dum vivit teſtator, & teſtamentum revocari poteſt licitè, aut validè, quàm poſt mortem eius, licet ab inſtitutione inchoëtur ius hæredis, & quamvis vlteriùs demus, additum eſſe iuramentum, aut promiſſionem non revocandi illud. Et in Præbendis, aut Cathedris, etſi à ſubſcriptione oppoſitionis incipiat ius competitorum, tribuatque aliquos effectus, qui iniuſtè impediri valent, & adhuc plures elapſo tempore præfixo in edictis, cùm iam alij oppoſitores nequeant admitti ad cõcurſum, creſcatque ius litterarijs exercitijs cum ſatisfactione peractis, certum apparet, inchoationes iſtas & ſpes in illis fundatas non tanti eſſe, vt propter illas liceat vlli ex candidatis occidere iniquè impedientes, ne oppoſitionem proſequatur, aut facientes, vt tempus edictorum prorogetur, vel ne ad ſcrutinium electionis admittatur.

59. Quinimò, electione facta, & iure ad rem plenè adquiſito, adhuc *ex propoſit.* 33 habetur, perſe loquendo non eſſe licitum electo occidere iniquè impedientem, ne Cathedræ, aut Præbendæ poſſeſſionem capiat, neque hæredi, aut legatario ſe taliter defendere ab impediente, ne ille, mortuo teſtatore, hæreditatem adeat, vel ne huic legatum ſolvatur: eademque ratio eſt de iniquè impediente nuptias cum ſponſa prædivite poſt ſponſalia de futuro, aut actualem traditionem doni poſt liberalem promiſſionem donandi, & à fortiori de ipſo debitore detrectante iniuſtè ſolutionem. Quod vtique pro his eventis, aliiſque ſimilibus ſapientiſſimè deciſum fuit à Pontifice damnante eam theſim, vt iacet. Tum quia interfectiones iſtæ nunquam licent, niſi fiant cum moderamine inculpatæ tutelæ, & alia media deficiant, huius autem moderaminis theſis damnata non meminit, neque aliarum conditionum, quarum defectu illud deficit, & difficiliùs inveniuntur ſimul, cùm agitur de impediente bona debita, ſed nondum habita. Tum etiam, quia illa non poſtulat in impediente violentiam, ſed iniuſtitiam duntaxat abſque diſcrimine inter clandeſtinas, violentas, aut iudiciales; ius autem naturale non concedit iniuſtitiam iniuſtitia repellere, neque iniquitatem iniquitate; ſed vim iniuſtam vi iuſta, ac propterea temperata multis alijs conditionibus prorſus indiſpenſabilibus.

60. Tum quia non omnes Præbendæ, hæreditates, aut nuptiæ, ſed valde raræ, ac pauciores tanti emolumenti ſunt ratione ſui, vt metu amittendi illud ob iniuſtitiam alterius liceat ipſi inferre tantum damni, qualis eſt privatio vitæ, ſemperque ſervari debet ad inculpatam tutelam defenſionis occiſivæ aliqua proportio inter damnum, quod inferimus, & id, quod vitare cupimus. Tum etiam, quia ius ad rem, cuius defenſioni incumbimus, minùs valere ſolet in cõmuni æſtimatione, quàm res ipſa, atque ideò inter iuris regulas *L.* 205. ſic habetur: *Minus eſt actionem habere, quàm rem*: & Caietanus, Armilla, Petrus de Ledeſma, Salon, Malderus, ac alij non pauci, quos refert Card. de Lugo *diſp.* 26 *de iuſt. & iur. num.* 95. generaliter affirmant, iura, & debita minoris emi poſſe, quàm valet debiti ſumma; ipſe verò, qui cum alijs multis contrariam ſententiam ſequi-

sequitur *num.* 96. adiungit controversiam potiùs esse speculativam, quàm practicam, quia in praxi rarò continget, vt eiusmodi iura tantæ sint securitatis, & exactionis adeò liberæ à molestijs, expensis, alijsve damnis, ac periculis, vt perinde sit ea habere, ac possidere rem ipsam.

CAPVT VI.

De spe necessariorum ad vitandam mortem, aut aliud quidpiam morti æquiparatum.

61. Asero 3. per accidens, ac rarò posse contingere, vt ob bona temporalia, quæ speramus, liceat occisio impedientis efficaciter assequutionem illorum per vim, coactionemve iniquam. Ratio est, quia iuxta valde communem, receptioremque sententiam, quam in Exodo videri expressam *cap.* 22. 2. testatur Tapia *in Caten. moral. tom.* 2. *lib.* 5. *q.* 7. *art.* 10. *num.* 1. *& citra dubium* tenendam putat Soto *lib.* 5. *de iust. & iur. q.* 1. *art.* 8. vers. *De bonis autem. fol. mihi* 375. vim vi repellere licet ob defensionem bonorum temporalium, & procedere vsque ad occisionem furis, quoties alia media desunt, ac reliquæ conditiones adsunt, quas *num.* 40. dicebamus esse prorsus necessarias ad proportionatam, moderatamque tutelam earum rerum, quæ eripiuntur. Ergo etiam pro defensione rerum, quas speramus, seu potiùs spei, quam habemus de facto assequendi illas. Quippe ista spes iam est nostra, & inter bona nostra de præsenti computatur, suumque peculiare pretium, ac valorem habet, quo vendi potest, aut eripi cum obligatione restituendi æstimationem eius, quamvis nondum nostra sint ea bona, quæ sunt obiectum ipsius; imò licet nullo modo debeantur, sed solummodò expectentur titulo aliquo gratuito. Quapropter negari nequit ius nobis cõpetere illam defendendi cum debito moderamine, sicut alia bona, aut iura nostra, & ius nostrum etiam lædi, cùm illa per vim, aut fraudem eripitur: nam ea de causa obligatio restitutionis consurgit. Accidere autem aliquando poterit, vt sit talis, tantique momenti spes ista, qualis sunt, ac quanti alia bona temporalia, pro quorum defensione vsque ad aggressoris mortem, servatis aliàs servandis, honestè pugnare licet, & tunc nulla potest esse ratio, quæ similem defensionem tantæ spei reddat illicitam. Nec Pontificio decreto comprehensa censeri poterit, cùm hîc tot accidentariæ circumstãtiæ exigantur, quę in thesi proscripta, vt iacet, ac si superfluæ forent, omittuntur.

62. Exemplis res declarabitur. Spes adquirendi necessaria ad vitam per eleemosynas divitum, magnæ æstimationis est respectu pauperis, & amissio illius magis timenda, quàm timenda sit à divite amissio plurium bonorum, quibus ad vitam non indiget, neque ad dignitatem status. Spes etiam evadendi magnum aliquod periculum plus valet, quàm divitiæ multæ, vt in tempestatibus videre licet, vbi omnes merces, opesque iactantur, quo navis levata oneribus spem faciat salvandi vitas, quæ alioqui periclitantur: ac naufragio iam sequuto, navique demersa, spes perveniendi ad littus super tabula securiùs, quàm natando, quamvis sit valde fallibilis, tabulam ipsam magni facit æstimari. Idemque in infirmitatibus valde periculosis contingit, quia nullis expensis parcitur, vt ea medicamenta applicentur, vnde salus spera-

ſperatur, & mors evitanda creditur, mutilatio, vel perpetua aliqua, & amara invaletudo. Si ergo aliquis iniuſtus aggreſſor per vim impediret diviti, ne liberaliter daret pauperi eleemoſynas, aut pauperi, ne illas peteret, vel ſponte oblatas acciperet, certum apparet, vim iſtam iuſtè propulſari poſſe, atque defendi ſpem illam eâdem vi, qua defenduntur alia bona temporalia ſummi momẽti, & ea maximè, quorum amiſſio morti æquiparatur, & vitam amaram redderet, laborioſam, ac difficilem. Atqui ob bona iſta rectè perveniri poteſt vſque ad defenſionem occiſivam violenti aggreſſoris, cùm occiſio eſt medium efficax ad damnum noſtrum vitandum, & alia media deficiunt. Idem igitur licebit ad defendendas ſpes iſtas pauperi, naufraganti, ægroto, & alijs ſimilibus.

63. Nam, licet habere ſpem ſit longè minus, quàm habere rem ſperatam, & illa ſæpius fruſtretur, pluriesque contingat, vt inops non impeditus nullas eleemoſynas inveniat, & quod naufragus innitens tabulæ ſubmergatur, item quòd infirmo non proſit medicamentum, vnde ſperabat ſalutem; nihilominùs etiam continget, vt ſpes illa, etſi fallibilis, ac varijs contingentijs expoſita, de præſenti multum valeat, & tantum, quantum maior pars bonorum, aut res aliæ, pro quarum tuitione poſſumus, ſervatis aliàs ſervandis, licitè propulſare vim iniquam pugnando vſque ad occiſionem, ſi illa efficaciter proſit, & mitiora media non ſubſiſtant. Alia eſt ratio, quoties ſpes verſatur circa bona, quæ neceſſaria non ſunt ad vitandum magnum aliquod detrimentum vitæ, ſalutis, aut ſtatus; ſed ſuperflua, vel conducentia duntaxat ad commoditatem, oſtentationem, aut augmentum ſtatus. Nam, licet ſpes iſtorum ſuum quoque valorem habeat, poſſitque defendi licitè, obſervato moderamine inculpatæ tutelæ, nihilominùs quia in eis non agitur niſi de lucro captando, nulla ratione videtur defenſio adeò pernicioſa, qualis eſt realis occiſio, tali ſpei proportionata.

64. Vt enim liceat occiſio violenti aggreſſoris, ſaltem debet eſſe talis res defenſa, vt metus carendi ipſâ cadat in virum conſtantem; ibi autem non incitamur metu mali, diminuente voluntarium; ſed concupiſcẽtia boni illud augente: & propterea, quamvis matrimonium, aut profeſſio religioſa facta ex metu ſint invalida, adhuc validè ſubſiſtunt, cùm fiunt ſpe magni lucri amittendi, niſi fiant, & illorum occaſione captandi ad inſtar cuiuſdam præmij eiſdem actibus propoſiti. Quæ eſt ſatis certa doctrina legenda apud Thomam Sanchez *lib. 4. de matrim. diſp. 5. à num. 27.* Baſilium Legionenſem *lib. 4 cap. 4. num. 10.* Baldellum *p. 1. Theol. moral. lib. 1. diſp. 19. num. 10.* Addendumque vlteriùs eſt, iuxta ſuperiùs dicta, non quemlibet metum gravem amittendi ſpem, aut alia bona noſtra propter violentiam alterius ſufficere ad defenſionem occiſivam, niſi malum, quod ex amiſſione timetur, ſit mors ipſa, aut quidpiam aliud morti æquiparabile, & iuſtus eius metus metui mortis. Huiuſmodi autem ſunt non pauca, quæ vitam reddunt calamitoſam, infamem, ignominioſam, vel alio quovis titulo adeò amaram, vt meritò inducere valeant tædium vitæ, aut deſiderium mortis, v.g. ſervitus, captivitas, durus, & obſcurus carcer, incommodum, atque perpetuum exilium, amiſſio pudicitiæ, aut omnium facultatum, vel maioris earum partis, mutilatio, quæ eſt pars mortis, & membri amputati occiſio. Recolantur, quæ præmiſimus circa iſtiuſmodi æquiparationes *diſſert. 9. cap. 6.* ſem-

semperque observetur, maturum, prudensque arbitrium in istis desiderari, quia certam mensuram non habent, & ex varijs circumstantijs nimium potest variari æstimatio iusta illorum.

65. Quæ autem diximus de spe bonorum, quæ nullo iure debentur, à fortiori locum habent, proportione servata, circa scripturas, chirographa, aut alia instrumenta, vnde comprobantur iura nostra. Nam istiusmodi scripturæ nostræ sunt, & pleno iure à nobis possideri possunt, licet adhuc non sint nostræ eæ res, quæ virtute illarum exigi, aut recuperari valent. Suum quoque valorem habent eò maiorem, vel minorem, quò debitũ est maius, aut minus, magis liquidum, & certius afferens paratam exequutionem. Crescitque æstimatio illarum, si sint necessariæ ad securitatem vitæ, libertatis, aut nobilitatis, aut magnæ partis bonorum alioqui amittendæ, vel non recuperandæ absque magno periculo, & incommodo. Ita enim potest esse necessaria malefactori condemnato ad mortem scriptura continens condonationem Principis, & servo charta manumissionis, testimoniũ nobilitatis viro ignoto, & aliis scripturæ authenticæ, vnde constat pertinere ad ipsos illa bona, quæ actu habent, vel sibi debentur cum iure in re, vel ad rem, etsi nondum sint in possessione illorum.

66. Fieri ergo debet prudens æstimatio istiusmodi scripturarum, rectè perpensis circumstantijs omnibus, & casu, quo nostræ sint, à nobisque possessæ, idem modus defensionis pro ipsis licebit, qui licet circa alia bona nostra temporalia, quæ sunt eiusdem valoris. Casu verò, quo illas nondum habeamus, sed præcisè ius ad ipsas inchoatum, aut perfectum, huius quoque iuris, iam tunc nostri, fieri debet æstimatio, si aliquis per vim impediat tabellionem, ne illas scribat, aut nos ne ipsas habeamus, & iuxta mensuram eius, & regulas à Summo Pontifice in præsentiarum præscriptas modus defensionis erit assignandus, semperque observandum, occisivam nunquam esse permittendam, nisi pro vita, aut pro rebus amissioni vitæ æquiparatis, secluso præterea scandalo, ac appetitu vindictæ, concurrentibusque alijs cõditionibus, quas toties requiri diximus, vt fiat occisio cum iuris naturalis adminiculo, & non putè privata auctoritate.

CAPVT VII.

Vtrùm mors alterius directè amari possit in suprà dictis eventibus?

67. HInc Caietanus, Salon, Victoria, Comitolus, Bañez, Vincentius Baronius, Pisani, & alij non pauci monent, favente satis Angelico Præceptore 2.2.q.64.art.7. *corp.* extra occasionem belli, vel vindictæ publicæ nunquam esse licitum intendere, aut directè velle alterius occisionem, etiam per modum medij necessarij ad tuitionem propriæ vitę; sed præcisè defensionem nostram, & actiones ad illam conducentes, quatenus conducentes sunt ad ipsam; nõ verò vt illativas mali alieni, etsi illud ex eis resultet præter intentionem, ac per accidens. Quam doctrinam Caietanus ibi explicat exemplo medici, qui in remedijs infirmum debilitantibus non amat debilitationem eius, sed sanitatem duntaxat: & ex his, quę in nostro casu satis frequenter contingunt, melius potest explicari: Quia ex defensione occisiva non solùm sequi-


sequitur mors temporalis sicarij aggredientis vitam nostram ; verùm etiam mors æterna , cùm ille sit in peccato mortali, sæpiusque post vulnus desit tempus veræ pœnitentiæ, possitque insuper accidere , vt Turca sit,aut hæreticus, qui de contritione, aut confessione non curabit. Et,quãvis, vtrâque morte illius non obstante, licita sit vim patienti defensio occisiva ipsius, vt tueatur propriam vitam alioqui periclitantem , non ideò licebit ipsi directè velle , aut amare mortem æternam illius ; sed conservationem propriæ vitæ , & bonum proprium duntaxat.

68. Scio,præscissionem istam visam fuisse Soto *lib. 5. de iust. & iur. art.8.q.1.*vers.*Huius solutio.*metaphysicam,obscuram, & multorum deceptioni expositam,ac propterea etiam displicuisse Ludovico Lopez *in instructorio conscientiæ.p.1.cap.62.*aliisque Thomistis , qui S. Thomam aliter explicare conantur. Sed profectò S. Thomas satis manifestè dixit *eò art.4.corp. & in solutione ad 1. illicitum esse , quòd homo intendat occidere hominem,vt se ipsum defendat,nisi ei, qui publicam authoritatem habet* , vt milites, Ministrique iustitiæ. Ex adverso autem valde difficile apparet, quòd electio , ac verus amor medij vnicè necessarij ad finem honestè intentum , qualis est propria defensio, non sit honestus, ac licitus, vel quòd licitum sit amare necem in causa inductiva per se illius, nempe in vulnere lethali , & quòd licitum non sit, sed turpe, ac inhonestum, velle quoque, & positivè amare necem ipsam. Propterea vltra præcitatos existimãt esse licitam in eo eventu directam voluntatem occidendi violentum aggressorem nostræ vitæ, sicut licita etiam est in bello defensivo, Molina *tr.3.de iust.& iur.disp.11.num.4.*Valentia *tom 3. disp.5. q.8. punct.4. post initium* &,relatis alijs pluribus,Raynaudus *tom.14. tr. de ortu infantium per sectionem Cæsaream. cap. 9. à num.16.*

69. Posset tamen conciliari non incongruè vtraque opinio ex Lessio *lib.2.de iust.& iur.cap.9.num.52. & deinceps*,si dicamus,ideò mortem invasoris absque auctoritate publica nunquam posse intendi licitè , neque absolutè amari,nisi solùm in sua causa, quia per se , ac ratione sui non est medium necessarium ad tuitionem vitæ nostræ , aliorumve bonorum: huic enim per se sufficeret comprimere vim alterius , & enervare eius vires, quantum satis est, ne ab eo lædamur, neque aliud quidquam conceditur puræ defensionis iure , ac inculpatæ tutelæ legitimo moderamine. Sed quia per accidens evenit , vt compressio ista , ac enervatio fieri nequeat absque vulnere lethali (nam vulnera certam mensuram non habent) propterea non est tunc illicitum id vulnus inferre , ac velle , non quatenus occisivum , ac offensivum alterius , nec desiderando , vt is moriatur ; sed quatenus repulsivum, seu compressivum violentiæ,quam in vita,aut bonis ab eo patimur.Nam sub hac solùm ratione ad moderatam defensionem spectat,& ex intentione illius ad ipsum determinamur. Neque necessarium est,quoties medium conducit ad duos fines , vt propter vtrumque ametur : sicut neque vt causa , vnde sequuntur duo effectus nimis diversi, ex intentione eligentis ad vtrumque simul referatur.

70. Quòd si vlteriùs perconcteris,quidnam de hac materia senserint S.Augustinus, & alij Orthodoxi PP? Respondet Vincentius Baronius , vt se ab hac quæstione expediat *2.p. Theolog.moral.disp.1. sect.3. fol.mihi* 159. multa ex illis collegisse Wendrochium *in notis ad 14. epist. Ludo-*

vici Montaltij, qua, inquit, *tota fere est de hoc argumento ex SS. PP. collecta, omnino probanda.* Sed certè omnino improbandam, nominatimque prohibendam simul cum alijs epistolis eiusdem Montaltij censuit Alexãder VII. & suo decreto firmavit edito *die* 6. *Septembris anno* 1657. & in locis consuetis promulgato. Vnde nunquam satis possum in hoc Auctore mirari, quod pro vera intelligentia PP. nos remittat ad epistolam à Sancta Sede damnatam, nec quòd ausus fuerit ipse illam omnino approbare. Nam ignorasse proscriptionem eius haud facile credi potest, cùm suum librum novis curis prælo in Gallia iterum dederit vndecim post prohibitionem annis, vtor enim editione Parisiensi *anni* 1668. Sed & Wendrochij additiones eidem doctrinæ insistentes, illamque locupletantes, multis de causis insulsas, improbandasque esse ostendit Bernardus Strubrochius *in notis ad easdem notas, ex folio* 200. longo, & accurato examine. Neque suffragium illius quidquam iuvat. Nam Montaltius, Wendrochius, Altimontius, Irinæus, Clarimontius non sunt nisi vnicus Auctor, qui sub larva diversorum nominum, ne affectis appareat destitutus, se multiplicare exambit.



DISSERTATIO XXJ.

DE ABORTV FOETVS INANIMATI.

Abortus est ortus, partusve immaturus, qui ex causis naturalibus, aut casualibus impræmeditatis interdum contingit, & proinde omni culpa vacat; interdum verò à consilio, ac de industria procuratur: & tunc illicitus est, non solùm post animationem fœtus; sed etiam ante illam, si nulla valde gravis necessitas compellat ad illum procurandum. Dubitari tamen cœpit, vtrùm ante animationem liceat, saltem cùm ex manifestatione conceptus vita, aut fama puellæ gravidæ notabiliter periclitatur, aut honor familiæ nobilis: & huc spectant duæ propositiones in præsenti enucleandæ.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm liceat procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur?

1. LIcere totidem verbis affirmat thesis 34. ex damnatis à Pontifice, idque obiter docuit Torreblanca *lib.* 12. *iuris spirit. cap.* 16. *num.* 44. *editionis Cordubensis anni* 1635. ac probabile duxit Lezana *in summa quæstion. regul. volum.* 2. verb. *Aborsus. num.* 5. casu, quo nullo alio modo possit impediri infamia, aut mors talis fœminæ: cui assentitur Trullenc *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 1. *in fin.* & Ioannes Maria de Castilento *in Polianthea Seraphica.* verb. *Abortus. diff.* 3. Leander à Murcia *in disquisit. moral. lib.* 2. *disp.* 5. *resol.* 31. *num.* 14. & 24. Barbosa *in collect. ad* 5. *decretal. cap. Si aliquis.* 5. *de homicidio.*

2. Cæterum contraria sententia communissima fuit inter Theologos, etiam ante decretum Innocentij, eamque *certam* appellavit Illuminatus Moronus *resp.* 87. *num.* 31. notâque improbabilitatis eam inussit, quâ defendit propositio condemnata, Vincentius Candidus *tom.* 2. *disquisit.* 1. *art.* 1. impietatis verò Gonet *tom.* 3. *in disser. Theologica de opinionum probabilit. num.* 117. imò iam olim damnatam in Congregatione S. Officij ex alijs refert Diana *p.* 6. *tr.* 8. *resol.* 37. estque proculdubio reijcienda, vt rectè annotavit Azor 3. *p. istitut. lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 1. & 2. sive solùm procuretur remedium impediens cõceptionem fœtus post concubitum, sive vt fœtus iam conceptus, sed nõdum animatus, ejiciatur. Atque in hoc sensu illam improbant Thomas Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 20. *num.* 10. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. *q.* 2. Moya *in select.* 1. *p. tr.* 6. *disp.* 3. *q.* 4. Verricelli 1. *p. tr.* 8. *q.* 11. *num.* 6. Theophilus Alarius *in*

canonib. consc. lib. 7. verb. *Homicidium. num.* 9. Basilius Legionensis *lib.* 10. *de matrim. cap.* 13. *num.* 2. cui Lezana *suprà* oppositum sine fundamento adscribit, sicut & Bordono Diana, nam Bordonus clarissimè est ab hac sententia *in consil. regularib. resol.* 45. *q.* 4. *num.* 4. Accedunt præterea scribentes *de iust. & iur.* vt Molina *tr.* 3. *disp.* 27. *à num.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 61. Card. de Lugo *disp.* 10. *num.* 131. Dicastillo *lib.* 2. *tr.* 1. *disp.* 10. *num.* 174. & cum Caspensi Diana *p.* 7. *tr.* 5. *resol.* 32. dicens oppositum esse prorsus improbabile, ac demum Theophilus Raynaudus *tom.* 14. *tr. de ortu infantium per sectionem Cæsareã cap.* 10. *num.* 41. subiungens, contrariam esse *virulentam, & exitialem opinationem, prostibulo, quàm scholæ, congruentiorem.*

3. Ne tamen vltra suos terminos censura Pontificia cum suis pœnis protendatur, notandum 1. est, propositionem, vt iacet, non loqui de his, qui sterilitatem permanenter inducunt, nec de his, qui, suscepto voluntariè semine, fœtus conceptionem impediunt; sed de his, qui abortum procurant; abortus autem conceptionem supponit, & nisi à muliere gravida, ac prægnante fieri nequit. Vnde abortus procurator ille solùm propriè dicitur, qui studiosè agit, causa aliqua externa, aut præternaturali adhibita, vt fœtus iam conceptus ex vtero abigatur, eijciaturque immaturè; qui verò tantùm procurat, vt fœtus non concipiatur, & ne fœmina ex suscepto semine gravida fiat, procurator abortus dici nequit, vt specialiter animadvertit Diana *dicto tr.* 5. *resol.* 2. *&* 31. ac plenius sumitur ex his, quæ disputat è re Medica, & Legali circa naturam abortus, atque partus abortivi Paulus Zacchias *lib.* 1. *quæstionum Medico-Legalium tit.* 2. *q.* 10. Non tamẽ ideò contendimus, absque gravi peccato adhiberi posse eiusmodi impedimenta, quamvis ibi propriè aborsus nullatenus inveniatur. Nam *in cap. Si aliquis.* 5. *de homicidio. vt homicida tenetur, qui causa explendæ libidinis, vel odij meditatione, vt non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, aut concipere.* Atque, vt eleganter Tertullianus scribit *in apologet. cap.* 9. *Homicidij festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat animam, an nascẽtem disturbet: homo est, & qui futurus: & fructus omnis iam in semine est.*

4. Notandum 2. thesim damnatam permittere abactionem fœtus nondum animati, non solùm ad evitandam occisionem matris; sed etiam ad evitandam infamiam: alterutram enim causam sub disiunctione proponit, & vnamquamque absque consortio alterius sufficientem esse putat, vt ex contextu ipsius patet. Quare, si quis affirmaret, ex periculo violentæ mortis inferendæ à marito, vel à patre honestari abortum in eo eventu, non verò ex periculo solius infamiæ, huiusce decreti pœnas, & censuras non incurreret, sive opinaretur bene, sive malè. Siquid autem minori inverisimilitudine defendi posset, hoc esset, vt iam antèa prænonebat Didacus Avendaño *in auctar. Indico. p.* 1. *nu.* 592. Nam periculum infamiæ provenientis ex publicitate illicitæ commixtionis multis modis declinari potest, aut resarciri ex post facto: & nunquam tanti est, vt pro eo avertendo debeat impediri hominis vita iam contenta intra suas causas, & Deus privari mancipijs, quæ ad maiorem sui gloriam, & generis humani vtilitatem parat educere in lucem. Eo vel maximè, quia embrio delictum non publicat, cùm possit

possit occultè nasci; sed alij, qui secretum non servant, & famam alioqui illœsam sua dicacitate corrumpunt. Et, cùm occidi nequeat, ex dictis circa propositionem 30. ille ipse, qui iniustè invadit, & nititur calumniam inferre, fingendo fœminam illœsę famę lœsisse suam pudicitiam, longè minùs tolli poterit & vitæ, & lucis vsura ab illo, qui non invadit iniustè, neque falsum manifestat; sed verum aliena culpa deditum publicitati.

5. Notandum 3. in thesi condemnata non esse sermonem generaliter de morte puellæ gravidæ imminente ex quibuscumque causis; sed de occisione, quæ violentam mortem denotat, provenientemque à causis extrinsecis. Quocirca locus relinquitur, stando præcisè huic decreto, & propositioni, vt iacet, celebri illi controversiæ, quæ inter Auctores disquiritur: Vtrùm liceat directè procurare electionem fœtus nondum animati ad præcavendum periculum matris Medicorum rationabili iudicio certò morituræ ex morbo, si graviditas vlteriùs progrediatur? Etsi enim licere affirmes, nunquam dices, eum abortum esse licitum, ne puella deprehensa gravida occidatur propter suam impudicitiam; sed ne moriatur ex morbo superveniente post coitum, seu licitum, seu illicitum, qui est longè diversus casus. Porrò id licere in ea summa, aut valde gravi necessitate parentis, cùm indubitanter constat, fœtum non esse animatum, sententia est S. Antonini, Sylvestri, Fumi, Ioannis de Neapoli, Navarri, & aliorum, quos appellant, & sequũtur locis anteà consignatis Thomas Sanchez *num.* 9. Azor *q.* 5. & latè Raynaudus *à num.* 38. apud quem videri possunt oppositum opinantes Lessius, Ioannes Sanchez, Basilius Legionensis, Sayrus, Comitolus, Amicus, Filliucius, & quidam alij, quibus addendus Zacchias *vbi suprà lib.* 6. *tit.* 1. *q.* 7. *num.* 16. & Vasquez *in opusculis cap.* 3. *de restitut. in fine.*

6. Notandum 4. cum Lezana, ac alijs ex adductis *suprà num.* 1. doctrinam theseos damnatæ ad summum potuisse admitti casu, quo fœtus electio esset medium vnicum, & necessarium ad occultandum delictũ graviditatis, & evitandam, mediante occultatione, occisionem, aut infamiam graviter matri imminentem, si notitia illius ad alios extendatur. Nam, si consideretur præcisè sub ratione boni vtilis ad declinanda ista incommoda, & alijs medijs mitioribus illa possunt devitari, temerè permitteretur adeò pernicioſa atrocitas, qualis est vim facere naturæ ad evertendam propagationem generis humani, & impedire hominis vitam iam iam debitam suis causis. Porrò thesis hanc limitationem non adiecit, nec necessitatem eius indicavit; sed indistinctè permisit, imminente morte, vel infamia matris, procurationem abortus ante animationem fœtus, nulla discretione facta inter abortum, qui præcisè est vtilis ad occultationem conceptionis, & eum, qui non tantùm est vtilis; sed vnicè necessarius, neque inter infamiam publicam à secreta.

7. Quare propositio, vt iacet, cùm vtrumque casum comprehendat, evidentissimè fallit, & plus quàm scandalosa, ac pernicioſa meritò censeri potuit, & omnium rectè sentientium calculo communi reprobata. Nam licet mors certò immineat ex manifestatione prægnantiæ, & non solùm suspicionibus, vanisve timoribus futura existimetur, vt fœminis sæpius accidit, adhuc sedulò inquirẽdum est, priusquàm ad abortum deveniatur, vtrùm alia media suppetant ad occultationem sufficientia, & eis vten-

vtendum, ne homo proximè futurus, & contentus in suis causis, tanquam partus ex sua ancilla, Deo supremo Domino, & opifici auferatur, vniverso novus incola, Regi subditus, patriæ supplementum decedentium, patri invito sua progenies, Ecclesiæ filius, cœlo civis ad assequutionem eius ex primaria Dei opificis intentione destinatus. Esto namque in hoc eventu propriè non sit homicidium, quia fœtus nondum est homo, cùm animo rationali destitutus supponatur; ad homicidium tamen meritò reducitur, & instar illius habetur, quia spe proxima, ac fundata in naturali exigentia causarum iam erat homo. Et sicut lethale est cuivis privato nullam vim patienti, vim inferre causis naturalibus ad accelerandam mortem, & tollendam continuationem vitæ alienæ, ita quoque erit lethale eisdem causis vim inferre ad tollendam inceptionem vitæ, & continuationem eius ex inceptione speratam.

CAPVT II.

Licitum esse abigere fœtum animatum, quamvis aliter vitari nequeat occiso, aut infamia matris.

8. SVadetur 1. ex PP. Ecclesiæ. Nam quoad hunc effectum ipsi non distinguunt inter fœtum animatum, & inanimatum; sed proximè animandus apud illos pro animato habetur, sicut proximè accingendus pro accincto, & eadem illimitata generalitate, qua existimant, esse omnino inexcusabile abigere fœtum animatum, illumque occidere in vtero, pronuntiant quoque esse illicitum, atque ad instar homicidij computari, procurare eius abortum, cùm nondum est animatus; sed solummodò conceptus. Porrò fœtus animati abortionem directè procuratam esse graviter illicitam, & nullo pacto excusabilem, constantissima est doctrina PP. & aliorum Theologorum, cui ausi non sunt contradicere etiam assertores ipsi propositionis damnatæ; sed opinionem suam consultò restrinxerunt ad fœtum inanimatum. Refert quidem Castilento *suprà diffic. 4 post med.* nescio quemdam Theologastrum id protervè defendentem, quia ius propriæ defensionis, naturalisque facultas vim vi repellendi etiam contra viventes extenditur. Sed hoc, & alia fundamenta ipsius idem Castilento diluit, & oppositum plenè demonstrat evidentissimis rationibus, ac PP. auctoritatibus Raynaudus *loco citato cap. 10. ex fol. 291.*

9. Assumptum autem suadetur primùm ex S. Basilio *in epist. 1. ad Amphilochium canon. 2.* ibi: *Quæ de industria fœtum corrupit, cædis pœnas luat; formati, vel informis subtilitas à nobis non attenditur. Hîc enim non solum quod nasciturum fuit, vindicatur; sed etiam ipsa, quæ sibi insidias paravit, quoniam vt plurimum eiusmodi inceptis vnà quoque mulieres intereunt.* Hæc Basilius huius criminis gravitatem adaugens ex periculo occidendi semetipsas, quod ex violenta abortione sæpius incurrunt prægnantes. Quo ex capite S. Hieronymus *epist. 22.* istud etiam crimen aggravat, consentiuntque Mercurialis *lib. 1. de morbis mulier. cap. 2.* & alij ex Medicis, adeò vt Zacchias *lib. 3. tit. 2. q. 9. num 2.* dixerit, vix esse possibile, aut credibile nihil succedere, quod præter naturam fit, in abortu, qui medicamentis, & ex arte procuratur.

10. Accedit gravis auctoritas S. Augustini *lib. 1. de nuptijs, & concup. cap.*

cap. 15. his præter cœtera: *Aliquando eò vsque pervenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret: & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquando intra viscera extinguat, ac fundat, volendo suam prolem priùs interire, quàm vivere; aut si in vtero iam vivebat, occidit antequàm nascatur.* Notanda sunt verba illa *Priùs interire, quàm vivere*, quibus magna emphasi distinxit fœtus non viventes à viventibus, & eos etiam, qui non vivunt, ac si iam viverent, *interire* declarat. Vnde *serm.* 244. *de temp.* sic consequenter affatur: *Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios, aut conceptos, aut iam natos occidat, quia quæcumque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum causam, quos occiderit, esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere Mulier autem quæcumque fecerit hoc, per quod iam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.*

11. Alia pleraque his affinia ex PP. ac Concilijs accepta, & Apostolico iudicio confirmata legi possunt apud Sixtum V. in proœmio Bullæ *Effrænatam*, quæ est 87. huius Pontificis, cuius laciniam exscribo: *Nimis*, inquit, *imprudenter contra Dei voluntatem se opponunt, qui, vt S. Hieronymus ait, dum natura recipit semen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit, dum inter ventris angustias Dei manus semper operatur, idemque corporis creator, & animæ est, impiè despicit bonitatem figuli, id est, Dei.* Hactenus Pontifex, cuius severum iudicium maximi faciendum est in re proposita vniversæ Ecclesiæ, & ad morum honestatem spectante. Nam, licet præfata constitutio à Gregorio XIV. *Bulla* 8. moderata fuerit quoad specialem reservationem huius criminis Sedi Apostolicæ factam, necnon & quoad alias pœnas, quibus exæquavit Sixtus impedientes conceptionē, abigentesque fœtum inanimem cum his, qui à consilio eijciunt fœtus animâ informatos, non ideò improbata est; sed confirmata potiùs quoad doctrinale iudicium de huius *gravissimi sceleris* (ita illud vocat Gregorius) efferata immanitate; sed solùm redacta ad terminos, pœnasque iuris antiqui.

12. Suadetur 2. assertio principalis. Quia, vt ibi præfatur Sixtus, & manifestum est cuivis: *Omnes tàm Ecclesiasticæ, quàm profanæ leges gravibus pœnis afficiunt eos, qui in vtero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, sive vt conceptos fœtus eijciant, nefariè machinantur.* Nullaque bene ordinata Respublica frivolam illam excusationem admisit, aut limitationem adiecit, qua impune abire permittat eos, aut eas, qui metu infamiæ, aut occisionis talia perpetrare studeant. Quinimò cùm mater gravida pœnam mortis est cōmerita ob adulterium, vel ob aliam causam, ne fœtus innocens pereat; differtur sententiæ exequutio, & partus eius expectatur. Quare, etsi permitteretur in prædictis circumstantijs abortum non esse illicitum solo iure naturali, saltem negari non posset, esse graviter illicitum ex vi iuris positivi eidem naturali iuri valde consentanei. Praxis namque illius sententiæ subiecta est magnis abusibus contrarijs speciei humanæ, ac propagationi ipsius, quos frequens experientia demonstravit ex abortuum permissione oriri. Nullibi autem leges, legislatoresque exercent vim generalem prohibendi, quàm circa actus illos, etsi alioqui licitos, vnde deterrimi abusus sæpius emanare solent, & maximè cùm sunt præiudiciales

ciales bono publico totius Reipublicæ.

13. Suadetur 3. Nam quod aliter vitari nequeat occisio, aut gravis infamia prægnantis, non est practica excusatio, sed prætextus metaphysicus, & imaginariè apprehensus, aut culpabiliter pro vero habitus à puella consilij inope, & naturali verecundia, ac pusillanimitate præoccupata. Etenim, vt ea excusatio aliqualiter prodesse posset, duobus opus erat, nempe vt abortus putetur iustis de causis esse omnino necessarius ad prægnantiæ occultationem, & quòd occultatio illius sit peræquè necessaria ad evitandam occisionem matris, aut infamiam ijs malis æquivalentem, quæ contra finem naturæ, ac bonum prolis sequuntur ex furtiva electione proprij fœtus studiosè procurata. Tanta autem abortus necessitas ante animationem fœtus firmo, ac constanti iudicio ægrè prævideri valet, cùm periculum sit adeò distans, varius genius personarum, vnde pendet eius veritas, & tot artes adinventæ, quibus potest declinari. Et quidem conceptio ipsa tunc temporis incerta est omnibus, & quamvis fortè contingat, facilè confundi solet cum alijs infirmitatibus, vsque adeò vt neque ipsi Medici illam discernere valeant. Partus quoque ipse multis medijs occultari potest illis, à quibus timetur exitium puerperæ, & vix vnquam vlli desunt fideles amicæ, aut matres, quæ auxilium secretò præbeant in re iam inevitabili. Iudicare autem, omnia hæc media esse postèà defutura, & alia pleraque, quæ passim excogitantur fœlici successu in dies, & insuper à longè cognoscere mortem sibi esse intentandam à parente, vel merito, quin sit locus sese defendendi, vim vi repellendo vsque ad occisionem, si opus fuerit, aut saltem sese abscondendi, vel aliter in tuto collocandi, potiùs divinare est, aut levibus suspicionibus, atque timoribus duci, quàm solidè, ac prudenter iudicare.

14. Suadetur 4. Nam sententia opposita favet nocentibus contra innocentem, fovet libidinem, atque viam sternit intolerandis spurcitijs. Favet quidem nocentibus contra innocentem, quia homo proximè futurus neque invadit vitam matris, nec quidquam malè meretur de ipsa, aut alijs, qui putantur mortem eius aggressuri, neque enim ipse vim facit, aut faciet crescendo in vtero; sed maritus v.g. qui occasione exinde accepta patraturus est mortem iniustã; huic autem parcere, & potiùs vitæ illius insidiari, qui non nocet, aut nocebit, impediendo animationem eius cum alijs bonis, tàm publicis, quàm privatis, quæ ex ea meritò sperantur, per se videtur contrarium institutioni naturæ. Explicatur inquirendo ab adversarijs, vtrùm ante animationem fœtus prævenire liceat, & occidere patrem, aut maritum, qui putatur puellæ gravidæ illaturus mortem, si successu temporis ex partu, vel alijs signis prægnantiæ agnoscat lapsum ipsius? Nam, si hoc licere credatur, cùm vim iustæ defensionis habeat, id vtique priùs tentandum esset, quàm violenta occisio fœtus, qui nõ offendit crescendo vsque ad suam animationem; sed potiùs defendi debet à quovis extraneo incursu. Quòd si putetur illicita præventio adeò anticipata, vtpote occisiva illius, qui nondum aggreditur, nec actu aggressionem parat, sed præcisè de futuro, & in tempore distanti iniustè aggressurus creditur, à fortiori non licebit prævenire idem periculum egerendo proprium fœtum, neque id erit necessarium. Iure namque præventionis defensivæ caret tunc fœmina gravida, nam alioqui illo vti posset contra aggres-

aggreſſorem futurum, potiùſque armari deberet contra illum, quàm contra fœtum innocuum procurando illi præſentaneum, certumque exitium pro periculo remoto, incerto, & inſufficiente, vt eos ipſos præveniat, à quibus mortem iniuſtam timet forſan irrogandam.

15. Dixi prætereà, eam ſententiam eſſe fomentum libidinis, quia tollit forte repagulum, quo plures fœminæ arcentur, ne viris extra coniugium illicitè miſceantur. Conſtat enim, ſæpeſæpius illas abſtinere ab his flagitijs metu mortis, aut infamiæ, indignationis parentum, vel alterius damni gravis ſequuturi, ſi concipiant, & fragilitas ipſarum detegatur. Amovere autem hoc fœnum, quo ſæpe fortiùs cohibentur, quàm Dei timore, aut amore, nil eſt aliud, quàm connivere luxuriæ, eiuſque habenas laxare ſuggerendo contra bonum prolis artes, quibus expleatur libido, & tollatur ſimul metus partus, aut prægnantiæ. Et quales ſunt artes iſtæ? Pudet illas nominare. Nam propterea dixi, viam ſterni ex eiuſmodi doctrina ſpurcitijs intolerandis. Liceret enim in primis impedire conceptionem fœtus, eò longè minori cauſa, quò minus eſt non concipere, & ab animatione remotius, quàm hominis iam concepti, & inchoati, vt ita loquar, eiectionem procurare. Liceret inſuper fœminæ hoc timore prœoccupatæ conari totis ſuis artibus ad expellendum ſemen iam receptum; imò & viro ipſi ſe retrahere, illudque extra vas effundere, & non conſummare coitum, ne conceptio ſubſequatur, vnde infamiam propriam timet, inimicitias violentas, aut alia ſimilia mala, propalante puella complicem ſponte ſua, vel coactè.

16. Coniugium præterea ipſum in ſcortationem verteretur, ſi extra illud hæc licentia concedatur. Nam & coniugibus non deeſſent cauſæ, quibus iſta cohoneſtare poſſent, ſi aliquando poſſunt honeſtari: v. g. ſi mulier ſit experta vitæ periculum, aut extraordinarios labores, ac dolores tempore prægnantiæ, aut partus; vel ſi præ nimia paupertate non valerent tot parvulis alimenta præſtare, nam & hæc cauſa viſa fuit ſufficiens Ariſtoteli *in Politicis lib. 7 cap.* 16. ad abortum ante animationem procurandum: &, ſi metus mortis, aut infamiæ ſufficit, non poterit aſſignari ratio, ob quam ſatis eſſe nequeat metus maximi doloris, aut gravis, vel extremæ paupertatis. Et in ſumma, quidquid poſtulat, ne ſemi is effuſio directè procurata ſit vllo in caſu permiſſa, à fortiori videtur poſtulare, ne huiuſcemodi immunditijs proximioribus generationi vllus locus relinquatur, vt optimè vrgent, & vindicant à ſubterfugijs contrarijs Leſſius *in dicto num.* 61. & Card. de Lugo *num.* 131.

CAPVT III.

Enodantur argumenta opinationis contrariæ: & ibi, an metus infamiæ æquiparari valeat metui mortis?

17. PRimum eſto. Nam, ſi parens, aut dominus puellæ gravidæ, morte directè intentata ad eum effectum, eam cogeret ad abortum fœtus inanimati, vt Iudæi in noſtra Hiſpania olim cogere ſolebant Mauras ſibi ſubſervientes, referturque *L. 8. tit. 8. part. 7.* licitum eſſet ei cedere, & vitam ſuam vindicare, abigendo proprium fœtum, qui, matre moriente, nunquam erit animandus, neque eſt capax iniuriæ pro illo tem-

tempore. Ergo etiam licebit eum abigere, cùm similis metus vrget in futurum, & occisio puellæ à longè prævidetur exequenda cum maiori damno prolis iam tunc animatæ, & carituræ Baptismo, ac alijs bonis æternis. Nam, licet fœtus ante animationem sit pars viscerum, & illa proijciatur, nil vetat, Tyranno vrgente, abscindere sibi partem, v. g. crus, aut brachium, ne individuum totum pereat, & cum ipso omnes eius partes commoriantur.

18. Quòd si hoc licet ad vitandam mortem, pariter quoque licebit ad præcavendam infamiam imminẽtem ex notitia partus, aut graviditatis. Quia gravis infamia rectè morti æquiparatur, & eâ deterior censetur, vt latè inter modernos ostendit promiscuè de honore differens Molina Guzman *in verit. iuris. verit.* 27. fuitque opinio antiquitati placita. vt habetur *L.* 26. *tit.* 13 *part.* 2. ibi: *Porende pusieron los antiguos por mas estraña la ferida de la fama, que la ferida de la muerte, porque esta no es mas que vna vez, è aquella es de cada dia.* Et *L.* 2. *tit.* 19 *part.* 2. ibi: *Ganarian ellos mala fama para siempre, que seria tan malo, como muerte, ò peor.* Peius autem esse insinuat Apostolus 1. *Corinthior.* 9. 15. dum sic scribit: *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis evacuet*, id est, Iustiniano Interprete: *Sentio præstabilius mihi esse mori, quàm gloriæ, & existimationis meæ iacturam facere.* Atque in iure etiam civili æquiparata censentur periculum vitæ, & periculum infamiæ, *leg. Iusta causa* 9. *ff. de manumiss. vindict.* & hanc esse communem sententiam scribentium testatur Cabreros *lib.* 2. *de metu. cap.* 43. *num.* 21. *& 22.*

19. Responderi tamen potest primò per instantiam. Quia semen nondum decisum sine dubio est pars corporis humani; & nihilominus neque ad violentam mortem evitandam, ni effundatur, licitum est directè procurare decisionem, seu effusionem illius. Secundò retorquendo argumentum. Quia Lessius, Molina, Toletus, Layman, & alij affirmantes contra Soto, Sylvium, Bauni, Turrianum, Gasparem Hurtado, & Diana, qui vtrosque appellat *p.* 11. *tr.* 6 *resol.* 50. *non longè à fin.* licitum esse privatis abscindere sibi membrum aliquod propter imperium alterius cõminantis mortem, nisi id fiat, loquũtur de membro vivo; non verò de membro emortuo, aut nondum animato. Ergo, si ea doctrina quidquam prodest, etiam deberet extendi ad fœtum iam animatum: nam prætextus defendendi vitam suam, etiam contra viventes locum habet, & qui dicunt, fœtum esse partem matris, de animato, seu inanimi id indistinctè pronuntiant, interim ac est in vtero, vt constat *ex L.* 1. *§.* 1. *ff. de ventre inspic.* ibi: *Partus, antequàm edatur, mulieris portio est, vel viscerum.*

20. Ad hęc. Non rectè applicari eam doctrinam casui nostro exinde patet, quia Lessius, & alij Auctores eam tradunt de abscisione membri, aut partis ex natura sua institutæ primariò in bonum suppositi, & ad eius conservationem, ac obsequium destinatæ; fœtus autem, quamvis demus, illum esse partem matris, non est pars huiusce generis, neque ad hunc finem dirigitur; sed ad nobiliorem alium, qui est propagatio speciei, & alterius individui procreatio. Vnde neque matri inservit; sed potius ei servit mater, ipsique alimenta præstat, & pondus, ac alia incommoda sustinet in eius gratiam; neque, illo nascente, manet manca, vel defectuosa, vt contingit, cùm privatur pede, aut brachio; sed suam totam integritatem individualem conservat, sicut

cœte-

cœteræ mulieres, quæ nec concipiunt, nec pariunt.

21. Addiderim, ſemen deciſum iam non eſſe partem matris, aut patris; ſed ſolùm fuiſſe, & longè minùs fœtum, poſtquam eſt conceptus, atque coagulatus ex vtroque ſemine commixto; ſed contineri intra vterũ, vnde ſua alimenta ſugit abſque vlla phyſica vnione, vel continuatione ſufficiente, vt ipſi tribuat rationem membri, ſeu partis. Quod vtique ratione Theologica ſumpta ex natura Baptiſmi monſtrat S. Auguſtinus *lib. 6. contrà Iulianum cap.* 14. hiſce aureis verbis, quæ nullâ meâ ponderatione opus habent: *Nam* inquit, *ſi ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertineret, ita vt eius pars deputaretur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata eſt, aliquo mortis vrgente periculo, cùm eum geſtaret in vtero. Nunc verò, cùm etiam ipſe baptizatur, non vtique bis baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus, cùm eſſet in vtero, pertinebat; & tamen creabatur in Templo Dei, non Templum Dei.*

22. Mitto pleraque alia, quæ vnuſquiſque ſibi facilè adaptabit ex rationibus adductis toto præcedenti capite, & ex omnibus elicio abſurdam eſſe extenſionem theſis contrariæ ad infamiam, cùm aborſus directè procuratus tanquam intrinſecè malus, ſicut voluntaria effuſio ſeminis, adulterium, aut mendacium, neque ad evitandam propriam occiſionem liceat. Et alioquì, quia in maritum etiam reſultat infamia ex ſuæ vxoris adulterio, & in Patrem, aut in nobilem familiam ex ſuæ filiæ incõtinentia; pariter liceret iſtis cogere illam ad occultum abortum: &, cùm non liceat occidere matrem, cuius ſcelus eſt cauſa totius infamiæ, liceret fœtum abigere de ſe innocuum, & criminoſum duntaxat de furtivo matris crimine. Sæpè namque pravi mores, & maximè impudicitia vxorum, atque filiarum, imputantur, cùm non parvo ſuo dedecore, incuriæ, ac ſocordiæ illorum, quorum poteſtati ſubſunt, & ex adulterio inſurgere obligationem reſtituendi marito famam amiſſam docet Card. de Lugo *diſp. 14. de iuſtit. & iur. num.* 168. idque negari non poſſe præmiſerat *num.* 163. Atque, vt eleganter Tertullianus ſcripſit *lib.* 1 *de cultu fœmin. cap.* 1. *Cùm in alicuius agro latrocinium geſtum eſt, crimen quidem dominum non conſtringit; dum res tamen eius ignominia notatur, ipſe quoque infamia aſpergitur.*

23. Vnde iam obſtare nequit prætenſa æquiparatio infamiæ, ac mortis, cui inſiſtebant Auctores contrarij: nam, illâ admiſſâ, adhuc intentum non obtinent, & eam eſſe veritati conſonam inficiantur alij plurimi, vt Raynaudus ſpecialiter de hoc caſu differens *loco citato à num.* 43. *fol.* 306. & qui rem ſedulò tractat, & omnia argumenta diluit, contendens honorem, famam, laudem, & alia his ſimilia bona honoraria eſſe ex ſe minora, non tantùm corporis vitâ, verùm etiam alijs bonis corporis, vt lumine oculorum, aut commoda valetudine, Navarro *in cap. Inter verba.* 11. *q.* 3. *conc.* 4. *à num.* 20. Leſſius quoque *de iuſtit. & iure. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 88. ita dixit: *Nemo prudenter pro quantavis magna fama eligat mori.* Conſentiuntque eiſdem Layman *lib.* 3. *ſummæ ſect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 3. P. Georgius Gobat *in quinario tractatuum Theologo iuridic. cap.* 18. *num.* 8. P. Moya *in dicta q.* 4. *num.* 15. Thomas Hurtado *tom.* 2. *variar. reſol. tr. vlt. num.* 157. addens, eſſe D. Thomæ, omniumque Doctorum. Exceſſit tamen quoad hoc, nam multi contrarium ſentiunt, vt ſupra retuli *num.* 18. Angelico autem Magiſtro rectiùs

potuit imputari. Quia *in 4. dist. 29. q. 1. art. 2. ad 3.* expressè tradit, metum infamiæ non cadere in virum constantem, sicut cadit metus stupri, sive status, verberum, atque necis tàm propriæ, quàm vxoris, vel filiorum, aut aliorum huiusmodi, *quia infamia*, inquit, *quamvis sit magnum damnum, tamen ei de facili occurri potest.*

24. Ac profectò licet demus, alicuius magni criminis infamiam notoriam ex facto, aut iure, moraliterque indelebilem, & præsertim non merè personalem, sed denigrativam familiæ alioqui conspicuæ, ac nobilis, v.g. proditionem patriæ, ex se, vel ob damna adiuncta morti æquiparari posse, & metum eius tanti esse faciẽdum, aut pluris, quàm metum mortis, quia vitam exosam reddit, & intolerabilem, ac perdifficilem illius continuationem; nõ ideò consequens erit, vt talis censeri debeat generaliter quævis infamia, etiam opposita famæ virtutis, neque specialiter illa, quæ resultat ex incontinentia consentanea fœmineæ fragilitati, cuius fœditas potiùs dependet ex reputatione mundana, quàm ex gravitate culpæ, vt latè circa adulterium expendit P. Molina *tr 3. de iust & iur. disp. 102. num. 12.* Etenim prægnantia, aut partus non sunt opera ex se publica, aut ita notoria populo, quòd nulla possint tergiversatione celari; sed possunt secretò fieri, sicut lapsus fœminæ, & abortus, ac multis medijs præveniri, ne sciantur, & divulgentur in populo, vt frequens experientia testatur, & *num. 13.* prænotabam. Vbi autem publicitas infamiæ deest, nemo prudens illam morti æquiparabit, aut metum eius metui istius, sicut neque illam infamiam, quæ mutatione loci, vel absentia absque magno incommodo occultari valet his, inter quos degitur, aut illam, quæ abstergi potest insigni emendatione vitæ subsequentis, vel religionis ingressu, vt fœmineis hisce lapsibus sæpe contingit, qui (proh dolor!) frequenti assiduitate viluerunt, neque tanti fieri solent.

25. Accedit, abortum ipsum sæpe esse contrarium occultationi delicti, quia publicitas illius pariter timeri potest, sicut publicitas prægnantiæ, aut partus, si illi non servent secretum, quorum ministerio perficitur. Sæpe etiam parum prodesse eidem occultationi, quia divulgatio delicti, etiam conceptione non sequuta, aliunde timeri potest ex lenonibus, ancillis, aut famulis, quorum interventu vtuntur, qui his nequitijs sese accommodant: & sæpe quamvis sit vtilis, necessarius non erit, quia alijs medijs facilioribus prægnantia, aut partus occultari possunt, ne notabilis infamia ex eis sequatur, vt iam anteà *num. 6.* adnotavi. Porrò opus erat his omnibus, vt infamia, quæ timetur ex continuatione prægnantiæ, morti æquiparari posset, aut præbere facultatem (siquando concedi posset) matri, vt sibi ipsi vim faciat, & naturæ, ac Deo conditori in re adeò gravi, ac propter se ab eis intenta opponatur, impediendo animationem fœtus debitam suis causis, & sæviendo contra illum, qui nil divulgat, aut nocet, his relictis, vnde infamia iniusta timeri potest.

26. Vnde nec quoad hunc effectum talis metus iustus reputari valet, cadensve in virum constantem, vt de infamia generaliùs prædocebat S. Thomas. Quia instituenda est comparatio, dum aliquis metu adigitur, inter malum, quod timetur, & malum, quod ad illud evitandum præoptatur, ne maius eligatur pro minori, quod non est constantis viri, sequentisque rectam rationem, qua virtus constantiæ ducitur; sed pertinacis, obstinatèque adhærentis minori malo,

malo, quamvis aliud maius subeat, vt si in tempestate potiùs vellet mercator submergi in mare, quàm proijcere diuitias, vt navis levetur onere. Quis autem non videat, longè maius malum esse abortum, quàm aliqualem infamiam, quæ cum fœtu oriri potest? Non ergo virtus constantiæ huic metui favere valet. Nam ille, qui metu cogitur, ex S. Thoma vbi suprà *facit aliquid, quod aliàs non vellet, ad evitandum aliquid, quod timet*; constantia autem, prævia luce prudentiæ, ac rectæ rationis, modum ponit, ne illa fiant, quæ graviora sunt, & plus timenda, vt illa declinentur, vnde minus malum sequi potest.

27. Pertinet præterea ad ipsam (vt hoc obiter declarem, quod alijs permultis casibus servire poterit) iusta æstimatio periculi, non solùm quoad qualitatem mali imminentis, & comparationem eius cum medijs, vnde illud fugimus; sed etiam quoad certitudinem, aut probabilitatem eventus. Nam plerique magna mala quasi proximè impendentia trepidare solent levi, aut temeraria suspicione ducti, & præsertim fœminæ, quas omnes norunt suspicaces esse, ac nimis pavidas; constans verò non movetur, *nisi ex probabili, ac forti æstimatione periculi.* Quocirca, vt metus infamiæ cadat in virum, aut fœminam virtute constantiæ præditam, vtraque æstimatio prærequiritur, & ex defectu alterius, aut vtriusque semper deest in abortu studiosè procurato ad illam evitandam excusatio, quæ respectu alterius mali non præponderantis infamiæ sufficiens videri posset. Recolantur, quæ præmisimus *cap.* 1. *num.* 4. *&* 6. quibus proximè dicta confirmantur, & illa vicissim roborant, atque ex thesibus iam anteà damnatis idem intentum evincunt.

CAPVT IV.

Vtrùm impedire liceat conceptionem, aut animationem fœtus ad matrem præservandam à morte imminente ex morbo, vel difficultate partus?

28. SEcundum argumentum instruitur contra nostram assertionem ex varijs paritatibus, vbi impeditio conceptionis, aut animationis, fœtu iam concepto, admittitur ad vitandam mortem matris, cùm in illis eadem prorsus ratio esse videatur, & ius matris conservandi propriam vitam, parque vtrobique necessitas, quamvis ex diversis causis, matrem ad abortum, aut sterilitatem procurandam vrgeat.

29. Prima sit. Quia plures censent licitè procurari eiectionem fœtus nondum animati, cùm vita matris periclitatur ex morbo, & prudenti medicorum iudicio non aliter præservanda creditur, quàm per abortum illius, quia melius est, vt solus fœtus privetur animatione, matre superstite, quàm vt vterque simul extinguatur, neque enim ille animabitur, si matrem morbus conficiat. Et, quamvis alij per plures sint in contraria sententia, neutra opinio alteram taxat improbabilitatis, aut scandali; sed vtraque reputatur discurrere probabiliter. Ac priori illi subscripserunt, vltra S. Antoninum, Sanchez, alioſque appellatos *num.* 5. Tannerus, Layman, Molfesius, & Villalobos apud Dianam, qui eam censet probabilem *p.* 5. *tr.* 14. *resol.* 90. Marchãtius *in speculo homin. Christian. tom.* 3. *p. tr. ac tit.* 3. §. 1. vers. *Ad curam*, dicens, Medicos non solùm posse, sed teneri etiam ad eum modum curationis,

tionis, cùm remedia alia deficiunt. Additque Araujo *in decis. moral. disp.* 11. *q.* 4. *num.* 13. satis esse, quòd certò, aut probabiliter putetur fœtus non esse animatus, vt eum abijcere liceat.

30. Secunda sit. Quia, etiam seclusо morbo accidentali, licet matri anteoccupare animationem fœtus, & conceptionem illius, dum experta est vitæ discrimen in alijs partubus ex angustia vteri, vel naturali arctitudine laterum, vt, alijs relatis, tradit Torreblanca *in dist. lib.* 12. *cap.* 13. *num.* 36. cui ex Medicis accedunt Moxius, atque Mercurialis. Et ratio est, quia vita matris præponderat spei incertæ habendi prolem, satiusque videtur sibi consulere præcavendo mortem imminentem adeò probabiliter, quàm fœtui, qui fiet aggressor procurando exire ab vtero, si concipiatur, & crescat, donec sit nativitati maturus. Confirmatur. Nam vsus matrimonij, sicut matrimoniū ipsum suapte natura ordinatur per se primò ad speciei propagationem, ac per se loquendo debitum illius negari nequit absque peccato mortali petenti illud tanquam debitum Et nihilominùs licitè negari potest, & eo medio impediri generatio, quoties, omnibus inspectis, prudenter timetur, fœminam morituram, si concipiat, & probabile est, illam esse concepturam, vt expressè docet Dicastillo *tom.* 3. *de Sacram. tr.* 10. *disp.* 9. *num.* 212. Bonacina *q* 4. *de matrim punct.* 1. *num.* 7. & apertè sumitur ex Caietano *in summa*, verb. *Matrimonium. sub titul. De vsu matrimonialis coniugij.* vers. *Primus*, vbi asserit, debitum coniugij intelligi, salva consistentia, & sanitate subiecti, & obligationem eius non vrgere, quoties sine periculo vitæ, aut ægritudinis reddi non valet. Quæ est valde communis sententia videnda cum suis Auctoribus apud P. Thomam Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 24. *num.* 2. & 12. & certa, si de periculo vitæ sermo sit, iuxta Basilium Legion. *lib.* 10. *cap.* 14. *num.* 2. accedente cum Præposito Diana *p.* 6. *tr.* 7. *resol.* 64.

31. Tertia sit. Quia egerere semen virile iam in vtero receptum nō est intrinsecè malum, ita vt nulla ex causa cohonestari possit: ideò enim licet fœminæ violenter cognitæ procurare in continenti eius electionem, & eiiciendo impedire, ne subsequatur conceptio, & semen, vt ita loquar, pacificam possessionem sedis suæ nanciscatur. Ergo similem poterit excusationem præbere metus mortis, aut infamiæ. Portò fœminæ per vim oppressæ id licere putat Thomas Sanchez *lib.* 2. *disp.* 22. *num.* 17. & Raynaudus *vbi suprà num.* 37 *fol.* 304. Continuatur enim vis, retento semine, & damna multiplicantur, dum fœmina invita cogitur concipere, ac parere, & labores, doloresque subire, qui filiorum procreationem consectantur. Vnde sicut se retrahere posset, & licitè procurare, ne semen intra vas effunderetur, quamvis timeret fundendum extra ipsum, & eijcere quemlibet alium liquorem iuri suo præiudicialem, ita quoque licitum videri debet semen susceptum eijcere. Quia involuntaria omnino susceptione illius nihil iuri suo præiudicavit, vt illud invita retinere debeat: & ius defensionis, quo licet vim vi repellere, multò potiori ratione extenditur ad hunc casum, quàm ad repercutiendum in continenti raptorem, qui adhuc non destitit, sed damna damnis accumulat.

32. Quarta denique sit. Quia non est peccatum grave exigere, aut reddere debitum cum periculo abigendi fœtum inanimatum, vt pro se adducens Sanchez, & Hurtado tenet Martinus à S. Ioseph *in monit. Confessar. tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 50. *num.* 2. quia, inquit,

ra-

rationabile non est privare iure suo coniugatos ob rem, quæ non est magni momenti; nec doctrinam istam improbat, illam exscribens Diana *p.* 11. *tr.* 8. *resol.* 33. *in fin.* Ergo, si non est magni momenti abortio fœtus nondum animati, nec tanti, vt coniuges debeant ob periculum illius abstinere sub lethali ab vsu matrimonij, longè minùs tanti erit, vt ad illud evitandum fœminæ privari debeant iure tuendi vitam suam, aut conservandi suam famam. Nam ius illud præstabilius est, & ob rem parvi momenti non debet interturbari.

33. Perstandum est nihilominùs in assertione proposita, & retinendum pudicitiæ frœnum, ac vindicanda securitas innocuis fœtibus, præcludendumque ingens ostium abusibus, ac spurcitijs, quæ ex opposita sententia meritò timeri valent, nihilo seciùs, quam ex spontanea effusione proprij seminis extra vas, vel ejectione alieni iam sponte suscepti, siquando permitteretur eius vsus. Et sanè qui secùs sentiunt, non videntur expendisse, quanta sit abortus gravitas, etiam nondum animato fœtu, & quàm proxima homicidio, aut parricidio innocentis, nec quàm facilè ex abortu licito fœtus inanimati ad præveniendam mortem, aut infamiam fiat transitus ad abortum licitum fœtus animati ob easdem causas, & ad sterilitatem procurandam, conceptionemve impediendam ob alias causas leviores, & sæpe in vano timore, aut verecundia fundatas. Nec satis considerarunt, vsum seminis proprij, aut alieni contrarium generationi nunquam concedi à natura ob periculum abusuum, qui in casibus individuis inde possent resultare; sed absque exceptione prohiberi tanquam quid directè oppositum eiusdem fini primario. Paritates verò adductæ vel congrua disparitate evitandæ sunt, vel, si illa adhiberi nequeat, reijciendæ omnino, & improbandæ, quia ex probabili non sequitur consequens planè improbabile, & eo ipso, quòd hoc sequitur necessariò ex aliquibus præmissis, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis rectè infertur, aliquam ex eis seorsim, aut certè simultaneam probabilitatem, vtriusque, pariter esse improbabilem.

34. Sic arguit adversus primam Navarra & Basilius *vbi suprà cap.* 13. *num.* 2. *in fin.* contendens, non esse licitum directè procurare abortum fœtus inanimati ad curandam ægritudinem fœminæ periclitantis, quia alioqui sequeretur id licere, cùm eodem abortu est opus ad conservationem famæ, aut status, nullam namque convenientem disparitatem inveniri posse affirmat. Et, quamvis fortasse aliqua certò probabilis assignari possit cum Raynaudo ex dictis *suprà num.* 4. & *num.* 23. inter periculum vitæ ab intrinseco proveniens ex morbo, & periculum solius infamiæ, illa tamen longè difficilior erit, si periculum vitæ vtrimque immineat, nam quòd ex morbo proveniat, vel ab extrinsecis causis, merè materiale esse videtur, si vtrobique reperiatur æqua mortis certitudo, parque huius medij necessitas in vtroque eventu incumbat. Qua propter illi, qui affirmant, licitũ esse ægrotanti se inebriare, cùm iudicio Medicorum necessarium est ad præservandum illum à morte, vel infirmitate aliqua gravi, idem consequenter dicere solent casu, quo ab extrinseco cogatur ad ebrietatem metu mortis, verberum atrocium, aut alterius mali similis, vt videre est apud Gobat, qui latè rem discutit, defenditque cum Baldello, Lessio, Dicastillo, & alijs *in dicto cap.* 18. *sect.* 1. *ac* 2. quibus acquievere plurimi Doctores Lovanienses apud Lessium *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. idque pro-

probabile censet Diana *p.6. tr.7. resol.* 44. Layman, ac Villalobos adiungens.

35. Neque plus iuvat, quod alij considerant, periculum in casu, de quo loquimur, provenire ex culpa matris, quæ furtivè concepit, & propterea timet, ne occidatur. Tum quia etiam morbus ex intemperantia matris, aut alia culpa provenire potest, nec ideò privatur iure vtendi omnibus remedijs, quibus aliæ possunt occurrere morbis contractis inculpabiliter. Tum præterea, quia etiam fœminæ, quæ concipit culpabiliter, supervenire potest morbus ex pravis humoribus, aut alia indispositione, & non ex coitu, vt coniugatis contingit; tunc autem nulla erit ratio prohibendi ei evacuationem fœtus concessam alijs, quæ licitè conceperunt, licet periclitentur ex morbo, cui causam dederunt ipsæ. Tum demum, quia ad vitam salvandam, & maximè auferendam vi privata, æquè licet abscindere sibi v. g. pedem huic ipsi fœminæ, aut latroni, qui detinetur compedibus, quos effringere non valet, quàm alijs, qui citra culpam in similes angustias sunt redacti. Ergo quòd præcedens coitus illicitus fuerit, abortui non obstabit, si non obstat coitus licitus.

36. Ideò ad primam paritatem respondeo, mihi longè plus placere sententiam Vasquez, Basilij, Lessij, Amici, Comitoli, Sayri, Navarri, Moyæ, Filliucij, aliorumque asserentium, abortum fœtus inanimis directè procuratum nullo vnquam casu esse licitum, etiam ad vitandam mortem imminentem matri ex morbo proprio, vel ex aliena malitia; sed quoad hunc effectum semper esse æquiparandum pollutioni, vel abortui fœtus animati, quem directè procurare nunquam licet, sed solùm adhibere ad curationem remedia ex le ordinata ad sanitatem, quod licitum est, quamvis indirectè, ac per accidens sequatur ex eis abortus. Quòd si opposita sententia alicui arrideat, quæ profectò dubio est communis, & plurium gravium scriptorum, adhuc contra Basilium videtur, ea rectè intellecta, probabilem disparitatem reddi posse. Etenim illa non loquitur de adhibendo per abortum remedio præservativum, quo fœmina de præsenti bene valens liberetur ab infirmitate, quam superventuram timet à longè; sed de matre, quæ iam actu ægritudinem contraxit, talemve indispositionem, ex qua lethalis ægritudo sequitur, quin remedijs alijs impediri valeat, quod de facto contrahatur, & contracta afferat mortem. At verò thesis damnata in diversis circumstantijs procedit, & quæ nullam habent proportionem cum istis.

37. Quia in primis loquitur de fœmina sanæ adhuc famæ, & graviditatis incognitæ, illique abortum permittit per modum præservationis, ne gravida deprehendatur longo pòst tempore ex partu, aut, intumescentia vteri pòst tempus animationis. Deinde non curat, vtrùm occultatio alijs medijs obtineri possit, aut mors impediri, quæ ex manifestatione timetur, neque hasce cautiones adhibet: &, quamvis eas adhiberet, vt ostendi supra, potiùs essent suspicioſi, aut speculativi prætextus, quàm excusationes practicæ, vel solidæ. Et, cùm illæ ius pro tunc non tribuant occidendi per modum præventionis eos, à quibus mortem timet, si gravida deprehendatur, semperque ea reputaretur culpabilis, & intempestiva defensio, longè minùs ius tribuere possent abigendi fœtum suum, qui neque tunc est aggressor, neque futurus est postea. Demum neque excipit illas, quarum flagitium aliunde de-

deprehendi poteſt, quàm ex partu, vel prægnantia, cùm ſine dubio forent excipiendæ. Nam ſi, vt frequenter vſuvenit, meritò timeri poteſt, ne aliis teſtibus, aut ſignis, aut etiam ex ipſo abortu ſufficienter deprehendatur, ille incaſſum adhibebitur ad delicti occultationem.

CAPVT V.

Occurritur ſecundæ paritati præcedenti capite propoſitæ.

38. AD ſecundam *in num.* 30. debet negari antecedens, cuius probabilitas tenui admodum ratione, vel auctoritate ſubſiſtit, ſive ſermo ſit de animatione fœtus impedienda per abortum ob nimiam difficultatem partus peculiari experientia comprobatam, ſive de impedienda conceptione ob eamdem cauſam per media ſterilizantia, reddentiaque ineptam matrem ad opus generationis.

39. Vnus cauſidicus Torreblanca de ſterilitate id curſim docuit abſque probatione, & examine: &, quamvis pro ſe alios adduxerit, nullum ex fide allegavit, vt Diana animadvertit *p. 5. tr. 14 reſol. 90.* monens inſuper, ab oppoſita ſententia non eſſe recedendum, quamvis aliàs admittatur vt probabilis opinio illorum, qui affirmant, licitè abigi fœtum nondum animatum, cùm neceſſarium eſt ad mortem propulſandam imminentem matri ex morbo. Sanchez ſanè, qui hoc tuetur, nihilominùs negavit *ea diſp. 20. num. 10.* licitè prætendi abortum, quamvis fœtus ſit inanimatus, ad evitandum periculum vitæ, quod ingruerat matri in alijs partubus, eumque imitantur Raynaudus *ſuprà num. 42.* & Diana *loc. cit.* Idem ſentiunt à fortiori omnes, quibus nos acceſſimus, putantes nunquã abortum licitè procurari, etiam ad vitandam mortem certò, ac proximè imminentem ex nequitia alterius, vel ex morbo, idque expreſſit inter alios Filliucius *tr. 29. num. 103.* Sed neque ſterilitatem, quamvis ab animatione fœtus ſit longè remotior, procurari poſſe ob eumdem finem, docuit expreſſè Diana, & Raynaudus cum Tabiena, ac Toleto, ſuffragante Luiſio Turriano cum pleriſque viris doctis Academiæ Complutenſis in facti contingentia conſultis *diſp. 26. de iuſt. & iur. num. vltimo.*

40. Ratio quoque inibi adducta levis eſt. Quia aſſumit tacitè, quod alioqui erat probandum, abortum ſcilicet non eſſe peccatum contra naturã perinde, ac effuſionẽ ſeminis, ſed ex cauſa poſſe cohoneſtari. Atque, hoc admiſſo vt probabili, ad ſummum probaret, illum procurari licitè, cùm eſt medium moraliter neceſſarium ad ſervandam vitam matris, neque in alio caſu id licere putant, qui id permittunt, morbo vrgẽte, & vergente ad mortem fœminæ prægnantis. Nam, ſi morbus moram patitur, tempuſque indulget vtendi alijs medijs, nemo dicet, tunc abortum procurari poſſe abſque peccato. Ita autem evenit, quoties timetur periculum ex difficultate partus: diſtat enim multis menſibus à tempore, in quo fœtus abigetur antequàm ſit animatus, & interim locum præſtat præveniendi alijs remedijs lethale diſcrimen matris. Alia verò remedia non deeſſe curandi hoc vitium naturæ abſque abortu, detrimentove fœcunditatis, ſupponunt vt certum Sanchez, Diana, Filliucius, Raynaudus, & alij Theologi, ſuffragantibus peritis Medicis, quos adijt Turrianus in caſu valde prementi: pluraque ada-

ptata varijs causis, vnde istud damnum provenire solet, inveniet diligens lector apud Lazarum Riberium *lib. 15. praxeos Medicæ. cap. 18. per totum.*

41. Nec rursus valet, quòd fœtus, nisi abortu ante animationem præveniatur, aggressurus sit posteà vitam matris conando exilire ab vtero, sicut illam quoque aggreditur, cùm morbum lethalem causet, & sicut humores noxij in ægritudine dicuntur corpus invadere. Non, inquã, valet. Tum quia semper subsistit disparitas proximè assignata, & legitima prævention foret post hanc experientiam abstinere à coitu illicito, vel etiam à licito, si alia remedia omnino defutura, aut non profutura videãtur, ne alioqui post ipsum liceant, sub prætextu devitandi malum distans, omnes illi immundi abusus, quorum memini *num. 15. & 16.* Tum quia de fœtu abigendo post tempus animationis idem pariter dici deberet, & extendi etiam ad hunc casum ius defensionis, quod matri adversus illum tribuitur: quia etiam tunc præponderaret vita certa matris spei incertæ pariendi prolem vitalem: & experientia antecedens simul ostendere potuit, illam semper mortuam nasci, aut non nasci, nisi monstrum quoddam, aut mortuam abigi per naturalem aborsum mense septimo, aut octavo, qui sunt casus, quos proponunt, & eveniisse testantur Diana, ac Luisius locis anteà præallegatis. Tum demum, quia licet fœtus quodammodo dici valeat in hoc casu aggressor matris, sicut dicitur aggressor in casu morbi improvisi, cuius curationem impedit, aut quem efficienter causat; adhuc tamen certum est, non esse aggressorem iniustum, etiam materialiter, quia debitum naturale crescendi, atque nascendi à matre exigit, ac iure naturæ vtitur, cui ipsa consensit, dum se per coitum ad generationem aptavit, & alia onera consequenter suscepit, quæ ex Divina institutione sunt ipsi naturaliter annexa ad servos suos, & cœlites propagandos.

42. Ad confirmationem concedo, licitum esse isti fœminæ negare marito vsum sui corporis, vt rectè ibidem probatur, & sentiunt *vbi sup.* Turrianus, & Dicastillo *num. 237.* neque enim ipsi debetur in prædictis circumstantijs, neque cum tanto discrimine ad reddendum illum voluit se obligare per contractum matrimonij; imò neque obligationem charitatis tunc incumbere, quamvis vir periculo incontinentiæ laboraret, cẽsent Diana, Basilius, Præpositus, Sanchez, Bonacina, & alij relati *num. 30.* quibus addendi sunt Layman *lib. 6. tr. 10. p. 3. cap. 1. num. 5.* Coninc *disp. 34. de Sacram. num. 21.* Castro Palao *tom. 5. disp. 3. punct. 4. §. 10. num. 4. in fin.* Gobat *in quinario tr. 5. cap. 34. num. 65.* Nego tamen, inde quidquã sequi nostræ assertioni contrarium: nam à redditione debiti plures causę solent excusare, quæ proculdubio insufficientes sunt ad impediendam generationem post coitum, vel ad abortum, aut sterilitatem inducendam. Neque obligatio vtrobique ex eisdem principijs nascitur, quia necessitas reddendi debitum ex contractu consurgit, &, servata proportione, tot dilationes, excusationesque admittit, quot restitutio, aut solutio aliorum debitorum, quæ eamdem originem habent. At verò prohibitio sistendi in sola delectatione concubitus, impediendo conceptionem, aut animationem fœtus, regulis diversis mensuratur. Quia ex natura rei consurgit post coitum, etiam illicitum, & contra eius exigentiam in re maximi momenti, & à Deo intenta specialiter, foret commodum concubitus,

cubitus, ac delectationem eius captare velle, & nihilominùs onera connexa detrectare, ac donum fœcunditatis pervertere, inferendo vim sibimetipsi, & alijs causis ad speciei propagationem tendentibus. Quare gravissimam causam, & necessitatem id postularet, si aliquando licet, vel nulla de causa licet, vt ego cum alijs sentio. Nam re vera eisdem abusibus ex natura sua esset exposita licentia ista, quibus seminis effusio extra concubitum, sive delectationis magnitudo attendatur, sive intrinsecus, ac proprius finis eius spectetur.

43. Gravior difficultas esset, & nova, si disquiratur, quid censendum sit de hac ipsa muliere, quæ ob prædictam experientiam à debiti redditione legitimè excusabatur, si posteà convolet ad secundas nuptias. Vtrùm scilicet videatur renuntiasse iuri sese præservandi ab his periculis per denegationem debiti, illudque reddere debeat; etiam cum vitæ discrimine imminenti sibi ex partu, vel an potiùs illud adhuc retineat, possitque licitè novo marito vsum matrimonij denegare? Sanè, cùm vir id nesciebat, magna videretur inæqualitas semper permanens, ac per se dolosè imbibita in materia ipsa contractus, si dicamus, illam non debere marito sui corporis vsum, nec posse ab illo obligari, cùm maritus vice versa ab illa obligari possit, ac reddere teneatur. Quare in hoc eventu potiùs credi debet, illam huic remedio renuntiasse, & se obligasse ad reddendum, etiam cùm vitæ periculo, cui alijs medijs obviare potest in hoc novo matrimonio, vt obviavit in priori, ex quo experientiam desumpsit. At verò, cùm alter coniux conscius erat tempore contractus prædictæ excusationis, non adeò facilè fœmina obligari poterit: nam sicut maritus non videtur consentire præiudiciali huic excusationi, dum circa ipsam errat, putatque minimè adesse, ita vice versa consentire videtur, dum non errat, sed agnoscit vitia mercis, quam per matrimonium voluit comparare.

44. Casum similem proponunt Auctores circa matrimonium eius, qui laborat lepra contagiosa, & incurabili: nam sanum cogere nequit ad reddendum debitum cum evidenti periculo infectionis, & nihilominùs ab eo cogi potest, si illud exigat, & suo discrimini velit renuntiare. Porrò in hoc eventu licitè posse denegare sanum sui corporis vsum, quamvis ab initio fuerit conscius morbi, quo alter laborabat, nec propterea renuntiasse iuri præcavendi suum periculum, tenent Angles *in Floribus p. 1. quæst. De obligat. solvendi debit. art. 1. diffic. 1. fol. mihi* 307. Villalobos *1. p. summæ. tr. 13. diffic. 48. num. 2.* Castro Palao *suprà num. 4. in fin.* & probabile ducit Gobat *eo tap. 34. num. 60.* etsi oppositum teneat absolutè. Et ratio ipsorum est, quia talis fœmina ius habet, etiam intra matrimonium, præferendi vitam, & salutem suam propagationi speciei per abstinentiam à coitu, & cùm non sit earum domina, sed solùm custos, & administratrix, huic iuri cedere nequit, & contrarium ius adversum se tribuere.

45. Verumtamen eos non esse audiendos in casu lepræ cognitæ ab vtroque, sed mutuam obligationem incumbere reddendi, iusque exigendi, rectè docuit Thomas Sanchez *in dicta disp. 24. num. 22.* estque sententia communis. Inde autem ad nostrũ casum efficaciter arguitur, quia facilius est occurrere periculis, quæ in futurum timentur ex graviditate, aut partu, quàm evitare infectionem ex lepra contagiosa alterius coniugis, & ipsa experientia, quæ huic mulieri ostendit se periclitari in partu, simul

ipsi demonstravit incolumen evasisse. Nec obstat ratio in contrarium. Nam quòd mulier possit cedere prædicto iuri, constat, quia ei cedere potest, quamvis non sit domina suæ vitæ, vel salutis, si leproso sponte iungi velit, aut marito, postquam fuit experta in alijs partubus talia pericula, idque charitas suadebit, si fiat ad evitandum in alio incontinentię periculum. Quòd verò etiam se obligare possit, & ius alteri tribuere ad exigẽdum, ex eo pater, quia hoc ius tribuit vi contractus matrimonij, quoties consortem decepit, & non derexit suum vitium. Et ex eo, quia rectè potest se obligare ad non vtendum speciali aliquo remedio, maximè præservativo, cùm supperunt alia, vt Carthusianus ex voto, vel consuetudine se adstringit ad non vtendum esu carnium, quamvis illis indigere videatur ad præservationem, aut curationem morborum imminentium vitæ suæ. Passimque agnoscunt Theologi alias, & alias subinde causas, vnde eiusmodi cessiones, atque obligationes honestantur, non obstante periculo abbreviandi vitam.

CAPVT V.

Fit satis duabus alijs paritatibus.

46. AD tertiam in *num.* 31. sic habeo. Vim vi repellendo, & impediendo consummationem delicti licitum erit fœminæ resistere, & conari quantum potest, ne semen virile recipiat totum, aut ex parte, quamvis reliquum extra vas effundatur, quia id aggressori iniquo debet imputari; non verò ipsi, quæ iustissimè tuetur læsionem suæ pudicitiæ: & quemadmodum in eius defensionẽ ei licebat violentum aggressorem occidere, ita quoque ipsi licebit repellere, ac propulsare semen, ne eius receptione maleficium perficiatur. At verò, postquàm ille se retraxit, cessavitque à vi inferenda, &, effuso intra vas semine, cõsummavit suum delictum, sicut iam non licet eum occidere, quantumlibet criminosum, nec interfectio illius reputaretur iusta defensio, sed vltio, atque vindicta privata, ita quoque non licebit studioso conatu procurare hominem futurum planè innoxium quasi occidere, impediendo conceptionem, & animationem eius, sive id fiat eiectione seminis, sive alijs medijs, nam omnium par quoad hoc videtur ratio. Et sicut alia non licent, quæ inducunt sterilitatem, aut pro tunc generationem impediunt, v. g. potus aquæ frigidæ in continenti susceptus, sic pariter non licebit eiectio virilis seminis pari studio procurata.

47. Vnde non est comparandus violentus iste stuprator, qui secum non portat honorem, aut virginitatem puellæ, latroni, qui secum defert pecunias, equumve alienum, & admotis calcaribus cum ipso fugit; sed potiùs conferri debet cum eo, qui alapa, vel fuste alium percussit, &, honore ablato, iam cessavit ab iniuria. Porrò istum neque in continenti posse interfici, & longè minùs privari vitâ ob eam causam, eo relicto, alium innocentem, qui non fuit complex delicti, ex damnatione *propositi* 30. planè habetur, & rationes, vnde firmam eius certitudinem stabilire curavimus *dissert.* 20. *cap.* 2. & 3. his dabunt robur, ac lucem. Etenim eiectio seminis, stupro iam consummato per effusionem illius, permitti nequit, vt puella in continenti recuperet virginitatem ablatam, aut honorem illibatæ pudicitiæ: nam hæc bona nunquam redeunt, neque

neque in individuo reſtituuntur. Sed neque permitti poteſt, vt ſe præſervet à damnis graviditatis, aut partus, aut infamiæ, quæ timere poteſt in futurum, quia hoc prætextu etiam liceret nobis artibus ejicere idem ſemen, poſtquàm iam eſt coagulatum, abortumque facere illius, maximè ante animationem, quod iſta ſententia improbat, certumque vocat contrarium.

48. Quod autem additur, licentiam iſtam ceſſare, poſtquàm ſemen eſt adeptum pacificam poſſeſſionem in vtero, ægrè declarari valet. Nam, ſi origo poſſeſſionis attendatur, ſemen nunquam dici poteſt pacificus poſſeſſor; ſed violentus, & intruſus. Si verò ad poſſeſſionem pacificam ſatis eſt, quòd vir receſſerit, & à violentia ceſſaverit, hæc vtique ſtatim ceſſat, deſiſtente viro, poſtquam effuſione ſeminis ex parte ſua ſtuprum conſummavit. Si demum conſenſus fœminæ vlteriùs deſideratur, illa ſui honoris, ac virginitatis amans, ſicut invita recipit ſemen, ita quoque invita illud retinebit, coagulabit, fœtumque concipiet, portabit, ac pariet. Et, cùm ſit in libertate ipſius nunquam conſentire; ſemper retinebit ius pugnandi contra ſemen, & operationem eius, tanquam contra poſſeſſorem non pacificum, illud ad inſtar veneni ſibi noxij reputabit, à quo ſemper poteſt ſe defendere, & conari ad ejectionem illius in quolibet eius ſtatu.

49. Et confirmatur ad hominem. Quia ipſe P. Thomas Sanchez meritò cenſet ibidem, hoc nequaquam eſſe licitum fœminæ, quæ ob metum gravem conſenſit viro, nec illi, quæ poſt matrimonium ratum deliberat intra bimeſtre, vtrùm ſit ingreſſura religionem, ſi fortè eo tempore à ſponſo per vim cognoſcatur. Atqui, re bene perpenſa, etiam iſtis hoc liceret in continenti, ſi putetur non eſſe illicitum alteri. Nam quòd fœmina ex vi metus conſenſerit defiorationi ſuæ abſque alia promiſſione, aut iuramento, non tollit illi ius ſeſe ſervandi indemnem, metu abſcedente; ſicut nec tollit (vt huiuſce Auctoris paritate vtamur) ei, qui per metum conceſſit latroni auferre equum ſibi, ius illum recuperandi perſequendo eum in continenti, poſtquàm cœpit fugere, & metus ceſſavit. Quòd verò poſt matrimonium ratum multò levior fiat iniuria ſponſæ per vim oppreſſæ, nec ideò infamiam patiatur, aut damnum tanti momenti, non videtur ſatisfacere. Quia ipſi aufertur ius valde æſtimabile eligendi ſponſum infinitè nobiliorem, nempe Deum, cui ſuſcepta religione deſponſabitur, & ei tollitur ſtatus longè altior, & ſecurior, cui ob ſuam excellentiam, non obſtante matrimonio iam contracto, meritò poteſt poſtponere propagationem ſpeciei, bonum prolis & alia commoda coniugium ſectantia: ſæpeque evenire poterit, vt ex conſummatione matrimonij ſpecialia, & valde gravia damna ſibi timeat, quæ antea non præcogitaverat.

50. Ad quartum in *num.* 32. conſtans omnium Theologorum ſententia eſt, abſque peccato mortali non poſſe coniuges vti coniugio, quoties grave periculum aborſus inde reſultat, nec diſtinguunt inter fœtum animatum, & inanimatum, ſed de quovis aborſu idem enuntiant. Sententia verò Martini à Sancto Ioſeph, quæ objicitur in contrarium, nec ratione, neque auctoritate ſubſiſtit. Non auctoritate. Quippe P. Thomas Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 22. num. 1.* & Gaſpar Hurtado *diſp. 10. num. 11.* quos pro ſe allegat Martinus, expreſſè ſentiunt contrarium, quoties imminet aborſus verò-

ſimile


simile periculum, & alter *certum*, alter *manifestum* vocat, superstante isto discrimine, coitum nec peti, nec reddi absque peccato mortali. Cùm verò id excusant, aut loquuntur de periculo levi, & non bene fundato, cuiusmodi esse censent, quod timetur ex superveniente coitu, aut sermo eis non est de abortu propriè tali; sed de dissipatione materiæ, ex qua vnita, & coagulata fœtus concipiendus esset, nisi novus coitus obstasset. Porrò dissipatio ista, siquando evenit, censeri poterit impedimentum conceptionis, ac prægnantiæ, quæ tunc erant quasi in via; sed ad abortum non pertinet, de quo in præsenti tractatur, nec periculum illius periculum abortus esse valet, vt attigi *num.* 3. Quomodo enim partus immaturus erit, vbi nec mulier est gravida, nec fœtus conceptus, nec quidquam foras ejicitur, aut non nisi rude semen, & informis massa sanguinis?

51. Non ratione. Quia est falsissimum, abortum fœtus inanimis esse rem parvi momenti, aut non magni: nam & matri satis nocet, vt *num.* 9. prænotabam, & ex isto capite ei excusationem tribuit: &, quamvis respectu fœtus non sit homicidium propriè, est homicidium ad instar; imò & parricidium, cùm illum patentes causant, quia perinde est impedire vitam filij proximè futuram, ac mortem futuram proximè vlteriùs accelerare. Quare periculum istud nequit censeri periculum exigui momenti ratione rei, quæ timetur, si metus aliàs sit iustus; sed potiùs magni, & absque dubio præponderantis privationi iuris exigendi debitum: nam, cùm obligatio illius sit per se primò instituta in bonum, & generationem prolis, absurdissimum foret, si vsus eius verteretur in contrarium. Vnde neque periculum incontinentiæ ius exigentis roborare potest, quia alijs medijs occurri valet huic malo, sicut ei occurri debet, cùm fœtus est animatus. Et, quamvis matrimonium sit etiam institutum in remedium concupiscentiæ, cùm hic sit solùm finis secundarius; alter verò primarius, ac potissimus, nunquam ille potest obtineri cum gravi, ac noto præiudicio istius.

52. Quamvis autem ex suo genere sit etiam grave peccatum, impedire conceptionem fœtus iamiam debitam suis causis, aut se exponere periculo impediendi ipsam, & peius sit, quòd id fiat ex vi seminis, & coitus, quàm sumptis potionibus, aut medicamentis alijs; nihilominùs existimo, nullum, aut leve peccatum committi exigendo debitum ab vxore in tali statu. Non quia materia sit levis; sed quia periculum istud ex superveniente coitu, aut nullum est, aut levissimum, &, si aliquando sit grave (quod rarissimè continget) id communiter ignotum erit, etiam diligentibus, ac perspicacibus. Nam ex multiplici coitu viri, & vxoris sæpe duo, aut plures gignuntur, & aliquoties evenit superfœtatio, & dum generatio non sequitur, alijs causis tribui valet, quæ conceptionem impediunt, & causant sterilitatem. Quinimò neque, concepto iam fœtu, timetur probabiliter ex eadem causa occisio, aut abortus eius, nisi fortè cùm iam crevit, & appropiat tempus partus: tunc enim ex nimia, & frequenti cõcussione ventris id in aliquibus accidit, & oppositum est contra communem experientiam coniugatorum testantium se crebrò, & absque discrimine accedere ad suas vxores tàm ad concipiendum proximè dispositas per antecedentem coitum, quàm actu prægnantes, quin præterea impediatur prolis matura nativitas, nedum generatio, aut animatio.

53. Quòd si nullum est periculũ abortus,

abortus, aut diſſipationis impedientis conceptionem fœtus, nullum ſanè erit peccatum exigere coniugale debitum ab vxore in illo ſtatu; veniale verò ſolummodò, ſi ſit leve, & non adeò probabile: nam ob aliquales ſuſpiciones, aut timores ſcrupuloſos impediendi generationem per coitũ, aut cauſandi ex ipſo abortũ, æquum non eſt, vt vxorati priventur iure certo exigendi, atque reddendi, quod eis Sacramentum contulit, & matrimonij contractus. An verò exigere liceat, non obſtante prævisione iſtius periculi, cùm periclitatur vita patris propter abundantiam ſeminis, & alia remedia deſunt? Sumendum eſt ex iam dictis circa ſimile periculum vitæ, aut ſalutis, quod mater gravida patitur. Et affine aliud exemplum affert Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. & p. 3. cap. 4. num. 4.* ſic ſcribens: *Quis enim neget, invadente fera matrem, ipſi licitum ſore, imò etiam in præcepto naturali, vt fugâ vitam ſuam certò interitui expoſitam liberet, ſi poſſit, quamvis cum probabiliſsimo abortus periculo?*



DISSERTATIO XXIJ.

DE ANIMATIONE FOETVS intra vterum.

Non ventilatur hîc vulgaris illa quæstio ſupponens, fœtũ intra vterum animo rationali informari, & eſſe, antequàm naſcatur ex vtero, verè hominem iam tunc conſtitutum ſuis partibus eſſentialibus, inquirenſque vlteriùs, quanto tempore ante partum id contingat; ſed de ipſa potiùs ſuppoſitione, tametſi receptiſſima, contendere cogimur, & examinare, an fœtus ante partum informetur animâ rationali ſibi propriâ, atque diſtinctâ ab anima matris, vel non, ſed in ipſo egreſſu, punctoque nativitatis? hoc enim poſtulat 35. propoſit. *inter damnatas.*

CAPVT PRIMVM.

Quinam ſentiant, fœtum, quamdiu in vtero eſt, non informari animâ rationali ſibi propriâ, & quibus argumentis id ſuaderi valeat?

1. IOannem Marchum Archiatrum, ſeu Protomedicũ Pragẽſem huic doctrinæ mordicus adhęſiſſe, eamque à varijs obtrectationibus, & accuſationibus ſtrenuè vindicaſſe, ſubſcribentibus quibuſdam Theologis, & Vniverſitate Lovaniẽſi nullatenus repugnante, refert Caramuel in Theologia Fundamentali edita Francofurti *anno* 1652. *num.* 1163. eique ipſe probabilitatem ſuam tunc detuliſſe videtur, conſequenterque admiſiſſe, quod ex ea evidenter ſequitur, nempe fœtum ante partum non eſſe hominem, vtpote carentem præcipuâ eſſentiali parte conſtitutivâ illius, & conſequẽter homicidium non committi, quamvis ſuffocetur intra vterum, vel præmeditato abortu ex eo abigatur. Et in ſumma, ita diſcurrit hæc ſententia de embrione toto tempore prægnantiæ, ſicut philoſophatur communis de ipſo pro illo parvo ſpatio quadraginta, aut octoginta dierum, quo poſt conceptionem creditur differri intra vterum infuſio animæ humanæ.

2. Quæ doctrina, licet primo aſpectu paradoxa, & ſingularis videatur, & ab ipſo Auctore ſuo non niſi quibuſdam levibus argumentis phyſicis ſtabiliatur, foveri poteſt nihilominùs primùm auctoritate iuridica, & exiſtimari placita antiquis Iuriſconſultis, quos alij poſteà ſectantur. Nam apud Papinianum habetur, partum, antequàm edatur in lucem, non eſſe hominem: apud Marcellum, eo interempto, nõ interimi niſi ſpem animantis: apud Vlpianum, non eſſe ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens; ſed partem viſcerum matris, & ſecundum ſe

non

non esse adhuc in rebus humanis. Verba clarissima sunt, si absque vo- luntarijs glossis, velut iacet, accipian- tur. Papinianus enim ita loquitur *in L. In Falcidia. 9. ff. ad legem Falcid. Circa ventrem ancillæ nulla temporis admissa distinctio est, quia partus non- dum editus homo non rectè fuisse dici- tur.* Marcellus verò ita scribit *L. 2. ff. de mortuo infer: Negat lex regia mulierem, quæ prægnans mortua sit, humari, antequàm partus ei excida- tur. Qui contra fecerit, spem anima- tis cum gravida interemisse videtur.* Vlpianus autem *L. 1. §. 1. ff de inspic. ventr. Partus*, inquit, *antequàm eda- tur, mulieris portio est, vel viscerum*: millieſque supponit, illum interim *non esse in rebus humanis*, præsertim- que *in L. Sed si plures. 10. §. 1. ff. de vulgari. L. Vbicumque. 7. ff. de ventre in possess. mitten.* Atque ea propter Tiraquellus *ad L. Si vnquam*, verb. *Suscepcrit liberos. C. de revoc. donat. num.* 148. cum Baldo, & plerisque aliis iurisperitis contendit, homici- dium non committi, quamvis fœtus in ventre perimatur.

3. Foveri præterea potest Theo- logica auctoritate S. Isidori *lib. 1. de summo bono. cap. 24. relata in cap. Qui in maternis. 115. de consecrat. dist. 4.* vbi hæc habentur: *Qui in maternis vteris sunt, cum matre baptizari non possunt. Quia qui natus adhuc secun- dum Adam non est, renasci secundum Christum non potest. Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem gene- ratio non præcesserit.* Vnde sic argue- re licet. Qui sunt in maternis vteris, adhuc secundum Adam non sunt generati, nec nati, & ideò nec regene- rari possunt, nec renasci per gratiam secundum Christum. Ergo nec sunt animati animo rationali sibi proprio. Nam qui hoc modo generati sunt, seu nati in vtero, in ipso primo suæ animationis instanti incurrunt pecca- tum originale tanquam veri homi- nes, ac filij Adæ per naturalem gene- rationem derivatam ex ipsius semi- ne, ac stirpe: & sicut fieri non potest, vt ante generationem, & animatio- nem suam peccatores sint, aut verè homines, ita accidere non valet (se- cluso privilegio B. V. quam semper exceptam volumus) quòd generatio- ne, & animatione posita vel tantillùm differatur incursio originalis peccati sibi proprij tanquam hominis iam geniti, ac re vera filij Adæ.

4. Tertiò ratione Theologica. Nam, cùm certissimum sit, peccatum originale non differri, sed incurri ab homine in ipso primo animationis instanti, aliunde constans videtur, illud nō incurri in vtero; sed eo tem- pore, quo parvulus ab illo egreditur, dicente Scriptura *Ecclesiastici* 40. 1. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum grave super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum vsque ad diem sepulturæ in ma- trem omnium.* Quo loci verbum *crea- ta* satis indicat, tunc primùm incipe- re iugum illud, de quo est sermo, nam alioqui non creari, sed conser- vari, aut permanere diceretur: sicut anima non dicitur creari in die exi- tus de ventre matris, si verum est eam infundi corpusculo aliquot mē- sibus antequàm proles edatur. Iam verò quòd grave istud iugum sit ori- ginale peccatum, ex reipsa sumi vide- tur, quia si Adam non peccasset, & suos posteros peccato non infecisset, neque iugum illud esset, nec mors, nec calamitates reliquæ, quas trahi cum illo recensēt eo loci Sapiens. Quamobrem Gelasius Papa *epist. 1. contra Pelagia.* ex prædictis eius ver- bis probat, parvulos gravari iugo ori- ginalis peccati. Et S. Augustinus *lib. 5. Hypognosticon. cap. 3. Quid*, inquit, *est hoc grave iugum, nisi peccatum? Et quare dictum est iugum, nisi quia ex*

duobus Adam, & Eva veniat? Ac paulò infra: *Hoc iugo, id est, originali peccato revincti maiores, atque minores, vitium ex ipso ortu tanquam aratrum trahimus.*

5. Arguitur 4. ab absurdo. Quia ex opposita sequeretur, plures homines in peccato decedere, quibus tota vita defuit possibilitas adipiscendi salutem, quin vlla sua, vel aliorum diligentia posset illis applicari Baptismus, aut aliud medium, quo statum peccati exuerent, & renascerentur gratiæ. Consequens absurdum est. Ergo & id, vnde colligitur. Consequentia in dubium revocari nequit. Consequens autem, quod deduci diximus ex ea sententia, absurdum esse inde apparet, quia, eo concesso, tolleretur generalitas auxilij sufficientis ad salutem omnibus, ac singulis filijs Adami, vniversalitas redemptionis nostræ non comprehenderet totum genus humanum, & syncera, seriaque voluntas, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, non extenderetur ad omnes; sed ad multos, exceptis alijs non paucis, quod refellit ex professo S. Augustinus *lib. 4. contra Iulian. cap. 8.* causam parvulorum agens, & sic inter alia scribens: *Numquid homines non sunt, vt non pertineant ad id, quod dictum est: Omnes homines?*

6. Iam verò quòd istud consequens legitimè deducatur, si parvuli iam in vtero verè homines sunt, & propriam animam habent suo corpusculo ibi infusam, inde persuaderi valet. Quia ex ipsis plures deficiunt, antequàm in lucem prodeant, contra expectationem matris ratione debilitatis, vel alterius causæ merè naturalis, & occultæ, quin vlla diligentia, aut providentia humana impediri potuerit mors ipsorum, aut adhiberi remedium, quo sanarentur à vulnere peccati, quod iam contraxerant. Baptismus vtique, cùm ex sua propria institutione postulet ablutionem baptizati, parvulis clausis in vtero validè nequit conferri, vt omnes Theologi statuunt. Circumcisio quoque in lege veteri circa illos exerceri haudquaquam poterat. Remedium legis naturæ in alia simili cœremonia cõsistebat sensibiliter exercenda erga puerum, & supponente illius nativitatem. Igitur nullum remedium peccato istorum applicari valet. Nam quod Caietanus dixit *3. p. q. 68. art. 2.* istis sufficere parentum fidem applicatam solo signo Crucis, aut invocatione Trinitatis, iussu Pij V. Pontificis maximi meritò deletum est. & totus ille commentarius deinceps expunctus in editionibus alijs.

7. Restat igitur, vt hisce parvulis nullum remedium sufficiens datum sit, si verè homines sunt, infectique peccato. Nam cùm remedia non prosint, nisi quibus applicantur, vbi illorum applicatio est impossibilis, attenta institutione, ac modo ipsorum, nulla verè talis sufficientia dabitur. Frustra enim, & omnino insufficienter remedium ei exhibetur, cui certum est prodesse non posse; illis autem, qui in vtero mori dicuntur, nec Baptismus, nec remedium aliud prodest; sed necessariò requiritur, quòd in lucem egrediãtur. Et, quamvis interdum possit mors illorum imputari culpæ, aut incuriæ parentum, quæ impedivit, ne pervenirent ad statum, in quo possent à peccato suo per hæc remedia curari; sæpe tamen oppositum contingit ex naturalibus causis, nihilque omittunt parentes sibi possibile, vt proles viva nascatur. Imò in mortibus violentis, & inopinatis idem cernitur. Nam quid, rogo; erant facturæ pro se, aut filijs, quos gestabant in vtero Madianitæ fœminæ, cùm Deus præcepit per Moysem Numer. 31. 15. *Iugulari omnes,*

nes, quæ noverunt viros in coitu? Aut quo remedio Amalecitæ prægnantes ſuos parvulos protegere poſſent, iubente Deo, & conſequenter volente directè, ac poſſitivè 1. *Regum* 15. 3. *Interfitere à viro vſque ad mulierem*, ne quidem exceptis gravidis?

8. Vltimò huic ſententiæ favet, quòd iuxta ipſam facillimè explicentur plurima, quæ iuxta oppoſitam difficulter expediri valent: vt quòd ætas hominum non computetur, niſi à die nativitatis, potiùs enim computanda videretur à tempore animationis, quo cœperunt eſſe homines, & vivere vita humana. Item quòd non detur tutor poſthumo antequam naſcatur, nec Angelus tutelaris exiſtentibus in vtero peculiaris, ac diſtinctus ab eo, qui cuſtodit matrem. Ac tandem, quòd pœna abortus ſtudioſè procurati non ſit pœna parricidij in parentibus, nec pœna homicidij in alijs; ſed multò levior, nempe exilij temporalis ex Marciano *L. 4. ff. de extraord. crimin.* aut perpetui iuxta Vlpianum *in L. Si mulierem. 8. ff. ad L. Cornel. de ſicarijs.*

CAPVT II.

Statuitur, ſententiam propoſitam eſſe ſcandaloſam vt minimum, & perniciosam in praxi.

9. ITa decretoriè cenſuit Summus Pontifex Innocentius XI. dum hiſce cenſuris perculit theſim 35. vbi illa tradebatur hoc tenore: *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in vtero eſt, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac conſequẽter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Hæc ibi.

10. Meritò autem ita ſenſiſſe Pontificem, inde facilè conſpicitur, quia ex naturali Stoicorum Philoſophia temerè aſſumitur tanquam probabile principium quoddam poſitivè contradicens omnibus Philoſophis Chriſtianis. Et cùm illud applicatur poſteà diverſis materijs & conſequẽtiæ trahuntur ad homicidia tollenda omnium, qui nondum ſunt nati, atque ad irregularitates ſemper excludas, dum abortus procuratur, ad peccatum originis ſubmovendum ante partum, atque ad alia multa id genus Theologica, vel moralia, Scripturis vis infertur, repugnatur SS PP. contradicitur Summis Pontificibus, & omnia principia convelluntur, quæ hactenus recepta erant, nemine contradicente apud Theologos, Iuriſve Canonici peritos, vt omnino indubitata. Vnde Wilhelmus Sandæus *in confut. trium viror. fol. mihi 243. enormiſſimæ abſurditatis* eſſe dixit theſim iſtam inter omnes ab Innocentio profligatas. Sed & antequàm condemnaretur, Caramuel iam retractaverat in poſteriori editione Theologiæ Fundamẽtalis *num.* 1625. vacillationem illam, qua in priori viſus erat annuere probabilitati huius doctrinæ. Et ſapientia, ac dignitate Eminentiſſimus Card. Aguirre illam ex profeſſo examinans, ſic de ea cenſuerat *in Ludis Salmantic. Ludo V. Excurſ. 1 num. 25. Doctrinam communem de animatione infantium in vtero ante nativitatem per propriam animam rationalem negari non poſſe cenſemus abſque præiudicio fidei Catholicæ, abſque Theologiæ iniuria, ſine Philoſophiæ dedecore, & ocularis experientiæ præſtigijs.*

11. Suadetur itaque primò ex textu ſacro Exodi 21 22. vbi ſecundum verſionem ſeptuaginta Interpretum hoc modo legitur: *Qui percuſſerit mulierem prægnantem, & illa*

abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima, id est, vitam suam pro vita, quam fœtui abstulit; *si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia.* Vbi apertè vides, fœtum iam in vtero effigiatum, formatumque membris suis, sua quoque animâ informatũ tradi, & propterea percussorem matris occidi, vt infanticidam. Vides insuper, quàm falsò dicatur, homicidium verè tale in mullo aborsu committi. Et, quamvis nostra vulgata aliter vertat hanc clausulam, non ideò alteri versioni contradicit. Illa enim agit de supplicio mortis irrogando ob mortem matris ex percussione abortientis, sive proles vivat, seu moriatur, sive informis exeat, seu formata, nam de hoc puncto nihil dicit. Ista verò vice versa de morte matris non tractat; sed solùm de morte filij vindicanda per mortem percussoris, quamvis mater ex aborsu non moriatur, si exeat formatus ab vtero. Vnde ex vtraque lectione simul sumpta optimo iure colligitur, quod Cornelius ad eum locum, & alij multi observarunt, vitam pro vita, & animam pro anima ex præscripto Dei fuisse reddendam, idemque iudicium observandum, sive sola mater ex abortu moreretur, sive solus infans iam formatus inanimis abigeretur ex vtero.

12. Suadetur iterum. Quia originale peccatum in vtero ante partum contrahitur; non contrahitur autem absque animatione fœtus. Ergo fœtus animatur inibi ante partum. Cœtera conspicua sunt, & maior vel ex eo patet, quia omnes dicimur non tantùm nati, sed in peccato originali concepti; conceptio verò non fit, nisi in vtero, & multis mensibus præcedit partum. Et ea propter tanquam specialissimum B. V. privilegium ab Ecclesia celebratur, quod fuerit absque originali concepta: quod deridiculum redditur, si cœteri omnes absque eo peccato concipimur, & solùm cum illo nascimur. David vtique longè aliud sensit *Psalm.* 50. 7. sic deplorans: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Vnde S. Augustinus ad eum locum notat, David *suscepisse personam generis humani*, & ex eo probat, originale peccatum, & contendit contrahi in vtero. Nam, inquit agens de infante, qui baptizatur: *Si loqui tibi posset ille infans, diceret, & si iam intellectum haberet, quem habebat David, respondere tibi: Quid me attendis infantem? Non quidem vides facinora mea. Sed ego in iniquitate conceptus sum, & in peccatis mater mea ME IN VTERO ALVIT.*

13. Sicut autem certum est, ibi nõ esse sermonem de peccatis actualibus à parvulo in conceptione commissis, ita perspicuum videtur, David non fuisse loquutum de peccatis perpetratis, vel à matre concipiendo, vel à patre generando. *Neque enim*, ait Augustinus, *de adulterio natus erat; sed de Iesse viro iusto, & coniuge ipsius*, quibus immeritò adscriberet ea de causa iniquitates, vt animadvertit etiam S. Thomas *lib. 4. contra Gentes. 50. num. 3.* Ex quo insuper addiscimus, 1. 2. *q.* 82. *art.* 2. *ad* 1. huic expositioni receptissimæ apud PP. & Scholasticos non obstare, quòd in vno homine non sit nisi vnicum originale peccatum. Vtitur enim Propheta, dum *iniquitates* nominat, plurali pro singulari, vt sæpe in Scriptura cernitur: &, cùm originale sit causa, & origo multorum peccatorum, & peccatum Adæ, ex quo traducitur, plures deformitates habuerit, non incongruè dici potuit virtute plura peccata. Imò cùm in vnoquoque reperiatur peccatum originale sibi proprium, & illud multiplicetur formaliter

ter ad multiplicationem hominum, veriſſimè Pſaltes enuntiavit etiam de hoc peccato agendo: *In iniquitatibus conceptus ſum*, quia iuxta Auguſtinum *ſuprà* perſonam generis humani ibi ſuſcepit, & ſub ſuo nomine de toto illo loquebatur.

14. Propterea itaque S. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum. cap. 27. firmiſſimè tenendum, & nullatenus dubitandum* eſſe dixit, propter originale peccatum, quod carnali conceptione traxerunt, in altera vita eſſe puniendos, non tantùm iam natos ex matribus, qui ſine Baptiſmo tranſeunt de hoc ſæculo; ſed etiam eos, *qui in vteris matrum viuere incipiunt & ibi moriuntur.* Eâdem quoque firmitate eſſe tenendum, parvulos, qui nondum ſunt nati, iam tunc eſſe peccatores, docuit diſertè Auguſtinus *lib. 1. de peccato merit. & remiſſ. cap. 32.* ita concludens: *Cedamus igitur, & conſentiamus auctoritati Sanctæ Scripturæ, quæ neſcit falli, nec fallere, & ſicut nondum natos ad diſcernenda merita eorum aliquid boni, vel mali egiſſe non credimus, ita omnes ſub peccato eſſe, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & per omnes homines pertranſijt, minimè dubitemus.*

15. Suadetur tertiò ab abſurdis, quæ oppoſitam ſententiam conſectantur. Primum quippe ex ipſa ſequitur, neque B. Virginem, neque vllum alium, ante ſuam nativitatem ex vtero, abſque ingenti miraculo potuiſſe incurrere originale peccatum: quandoquidem eſſe dicitur ſupra, imò contra totius naturæ exigẽtiam, corpus eius ante id tempus animari hominis vitâ. Sequitur rurſus, non fuiſſe purum beneficium, neque magnum, ſed valde diminutum, iuſtificationem Baptiſtæ, aut Ieremiæ in ventre matrum. Ipſi enim naturæ ſuæ relicti pro illo ſtatu nec erant futuri homines, nec peccatores, nec ſancti; ad anticipandam verò iuſtificationem ipſorum prius neceſſe fuit miraculoſè efficere, vt eſſent in ſtatu peccati, & filij iræ, ac damnationis, ex qua poſteà transferrentur ad ſtatum adoptionis, ac gratiæ. Sequitur tandem, nullum parvulum interfici in ventre matris, nullumque proinde eſſe vere martyrem, aut emundari à peccato, quamvis ſimul cum prægnãte matre confodiatur data opera in odium Chriſti; cuius oppoſitum fert vera Theologia cenſens, puerulum ita confixum ad cœlum evolare cum matre, baptizari ſuomet ſanguine, & coronari martyrio.

16. Sic ſentiunt communiter Scholaſtici, vt Scotus, Paludanus, Richardus, Gabriel, Carthuſianus, Argentina, Vega, quos appellat, imitaturque Ruiz de Montoya *diſp. 49 de prædeſt. ſect. 4. num. 12.* vbi vir eruditiſſimus ſic concludit: *Neque ſcimus ab aliquo Theologorum hoc negari.* Accedit inſuper Vaſquez *tom. 2. in 3. p. diſp. 153. num. 80.* Sa, verb. *Martyrium in fin.* Theophilus Raynaudus *tom. 18. tr. de martyrio per peſtem. p. 2. cap. 2. num. 8.* addens præterea, idem futurum, quamvis mater non occideretur, aut non eſſet verè martyr defectu diſpoſitionis prærequiſitæ in adultis; imò quamvis Tyrannus occiſor neſciret eam eſſe gravidam, idque omnino verum credit cum Henriquez Coninc *in 3. p. q. 66 num. 123.*

17. Suadetur demum à priori. Quia fœtus ante tempus partus iam eſt formatus in vtero, membriſque, ac figura humana effigiatus, ac diſtinctus, vt in abortibus cernitur, etiam illorum, qui ſine vita eijciuntur. Ergo iam eſt vltimò diſpoſita materia illius ad recipiendam formam hominis: nihil enim probabiliter dici poteſt ei deeſſe, quod partus tempore adquirat. Ergo, cùm formatur, ſtatim ani-

anima humana ipsi infunditur : ita enim in alijs accidit, quoties materia invenitur vltimò disposita ad formã alicuius speciei : neque enim illa differtur ; sed absque mora producitur. Propterea infusionem animæ, & formationem in vtero esse simul tempore, satis declarat locus Levitici expensus *num.* 11. eodemque vtitur ad idem comprobandum textus *in cap. Moyses. 9. 32. q. 2.* Et sanè fœtum formatum aliquâ animâ informari manifestum fit ex motu illius, qui vitalis est, & ab intrinseco, cùm fiat quiescente matre, & alius motor deficiat. Quis autem dicat, corpus homini adaptatum tunc exigere animam belluinam, & non potiùs rationalem ? Pari namque audacia dici posset, eamdem animam etiam perseverare post partum, donec superveniat tempus exercendi aliquem actũ proprium hominis solius, v.g. risum, aut loquelam. Nam ploratus, qui in eis cernitur, etiam brutis est communis. Plorant enim & leones, plorant equi, plorant asini, vt ex probatis Auctoribus ostendit erudite P. Ioannes Sthephanus Menochius *in Storeis eruditis. p. 3. centuria 5. cap. 14.* ex inde probans, descriptionem hominis rectè ex risibilitate sumptam fuisse, & non rectè ex flebilitate sumendam, quæ alijs ab ipso convenire potest.

18. Quod vero confingunt alij, fœtum informari animâ matris eo tempore, quo est in vtero, non verò sua propria vsque ad partum, error fuit quorumdam antiquorum, quem refellit ex professo Tertullianus *lib. de Anima. cap. 25. & 26.* atque ex rationibus nuper adductis, ac totius Ecclesiæ sensu circa peccatum originis manifestè confutatur. Experientia quoque ipsi resistit. Nam, vt alia plura omittam, quæ sapienter vrget Tertullianus, & fœminarum prægnantium apertis documentis confirmat, sæpe sentitur in ventre matris gravidæ præmortuæ motus parvuli grandioris, & iste per scissionem, quam vocant Cæsaream ab illo vivus extrahitur, ne in lymbum abeat, sed fruatur gratiâ Baptismi. Notum ex historijs est, id quàm sæpius contigisse, quarum plurimas ex penu sæculari, & Ecclesiastica, atque ex testimonijs ipsis oculatis Medicorum, addensat P. Raynaudus *tom. 14. in tract. de ortu infantium per section. Cæsar. toto cap. 2.* adeò plenè, vt absque maxima temeritate nequeat ipsis contradici.

19. Meritò ergo dixit S. Thomas *3 p. q. 68. art. 11. corp.* puerum, antequàm nascatur ex vtero, *habere animam distinctam ab anima matris*, & corpus puerperij animati, cùm iam sit formatum, esse quoque *à corpore matris distinctum.* Idipsumque in alijs omnibus animantibus experiri licet, & in eis præsertim, quæ non pariunt, sed incubant ova sua. Neque enim gallinæ anima informare potest simul tot ova inter se distantia, & à quibus ipsa sæpius distat ; & tamen si ova rumpantur post formationem pullorum, ipsi reperiuntur vivi. Præterea etiam ea, quæ pariunt, si imperfecta sint, vt vipera, cùm illorum anima sit sectilis, & altera portio illius sit ex. g. in capite, altera in cauda, & adhuc divisa in duas partes motum, ac sensum vitalem in vtrâque pariter retineant, consequenter diversam animæ partem ab illa, quam ipsa habent, & retinent etiam post partum, communicabunt suis fœtibus, dum fiunt in vtero, & cum illa iam priùs habita, non verò cum alia nova de facto edentur in lucem.

20. Quæ verò perfecta sunt, vt leæna, aut equa, iuxta veriorem sententiam, animas etiam extensas, ac divisibiles habent nutritione comparatas, & diversis partibus materiæ affixas,

affixas, atque ideò quoad effectum non mutandi aliud ſubiectum, nec ſeſe extendendi ad filios, eadem omnino erit ratio de his, quæ erat de imperfectis. Si verò dicamus, illas eſſe indiuiſibiles, prorſuſque inſectiles, vt anima rationalis, adhuc idem obtinebitur. Quia nulla anima informare poteſt duas materias adæquatas, nec viuificare duo corpora integra, & iam conſtituta omnibus membris, ac partibus duplici animanti debitis. Cùm ergo mater, & fœtus iam formatus ſic ſe habeant, conſequens apertè fit, ad viuificationem vtriuſque vnicam animam matris eſſe omnino inſufficientem, & longè minùs ſufficere ex natura rei ad informandum corpus matris ſimul cum fœtu multiplici, qualem bruta ſæpius habent vno partu plures filios educentia, & fœminis haud rarò contingit.

21. Vltimò notandus eſt error conſpicuus iacens in theſi proſcripta. Quia non tantùm negat, omnem fœtum, quamdiu in vtero eſt, carere animâ rationali; ſed inſuper addit, *tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur*, reſtringendo ad eos ſolos, qui pariuntur adeptionem rationalis animi. Hoc autem euidenter eſt abſurdum. Nam mater mortua non parit fœtus, qui ab illa extrahuntur ſcindendo ventrem eius, cùm neque illi exeant per communem portam, neque illa quidquam conetur ad eductionem ipſorum; ſed ad illam merè paſſivè ſe habeat; & tamen plures ex illis vivi extrahuntur, vt euidenti experientia demonſtratur, atque argumento eſt S. Raymundus, quia ea de cauſa dictus eſt *Nonnatus*, & potiori iure potuiſſet cognominari *Non partus*. Parere enim eſſentialiter importat activitatem, & conatum matris, & pueri exitum per viam communem à natura deſtinatam, vt ex apprehenſione terminorum apud omnes conſtat, & apertè comprobatur *ex L. Annicultus. 132 ff. de V. S.* ibi: *Falſum eſt, eam peperiſſe, cui mortuus filius exſectus eſt. L. Si ego. 11. §. Idem eſt. ff. de Publiciana in rem action.* vbi dicitur *non natus, qui poſt mortem matris exſecto ventre eius extractus eſt.*

22. Idipſum Theologi tradunt in re maximi momenti, qualis fuit Virgineus partus Chriſti Domini, & ſpeciatim Aureolus, Rubionius, Toletus, Suarez, quos appellat rem diſcutiens accuratè Raynaudus, vbi proximè *cap. 1. num. 5.* Longè autem abſurdius foret, vt S. Auguſtinus præſenſit *epiſt. 120. ad Honoratum cap. 12. in fin.* credere Virgineo fœtui *iam nato animam rationalem acceſiſſe, quæ intra viſcera matris adhuc ei defuiſſet.* Nam ita defuiſſet quoque diuinitas, quæ totam humanitatem aſſumpſit eodem temporis momento, & Virgo dici non poſſet per ſe, ac propriè Dei hominis genitrix, aut Deipara, nec Chriſtum portaſſe in ventre. Vnde obiter adnotaverim, iuxta cõtrariam ſententiam, fœtus extractos ex fœminis, ſive mortuis, ſive vivis, media ſectione Cæſarea, neque filios ipſarum dici poſſe, neque illas ipſorum matres. Nam filiatio neceſſariò poſtulat, vt filius ex ea naſcatur, quæ eſt mater eius. Iſti autem neque erunt nati intra vterum, neque extra vterũ ab illis, quæ ipſos portabant. Non nati ex vtero, quia nõ peperierunt illos. Non in vtero, quia ibidem non animantur; ſed perinde ſe habent toto eo tempore, ſicut ſe habent iuxta veram philoſophiam fœtus, qui non ſunt formati, nec ex nihilo ad aliquid egreſſi.

CA-

CAPVT III.

Enodantur rationes dubitandi.

23. AD primam negandum non est, Papinianum, Marcellum, & Vlpianum ab ea sententia stetisse, quam denuo susciavit Ioannes Marcus. Fuerunt enim secta Stoici, & Stoicis illam tribuit *vbi suprà* Tertullianus cum Plutarcho *lib. 5. de placitis Philosophi cap. 15.* imò & Platonicis, aliosque refert idem tenuisse Lactantius *de opificio Dei. cap. 17.* Cæterum Consulti alij Peripateticam scholam sequuti longè aliter sensisse videntur, & propriùs accessisse veritati. Ideò enim, *qui in vtero sunt, in toto pene iure Ciuili intelliguntur in rerum natura esse*, vt attestatur Iulianus, & multis exemplis comprobat *in L. Qui in vtero. 26. ff. de statu hominum*; imò etiam esse *in humanis* habetur *in L. 5. ff. eodem.* Et ex Scævola refertur, partum non esse partem rei furtivæ *in L. Partum. 26. ff. de V. S. L. Si aliena. 10. in fin. ff de vsucap.* Consonantque aliæ quamplures decisiones iuris satis pervulgatæ. Vnde subtiliter potiùs, quàm vtiliter videntur laborasse permulti iuris interpretes, dum nituntur præcitatos textus mutuò conciliare. Constat namque, eorum Auctores ob contrarietatem sectarum, quibus adhærebant, in hoc puncto sensisse quoque contraria, eaque scriptis consignasse adeò perspicuè, vt absque magna violentia illata verbis ipsorum exponi aliter non valeant. De quo plenè Ioannes Ramos *de pœna parricidij. lib. 7. à num. 46.* & qui eum sequitur Emmanuel Gonçalez *ad 5. Decretal. cap. Si quis. 5. de homic. num. 9. vsque ad fin. comment.*

24. Ad secundam fateor, locum Isidori esse difficilem: videbitur enim tradere contra receptam Theologiã, si eius ratio perpendatur, eos, qui sunt in vtero, neque Baptismo sanguinis regenerari posse, etsi in odium Christianæ fidei pariter cum matre proximè paritura transfigantur. Negare quoque videbitur, baptizari posse validè parvulos priùs, quàm extrahantur ab vtero matris exsectæ, aut, si illa periclitante simul cum parvulo, quem nondum peperit, apparet caput istius. Hæc autem negari immeritò (quidquid in contrarium dixerit ex professo Comitolus *lib. 1. respons. moral. q. 13.*) constat ex Ecclesiæ vsu, & ipsa praxi Baptismi tradita in rituali Pauli V. *sub titul. de baptizandis parvulis.* Quinimò si fortè obstetrix adeò perita sit, vt manu introducta in ventrem, vel alio artificio possit efficere, vt intingat aqua immediatè ipsum infantulum ibi latentem, cõmunis sententia fert contra Maiorem, eum non esse destituendum isto genere Baptismi, id expressè contestantibus Gabriele, Victoria, Chapeaville, Vivaldo, Coninc, Lessio, Dicastillo, Gobat, & Scildere *de princip. consc. tr. 6. num. 8. & 9.* vbi Chirurgica instrumenta prodit adaptanda ad hunc effectum, Layman *lib. 5. tr. 2. cap. 3. num. 2.* Valentia *tom. 4. disp. 4. q. 1. punct. 2. illat. 3.* qui duo auctoritatem Isidori sibi opponunt, illamque exponere satagunt. Eamdem etiam accuratè examinat Gonçalez *ad 3. Decretal. in cap. Maiores. 3. de Baptismo. num. 7.* vbi contendit, Isidorum duntaxat loquutum fuisse de puerperio, seu fœtu nondum formato, restringendamque assertionem eius iuxta terminos rationis, quam pro ea stabilienda tradit.

25. Ego existimo, Isidorum eo sensu dixisse, illos, qui sunt in vtero non posse baptizari cum matre, quo sensu Augustinus dixit *lib. 2. de peccat. merit.*

merit. & remiss. cap. 25. Filios non posse baptizari in lumbis patrum, & cap. 27. Neminem in suo parente renasci posse non natum. Vterque enim S. Doctor eâdem ratione vtitur ex eo ducta, quòd Baptismus Sacramentum regenerationis est, ac renascentiæ, quæ generationem, ac nativitatem supponit, sicut resurrectio vitam: &, si vterque locus conferatur, manifestè deprehendetur, Isidorum profeciſſe ex Augustino, tradidisseque brevi compendio, quod ille in prædictis locis fusè contra Pelagianos disputat. Contendebant enim Pelagiani detrectantes originale peccatum, eos, qui nascuntur ex baptizatis parentibus non indigere Baptismo; sed ex sanctis gigni sanctos, & ex baptizatis baptizatos iam in eorum lumbis, sicut tribus Levi, iuxta Apostolum *ad Hebræos* 7. decimata fuit in lumbis Abrahæ.

26. Contra hunc ergo errorem rectè statuunt, eos, qui sunt in lumbis, aut in vtero, non posse baptizari in parentibus, neque cum illis, quasi per baptismum præcedentem matris, aut patris iam tunc sancti, ac baptizati gignantur, quin Baptismo sibi proprio post nativitatem indigeant. Et hoc evidenter probat ratio ab his Sanctis adducta, & ex conceptu regenerationis accepta, quia parvuli regenerari, vel renasci nequeunt virtute Baptismi à parentibus susceptí, antequàm illi intelligantur esse iam actu geniti, ac in vtero materno nati. Hoc ergo Isidorus voluit, cùm dixit, illos non posse baptizari cum matre, nempe vnicum Baptismum vtrique non esse satis, neque parvulo sufficere (sicut sentiebat Pelagius) ex matre, aut patre sanctis, ac baptizatis esse genitum, vt absque peccato nascatur, & renasci non debeat per Baptismum sibi immediatè applicatum.

27. Quòd si fortasse contingat, matrem baptizari iam gravidam, adhuc verissimum erit, parvulum non baptizari, nec sanctificari eius Baptismo; sed denuo esse baptizandum, sive esset, sive non esset iam animatus in vtero, dum baptizaretur mater. Nam, si animatus non erat, neque homo in actu, sed in spe tantummodo, eadem ratio militaret, quia nondum est homo genitus, neque natus in vtero, aut ex vtero, vt tunc renasci, vel regenerari valeat: Si verò animatus erat, natusque in Adam, ac proinde infectus originali peccato, & regenerabilis in Christo, adhuc tamen certum redditur, id minimè fieri posse per solum Baptismum matris. *Nihil enim in hoc Sacramento commune est parturæ, & illi, qui de eius vtero fuerit editus*, vt definit Neocæsariense Concilium *cap.* 6. in Nicæno confirmatum. Ratioque apparet conspicua, quia per ablutionem matris proles vtero clausa non abluitur, neque ita nata est, vt simul ablui possit, sicut necessariò exigitur, vt per Baptismum aquæ regenerari in Christo, seu renasci valeat.

28. Ablueretur quidem, si tunc esset pars intrinseca, vel membrum matris eius corpori naturaliter vnitum, nec novo Baptismo indigeret, quia per suum Baptismum tota mater baptizatur, vt objicit Pelagianis Augustinus, quem expendi *dissert. præced. num.* 21. Sed cùm non sit nisi distinctum corpus corpori eius colligatum, ablutione ipsius nec ablui, nec sanctificari potest. Neque enim quidquid in homine est, quando baptizatur, putari debet sanctificatum, aut baptizatum cum ipso: nam alioqui febres ipsæ sanctificarentur, dum ægroti baptizantur; & quæ in vesica sunt, aut intestinis, deberent etiam cum fœmina sanctificari, ac baptizari, vt iterum argumentatur Augusti-

nus relatus *in cap. Si quidquid. 35. de Consecrat. dist. 4.* Videndus Angelicus Doctor *3. p. q. 68. art. 11.* qui eisdem vestigijs insistit, & omnia egregiè reducit ad amussim scholasticam, secernens etiam in vtero corpus, & animam matris à corpore, & anima filij. De quo etiam regulariter verificatur, quod Isidorus asseruit, & sufficiebat instituto ipsius, per aquam renasci nō posse nisi iam natos, egressosque ex vtero: nam casus, quos antea adduxi *num. 24.* vbi contingit oppositum, valde extraordinarij sunt, & generalem regulam minimè infringunt.

29. Ad 3. Iugum, de quo Sapiens loquitur, & quod incipere insinuat à die nativitatis, non est peccatum originis in se ipso; sed in effectibus valde onerosis, ac gravibus, quos patitur quivis homo, postquàm ex ventris ergastulo prodit in publicam lucem. Nam, si de peccato originis in se ipso loqueretur, velletque illud non incipere, donec parvulus ex vtero egrediatur, consequenter affirmaret, illud tota vita continuari vsque ad diem sepulturæ, & cum ipsa vita extingui, vt manifestè constabit perpendenti verba, quæ obijciuntur, & terminos durationis, qui tali iugo assignantur. Porrò peccatum originis neque tota vita continuatur, sed sæpe intra illam remittitur, manentibus adhuc molestijs, quas ibi recensèt Sapiens, neque cum vita finitur; sed post mortem continuatur casu, quo non sit remissum. Iugum ergo, cui conveniunt proprietates ibi adductæ, non est originale peccatum; sed labores, dolores, ac ærumnæ, quibus subijciuntur homines in pœnam eius à die nativitatis vsque ad diem sepulturæ. Ad laborem quippe de muliere nascimur, ac brevi tempore vivimus, & multis miserijs replemur, vt Iob deplorat *cap. 14. 1.* & hoc onere, seu iugo premimur à die nativitatis, quamvis à die conceptionis verè fuerimus immundi, seu maculati à peccato, vt Ipsemet Iob significat *ibi vers. 4.* dicens: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* Atque de his miserijs locum Ecclesiastici intellexit Augustinus *lib. 6. contra Iulian. cap. 5. & 10.* Cùm vero in libro Hypognosticon (si iste liber est ipsius) dixit, iugum illud esse peccatum originale, pro effectu causam assumpsit, & pœnas huius peccati, quia ex illo sunt, & in alia peccata sæpe inducunt, peccatum vocare potuit, quod rectè notavit Piña *in comment. litterali ad eum locum 2. p. tom. 4 in Eccles. num. 6. fin.* & hoc modo in Sacris litteris concupiscentia sæpe appellatur peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.

30. Ad 4. Eadem omnino est difficultas de parvulis iam natis, qui sine Baptismo moriuntur defectu aquæ, aut vi naturæ, vel casu aliquo improviso, quem nulla humana diligentia prævidere, aut prævenire potuit; & tamen nemo negabit, illos tunc esse animatos, & redemptos fuisse à Christo. Omnes igitur diluere debent argumentum sumptum ex impossibilitate applicandi istis remedium Baptismi, & solutio, quæ his parvulis adaptatur, pari iure accommodari poterit decedentibus in vtero. Quocirca Theologi omnes pariformiter de vtrisque philosophantur, neque vllus propter hanc causam ausus est negare, parvulos animari, aut mori in vtero. Divisi tamen sunt propter rei difficultatem, quam ex professo expedire alienum est ab hoc loco. Varias tamen solutiones consignabimus apud suos Auctores, vt eam prudens lector eligat, quæ sibi visa fuerit expeditior. Videndusque in primis est P. Suarez *lib. 4. de*

pra-

prædeſt. cap. 4. præſertim *num.* 16. Vaſquez *tom* 1. *in* 1 *p. diſp.* 16. Arrubal *ibidem diſp.* 91. Herize *diſp.* 35. Granado *tom.* 5. *controver.* 4. *diſp.* 4. *num.* 10. Georgius de Rhodes *in* 3 *p. diſp.* 1. *de Sacram. q.* 1. *ſect.* 3. Antonius Moraines *in Anti Ianſenio. diſp.* 26. *ſect.* 4. & qui rem accuratiſſimè verſat, nihilque intactum relinquit, P. Ruiz de Montoya *tota diſp.* 49. *de prædeſt.* maximè *ſect.* 2. *à num.* 9. vbi ſeparatim tractat de his, qui decedunt in vtero, contendens, neque in voluntate aliena omnibus illis conferri auxilium plenè, ac proximè ſufficiens ad remedium peccati originalis; ſed eis ſolis, quos humana prouidentia, atque prudentia potuiſſet præſervare à morte in illo ſtatu, ac ſervare vſque ad Baptiſmum, & ob culpabilem negligentiam parentum, aut aliorum, quibus ea cura incumbebat, tanto beneficio deſtituuntur; & nihilominùs ſtatuens, eos fuiſſe redemptos, & Chriſtum mortuum eſſe pro illis.

31. Ad vltimam in *num.* 8. reſpõdeo, nihil eorum, quæ ibi conglobantur, ad ſui declarationem indigere ſuppoſitione adeò abſurda, qualis eſt animationis defectus toto tempore, quo parvulus latet intra matris vterum. Nam quòd ætas hominum non computetur, niſi à die nativitatis, ideò factum eſt, quia dies animationis eſt valde incertus, ſicut & dies conceptionis, neque vniformiter accidit in fœminis, aut in viris; ſed citiùs, aut tardiùs pro maiori, vel minore virtute feminis, aliarumque cauſarum, quæ ad fœtus formationem concurrunt. Quòd verò poſthumo datus tutor, nondum ſit tutor, donec poſthumus edatur in lucem *ex L. Si nemo.* 19. *§. vltimo ff. de teſtam. tutel.* ideò evenit, quia eum alere, & gerere curam perſonæ interim, ac eſt in ventre, ex natura rei competit matri. Bona verò, quæ curare poſſit alius tutor, in eo ſtatu nulla habet, cùm nondum ſit hæres, neque rumpat teſtamentum patris, ſi præmoriatur in vtero, & vivus non egrediatur. *L.* 1. *& toto tit. C. de poſth. hæredib.* Imò iuxta leges noſtri regni integris viginti quatuor horis poſt partum vivere debet, vt paternam hæreditatem nanciſcatur.

32. Iam verò quòd vltrà adijcitur de Angelo tutelari, non conſtat inter Doctores, & nil adverſarios iuvat. Nam qui affirmant, non incipere tempus cuſtodiæ vſque ad diem nativitatis, eo ipſo negant, incipere ab inſtanti animationis, cenſentque, pro toto ſpatio, quo fœtus eſt animatus in vtero, ad Angelum matris potiùs ſpectare tutelam, curamque illius. Reputatur enim fructus ventris, dum non eſt ab eo præciſus, & cuſtodia fructuum adhuc pendentium ex arbore eidem ipſi commendari ſolet, qui cuſtos eſt ipſius arboris. Qui verò è contrario putant, cuſtodiam proprij Angeli inchoari ab inſtanti animationis, conſequẽter ſtatuunt, illum etiam in vtero matris à proprio Angelo defendi, & ibidem præſervari à morte, & ab alijs malis, quæ nativitatem eius impedire poſſent, aut præpedire Baptiſmum. Nullus autem ſimul docuit, quod adverſarij moliuntur, ſcilicet cuſtodiam Angeli incipere ab inſtanti animationis, & non incipere, dum eſt in vtero; ſed vſque ad partum differri.

33. Vtraque igitur ſententia rectè, vt par eſt, intellecta impune doceri poteſt, & componi cum animatione fœtus ante partum, ſeu nativitatem ex vtero, parumque adverſarijs prodeſt, vtrùm hæc, vel illa præferatur. Mihi autem probabilior videtur, quæ à die infuſionis animæ, ſeu nativitatis in vtero defert Angelo cuſtodiam pueruli. Tum ob rationem

proximè insinuatam, quia tunc incipit esse viator, & homo à matre distinctus peculiaribus subsidijs egens, ne moriatur sub peccato originali, & careat salute æterna. Tum quia expressa est S. Thomæ *in 2. sent. 1. part. dist. 11. q. 1. art. 3. ad 3.* cui præivere Tertullianus *lib. de Anima. cap. 37.* & Anselmus *in Elucidario. post med.* Tum quia idem sequuntur eo loci Albertus, Bonaventura, Richardus, Ægidius, Gabriel, Maior, alijsque ex antiquis, vt Alensis, atque Carthusianus, quibus annuit eos appellans, & propria loca consignans Card. Aguirre *in Ludis Salmantic. Ludo 5. excursu 2.* & P. Suarez *lib. 6. de Angelis. cap. 17. num. 18.* Narbona *in annali. ann. 1. q. 5. num. 17.* contra Magistrum, Durandum, Zumel, Molina, Valentia, Vasquez, & alios, quos sequitur Vasconcelos *tom. 1. de Angelo Custode. lib. 2. cap. 10. p. 3. num. 7.* Cætera autem, quæ in eo *num. 8.* obijciebantur, postea commodiùs solventur.

CAPVT IV.

Scandalosè quoque dictum esse, in nullo abortu homicidium committi.

34. COnsequenter ad doctrinam negantẽ animationem fœtus ante partum addebat thesis damnata: *In nullo abortu homicidium committi.* Quæ illatio rectè videtur procedere. Quia homicidium non committitur, nisi verus homo interficiatur; fœtus autem nondum informatus animo rationali verus homo esse non potest, atque adeò nec verè occidi, vt ostendebatur fusiùs, cùm de abortu fœtus nondum animati. Cæterùm, cùm iam sit demonstratum, principium, vnde id deduci-tur, esse prorsus improbabile, contrariumque omnino certum, exinde colligi debet, sæpe homicidium committi in abortibus studiosè procuratis. *Impudentia* namque *nimia videtur* iuxta Augustinum *in Enchirid. ad Laurent. cap. 86.* negare puerperia mori persæpe intra vterum matris, & anteà in illo vixisse; neque reperire potest S. Doctor, quomodo cum alijs mortuis resurrectura non sint in die iudicij extremi, vbicumque mors illis contigerit. Vnde resurrectionem illorum Theologicè certam putat P. Suarez *tom. 2. in 3. p. disp. 50 sect. 3. conc. 2.* Et sicut compertum est homicidium propriè nunquam dari, nisi verus homo interficiatur, ita indubitatum esse debet, semper committi homicidium, quoties homo verè, ac propriè talis privata auctoritate neci addicitur, & vitæ suæ continuatione privatur. Atqui sæpe abortus procuratur, cùm homo iam est formatus, atque animatus in vtero, suisque essentialibus partibus, scilicet anima, & corpore adæquatè constitutus, atque in ipso ventre matris suffocatur, aut veneno afficitur multis diebus ante partum, ne vivus in lucem prodeat. Ergo verè in his abortibus perpetratur homicidium.

35. Illudque esse sæpe proditorium respectu interempti infantis, inde colligunt Molina *tom. 4. de iust. & iur. tr. 3. disp. 27. num. 1. & 2.* & qui eum sequitur Raynaudus *tom. 14. tr. de sect. Cæsarea. sect. 10. num. 13.* quia cùm non sit inimicus, nec offensor, sed innocuus, indefensus ex industria occiditur. Eritque præterea filijcidium, generali parricidij nomine propriè comprehensum secundum phrasim iuridicam, si data opera cõcurrunt ad illum pater, aut mater: iam enim est natus in vtero, & ab illis procreatus, etsi nondum editus in lucem publicam. Atque ita hoc

genus

genus delicti parricidium sæpe appellant Auctores, veluti Cicero *in Orat pro Cluentio*, Minutius Felix *in in Octavio.num.* 53 S.Cyprianus *epist.* 49. Theodoretus *lib.* 9. *de legib. sub finem*, & alij, quos dabit Raynaudus *suprà à num.* 17. Nobis vnus Hieronymus sufficiat *epist.* 22. in hæc scribens de virginibus Deo consecratis: *Nonnullæ, cùm se senserint concepisse de scelere, abortij venena meditantur, & frequenter etiam ipsæ commortuæ, trium criminum reæ ad inferos perducuntur, homicidæ sui, Christi adulteræ, necdum nati filij parricidæ.*

36. Est autem adeò conforme vniformi sensui Ecclesiæ, & omnium rectè sentientium, parvulos necari posse, dum latent in ventre matris, & morte ipsorum homicidium committi, vt sententia Ioannis Marci vel ob solam istam causam omnino esset proscribenda, quia ex ea oppositum colligitur. Vtique Stephanus V. *in cap. Consuluisti.* 20. 2. *q.* 5. vt manifestum suppositit, illum *homicidam esse, qui conceptum in vtero per abortum deleverit.* Et Sixtus V. in Bulla contra procurantes abortum, cuius memini *differt. præced. num.* 11. *&* 12. ex Synodo Constantinopolitana, Herdensi, & alijs pluribus sæpius tradit, fœtus viventes occidi antequam nascantur, necari, ac perimi in vtero, atque adeò Auctores istorum criminum irregularitatem contrahere, & alias pœnas impositas veris homicidis; imò & hoc ipsum extendi voluit ad alios, quorum prava opera abigũtur fœtus nondum animati. Gregorius verò XV. qui istam extensionem abstulit, reduxitque ad terminos iuris antiqui, expressè cavit, se loqui duntaxat, *vbi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur.* Id ipsum apertè sumitur ex Lege Levitici allata *num.* 11. verbis illis: *Dabit animam pro anima.* Et, cum omnes leges Ecclesiasticæ, ac profanę (vt inibi aiebat Sixtus) *gravibus pœnis afficiant eos, qui in vtero matris puerperium interimi, nefariè machinantur*, omnes illæ in vanum laborassent, omnesque legislatores, ac Reipublicæ falla quadam suppositione deceptæ pro eo delicto pœnas irrogassent, quod nunquam posset contingere, negata animi infusione ante partum.

37. Propterea mihi vehementer displicent Menochius *de arbitrarijs. casu* 357. Tiraquellus *in L. Si vnquã.* verb. *Susceperit liberos. C. de revoc. donat. à num.* 127. quatenus affirmant, pœnas homicidio impositas nunquã ad abortum trahi. Vel enim censent, in nullo abortu propriè committi homicidium, vel illud committi existimant, saltem dum fœtus abigitur, qui iam est actu animatus anima rationali? Si nunquam committi censent, & ex proximè dictis revincuntur, & apertissimè incidunt in propositionem damnatam, consequenterque dicere debent fœtum, dum in ventre existit, hominem propriè non esse, sed pecus, aut quidpiam aliud. Nam qui aliquem abortum, v.g. ejectionem fœtus nondum animati, *noluit pertinere ad homicidium, profectò nec hominem deputavit, quod tale in vtero geritur*, vt acutè argumentatur Augustinus *tom.* 4. *lib.* 2. *super Exodum. q.* 80. Sin verò ex adverso asserunt, quandoque incurri homicidium propriè, dum fœtus abigitur, puta, dum est animatus, & iam actu vivit vitâ hominis, manifestum est, dum illa tollitur, homicidium perpetrari, & hanc non esse extensionem legis ad casus improprios; sed ipsummet casum legis homicidia punientis, ac vetantis. Vnde & homicidio reservato, abortus isti eo ipso reservati censentur, Ianuario teste *de casib. reserv. resol.* 34. *num.* 37.

38. Dicere autem, parvulum in vtero,

vtero, quamvis iam sit animata animo rationali caro ipsius, hominem non esse, nisi impropriè (quod tentat, relatis alijs Iurisperitis, Narbona *suprà q. 2. à num. 17.*) absurdissimum effugium est, & Stoicismum Papiniani sapit. Nam homo ille est propriſsimè, qui totam hominis essentiam habet, nimirùm corpus, & animam invicem vnitas, & nequit non esse homo, qui propter Christum occisus, esset verè, ac propriè martyr. Horrent autem aures, dum adijcitur *ibidem num.* 20. ex Signorolo, Mandosio, Thesauro, & nonnullis alijs, neque Christum fuisse hominem priusquàm ab vtero matris prodierit in lucem publicam, & ex ipsa fuerit natus. Nemo namque potest dubitare, illum ab instanti Incarnationis fuisse verè hominem factum, id namque habetur in Symbolo, quo rudimenta fidei declarantur. Et quomodo verum erit novum illud, quod creavit Dominus super terram Ieremiæ 31. 22. *Fœmina circumdabit virũ*: si Christus non erat homo essentialiter perfectus, dum matre circumdabatur, nec pollebat, sicut alij viri, vsu rationis, ac sensus?

39. Vnde nec placere possunt, qui putant, pœnas legales parricidij non extendi ad patrem, aut matrem, qui abortum fœtus procurant, cùm iam actu est animatus. Militat namque eadem ratio, quæ expendebatur nuper pro homicidio, & paulò anteà demonstravimus, illud esse propriè parricidium: ac, si res bene expendatur, eò criminosius, quò filius non solùm privatur vitâ corporis, vt alijs accidit iam natis ex vtero, verùm etiam vitâ animæ spirituali, ac cœlesti per subtractionem baptismi, & mortem sub peccato originali causatam parentum industria. Vera igitur, & communis Doctorum sententia est, hanc impietatem quoad suam speciem, & malitiam ad parricidium spectare, atque de rigore iuris pœnis parricidij esse puniendam, vt sentit cum Covarrubias, Antonio Gomez, Carrerio, ac Iulio Claro, Molina *dicto num.* 2. & alijs relatis, Raynaudus *suprà num.* 20. Solorçano *lib. 2. de parricidio. cap. 12. num. 17.* Cabreros *lib. 2. de metu.*

40. Vnde quod *in L 4. ff. de extraord. crimin.* mater, quæ vim sibi intulit, vt proprium fœtum egereret, ex rescripto Imperatorum Severi, & Antonini neque pœna parricidij, neque homicidij mulctatur, sed sola pœna temporalis exilij, & quod *L. Si mulierem. 8. ff. ad L. Corn. de sicarijs.* absolutè pœna exilij puniendam esse decernitur, non verò deportationis in insulam, ac privationis bonorum, & alijs, quas lex Cornelia imponebat homicidis, vel referendum est ad sectam Stoicam, qua infectos fuisse nõnullos Auctores iuris Romani notabam *num.* 23. vel potiùs exponi debet de matre abigente fœtum, cùm nondum est animatus, neque formatus in vtero. Nam cùm ille in isto statu nec sit homo, nec filius natus in vtero matris, sed speratus solummodò, neque propriè occidi valet, neque ciectio ipsius esse potest, quamvis sit grave peccatum, parricidium propriè, aut homicidium. Quare sub hac distinctione fœtus animati, vel inanimis prædictos textus conciliant cum alijs, qui pœnam mortis, aut alias graviores irrogant procurantibus abortum, plurimi, quos affert Gonçalez *in dicto num.* 9. atque eadem pariter vtitur ius nostri Regni *L. 8. tit. 8. partit. 7.* quam, & alias huius instituti proprias declarat Molina *suprà tota disp. 27.*

41. Addit denique Solorçano, licet de rigore iuris ista vera sint, forensi vsu interdum receptum esse, vt parentes, qui committunt tale crimen,

men, mitiori pœna, quàm parricidij puniantur: idemque advertit Molina *eo num.* 2. de pœnis huius delicti, quatenus est homicidium proditorium, de quo consulenda est praxis vniuscuiusque Provinciæ. Illud tamen adnotaverim ex stylo Romanæ curiæ, & praxi Sacræ Pœnitentiariæ longè difficiliùs concedi dispensationem irregularitatis patri, qui abortum sui filij iam animati causavit, quàm alijs extraneis, atque ea propter subrepticiam esse dispensationem à parente obtentam, nisi exprimatur circumstantia ista, vt notat cum Thesauro, & Alphonso de Leone Diana *p. 7. tr. 5. resol. 21.*

CAPVT V.

Vtrùm probabiliter dicatur, in omni abortu homicidium perpetrari, & irregularitatem incurri?

42. PRobabiliter dici, ex eo colligi videbitur, quia probabile est, animã rationalem fœtui humano in ipso primo conceptionis momento à Deo creari, & infundi. Ita latissimè Paulus Zacchias *tom. 2. quæstion. Medico-legal. lib. 9. tit. 1. tota q. vltim. in edition. Lugdunen. ann.* 1661. & novissimè nobilis Medicus Gaspar Bravo *tom. 3. operum medicinal. in miscellan. prompt. 4.* à quo parum distat, & quoad praxim ferè nihil Thomas Fienus *opusc. de vi formatrice fœtus, q. 8. concl. 11.* contendens, fœtum humanum animo rationali donari prima, aut secunda, vel ad summum tertia die, quo mulier fit gravida, & commiscentur semina prolifica, ac in vnum corpus coëunt, vt puellus formari incipiat. Quòd si hæc sunt probabilia, consequens est, vt in quolibet abortu verè committatur homicidium, contrahaturque irregularitas, & aliæ pœnæ iuridicæ. Nam abortus fieri nequit, antequam mulier concipiat, & sit gravida; eo autem ipso, quòd sit gravida, & conceperit, iam geritur homo in vtero, & ille necatur, dum fœtus per vim abigitur. Esse autem probabilia ab intrinseco, & extrinseco, adeò certum apparuit Caramueli agenti de opinione Fieni (latuit enim eum Zacchias) vt dixerit, se risurum, siquis oppositum diceret. Sic scripsit *in Francofurtensi editione Theologiæ Fundamentalis. num.* 1162. *fol.* 559. sed postea meliora sapiens, id improbabile dixit in correctiore editione *num.* 1627. & ita sentiendum esse mihi indubitatum apparet, atque persuadetur.

43. Primùm, quia, vt experientia quotidiana apparet, & isti Auctores fatentur, per abortum à consilio, vel à casu contingentem potest eijci tàm fœtus informis, quàm formatus lineamentis, ac figura pueruli. Sed in abortu fœtus planè informis, neque homo abigitur, nec mors infertur, neque homicidium perpetratur. Falsum igitur est, in omni abortu, etiam studiosè procurato, verè committi homicidium, aut fœtum anteà animatum sua vita privari, & hominem mortuum eijci. Minor, quæ sola est difficilis, probatur ex Sacro textu Exodi 21. 22. quem 70. Interpretes hoc modo vertunt: *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima, si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia.* Vbi, vt vides, duo casus distinguuntur spectantes ad mulierem prægnantem, & ad fœtum iam conceptum, cuius illa abortum facit ob percussionem alterius. Vnus, quo fœtus formatus, alius, quo informis abigitur, & ex illis

illis solùm primus ad homicidium refertur, & pœnâ mortis mulctatur; alius verò sola pœnâ pecuniariâ, vt ab occisione, ac morte veri hominis alienus. Nam, vt S. Augustinus commendatur *lib. 2. in Exodum. q. 80. Quod non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputavit, quod tale in vtero geritur. Cùm verò dicit: Si autem formatum fuerit, dabit animam pro anima, quid aliud intelligitur, nisi & ipse morietur?* Idipsum tradit apertè legum Hebraicarum scientissimus Philo Iudæus, vltra Nyssenum, Damascenum, & alios PP; quos eruditè congessit Carrança *infrà à num. 14.*

44. Sensit aculeum Zacchias *num. 114.* & versionem istam reiecit, dicens, non esse versionem; sed potiùs perversionem Sacri textus, commentationemque gratis, & ex proprio Marte factam, cùm longè aliter Vulgata nostra legat. Sed excessit procul dubio. Nam translatio Septuaginta Interpretum non contemnendæ auctoritatis putatur, maximè vbi est correcta iussu Sixti V. & expurgata à mendis, quæ fortè irrepserant; illam verò, de qua loquimur, probat S. Augustinus loco citato, & eadem ipsa litteraliter habetur *in cap. Moyses. 9. 32. q. 2.* cui deferunt incunctanter tàm Theologi, quàm Iuris Canonici interpretes. Legitur autem ibidem, Moysem tradidisse ea verba de fœtu informi, ac formato, *vt probaret, animam non esse antè formatam*, quàm corpus eius formetur, & addito exemplo Adami, *vt ex eo intelligatur, quia iam formatum corpus accipit animam*, tandem concludit: *Cùm ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima?* Favet præterea non parum textus Hebraicus, vt ibi notat Cornelius, nec Vulgata nostra contradicit, quia eius lectio potiùs est diversa, quàm oppositа, vt *num. 11.* expendebam.

45. Suadetur præterea assertio, quia ex oppositа colligitur, Ecclesiam, quæ est firmamentum, & columna veritatis, errasse intolerabiliter vsqueadhuc, & modò errare in re maximi momenti pertinente ad mores hominum, & ad ipsorum salutem. Nam, si fœtus informatur animâ rationali à primo instanti commixtionis seminum, & in nullo abortu abigitur fœtus, qui anteà non fuerit in vtero eâdem ipsâ præanimatus, ille vtique deberet baptizari confestim, vt ab originali mundaretur, & ad regnum cœlorum perveniret. Probabile namque esset, illum non effundi mortuum intra ventrem matris, sed extra ipsum adhuc vivere, aut saltem de hoc ipso dubitari posset valde rationabiliter, & hoc absque dubio est satis, vt incumbat gravis obligatio conferendi illi Baptismum, saltem conditionatè, vt in quovis alio casu extremæ necessitatis contingit. Atqui Ecclesia nunquam istam obligationem agnovit, nec fideles de illa admonuit, vel eam ad praxim reduxit; sed perpetua consuetudine observavit relinquere absque Baptismo puerperia nondum formata, & massam seminum rudem, quæ per abortum effunditur, vt testatur inter alios Sylvius *in 3. p. ad q. 80. supplem. art. 4.* & plenius Scildere *de princip. consc. tr. 6. num. 5.* Ergo pernicioſissimè erraſſet, tollendo gloriam, gratiamque Baptismi ijs misellis animabus, & fideles decepisset submovendo obligationem baptizandi, vbi erat manifestissima.

46. Probatur insuper, quia ista sententia neque est probabilis ab auctoritate extrinseca, nec à principijs intrinsecis. Quæ enim erit auctoritas Fieni, vel Zacchiæ, si comparetur cum omnibus retro Theologis, Iurisperitis, Medicis, atque Philosophis; imò

imò Eccleſiæ PP. Concilijs, ac Pontificibus, & alijs legislatoribus, qui contrariam tanquam indubitatam tradiderunt, &, re accuratè examinata, quamplurimi? Vel quomodo non erit temerarium torrenti tot Doctorum positivè contradicere, & plus duobus Medicis modernis deferre, qui neque inter ſe plenè conveniunt, nec expendere potuerunt, quot principia Theologica, & iuridica convellantur, posita illa nova Philoſophia, quam invehere nituntur? Quæ verò ratio enervabit duas illas Theologicas, quas in contrarium adduximus? Planè enim convincentes apparent, ac præſertim vltima; vt autem aliqua opinio ſit verè probabilis, nulli principio certo opponi debet, & nihil contra ſe habere à ratione, vel auctoritate convincens.

47. Sed nec Philoſophia inſpecta quidquam afferunt, quod non ſit anteà diſcuſſum, & parvi ponderis habitum ab alijs ſummæ ſapientiæ, & magnæ experientiæ viris. Semperque vehementer vrget in contrarium, quòd nondum formato fœtu ad effigiem, ac figuram propriam hominis, nondumque productis eius partibus præcipuis, corde ſcilicet, hepate, ac cerebro, nequit vita illius incipere: nam, ſicut ſublata qualibet ex iſtis partibus ſtatim moritur, ita deficiente quavis, ac mutuo ipſarum iuvamine, impoſſibile eſt inchoari vitam. Atqui tota iſta formatio, & organizatio corporis non fit in inſtanti, nec vna, aut altera die poſt coitum; ſed multis diebus, & non parvo ſpatio indiget limitata, & ſæpe debilis virtus naturalium agentium, vt conceptum ſemen foveat, ſanguinem attrahat, coagulet, & in ſua membra diſtinguat. Falſum igitur eſt, à primo inſtanti, aut etiam à primo die, vel ad ſummum tertio, hæc omnia peragi, & animo rationali dignum, aptumque habitaculum in vtero præveniri. Explicatur. Aut iſti Auctores volunt, animum infundi fœtui iam formato, ſaltem quoad partes præcipuas, vel potiùs informi? Si iam formato, id fieri nequit in inſtanti, nec ſpatio illo breviſſimo, & nobis imperceptibili vnius diei, vel alterius. Si informi, dicere debent, animum induci, vbi conſervari nequit, ſed ſtatim abſcedere: quia ab illis partibus pendet conſervatio ipſius in corpore, neque ipſe vim habet eas formandi, omnibus organis, ac inſtrumentis vitalibus deſtitutus, ideò enim illas recuperare non valet, &, ſiquid in eo ſtatu operaretur, potiùs ſe haberet tanquam forma aſſiſtens, quàm informans, ac vt agens merè extrinſecum.

48. Hinc ex diſtinctione innegabili fœtus formati, aut informis, qui per abortum ejicitur, meritò omnes collegerunt diſtinctionem abortus, fœtuſque animati, vel inanimis: quia animatus eſſe nequit, qui non formatus abigitur; ſed deſtitutus his præcipuis partibus, per quas homines exercent opera, ac functiones vitæ nutritivæ, ſenſitivæ, aut rationalis, & organizatione ſibi neceſſaria ad cuiuſcumque illarum exercitium. Propterea què in loco citato Exodi cauſans abortum fœtus formati homicida reputatur, & animam pro anima reddere iubetur; cauſans verò abortum fœtus non formati, ſed informis, ſola pœna pecuniaria mulctatur, & non cenſetur hominis occiſor. Seſe namque invicem duo iſta comitantur, formatum eſſe, & animatum, informem verò, & rationali animo nõdum inſtructum: &, ſicut evidentiſſimè cernitur ipſis oculis, interdum ejici per abortum fœtum formatum, interdum verò informem, ita eâdem evidentiâ intelligitur, interdum rationali animo informatum, interdum verò nondum informatum reijci.

Quòd si interim opus esset, aut formam corporeitatis admittere propriam corporis organici, aut duas animas prævias, alteram nutritivam, & aliam sensitivam, ordine quodam sibi succedentes priusquàm rationalis infundatur, id vtique satius esset, & verosimilius, quàm nimia illa festinatio animæ rationalis ad corpus nondum proximè dispositum ad informationem eius; sed adhuc indifferens, vt in monstrum degeneret, vel in molam, quam matricem vocant Medici.

49. Quòd si inquirat, quanto tempore opus sit, vt fœtus iam conceptus sufficienter formetur, & vltimò disponatur ad animam humanam illicò suscipiendam, communis sententia fert, id in masculis quadraginta diebus à conceptione evenire; octoginta verò in fœminis; in dubio autem circa sexum masculum potiùs præsumi, & ideò animatum esse cõpleto die quadragesimo. Ita cum Glossa quamplurimi relati, & subscripti à Diana *p. 7. tr. 5. resol. 6.* & hanc esse praxim Sacræ Pœnitentiariæ testatur Navarro *consil. 46. de homicid. num. 2.* Naldus *in summa.* verb. *Abortus. num. 2.* Quaranta *in summa Bullarij.* verb. *Abortus. num. 5.* Quæ cùm ita sint, non desunt plurimi, qui in re abstrusa, & valde abscõsa aliter philosophentur, & contrahant, aut extendant spatia ista. Nam Rodericus à Castro *lib. 3. de natura mulier. cap. 6.* sequutus Fernelium, & alios contendit, animam rationalem non infundi nisi post tres menses, aut quatuor à die conceptionis, & anteà pollere fœtum solâ animâ sensitivâ. Ex adverso verò Ferdinandus de Mena *ad lib. de septimestr. partu. cap. 14.* assentiente Card. Toleto *lib. 2. de Anima. cap. 4.* & alij cum eis existimant, totum hoc opus absolvi intra solos septem dies. Ac demum alij diem sexagesimum tàm pro maribus, quàm fœminis, vt terminum peremptorij assignant, ita vt post bimestre abigens fœtum, verè teneatur de homicidio. Videndus Augustinus Barbosa *in votis. lib. 1. voto 12. à num. 19.* Zacchias *lib. 1. tit. 2. q. 9. à num. 20.* Narbona *in annalib. anno. 1. q. 2.* Carrança *de partu. cap. 1. sect. & §. 2.*

50. Mihi autem maximè placet, quod & placuit Augustino *in lib. 83. quæst. q. 56.* vbi sic scribit: *Dicitur autem conceptio humana sic procedere, & perfici, vt primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem, & octo diebus formetur vsque ad perfecta lineamenta omnium membrorum, & hinc iam reliquo tempore vsque ad tempus partus magnitudine augeatur.* Quibus aperrè concluditur, quadraginta quinque diebus corpus humanum formari, atque adeò animari, & hanc fuisse cõmunem, ac probatam philosophiam tempore S. Augustini. Nam dies illi, quos recenset, in vnam summam coacti faciunt quadraginta quinque, quibus ipse vnicum addit vt caput numerationis, eoque computato, quadraginta sex assignat. Idem tradit S. Ildephonsus *serm. de Purificat. B. M.* Necnon Viguerius *in decachordo. cap. 25. & 30. cord. 2.* & ex alijs Bonaciolus *in Enneade mulier. cap. 3. num. 1.* contendens, idem in masculis, ac fœminis evenire, neque in istis vltra hunc terminum formationem, & animationem rationalem differri. Vnde Portel *in respons. moral. p. 3. casu 12. num. 1. falsum*, & *fabulam* reputat id, quod vulgariter traditur de eius dilatione in fœminis vsque ad diem octogesimum, vel (vt voluit Aristoteles) nonagesimum. Non tamen debet negari, vbi cætera sunt paria, aliquanto plus differri, vt pluribus

bus argumentis,& experientijs declarant ex Hippocrate, Galeno, & alijs communiter omnes Medici.

51. Paulò aliter,quàm Augustinus,videtur sensisse Hippocrates Medicorum Coriphæus: libro namque *de natura pueri* repetit semel, & iterum masculi formationem idoneam infusioni animæ vt longissimè triginta diebus perfici; fœminæ verò duobus supra quadraginta, idque ex eo probat, quòd purgatio in partu masculi ad summum durat 30. diebus; in partu autem fœminæ 42. Quam sententiam passim approbare solent Medici, & latè exornat Hieronymus Laurentius *lib.8. de Histor. anotom.q.* 19. Peramato *lib. de hominis procreatione.cap.3.* Moxius *lib.2. de sectione venæ in morb.acut.cap.14* & ex Theologis Lessius *lib.2. de iust.& iur. cap.* 9.*num.*65.Portel *in dicto num.*1.Ideò autem dixi,paulò aliter sentire, quia, vt ipse Hippocrates scripsit *in lib. de diæta text.*71.res ista non habet præfixum terminum ex natura rei;sed citiùs, aut tardiùs conficitur pro maiori,vel minori activitate seminis,& diversitate humorum,qui prævalent in parentibus. Et propterea dies, qui assignantur formationi, atque animationi fœtus, non sunt mathematicè accipiendi;sed moraliter, ac humano modo, vt quamdam latitudinem habeant,& paulò plus,aut paulò minus, quàm fert illorum summa,accipi debeant. Quia omnino exacta cognitio huius termini, vniformisque pro omnibus planè apparet impossibilis. Vnde S. Augustinus *in Enchir. ad Laur.cap.*86. ingenuè profitetur, se ignorare, *vtrùm ab homine inveniri possit, quando incipiat homo in vtero vivere*, etsi scrupulosissimè quidem inter doctissimos de hoc ipso quæri, ac disputari contingat.

52. Notandum tamen pro praxi, quod rectè admonuit Raynaudus *in dicta sect.*10.*num.*50.quamvis hæc sententia Hippocratis non esset planè certa,quia tamen est certo probabilis,iuxta terminum,qui in ea præfigitur,agendum esse maximè in favorabilibus, ac foro interno, quidquid sit de foro externo,ac de pœnalibus. Quocirca fœtus,qui ejicitur in abortu naturali die trigesimo, vel prope ipsum, nisi certò appareat mortuus, saltem sub conditione debet baptizari. Qui verò abortum procurat eo tempore, cùm probabiliter iudicet esse hominem eum, quem abigit,cõtra quintum Decalogi præceptum proculdubio delinquet, sicut ille, qui sagittam iaculatur contra id, quod à longè videt, quamvis certò non discernat, an sit homo, an potiùs fera; sed circa vtrumvis habet iudicium probabile. Ac præterea,licet demus, fœminam longè tardiùs efformari, vel animari,quàm virum, cùm abortsus procurator divinare nequeat, vter sexus intra ventrem lateat, manifesto periculo se temerè exponit occidendi virum, ac fœtum iam animatum, & propterea,quidquid sit de effectu, coram Deo, & quoad affectum, à peccato homicidij nequit excusari,& eò graviori, quò occisus gloria, ac vita æterna etiam privatur, & sub morte peccati originalis relinquitur in perpetuum.

53. Atque eâdem tandem ratione non licebit pro tuenda vita matris periclitantis ex morbo, cùm ad dictum dierum spatium cõceptio progressa fuerit, abactionem fœtus procurare, neque id admittitur, nisi dum certò constat, illum non esse animatum,vt notavi *dissert.*21. *num.* 5.*& num.*29.Reijciendusque est omnino Arauso ibidem relatus, dum affirmat, ad excusationem satis esse, quòd putetur probabiliter, fœtum adhuc inanimem esse.

CAPVT VI.

De irregularitate causantis abortum, cùm dubitatur, vtrùm fœtus fuerit animatus?

54. IRregularitatem homicidij contrahi, cùm fœtus est animatus, & per aborsum culpabilem mortuus executitur, certa sententia est: ac vicè versa hoc genus impedimenti non dari, etiã effectu sequuto, dum aborsus procuratur, priusquàm rationalis animus vivificet puerperij corpusculum. Sumitur ex *cap. Sicut. 20. de homicid.* ibi: *Si nondum erat vivificatus conceptus, poterit ministrare, alioquin ab altaris debet officio abstinere.* Constatque insuper ex regulis generalibus, vbi homicidis iniquis, sive Clericis, seu laicis, pœna irregularitatis imponitur: iam enim vidimus, verè, ac propriè homicidium perpetrari, cùm fœtus animatus abigitur; secùs verò si abigatur nondum animatus, nam nec ille est propriè homo, neque electio ipsius homicidium. Quare tota difficultas ad eum casum revocatur, vbi de ipsa animatione ambigitur.

55. Dubium autem ex multiplici capite exoriri valet, cùm sit adeò incertum ex proximè dictis, quo tẽpore fœtus formetur, ac anima rationalis infundatur, & reiectis duabus illis opinionibus extremis Ioannis Marci, atque Zacchiæ, quas hucusque refutavimus, vt prorsus inverisimiles, aliæ quamplures supersint, quæ prudentem dubitandi rationem possunt intellectui obijcere. Augeturque incertitudo, quia frequenter ignoratur, ex quo viro, aut ex quo coitu, vel quo die mulier conceperit, tempus autem formationi, atque animationi destinatum computandum est à die, quo semen prolificum excipitur in vtero matris, & hæc gravida esse incipit. Prætereà, cùm fœtus fœmineus tardiùs animetur, quàm masculus, & iuxta Auctores gravissimos duplo maiori tempore indigeat; hinc nova hæsitatio suboritur: nam, cùm generans cœco impetu egerit, & non minùs frequenter contingat, nasci fœmellas, quàm mares, æquè dubium erit ipsi, cuius sexus fuerit proles abacta, ac est dubium, vtrùm stellæ sint pares, an impares: & cùm dubitat de sexu, eâdem hæsitatione tenebitur circa animationem eius, nisi causetur abortus post 80. aut 90. dies. Ac tandem quandoque eveniet, vt fœtus electus tantæ sit monstrositatis, vt meritò ambigi possit, quânam animâ regantur motus eius, rationali, vel pecuina? Et, quamvis ob favorem animæ sub conditione baptizari debeat, de irregularitate alia est ratio, quia non est favor; sed odium, aut pœna iuris.

56. In hoc ergo dubio certum apud omnes est, præmittendam esse exactam diligentiam inquirendæ veritatis, iuxta rei capacitatem, prius quàm dubitans se gerat, vt omnino immunis ab irregularitate homicidij, ministando in Ordinibus susceptis, vel de novo suscipiendo illos. Nam, si dubium facta diligentia vinci possit, & reduci ad moralem certitudinem commissi infanticidij, v.g. manifesto periculo se temere exponit agendi contra irregularitatem iam procul dubio contractam, perfringendique leges illius. Et hoc generale est in omni dubio, sive iuris, sive facti, dum non est examinatum; sed adhuc manet vincibile: semper enim debet dubitare practicè, antequàm congrua inquisitio præmittatur, qui est dubius speculativè de aliqua lege, vel facto, cui certæ obligationes annectuntur,

ac putare, se in eo statu legibus ipsis adstringi. Quocirca neque in hoc casu ad excusationem sufficit sola notitia probabilis negativa facti, aut legis, quoties etiam est probabilis affirmativa illius. Par namque in vtrovis dubio temeritas cernitur, interim ac superari potest, æqualis formido, parque periculum violandi legem præcipitanter susceptum propter negligentiam cognoscenpi ipsam, aut certò sciendi veritatem facti, vnde pendet obligatio illius. Nec inadvertentia, aut ignorantia privativa certitudinis potest excusare à peccato, vel reputari invincibilis, cùm defectus cognitionis certæ ineſt nobis ob incuriam.

57. Quòd si notabile damnum dubitanti sequeretur ex eo, quod se gerat interim vt irregularis, v.g. quia præteribit occasio acceptandi beneficium sibi necessarium ad sustentationem vitæ, aut status, & maximè, si vocatus erat, aut præsentatus ad ipsum, vel certè suscipiendi Ordines sacros, cùm magni interest eorum susceptionem non differre, puta, quia promotus est ad beneficium habens curam animarum, & interim elabetur annus, quo debet presbyter fieri, tunc P. Bresserus *lib. 4. de conscient. num.* 62. existimat cum Salas, & alijs non paucis, licitè posse inquisitione durante promoveri, aut acceptare beneficiū, quia res non patitur moram, & lex humana non obligat cum tanto dispendio ad observantiam sui in casu dubio. Neque in hoc sensu contradicit Thomas Sanchez *in summa. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 37. licet aliàs rectè putet, solam dilationem ordinum absque alio damno, quia modici præiudicij est, ab ista obligatione non eximere.

58. Tota igitur difficultas devolvitur ad eum casum, quo dubium est invincibile, & facta pro loco, ac tempore opportuna diligentia, adhuc manet in ancipiti, vtrùm fœtus culpabiliter abactus fuerit informatus animo rationali, vel eo potius destitutus? Censeo autem, in hoc casu nullam irregularitatem incurri. Ita Giballinus *de irregul. cap.* 4. *q.* 1. *num.* 26. *fol. mihi* 132. Bardi *de consc. disp.* 6. *cap.* 7. §. 4. *num.* 2. *&* 3. Præpositus *in* 3. *p. q.* 5. *de irreg. dub.* 8. *num.* 58. Scildere *de princip. consc. tr.* 5. *num.* 71. vers. *Secundo.* Machado *de perfect. Confessar. tom.* 1. *lib.* 2 *p.* 3. *tr.* 17. *docum.* 10. *num.* 3. Tamburinus *de censur. lib.* 10. *tr.* 4. *cap.* 5. *num.* 18. Gonçalez *in cap. Significasti.* 18. *num.* 7. *in fin. de homicidio.* Antonius de Escobar *in summa. tr.* 4. *exam.* 6. *num.* 161. Escobar del Corro *tract. de vtroque foro. art.* 1. *num.* 89. nec displicet omnino Pellizzario *tr.* 7. *cap.* 5. *num.* 25.

59. Moveor, quia irregularitas haudquaquam contrahitur, nisi sit expressa in iure, ex regula diserte tradita *in cap. Is qui.* 18. *de sent. excom. lib.* 6. Nullibi autem reperietur expressim tradita in iure istiusmodi irregularitas pro causantibus abortum in mero dubio circa animationem fœtus. Omnes enim textus, qui allegantur, apertissimè loquuntur in dubio circa homicidam; non verò circa homicidium, supponuntque hominem vivum certissimè occisum esse, & hoc posito, ac supposito ex ipsis factis, de quibus agunt Pontifices, tradunt, quid factu sit opus, cùm aliquis dubitat, an fuerit occisor eius? Quod non est dubitare circa factum; sed circa facientem: nec ambigere de corpore delicti; sed solùm de delinquente. Porrò in dubio animationis immediatè versatur ambiguitas circa corpus delicti quoad substantiam, dubitaturque, an re vera homicidiū factum fuerit; de faciente verò nulla est dubitatio: quia ipse certissimè novit, se causam dedisse abortui fœtus animati, vel inanimis, effectumque esse

esse sequutum. Vnde casus est valde diversus, & quodammodo cõtrarius. Esset autem magis similis, si poneretur, quempiam percussisse alterum vulnere de se lethali; sed dubitare prudenter, an esset vivus, an mortuus, cùm ita in illum desævijt: vel dedisse abortui causam; sed meritò ambigere, an ille sequutus fuerit: vel nescire, vtrùm sit vivus, aut mortuus homo, quem ipse percussit, cùm de percussione dubitat, num fuerit gravis, vel levis? De his autem dubijs neque Auctores disputant, neque est cur ad ea trahatur sub tanta diversitate dispositio illorum textuum.

60. Explicatur. Nam expressio prædictæ irregularitatis fundari potest solummodò, vel in illis iuribus, quæ tractant specialiter de dubijs pertinentibus ad homicidium, vel in illis, vbi generaliter imponitur pœna irregularitatis homicidis. Non in prioribus. Nam, vt omittam alia subijcienda inferiùs, in eis omnibus supponitur ex facto ipso homicidium esse certum, & dubium versari tantùm circa causam, seu Auctorem eius. Non in postremis. Quia leges odiosæ absolutè agentes de delictis non extenduntur ad dubia, nec sua gravamina imponunt alijs, nisi omnino certis. Quod non solùm in reservationibus, censuris, ac quibusvis alijs pœnalibus, ac odiosis, & propterea restringendis, inoffensè procedere intelligitur; verùm etiam in hac ipsa materia irregularitatis, vbi communiter Auctores censent, pœnas per sententiam iudicis irregulari infligendas, v.g. privationem beneficij anteà possessi, non incurri ob facta dubia, & meritò, quia recta ratio non patitur, vt in dubio criminis damnetur reus. Sed neque in vllo alio dubio facti, cui certò est annexa irregularitas, ex.g. rebaptizationi, aut hæresi, eam incurri etiam quoad effectum, vel non recipiendi Ordines, vel non vtendi susceptis, receptior sententia est contra Molina, Vasquez, & nonnullos alios, excepto duntaxat dubio homicidij culpabilis propter specialeis rationes, ac dispositiones iuris, quę versantur circa illud, & ad alia dubia facti generaliter non pertinent. Ita P. Sanchez *vbi suprà à num.* 47. Suarez *disp.* 40. *de cens. sect.* 6. Angelus Bossius *de consc. p.* 2. *à num.* 1353. apud quem videri possunt Navarro, Coninc, Barbosa, Avila, Fagundez, Layman, Bonacina, Bauni, Filliucius, Fragoso, Portel, Arriaga, quibus addunt Merollam, Palao, Dianam, & alios Tamburinus *eo cap.* 5. *num.* 6. & Leander *tr. & disp.* 1. *de irregul. q.* 18.

61. Contraria nihilominùs sententia affirmans, in casu dubij circa animationem fœtus irregularitatem contrahi, maximè inforo interiori, saltem quoad effectum abstinendi ab vsu, ac receptione Ordinis sacri, communissima est inter Doctores, quos sequitur, & appellat Bossius *suprà num.* 1319. Sanchez *num.* 43. Molina *de iust. & iur. tr.* 3. *disp.* 27. *num.* 4. Potissimum autem fundamentum eius sumitur *ex cap. Ad audientiam.* 12. *cap. Significasti.* 18. *de homicidio*, vbi generaliter expressum putatur, cùm dubium facti circa homicidium intervenit. Sed cùm nullus ex his textibus loquatur de dubio homicidij quoad substantiam; sed de circumstantijs eius, & occisio semper supponatur tanquam certa, vt legenti patentissimè constabit, frustra trahitur decisio ipsorum ad alios casus, vbi occisio est merè dubia, & de vita, aut morte tota quæstio. Et sanè, si ad alia dubia aliqualiter similia expressis extendenda foret resolutio inibi tradita, omnium aptissimè ad mutilationem dubiam extenderetur: nam mutilatio, & occisio quammaximè æquiparantur quoad effectum irregula-


gularitatis contrahendæ. Atqui de mutilatione dubitans irregularitatem non contrahit, nec vsque ad ipsam ampliatur dispositio illorum textuum, etiam in sententia eorum, qui in casu homicidij dubij aliter sentiunt, vt videre licet apud P. Sanchez *suprà num.* 49. Bossium *à num.* 1359. qui refert Layman, Fragosum, Bauni, Bonacina, atque Diana, præter quos, Suarium, Palao, Barbosam, & alios exhibet Leander *suprà q.* 17.

62. Ex dictis subinfert Bardi § 6. eum, qui abortum procuravit die à conceptione quinquagesimo, & discernere non potest, an sit fœmina, vel masculus, licitè posse se gerere, vt omnino liberum ab irregularitate. Quia perinde est dubitare de sexu fœtus abacti eo tempore, ac ambigere de illius animatione, cùm probabilissimum sit, fœminam non animari vsque ad diem octogesimum. Et confirmatur, quia nullum est fundamentum præsumendi, eiectum esse masculum, & proinde animatum prope diem 40. vbi neque ex lineamentis, neque ex motu, neque ex vllis alijs probabilibus coniecturis, aut indicijs discerni valet à fœmina. Et ideò in criminali iudicio, vbi melior est conditio negantis, quàm affirmantis delictum absque probatione certa, in dubio circa animationem fœtus is, qui abortui causam dedit, non punitur pœna ordinaria homicidij; sed mitiore alia iuxta qualitatem dubij, vt est in praxi receptum, & traditum à Molina *ea disp.* 27. *num.* 4.

63. Sed hæc non modica luce, atque explicatione indigent, quia cõfundere videntur dubium circa formationem, aut informitatem fœtus cum dubio circa differentiam sexus fœminini, aut masculi. Certum namque reputari debet, puerperium fuisse animatum, si rectè formatum exeat quoad partes magis conspicuas (quocumque tempore id accidat) tametsi aliæ minutiores, atque ipsa sexus distinctio, in corpusculo adeò parvo, quod sæpe est instar apiculæ, adhuc non valeat discerni, vel non nisi à peritioribus, & valde oculatis Medicis, aut obstetricibus, quæ sæpe abortienti desunt. Nec quoad hoc vlla probabilis differentia assignari valet inter masculos, & fœminas, quia etiam fœminis, dum sunt formatæ, rationalis animatio non differtur. Vnde, si fœtus abactus die quinquagesimo non informis, sed formatus appareret quoad alia membra, tametsi distinctio sexus non constaret, nec formatio illius discerneretur, adhuc certa reputanda esset eius animatio. Aut enim sententiam sequimur S. Augustini, & Hippocratis *à num.* 50. declaratam, & iuxta ipsam nil interert dubitatio circa sexum fœtus eiecti, cùm omnes, sive masculi, seu fœminæ ante diem 50. perfectè formati sint, & rationali animo informati. Vel potiùs sectari libet sententiam contrariam, quæ viris dies 40. assignat, vt animentur; mulieribus verò dies 80. aut 90. & tunc fœtus necessariò præsumendus esset masculus, & ideò animatus die 40. Nam, si foret fœmina, non esset die 50. formatus quoad omnia alia; sed semiformatus, valdeque imperfectus, cùm tot dies adhuc desint ad eius formationem necessarij; & verosimiliter dici non possit, ad solam delineationem, atque formationem partium, quibus fœminæ à viris distinguuntur, fere tantumdem temporis requiri, quantum satis fuit ad formationem omnium aliarum.

64. Rectum igitur iudicium circa animationem fœtus, qui per abortum ejicitur, ex eius formatione, vel informitate est efformandum, vt certæ irregularitati subiaceat, alijsque homicidij pœnis, in foro etiam criminali, quisquis abortioni ipsius iam for-

formati causam dedit, delinquendo graviter contra quintum Decalogi præceptum; secus verò, si abigatur informis, aut semiformatus. Porrò istiusmodi diversitas ipsis oculis sæpe conspicitur, & etiam in parvo corpusculo discernitur ab expertis. Vbi autem, inspectis omnibus, dubium manet, vtrùm fuerit formatus, sicut rationali animo est opus ad opera vitæ saltem augmentativæ suo modo exercenda, licet aliquos defectus habeat, quos solent etiam habere homines, postquàm sunt nati, tunc vtique locus erit alijs coniecturis, & maximè computationi temporis, quod interceſſit à die conceptionis, vel, si mavis, commixtionis seminum vsque ad diem abortus. Erit autem non iam strictè dubium; sed valde probabile, iuxta sententiam Hippocratis illum, seu marem, seu fœminam, ante diem quinquagesimum sufficiēter iam formatum, & consequenter animatum esse, idque pro certo debet reputari, nisi aliunde detur probabilitas contraria reddens rem opinativè dubiam, & ambiguam ab vtraque parte. Nam vbi duæ opiniones verè probabiles se mutuò enervant, & altera negat, alia affirmat, fœtum iam esse formatum, nulla incumbit obligatio sese reputandi irregularem, neque id est in iure expressum potius, quàm in casu dubij strictè talis, vt patebit percurrenti præcitatos textus, & tradit vbi suprà Tamburinus *num.* 32. Legesis Bossium ex *num.* 1321. vbi alia quamplura colligit non parum vtilia ad praxim.



DISSER-

DISSERTATIO XXIIJ.

DE FVRTIS PAVPERVM.

Egentes furari ſolent prætextu neceſſitatis, ſervientes prætextu compenſationis, iudicantes ſalarium, quod accipiunt, non eſſe æquale operæ, quam exhibent: & vtriſque habenas vltra modum laxant duæ propoſitiones examinandæ in ſequentibus.

CAPVT PRIMVM.

An permiſſum ſit furari in neceſſitate gravi, vel extrema?

1. THeſis 36. ex damnatis ita de hac quæſtione cenſet: *Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate; ſed etiam in gravi.* Vbi, vt legis, præſupponitur, in neceſſitate extrema licitum eſſe furari, atque ad gravem idipſum promiſcuè extenditur. Inde autem apparet ſtatim abſurditas huius theſis: quia furari nunquã licet, quamvis interdum ſit licitum accipere ſibi alienum. Nomen namque furti in ſuo conceptu iniuſtam, ac fraudulentam acceptionem rei alienæ importat, & ſub hac ratione generaliter prohibetur, tanquam intrinſecè malum, & iuri naturali contrarium, quinto præcepto Decalogi: *Non furtum facies*: ſicut homicidium, mendacium, aut adulterium. Quocircà, ſicut ſcandaloſum eſſet dicere, permiſſum eſſe homicidium miniſtris iuſtitiæ publicæ, aut privatis in neceſſitate extrema defendendi inculpatè vitam ſuam, nam hoc ipſo homicidium eſſe deſinit, quamvis homo interficiatur, & rationem iniuſtitiæ amittit, ſub qua ſine exceptione vetatur præcepto non occidendi, ſic pariter in furto contingit, quia re vera non eſt furtum, dum neceſſitas extrema facit bona omnia communia. Et is, qui accipiendo alienum in eo eventu exiſtimaret, ſe furari, ſeu violare ius alterius, pernicioſiſſimè erraret, & fur eſſet coram Deo.

2. Ideò Angelicus Præceptor 2.2.*q* 66.*art.* 7.*corp.* & *in ſolut.ad* 2. ſapienter animadvertit, hîc *non eſſe furtum propriè, & in comment.* Caietanus addit, meritò eſſe animadverſum *ob quorumdam ignorantiam*, & concludit: *Vnde abuſiva locutio eſt, quòd liceat furari in extrema neceſſitate, & aliæ huiuſmodi, ſicut non rectè diceretur, quod iudici licet committere homicidium.* Idipſum notat Valentia *ibidem diſp.* 5. *q.* 10. *punct.* 5. verſ. *Poſtremo*, Cardinalis de Lugo *diſp.* 16. *de iuſt.* & *iur.num.* 139. Leſſius *diſp.* 12.*num.* 69. & 72. dicens, *talem acceptionem non eſſe furtum, aut rapinam*, quia dominus conſentire tenetur, nec poteſt cum ratione eſſe invitus quoad ſubſtantiam acceptionis, cùm tu vtaris iure tuo. Tamburinus *lib.* 8 *in Decalog.tr.*2.*cap.* 1.*num.* 5. Eſcobar *in Theolog.moral. lib.* 34.*cap.* 1.*num.* 1. & paſſim alij ſcribentes. Quibus Abulenſis *præluxit in cap.* 3. *Exodi. q.* 10. dicens: *Iſte modus loquendi valde inconveniens eſt, & falſus, ſcilicet, quod Deus faceret, quod aliquid, quod erat*

verè furtum, non esset verè peccatum, quia hoc videtur implicare contradictionem.

3. Propterea audiri non debet Gonet *in clypeo Thomist. tom. 2. dissert. de probabilit. num.* 157. dum modum istum loquendi, atque sentiendi de furto Lessio attribuit, Tamburino, & Escobario, qui nusquam apud eos legitur, nisi expressim improbatur, ac positivè reiectus. Melius id posset adscribere suo Sylvestro verb. *Furtũ. q.* 5. scribenti: *Non tenetur restituere, qui furatur in necessitate non extrema. sed magna, vbi alius tenebatur subvenire*, & afferenti, in eodem casu *excusari à toto furtivè subripientem.* Sed per me Sylvestrum excusare liceat, quasi impropriè sit loquutus, idque pateat ex contextu: neque enim animus est Auctores prægravare; sed fovere. Liceat etiam excusare Laurẽtium Maria Pisani *in praesenti num.* 2. vbi præmittit, *certum esse apud omnes licitum esse furari in extrema necessitate*, nam postea *verius* existimat ibidem furtum non esse. Vnus Diana mihi apparet inter eos, quos potui legere, se gessisse valde incautè, nam ter hanc quæstionem versat, & semper illam proponit sub verb. *Furandi*, & sub eisdem ipsis terminis, quibus damnata est, vt iacet, semperque contendit esse probabilem sententiam affirmativam, quin explicet, furtum tolli ratione necessitatis, & quod aliàs esset furtum, in prædictis circũstantijs nullatenus furtum esse. Sic sentit *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 29. & *p.* 5. *tr.* 8. *resol.* 23 & *p.* 11. *tr.* 1. *resol.* 13.

4. Quocirca omnino est cavenda inordinata hæc loquutio contraria verbis Decalogi, ac decreto Pontificio, reddensque aliquando licita furta, latrocinia, atque rapinas, eaque excusans ob necessitatem, sive gravem, sive extremam, ac si præceptum negativum, quo vetantur iure naturali, atque Divino, non obligaret semper, ac pro semper. Quod si, exclusa voce furti, quæ in thesi damnata habetur, ad rem ipsam deveniamus, inquirendo, an sit permissum accipere sibi alienum invito domino ipsius, non tantùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi, adhuc non deerit, quod meritò potuerit carpi, atque prohiberi fidelibus per Pontificiam censuram in thesi, vt iacet, accepta. Indefinitè enim traditur id esse permissum in necessitate gravi, & eadem generalitate, qua dicitur licitum esse in extrema; hoc autem ita indigestè prolatum, & absque necessarijs cautionibus, quas etiam adijciunt illi, qui benignius opinantur in hoc puncto, & ansam præbet frequentibus latrocinijs, & nulla ratione potest existimari tutum, aut probabile.

5. Certissimum namque est furtum committi, & non sumi absque peccato rem alienam, nisi ab illo, qui necessitati alterius hîc, & nunc tenetur subvenire: nam si ad hoc non teneatur, nil aget contra rationem, quãvis subvenire nolit; sed rationabiliter invitus esse poterit, & ius dominij sui illæsum præservare. Evidens autem est, neque aliud dici potest absque pernicioso scandalo, furtum, atque adeò peccatum committi ab illo, qui sibi accipit alienum, rationabiliter invito domino, vt ex recepta ipsius definitione patet. Porrò dominum sæpe esse posse rationabiliter invitum, quamvis alter sit in gravi aliqua necessitate constitutus, inde patet, quia non semper tenemur subvenire cuicumque, nec qualemcumque necessitatem patienti, neque ex quibuscumque bonis nostris; sed in his omnibus, alijsque eorum circumstantijs facilè potest contingere magnus error in via morum, & obijci non leve offendiculum, nisi certæ limitationes adijciantur, quibus sublatis, clandestina

na acceptio rei alienæ furtum erit, & neceſſitas in latrocinium mutabitur.

6. Ideò cautiſſimè Leſſius loco ſuperiùs citato ad excuſandam prædictam acceptionem à peccato furti meritò exegit, vt dominus conſentire teneatur, quin poſſit eſſe cum ratione invitus quoad ſubſtantiam rei acceptæ, etſi fortè ipſi diſpliceat modus clandeſtinus accipiendi, non petita priùs licentia, nec manifeſtata ſibi alterius neceſſitate. Ideò etiam animadvertit, id non eſſe licitum, cùm is, cui res intercipitur, parem indigentiam habet, aut cùm ſtatus illius læderetur notabiliter, quia caret bonis ſuperfluis, vel parum neceſſarijs eidem ſtatui, aut cùm malum accipientis aliter averti poteſt, & ſpes alterius remedij non eſt omnino ſublata. Ideò inſuper admonuit, non quamvis neceſſitatem gravem, etiam nuditatis, morbi, aut famis, ſufficere ad hunc effectum; ſed eam ſolam, quæ *valde* gravis eſt, & ex qua facilè devenietur ad extremam, niſi tempeſtivè præveniatur. Et non aliter, quàm ſub his limitationibus, iudicat eſſe probabilem ſententiam Sylveſtri, Angeli, Medinæ, Petri Navarra, & aliorum, qui in neceſſitate gravi licitum eſſe dixerunt bona alterius abſque ipſius licentia, ſaltem tacita, prudenterve præſumpta, clandeſtinè præoccupare. Leſſium appellat, & ſequitur Tamburinus *lib. 8. in Decalog tr. 2. cap. 6 §. 1. à num. 2.* necnon Eſcobar *tom. 6. Theolog. moral. lib. 49. à num. 279.* vt propterea ſit mirandum, hiſce Auctoribus imputari ab aliquo potuiſſe propoſitionem in præſenti condemnatam, cui tot modis contradicunt.

CAPVT II.

Quibus circumſtantijs opus ſit, vt abſque furto auferatur res aliena ratione neceſſitatis?

7. OMnium potiſſima, ac receptiſſima eſt, vt neceſſitas ſit tanta, quod dominus à quo invito res auferetur, pauperi exponenti illam voluntariè ſubvenire teneatur, aut ſaltem auferenti non reſiſtere. Vnde quidquid dominum excuſat per ſe, ac ſecluſa ignorantia indigentiæ alienæ, ac ſufficientiæ propriæ ab obligatione dandi, & liberam ei relinquit facultatem reſiſtendi, eo ipſo culpat auferentem prætextu neceſſitatis vi, vel clam, quæ ſunt illius. Deeſt namque licentia domini, etiam tacita, aut præſumpta, cum poſitivè invitus ſupponatur, & nullatenus daturus, etiam conſcius, ac rogatus. Deeſt etiam licentia debita, cùm ponatur, nulla lege iuſtitiæ, vel charitatis dominum obligari ad conſentiendum, nec contra rationem agere, quamvis poſitivè ſit invitus; ſed diſſentiendo vti iure ſuo, ac licita reſiſtendi facultate. Quid ergo ſupereſt, niſi vt pauper ita accipiens furti reus conſtituatur? Ita enim fur, ac proprietarius eſſet religioſus, qui bona monaſterij vſurparet abſque vlla Prælati licentia data, aut debita. Nam quidquid ſit, an ſola debita ſufficiat ad tollendum vitium proprietatis, nemo dubitat, eam ſaltem requiri, cùm Prælatus eſt invitus, & deficit omnis alia.

8. Addiderim rurſus, hoc debitum debere eſſe liquidum. Nam ſi ſolùm ſit dubium, aut probabile, melior erit conditio poſſidentis, quàm

egentis, & domini, quàm non domini, etsi pauperis. Quare sicut compensatio occulta debitum iustitiæ postulat liquidum, & (sicut loquuntur plurimi) luce meridiana clarius, vt in latrocinium non degeneret, sic ablatio clandestina rei extremè, aut valde necessariæ, vt à vitio furti, & alijs expurgetur, adeò clarum, & conspicuum debitum misericordiæ requirit in eo, cui res suæ auferuntur, vt nulla verè probabili ratione se tueri valeat, aut esse licitè invitus quoad rei ereptæ substantiam. Nam si licitè est invitus ob opinionem probabilem sibi faventem, rationabiliter quoque invitus erit; occulta autem contrectatio rei alienæ rationabiliter invito domino nequit à furto excusari. Et sanè contraria opinio prætextu necessitatis frequentibus latrocinijs, ac rapinis ansam præbet, & tràquillitati publicæ adversatur, dum bellum vtrimque iustum inter divites, & pauperes hac occasione introducit. Nam sicut pauper innixus sua probabilitate illum spoliat, quem abundare opinatur, ita hic poterit vicissim, contraria sua probabilitate fretus, extorquere ab ipso, quod ablatum fuerat sibi. Ideò Angelicus Præceptor *in dicto art. 7. evidentem, ac vrgentem* pauperis necessitatem exegit ad vsurpandum sibi res alienas propria auctoritate; eadem autem ratio est de obligatione divitis, à quo invito sibi succurrere intentat oppressus necessitate. Quippe si obligatio illius non sit evidens, sed ambigua, ac disputabilis, cùm dominium eius sit omnino certum, ius prælationis ei dabit, & immerito spoliabitur contra voluntatem suam, cogeturque invitus pati amissionem sui dominij sine vsu misericordiæ, cuius prætextu vexatur. Nihil enim dat egenti, nec præcepto huius virtutis isto modo satisfaceret, quamvis vrgeret certissimè: nam in eo, quod mihi abripitur positivè dissentienti, nec misericors sum, nec liberalis.

9. Subiungo præterea, non omne debitum dandi eleemosynam, etiam liquidum, ac clarũ, satis esse, vt is cui conferri debet, possit eam sibi vsurpare contra voluntatem domini. Nam qui ex pœnitentia à Confessario iniuncta, vel ex voto soli Deo nuncupato subvenire tenetur cuidam pauperi, non ideò re sic debita invitus spoliari potest vi, vel clam ab illo ipso, cuius commodum eæ obligationes respiciunt. Illi quippe tanquã proprio creditori, aut habenti verum ius ad ipsam nil debetur in eo casu; sed respectu ipsius eleemosynæ exhibitio pura gratia est, ac merus favor; tametsi respectu Dei ex virtute pœnitentiæ, aut religionis vrgeat gravis obligatio. Vnde neque compensatio occulta, vel violenta in hisce debitis, aut debito gratitudinis locum habere putatur (quidquid in contrarium dixerit Petrus Navarra) nec dominus est contra rationem invitus respectivè ad auferentem, quamvis peccet, agatque contra rationem consulentem debito aliarum virtutum, quo tenetur ipse sponte dare, non verò pati, vt res suæ ab alio sibi eripiantur.

10. Confirmatur. Quia non minus, imò plus iuris requiritur ad auferendum primò rem à vero domino, atque possessore illius, quam ad non reddendum ipsi, quod iam anteà debebatur; & nihilominùs domino exigenti quod suum est, reddi debet, quamvis exigendo peccet contra religionem voti, quo ad non petendum illud se obligavit. Vnde communis sententia, & hoc tempore recepta, quam tenet multis relatis P. Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 6. num. 7.* tradit, vxorem peccare, & quidem contra iustitiam, non reddendo viro debitũ, etsi

etsi sciat, illum voto castitatis esse obstrictum, & petendo, illud violare. Quod eo loci dictus Auctor confirmat altero exemplo ad rem nostram satis apto. Nam siquis deposuisset apud pauperem centum aureos, & posteà nihil ei donans, aut promittens; sed Deo soli, se voto obligasset ad non repetendos illos; adhuc pauper domino exigenti eos reddere teneretur, sicut anteà tenebatur, quia ex vi voti ad retentionem nullum ius denuò adquisivit, quo se defendere valeat. Atque in casu pœnitentiæ id patet non minùs clarè, si Confessor iniunxisset diviti in satisfactionem suorum peccatorum, ne depositum, aut commodatum, quod statim posset repetere, à suo debitore exigeret; sed per modum eleemosynæ reddendi inducias præstaret. Et similiter, quamvis Prælatus ex legè, aut præcepto regulæ, vel alterius Superioris debeat concedere subdito licentiam retinendi, aut assumendi ex bonis monasterij aliquot nummos, & propterea peccet illam denegando, non ideò religioso integrum erit eos retinere, aut assumere absque furto, ac vitio proprietatis.

11. Constat igitur, obligationem dandi esse supponendam in eo, cui res suæ auferuntur, vt pauper à furto excusetur; sed non sufficere quamlibet, vt illo nolente dare eiusmodi excusatio subsistat. Ita enim accidit in casibus proximè adductis, alijsque affinibus, vbi furtum perpetratur rapiẽdo, aut contrectando rem alterius, non obstante obligatione dandi, cui supponitur adstrictus. Atque, vt reor, & exinde comprobatur, sic evenit quoties dominus non est contra iustitiam invitus quoad translationem dominij, vel vsus rei suæ in alterum; sed eam defendere, atque retinere valet absque iniustitiæ peccato, & absque vlla iniuria alterius. Nam si nullam ei iniuriam facit, vel nolendo sponte dare, vel resistendo rapienti, vel volendo, ne ab altero sumatur occultè, sed in his omnibus iure sui dominij vtitur, & non lædit ius alterius, consequens est, vt vice versa iste lædat ius ipsius, & contra iustitiam agat vi, vel clam sibi appropriando, quod iure suo ille retinere poterat, quamvis alioqui peccaret contra debitum misericordiæ, religionis, alterius ve virtutis, quæ nullum ius in re, aut ad rem alteri confert, cui ipse teneatur satisfacere, non obstante suo domino.

12. Quocirca vt in his eventibus iusta mensura accipiatur, & nec domino, nec pauperi tribuatur nimia licentia, vi cuius oriri possit bellum iustum ab vtraque parte, altera defendente suum dominium, alia suam necessitatem, necessariò est inspiciendum, vtri ex illis ius prælationis conveniat, & in quibus circumstantijs. Etenim si attentis omnibus id pauperi competit adversus dominum, nõ obstante eius dominio, ratione necessitatis, cui aliàs nequit occurrere, illi quamtumvis invito se iustè præferre poterit, & illam sibi appropiare quoad vsum, si eo solo indiget, aut consumere, si ipso vsu consumatur. Sin verò ex adverso dominus ius prælationis retineat, non obstante alterius paupertate, v.g. quia ipse fortè incidet in aliam similem, si destituatur re sua, tunc vtique sua pauperras nihil indigenti proderit, vt se domino absque iniuria illius possit præponere, & assumere rem eius, ipso repugnante, vel invito. Cuius rei plurima exempla obvia sunt. Nam similis prælatio inter creditores attenditur, dum quãplurium iura mutuò opposita concurrunt, & in Republica, cùm ad sui conservationem bonis privatorum indiget, & concurrit necessitas istorum cum necessitate illius.

CA-

CAPVT III.

Obiectiones.

13. OBijcis tamen. Divites non tenentur ex iustitia, sed ex sola misericordia, aut charitate subvenire pauperi extremè indigenti pecunijs, aut equo ipsorum ad servandam propriam vitam. Ergo non licebit pauperi eas contrectare, aut eripere: iure enim iustitiæ caret: nam, si haberet ius iustitiæ, dives contra hanc virtutem peccaret non erogando eleemosynam; & non præcisè contra legem misericordiæ, aut charitatis, quam debebat erga ipsum. Facilè tamen instatur, retorqueturque argumentum. Nam, si ius iustitiæ deesset pauperi in eo eventu, nec vi, nec clam sibi posset appropriare rem, aut vsum rei ab altero occupatæ contra voluntatem eius: ad modum quo nullo ex his modis eam auferre potest, cùm ex religione, aut alijs virtutibus præter iustitiam debetur. Nil enim speciale quoad hoc habet debitum solius misericordiæ, vt hanc tribuat facultatem, secluso consensu domini, aut iure proprio auferentis, atque eapropter neque eam tribuit, saltem cùm vrgens necessitas non est adeò gravis, vt accedat proximè ad extremam.

14. Respondeo itaque cum P. Sanchez *in consilijs lib. 1. cap. 5. dub. 5. num. 59.* & P. Laymã *in summa Theolog. moral. lib. 3. sect. 5. tr. 3 p. 1. cap. 1. num. 7. in fin.* satis probabilem esse sententiam, quæ in hoc casu putat eleemosynam ex iustitia deberi. Illam namque S. Thomas haud obscurè tradidisse videtur *q. 13. de malo. art. 2. ad 4.* sequutus Basilium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Beda, & alios, quorum verba legi possunt apud P. Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 9. punct. 4. §. 2. probat. 2.* & hoc clarissimè sonant, si suo sensui relinquantur. Basilius enim ait, iniuriam fieri famelico, aut nudo denegatione eleemosynæ. Ambrosius, perinde esse, atque iam habenti tollere. Hieronymus, aliena rapere. Augustinus, & Beda, invadere aliena. Acceduntque Caietanus, Aragon, Sarmiento, Spino, & Petrus Navarra, ac alij, quos idem Sanchez appellat. Nec valde operosum erit dicere, rerum dominia sub hoc onere conferri ex naturali, ac Divina institutione: nam & hoc Patres significant, sive cùm tradunt, hominibus tanquam dispensatoribus commissa esse, sive cùm docent, esse bona pauperum: hoc namque vt minimum postulat, ni improprijssimè accipiatur, quod sint istorum in iure, ac vero iustitiæ debito.

15. Verumtamen quia valde communis, ac probabilis sententia putat, debitum dandi eleemosynam, etiam extremè indigenti, non esse iustitiæ strictæ, sed solius misericordiæ, aut charitatis, hoc admisso, adhuc respondeo, subtiliter distinguendum esse, quonam iure dives dare teneatur eleemosynam in hoc extremo, & quo iure liceat pauperi, divite nolente dare, nec satisfacere huic debito, rem, qua indiget, sibi appropriare, vi adhibita, si opus fuerit. Nam, si de prima obligatione loquamur, libenter potest concedi, illam non esse iustitiæ, sed misericordiæ, aut charitatis, atque adeò pauperi, cui solùm debetur ex lege istarum virtutum, nullam irrogari iniuriam nolendo ipsi subvenire, nullumque ius ei competere auferendi à vero domino rem, qua extremè indiget, donec ille intelligatur nolle sponte dare, nec satisfacere huic obligationi, quæ actum eius prærequirit, & absque consensu ipsius, saltem tacito, aut præsumpto, non

non impletur. At verò vbi iam agnoſcitur nolle dare, aut non daturus etiam rogatus, ac conſcius neceſſitatis alienæ, tunc dicimus, competere pauperi extremè indigenti ius iuſtitiæ ad illam auferendam, non obſtante eius dominio, & tantum abeſſe à furto, vel rapina eiuſmodi acceptionem, vt dominus abſque iniuria pauperis illi reſiſtere nequeat, & ſi id faciat, vim illius tanquam iniuſti aggreſſoris vi repellere licebit cum debito moderamine. Nam pauper iure ſuo vtitur auferendo, ſibique appropriando rem, aut ſaltem eius vſum, quandiu durat ſua neceſſitas: & ſicut iniuriam ei faceret dominus, ſi cibum v. g. iam ab eo occupatum raperet in continenti, impediretque eius vſum vi, vel metu, ſic ſimiliter iniuriam irrogat, & vim facit impediendo, ne illam auferat propria auctoritate, cùm non aliter ſuæ indigentiæ ſubvenire poteſt, & frui iure re illa vtendi.

16. Notavit diſcrimen iſtud inter obligationem ſubveniendi pauperi, cuius eſt nota neceſſitas, & obligationem patiendi ſine reſiſtentia, vt ipſe auferat illam rem, qua extremè indiget, & dominus dare renuit, P. Coninc *diſp. 27 de actibus ſupernatur. num.* 169. & qui eius veſtigia premit, licet ipſum impugnare videatur, Card. de Lugo *tom. 1. de iuſtit. & iur. diſp. 16 num.* 144. Sed omnium optimè diſtinxit gradus, & ordinem, quo hæc iura ſibi ſuccedunt, Caietanus 2.2 *q.* 118. *art.* 3. his præter cætera: *Tempore extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia. Ac per hoc bona, quæ alter poſſidet, fiunt mea, ſi patior extremam neceſſitatem. Et ſi poſſidens non ſponte vult mihi ſubvenire, poſſet iudex cogere. Et ſi hæc via deficit poſſum occultè, quaſi per modum furti, vel manifeſtè quaſi per viam rapinæ, accipere quantum mihi opus eſt: quoniam non accipio aliena; ſed communia negata, & impoſſibilia aliter haberi in extrema neceſſitate.*

17. Obijcies 2. In neceſſitate quaſi extrema, ſeu valde gravi, aut graviſſima non perveniente ad extremã, minimè à furto excuſatur is, qui invadit res alienas, domino poſitivè repugnante, & nolente ſubvenire, quãvis ſubvenire debeat. Ergo neque in neceſſitate propriè extrema locum habet ea excuſatio; aut, ſi eam habet, vice verſa pariter licebit abſque furto in alijs neceſſitatibus eripere res alienas. Nam quod vulgariter dicitur, in caſu extremæ neceſſitatis omnia eſſe communia, & propterea quod tunc ſumitur, ſumi de communi, & non de alieno, ſimiliter dici poſſet in alijs neceſſitatibus adeò propinquis extremæ, & ſolùm probat, bona ſic communia poſſe fieri primò occupantis, non verò quod poſtquàm ab alio ſunt priùs occupata, & conſtituta ſub dominio illius, liceat vim inferre ipſi, aut eum cogere, vt deſiſtat, & patiatur, vt ab altero occupentur.

18. Confirmatur. Nam etſi in ſtatu innocentiæ nulla eſſet diviſio rerum, nec dominiorum diſtinctio, quæ introducta eſt poſt peccatum moribus, ac iure gentium, id non tolleret, quo minùs bona, & maximè mobilia, ſic fierent primò occupantis, vt iam abſque ipſius iniuria non poſſent ab alio auferri: vt ſiquis fructum ex arbore ad ſuum vſum decerpſiſſet, ſiquis ligna ſibi collegiſſet ex communi nemore, aut piſces ex fluvio, vel ex mari gemmas; ſiquis ſuo proprio labore confeciſſet ſibi veſtes, aut alia vtenſilia; ſi agrum ſeminaſſet, ac fructus metere vellet; imò etſi domum ſuæ habitationis fabricaſſet. Hæc namque omnia iure naturali eſſent ipſius, & reſpectu illorum ius prælationis haberet, vt rectè explicat

P.

P.Suarez *lib.5. de opere sex dier. cap. 7.num.* 18. & multò plenius Coninc *ea disp.* 27. *dub.* 7. Ergo quod ex vi necessitatis reducantur bona temporalia ad istum statum, ac si iure positivo gentium nulla facta esset divisio, nil iuris conferre potest indigenti, vt vi privata illa eripiat ab eo, cuius sunt iure naturæ, & tanquam propria ab ipso possidentur.

19. Respondeo in necessitate extrema, cui alius hîc, & nunc potest, ac debet succurrere iuxta ordinem charitatis, & non vult, licitum esse absque dubio vi, vel clam ab illo auferre, quæ ipse dare tenebatur, neque eiusmodi acceptionem esse furtum, aut rapinam, cùm nec iudicis officio, nec commodiore alia via potest indigens sibi providere. Quare si nulla est disparitas (vt argumentum contendit) inter hanc necessitatem, & minores alias valde graves, quæ intervenire solent citra extremam, potiùs dicendum esset, in his quoque ablationem esse licitam, & absque omni furto peragi, quàm asserendum, in necessitate extrema furtum committi, aut peccatum auferendo res alioqui alienas. Videtur autem aliquibus nullam congruam disparitatem abhiberi; sed ius prælationis pauperi ex natura rei competere adversùm dominum misericordiæ debito nolentem satisfacere, tàm in necessitate valde gravi, quàm extrema, atque in ordine ad vtramvis res dici quoad vsum communes, & vtramlibet excepram esse (naturali iustitia, & æquitate id postulantibus) cùm Deus indulsit hominibus, vt privatis dominijs vterentur. Neque enim extendi voluit ad hos casus vim dominij, sive iure naturali comparati per occupationem, aut laborem proprium, vel industriam, vel solo iure positivo gentium; sed illæsum præservare vnicuique ius, quod ex primaria Dei institutione habebant vtendi, atque fruendi rebus inferioribus, ac si in nullius bonis essent, pro mensura suæ indigentiæ tanquam instrumentis sibi datis in subsidium, & levamen miseriæ, ac necessitatis adeò graviter prementis.

20. Quæ sententia nunquam putat permissum esse furari; sed potiùs furtum auferri in prædictis circumstantijs: nec videtur improbanda, servatis moderationibus, quas *suprà num.*6. ex Lesio, & alijs adduximus. Eam namque absolutè sequitur cum Sylvestro, & Angelo Coninc *loco citato num.* 162. Fabri *in Apologia fol. mihi* 274. *cap.* 27. Palao *p.*1. *tr.*6. *disp.* 2 *punct.*9. *num.*5. Maldero 2.2. *q.*32. *art.*6. Bonæ Spei *disp.*5. *de charit. dub.* 3. *num.*39. Barbosa *in collect. ad cap. Siquis.*3. *de furtis. num.*4. & inter scribentes de iustitia, & iure Dicastillo *lib* 2. *tr.*2. *disp.*9. *à num.*256. Ioannes Wigers *tr.*3. *cap.*6. *num.*7. ac maxima ex parte Card. de Lugo *disp.*16. *num.* 154 censentibus præterea esse probabilem Lesio, *ibidem.* P. Vasquez *in opusc. de eleemos. cap.*1 *num.*60. Filliucio *tr.*32. *num.*143. Bonacina *tom.*2. *disp.*2. *de restit. q.*8. *punct.* 3. *num.*5. Atque, vt legenti constabit, inter plures ex Auctoribus contentio solùm videtur de nomine necessitatis extremæ. De re enim inter eos constat, servata proportione, idem licere illi v.g. qui equo alterius indiget ad evadendum periculum evidens mutilationis alicuius membri principalis, ac illi, qui vrgetur simili periculo mortis: & hoc solùm differunt, quòd alij mutilationis periculum aliter irreparabile computant inter extremas necessitates, quas putant ad plura extendi, quàm ad periculum mortis, & eodem iure censeri; alij verò nolunt esse extremam, quia ibi deest mortis periculum; esse tamen valde gravem, & talem, vt quoad effectum subveniendi

niendi ſibi, etiam eo invito, qui ex miſericordia ſubvenire tenebatur, & non vult, æquiparetur extremæ, ac reductivè extrema cenſeatur, & eiuſdem ordinis cum illa.

CAPVT IV.

Quæ neceſſitates in particulari auferant rationem furti?

21. QVocirca ne quæſtio de voce rerum veritati officiat, neceſſitates ipſas ex miſerijs, quarum periculum afferunt, & ex modo ipſius periculi inter ſe diſtinguere oportebit, vt re intellecta perſpicere liceat, quid iuris in vnaquaque competat egenti, & an alterius dominium ei cedere debeat, vel contra illud prævalere valeat. Nulla quippe definitio claſſica invenitur, vnde condiſtingui poſſit extrema neceſſitas à non extrema; ſed gravi: & rem iſtam potiùs explicant Auctores exemplis parùm concordibus, quam definitione exacta. Leſſius quidem *vbi ſuprà num.* 67. Covarrubias *in regul. Peccatum. p.* 2. § 1. *num.* 3. & alij non pauci eam ſolam neceſſitatem videntur putare extremam, vbi vita hominis apertè, periclitatur, & ad eius conſervationem, aut tuitionem vſus alicuius rei alienę eſt præciſè neceſſarius. Et hanc eſſe neceſſitatem extremam certum eſt; ſed quod ſit ſola, nequit conſtare adeò facilè. Nam alij ſatis communiter, vt notat P. Suarez *diſp.* 7. *de charit. ſect.* 1. *num.* 4. etiam extremis annumerant evidens, ac vrgens periculum mutilationis, quæ eſt pars mortis, & totalis mors membri amputati, necnon perpetuam amentiam, quæ eſt privatio totius vitæ rationalis. Addit ipſe, his poſſe adiungi periculum totius famæ, aut omnium fortunarum: alijque terminos iſtos modò contrahunt, modò laxant, vt eadem ipſa neceſſitas, quæ apud quoſdam dicitur extrema, apud alios non vocetur niſi gravis, ac vice verſa, vt videre apud eos licet, & præcipuè apud P. Thomam Sanchez *in dicto dub.* 5. *num.* 4. qui ex varijs quamplura colligit circa iſtarum vocum vſum valde inter ſe diſcrepantia.

22. Vocemus igitur extremam neceſſitatem illam, quæ certò eſt extrema, ſcilicet vrgens, ac evidens mortis periculum, cui non aliter occurri valet, quàm ſubſidio opis alienæ, & ſtatim apparebit, dari aliàs, vbi, ſervatis ſervandis, idem ius egenti competit, quod extremè indigenti competebat. Nam in primis dantur aliæ æquipollentes extremæ: quia periculum ab illis imminens, quamvis non ſit mortis corporalis, eſt tamen alterius mali, quod moraliter loquēdo morte ipſa gravius poſsit æſtimari, ita vt prudenter optetur mori potiùs, quàm id pati, vt perpetua amentia, ſtuprumve violentum, vita amariſsima, & alia, quorum exempla exhibuimus *diſſert.* 9. *à num.* 57. & *diſſert.* 21. *à num.* 23. Quis autem non videat, eamdem æquitatem, quæ ſuaſit, ius prælationis competere extremè indigenti quoad vitam rebus cōſtitutis ſub dominio alterius debentis, ac nolentis illa ſponte dare, pariter exegiſſe, vt idem iuris competeret patienti neceſsitatem æquè vrgentem, & æqualem, aut fortè graviorem ex parte mali imminentis, ſive vocetur extrema ſaltem moraliter, quia moraliter morti naturali æquipollet, ſive ſolùm valde gravis, quod, vt dixi, ad vſum nominum ſpectat, & rerum veritatem non diminuit.

23. Rurſus negari non poteſt,

inter graves necessitates rerum etiam attinentium ad conservationem vitæ esse quasdam ferè, aut quasi extremas, seu adeò vrgentis periculi, vt nisi auxilio opportuno præveniantur, meritò timeri valeat, perventuras esse vsque ad extremam. Porrò in eo statu, v.g. famis nimiæ, gravis morbi, aut nuditatis sub hyeme, nondum homo est constitutus in necessitate extrema; sed solùm in valde gravi periculo incidendi in ipsam, nec extrema tunc consideratur vt iam præsens; sed vt imminens, ac contingenter futura vi periculi præsentis. Et nihilominùs id sufficit, vt sine furto pauper sibi providere valeat, auferēdo res alioqui alienas pro mensura suæ indigentiæ ab his, qui non multum indigent eisdem rebus, & cùm illas dare teneantur, inviti sunt, & nec debito misericordiæ sponte sua volunt satisfacere, nec consentire auferenti. Quippe non est expectanda, vt S. Thomas advertit *in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. prope fin.* ipsa necessitas vltima, seu extrema iam contracta, cui fortasse ferum accedet auxilium, aut nullum fortè invenietur; sed sufficit ex parte accipientis metus eius adeò gravis, ac probabilis, vt satis prudenter cadat in virum constantem. Atque de hac necessitate, quam valde gravem constituit periculum veniendi ad extremam, & carendi necessario auxilio, specialiter loquuntur Lugo, Coninc, Lessius, & alij ex his, quos anteà produximus.

24. Quo tandem patet, eas solùm necessitates, quæ sunt quodammodo extremæ, & ad illam revocantur, eo privilegio gaudere, quo efficiuntur res communes, aut citra furtum ab indigente occupabiles contra voluntatem domini, ac si in nullius bonis essent. Nam sicut dominiorum distinctio nec iusta foret, nec æqua, nec Divinæ institutioni consentanea, nisi sub ista conditione esset facta, & ius vtendi, ac fruendi rebus suis citra iniuriam alterius limitatum esset, ne ad hos casus ampliaretur, sic similiter iniqua foret, si ad alias necessitates communes, aut minùs graves eadem limitatio posset absque furto extendi, & vnicuique in illis constituto integrum foret iure suo res alterius reluctantis, ac inviti sibi appropriare, & auferé publicè, aut occultè citra vllam iniuriam eius. Etenim, vt rectè notat Lessius *in dicto cap. 12. num. 71. fin.* cùm illæ sint frequentissimæ, si ea licentia tribueretur hominibus; pax inter ipsos minimè servari posset; sed eo prætextu Respublica plena esset rapinis, furtis, & continuis privatorum bellis, vnoquoque scilicet in re capaci tantæ latitudinis aggravante suam miseriam absolutè, vel comparativè ad alios, & detrectante altero ex adverso obligationem subveniendi ipsi proprijs facultatibus attentis, aut certe optimo iure postulante, vt arbitrium sibi relinquatur subveniendi ei, quem selegerit, aut præferendi inter tantos, quos novit graviùs egere.

25. Cavenda tamen hîc quoque quæstio ancipitis vocabuli, ne circa gravem necessitatem contingat confusio ei similis, quam circa extremam evenire prænotavimus. Ego enim necessitatem gravem à communi condistinctam omnem illam appello cū Suarez *in dicta sect. 1. num. 4.* qua homo nequit sibi subvenire ex proprijs; sed indiget alterius auxilio ad evitandum grave aliquod detrimentum salutis, honoris, status, famæ, fortunarum, similiumve bonorum: atque in hoc sensu recepto satis communiter evidentissimum est, non omnem necessitatem gravem esse fere, aut propè extremam, atque adeò nec adeò gravem, vt à furto excuset, & privilegij extremæ meritò gaudere valeat.

valeat. Imò nunquam eis gaudere iacturam rei familiaris, aut ſtatus iuſtè adquiſiti; ſed ſolum magnæ famis periculum, gravis morbi, ſimiliumve afflictionum, quibus læditur vitæ cõſervatio, & aliter averti non poſſunt, expreſſè apud Leſsium legitur *lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 16. num 15. iuncto num. 31.* Paſsimque apud Auctores invenietur, vt neceſsitates, quas alij inter extremas computant, alij doceant ſolùm eſſe valde graves, vt liquebit obſervanti exempla, quibus vtuntur, & ſatis conſtat ex illis, quæ congeſsit Thomas Sanches *in dicto dub. 5. ex num. 4.* Et hinc ſæpeſæpius evenit, vt cùm circa rem non diſcrepent, aliter ſentire videantur.

CAPVT V.

Illationes.

26. INfero 1. ex iam dictis, quàm fuerit ſcandaloſa, & abſurda theſis in præſenti profligata. Nam qui putat, non eſſe prohibitum patienti neceſsitatem *furari* rem alienam, eo ipſo concedit licitum eſſe illam contrectare, quamvis dominus ſit rationabiliter invitus, & nullo iure eam dare teneatur. At nulla omnino neceſsitas, etiam extrema, cõcedit hanc facultatem. Nam, ſi ad ſubveniendum obligat ex iuſtitia, aut charitate, & ius prælationis tribuit patienti neceſsitatem, eo ipſo facit, vt rei dominus abſque ratione, ac iure ſit invitus, & præſtat, ne ſit furari eam ſibi aſſumere, vbi alia remedia deſunt, quibus vti poſsit pauper. Si verò neque ad ſubveniendum obligat, nec ius prælationis adverſus dominum egenti tribuit, ex. g. quia ille in pari neceſsitate eſt conſtitutus, vel alij, quibus priùs debet ſuccurrere iuxta ordinem charitatis, aut quia ipſe pauper aliunde ſibi providere poteſt eleemoſynis aliorum, quæ roganti publicè aut occultè non defuturæ meritò ſperantur, tunc quidem furtum committet; ſed proculdubio peccabit vſurpando abſque licentia domini rem, quam ille nec vult, nec tenetur dare. Quocirca, aut dicendum eſt, neceſſitatem, omnibus inſpectis, tollere rationem furti, aut aſſerendum, non conferre facultatem contrectandi bona aliena abſque peccato. Coniungere autem vtrumque, retentaque furti ratione, peccatum auferre, eſt prorſus intolerabile.

27. Infero 2. optimo iure eſſe ſtatutum *in cap. Siquis 3. de furtis*, vt *ſiquis pro neceſsitate furatus fuerit cibaria, vel veſtem, vel pecus per famem, aut per nuditatem pœniteat hebdomadas tres.* Ponitur enim, vt ex verbis textus patet, illum commiſiſſe furtum, non obſtante ea neceſſitate, in qua erat conſtitutus, quod multipliciter contingere poſſe, non tantum quoties neceſſitas eſt minùs gravis, ſed etiam cùm eſt extrema, conſtat ex proximè dictis, & alijs, quæ ex Caietano produximus *num. 16.* ac monuimus ſæpe alibi. Porrò dum furtum committitur, peccatum non evitatur, & ſalutaris pœnitentia pro ipſo rectè imponitur. Culpa enim eſt, tametſi minùs gravis, quàm alia furta extra caſum neceſſitatis commiſſa, & ideò levior quoque pœnitẽtia iniungitur, cùm nulla eſſet iniungenda, ſi permiſſa foret talis actio. Vnde & comparando hoc genus furti cum peccato adulterij optimè dicitur Proverb. 6. 30. *Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim, vt eſurientem impleat animam.* Confirmatur. Nam ibi quoque ſupponitur, fuiſſe obligationem reſtituẽdi cibaria, aut veſtem ablatam; imò ipſamet reſtitutio in partem ſatisfactionis accipitur, ne furi ieiunia im-

ponantur. Quod profectò non contingeret, nisi furtum verè, ac propriè tale in eo casu interveniſſet. Nam res vsu consumptibiles propter necessitatem consumptæ absque furto, & iniustitia ab illo, qui est re, ac spe pauper, eiusmodi obligationem non relinquunt, vt communiter Doctores statuunt.

28. Infero 3. hoc eodem sensu semper improbante furtum in quavis necessitate capiendum esse quod dicitur in Pœnitentiali Romano *tit.* 4. *cap.* 16. hisce verbis: *Si feciſti furtum neceſsitatis cauſa, ſic dico, vt non haberes vnde viveres, & propter famis penuriam, & tantùm furatus es victualia extra Eccleſiam, nec propter conſuetudinem feciſti, redde quod tuliſti, & ſex feriàs in pane & aqua pœniteas. Si autem reddere non potueris, decem dies in pane, & aqua pœniteas.* Hactenus ibi. Vbi in primis est notãdum, sermonem esse de necessitate extrema subsidij alieni, v.g. cibi, aut vestis ad conservationem vitæ, vt ea videntur probare: *Sic dico, vt non haberes vnde viveres*; sed non de necessitate excusante à culpa furti publicam, aut occultam acceptionem talium rerum domino positivè repugnante. Neque enim sola necessitas ad excusationem sufficit, nisi etiam sit necessarium vti hoc medio, quia alia desunt, & cœteræ conditiones adsint, quas requiri diximus tàm ex parte auferentis, quàm ex parte illius, à quo invito suæ res auferuntur, vt pauper eas possit vi, vel clam sibi appropriare. Nam, si verè omnes ad fuissent, acceptio culpâ vacasset; imò fuisset actio honesta, & nec furtum ibi interveniſſe diceretur absque magna improprietate, nec restitutio fuisset iniungenda, nec restituenti imponenda in foro pœnitentiali adeò gravis satisfactio, & adhuc gravior ei, qui non restituit, etiam ratione impotentiæ; cùm tamen omnia his opposita in hoc textu sint præscripta.

29. Infero 4. S. Thomam his non contradicere, nec damnatæ propositioni favere, dum *in 4. dist. 15. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 4 ad 2.* docet, illum non peccaturum, qui in statu extremæ necessitatis ea, quibus indiget, *per violentiam, aut furtum acciperet.* Nec item cum *2. 2. q. 32. art. 8. ad 1.* tradit, monacho in eodem articulo *licitum esse furari ad eleemosynam dandam.* Etenim cùm S. Doctor *inibi q. 66 ar. 7. corp* mentem suam expressè declaraverit, & dixerit, *id non esse propriè furtum, aut rapinam*, idipsumque repetierit *in solut. ad 2. & art. 5. corp.* iam præmisisset, manifestum esse, *quod omne furtum est peccatum*, liquidò apparet, voces illas *furti*, seu *rapinæ* apud ipsum non esse accipiendas absolutè, & sicut sonant; sed solùm in sensu improprio, ad quem confugere nequit thesis absolutè loquens, &, sicut sonat, ac iacet, ab Innocentio reiecta.

30. Infero 5. sapientissimè exegisse S. Thomam *in dicto art. 7.* vt licitè possit aliquis, seu absque furto, & rapina, subvenire suæ necessitati ex rebus alienis publicè, aut occultè sublatis, opus esse, *vt sit adeò evidens, ac vrgens neceſsitas, vt manifeſtum sit, inſtanti neceſsitati de rebus occurrentibus ſubveniendum esse, puta*, inquit, *cùm imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt.* Neque enim debet relinqui iudicio incerto, nimisque fallibili patientis necessitatem æstimatio prælationis suæ contra dominum, qui potest, etiam supposita evidenti, vrgentique necessitate alterius, nihilominùs habere ex parte sua quamplures excusationes probabiles, ac valde occultas pauperi, vi quarum possit licitè subventionem denegare, & auferenti resistere. Omnes autem explorare debet pauper,

per, prout tempus permiſerit, priuſquàm ſtatuat, prælationem ſuam eſſe liquidam, & hoc medio, alioqui noxio, vti valeat iure ſuo.

31. Cuius rei rationem dedimus pleniùs ex *num.* 8. & cùm nimis ſit difficile doctrinaliter diſcernere, quiſnam, cuinam, quantum, & ex quibus bonis eleemoſynam dare teneatur, & in qua neceſſitate, aut circumſtantijs, multaque alia ſint incerta in hac materia, vt cum Corduba, & Medina expendebat P. Sanchez *vbi ſuprà num.* 41. adhuc longè eſt difficilius in facti contingentia decernere, vtrùm re vera concurrant hîc, & nunc omnia, quibus opus eſt, vt dominus pauperi poſtponi debeat circa rerum ſuarum vſum. Ex. g. vtrùm habeat bona illa ſuperflua vitæ, vel ſtatui, vnde ſatisfieri debuit vrgenti neceſſitati, eo volente, vel nolente? Nam neceſſaria à ſuperfluis in domo aliena ab extraneis ægerrimè diſcernuntur, multique opulenti apparent in plateis, qui intra ſuos lares potiùs egent, quàm abundant. Et quamvis plenè conſtaret, illos eſſe verè divites, ac eis bonis abundare, vnde debet ſubveniri extremè, aut valde graviter periclitantibus, dum non conſtat, alia media minùs incõgrua deficere, parum proderit neceſſitas, vt communia fiant ea bona, liceatque ipſorum acceptio, illo invito, qui illa dare alioqui teneretur. Quid enim ſi ſint alij in promptu, qui tali neceſſitati ſubventuri eſſent, etiã non rogati; ſed duntaxat conſcij ipſius? Quid ſi pauperi petenti opportuna ſubſidia non deerunt, & ſecreta, ſi ita velit, vt conſulat verecundiæ?

32. Vtique potiùs eſſe mendicandum, etiam viro gravi, ac nobili, quàm vtendum medijs iſtis, ſeu furtivis, ſeu violentis, communis ſententia fert, quam poſt Navatrum, & alios ſtrenuè propugnat Malderus 2. 2. *q.* 32. *dub.* 6. *circa fin.* dicens, pudorem contrarium, neque ſanctum eſſe, nec Chriſtianum, ſed vanam ſuperbiam hominum, quibus involuntaria paupertas probroſa apparet, ac vilis. Eſt profectò laborioſa; ſed qui laborando, vel ſerviendo poteſt comparare neceſſaria ad vitam, nondum conſtitutus eſt in eadem neceſſitate, qua iacet rebus alienis contra voluntatem domini vti, aut frui quaſi ſuis. Quamobrem ſententia oppoſita, quam Bañez refert, nec improbat, & cum eo Diana *p.* 5. *tr.* 8. *reſol.* 24. mihi probari non poteſt.

33. Infero 6. clandeſtinam acceptionem rei alienæ ſæpius excuſari à furto ratione licentiæ debitæ ex miſericordia, aut religione, vel ſimili alia virtute. Non quia licentia ſub peccato debita, ſe ſola, vel per ſe ipſam immediatè eiuſmodi effectum præſtet: id enim *num.* 9. falſum eſſe demonſtravimus; ſed quia debitum præſtat auferenti iuſtam cauſam preſumendi, dominum non eſſe invitum quoad ſubſtantiam rei acceptæ, quoties poſitivè non reſiſtit, nec contradicit expreſſè, nec ex pravis eius moribus conſtare poteſt, eum miſericordiæ defuturum, ſi alienæ neceſſitatis, & obligationis ſuæ conſcius fieret. Iungitur namque in hoc caſu ſimul cum licentia debita licentia præſumpta ſatis rationabiliter, quæ furtum tollit, & præſtat, ne clam accipiens, id agere cenſeatur contra voluntatem domini, aut eo invito quoad ſubſtantiam, licet clandeſtinus accipiendi modus ipſi fortaſſe diſpliceat. Neque enim præſumi debet in dubio alterius peccatum, aut denegatio licentiæ ſibi illicita; ſed animus à delicto alienus: & quando nil aliud obſtat, ſatis eſt obligatio ſub peccato, ne dominus, aut ſuperior iudicetur ipſi defuturus, vt rectè advertit Suarez

tom.

tom. 3. de Religione. lib. 8. cap. 11. num. 21.

34. Quocirca etsi licentia debita, sed non obtenta, imò expressè denegata à superiore, religiosum non excusèt à peccato proprietatis, vt contra Alphonsum Mendoza multis ostendit Suarez *ibidem à num.* 18. contendens, illius sententiam esse singularem, & rationi, ac religioni parũ cõsentaneam; nihilominùs ipse etiam admittit, peccatum proprietatis excusari, quoties ex licentia debita induci potest præsumpta. Nam quòd præsumpta sit satis religiosis ad peccatum proprietatis excusandum, cõmunis sententia est, quæ etiam extenditur in sæcularibus ad excusationem furti, nec requiritur præsumptio omnino evidens, nam probabilem sufficere expressè habetur apud D. Thomam 2. 2 *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Quando autem licentiæ denegatio non esset irrationabilis vtcumque, sed adeò stulta, vt prohiberet, quod alius nequit omittere absque peccato, ex. g. accipere, vel expendere quidpiam planè necessarium ad subveniendum extremæ necessitati propriæ, aut alienæ, cui aliter nequit subveniri, tunc quidem nullum esset peccatum, seu furti, seu proprietatis, eam consumere, aut accipere contra expressam voluntatem domini, aut prælati, quia, vt iam constitit, in isto casu nulla licentia domini requiritur.



CAPVT VI.

Quousque restituere teneatur, qui debuit, ac noluit indigenti subvenire?

35. INfero tandem, transacta necessitate, etiam extrema, divitem non obligari ad rstituendam pauperi eleemosynam, quam dare debuit, ac noluit. Est communis, & probatur. Quia prædictum debitum vel erat ex iustitia stricta, vel ex alia virtute, puta misericordia, aut charitate? Si ex alia virtute, nulla alia præter iustitiam ad restitutionem obligat delinquentes contra ipsam. Si ex iustitia stricta, cùm sit subsidiaria, ac transiens, eiusque obligatio cesset, cessante necessitate subsidij, ac opis alienæ, consequens fit, vt similiter extingui, ac cessare debeat obligatio dandi eam quantitatem, qua prius pauper indigebat. Nam restitutio non obligat, vbi nullum damnum manet; sed iniuria est purè præterita.

36. Cœterùm exinde emergit alia gravior difficultas: quia ex denegata eleemosyna debita ob necessitatem valde gravem, aut extremam sæpesæpius resultant indigenti damna alia, quæ, illa cessante, adhuc permanent, gravantque ipsum, aut hæredes eius, & tunc meritò disquiritur, vtrùm dives immisericors talia damna resarcire teneatur, idque affirmare proculdubio debent, qui putant, illũ contra iustitiam peccasse non subveniendo indigenti. Attamen quia longe communior, & satis tuta sententia tradit, illum non peccasse contra hanc virtutem, sed contra misericordiam duntaxat, probabile, ac tutum erit eum ab hac obligatione eximere. Neque enim potest teneri ratione rei

rei acceptæ, cùm nihil abſtulerit ab illo, cui non ſubvenit; neque item ratione damnificationis iniuſtæ, cùm nihil iuſtitiam læſerit; ſed ſolam miſericordiam. His autem ſublatis, quæ ſunt ſolæ radices reſtitutionis, nulla ſupereſt, vnde imponatur obligatio reſtituendi. Et quamvis ex non ſubventione ſimul cum morte indigentis, aut diuturna infirmitate reſultent in eo, aut in alijs plura alia damna, aut expenſæ, quæ dives potuit, ac debuit ex miſericordia evitare, id nihilominùs ſatis non eſt, vt illorum cauſa cenſeatur, prout ad reſtitutionem opus erat, ſiquidem nec influit phyſicè, vt conſtat, nec moraliter, cùm nõ faciat iniuriam, neque officiat iuri alieno.

37. Quia tamen iam anteà diximus, illum contra iuſtitiam peccare, ſi vim faciat auferenti in extrema neceſſitate conſtituto, eumve dolo, aut fraude impediat, ne alienis rebus vtatur, quatenus opus eſt ad ſuam ſubventionem, perinde ac ſiforent ſuæ, conſequens propterea eſt, vt in eo eventu expenſæ, ac damna debeant reſarciri. Ius enim, quod quiſque habet comparandi ſibi extremè neceſſaria ad conſervationem vitæ antiquius eſt, ac potentius iure privati dominij in divite reſidentis, & ideò abſque iniuria pauper cogi nequit, ne illo vtatur, cùm alia media non ſuppetunt. Et ſicut mendicus, quamvis ius non habeat ad eleemoſynam divitis, nihilominùs ius ſtrictum habet petendi, ac quærendi illam, & ſi vi, aut fraude ei tollatur, iniuſtitia manifeſta adverſus ipſum committitur, ita pariter extremè indigens licet ad ſpontaneam eleemoſynam nullum habeat ius iuſtitiæ; illa tamen deficiẽte, alijſque medijs proficuis, ius habet ſibi aſſumendi illa, quibus opus habet, etiam dominis invitis, & ſi ab eis, aut alijs impediatur, manifeſtè violatur ius ipſius.

38. Quapropter, ſi fortè duo ita indigentes concurrerent, & dominus vni tantùm ſubvenire poſſit, quamvis nulli determinatè eleemoſynam deberet, ſed quemvis poſſet eligere; ſi tamen vtrique clauderet viſcera miſericordiæ, neutri valeret reſiſtere abſque iniuria; ſed primò occupanti cedere, nam ille potior eſt iure. Quod ſi eodem momento eſſet res occupata à duobus extremè indigentibus, v. g. tabula in naufragio, aut circa illius occupationem contenderent, tunc vel dividenda eſſet, ſi dividi poſſet, & ſic diviſa ſufficeret, vel ſorte lis componenda, niſi fortè alter ex ipſis potiori alia prærogativa gauderet, vt ſi eſſet Rex, vel perſona valde neceſſaria Reipublicæ. Videſis Leſſium *lib. 6. de iuſt. & iur. cap. 16. n. 12. & deinceps.*

DISSERTATIO XXIV.

DE OCCVLTIS COMPENSATIONIBVS famulorum.

Exploratissimum est, occultam compensationem, seu salarij, seu stipendij, seu alterius boni nobis ex iustitia debiti esse aliquando licitam, & sub certis conditionibus absque furto, aliove peccato ab illis exerceri, qui alio modo se indemnes servare nequeunt. Sed in famulis, ancillisque domesticis nescio quid speciale invenit propositio 37. *vt eis indulgeret amplius, quam alijs solet concedi. Et hoc fuit causa confingendi ipsam, atque in præsenti examinãdum venit.*

CAPVT PRIMVM.

Affertur thesis damnata, & demonstratur, sanctissimè factum esse.

1. THesis quidem sic se habet: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.* Quàm verò fuerit factum, ac salubre illam proscribere, vt iacet, & vsum ejus prohibere, patet apertè.

2. Tum quia ad surripiendum occultè per modum compensationis illud, quod nobis debetur, plures cõditiones requiruntur ex sententia omnium Doctorum, quibus sublatis, illicita, & peccaminosa redditur; nullam autem hîc expressit, aut supposuit, supponendamve indicavit thesis; sed, spretis omnibus, totam huiusce rei praxim vnius domesticæ ancillulæ, aut famuli arbitrio detulit. Tum quia idem permittendum esset (non absque magna perturbatione Reipublicæ, & latrocinijs frequentibus) militibus stipendiarijs, operarijs, sartoribus, alijsque officialibus pro mercede annua, vel diurna laborantibus, tametsi non sint domestici. Tum præterea, quia siquando privato iudicio alterius taxanda esset inæqualitas laboris, ac stipendij, id potiùs arbitrio aliorum nullum interesse habentium, quam famuli, vel ancillæ. Nullus namque est bonus iudex in sua causa adversus alios. Et, cùm occulta compensatio fiat indefensa, & inaudita altera parte, valde temerè relinquitur absque alijs præcautionibus decisio, & exequutio totius causæ, servitoribus plerumque imperitis, communiterque obcœcatis amore lucri, ac passione adaugendi suum stipendium.

3. Quid enim si salarium quod recipiunt propter operam, quam exhibent, sit lege taxatum, aut communi consuetudine receptum, aut prævia, & vltronea vtrimque conventione designatum? Licebit ne in istis casibus taxam præfixam excedere, eo quòd

quòd ipsi operas suas magni faciant, & maiori pretio dignas æstiment? Quid si debitum auctioris stipendij non sit ex iustitia, neque planè liquidum, prout sæpius continget, quantumvis operarius sibi indulgeat, & existimet laborem suum plus meredis promereri? Quid si famuli iudicium de inæqualitate salarij, & de sui servitij excessu non sit moraliter evidens; sed temerarium, aut saltem formidolosum, seu obscurum, ac incertum? Quid si famulus, & herus habeant contraria iudicia, & cùm ille probabilius censeat operam suam esse stipendio maiorem; herus ex adverso probabilius iudicet, non nisi æqualem, aut minorem esse? Anne vnius famuli privato iudicio decisivè standum erit, spreto iudicio domini in re ad vtrumque attinente; & cùm debitum sit planè litigiosum, & fortasse non adiudicandum operario, si adversus dominum in iudicio contenderet, ipse clanculum, & prona auctoritate illud sibi adiudicare poterit, acsi foret extra controversiam?

4. Quid si servitium secundum se sumptum malus appareat mercede; sed ex circumstantijs æstimatio ipsius vilescat, vt contingit, quoties plurimi quærunt dominum, cui serviant, nec inveniunt, vel cùm alij non deessent, qui suam operam libenter elocarent pro salario, quod huic exiguum videtur; vel cùm herus non egebat servitio istius, nec alium famulum recepturus esset, nisi hunc benignè excepisset misericordia permotus, & allectus commoditate stipendij? Quid demum si quævis alia ex conditionibus desit, quas communi suffragio Auctores tradunt prorsus necessarias esse, vt occulta compensatio extra materiam salarij ab omni labe expurgetur?

5. Vtique hæc omnia demonstrant, quàm confusè, & indigestè illa propositio fuerit tradita tot diversos casus comprehendens pari regula, cùm sint valde dispares, & quantis additamentis, limitationibus, fulcrisque indigeat, vt ad praxim securè revocetur. Id autem est, quod formaliter illam scandalosam reddit, perniciosumque eius vsum. Quare neque heris permittitur, vt suis famulis occultè detrahant è salario, quod eis tribuunt, eo quòd iudicent minorem esse eorum operam, nec mereri tantum stipendij, quantum est lege taxatum, aut inter ipsos conventum. Neque in reliquis contractibus id relinquitur arbitrio contrahentium, quasi possit venditor occultè surripere quidquid putat plus valere mercem venditam, quàm pretium sibi datum, aut vice versa emptor detrahere, quod putat minus valere. Et sicubi isti licentiæ non essent laxandæ habenæ, nullibi certiùs, quàm in stipendijs famulorum, aliorumque officialium, quorum taxa valde incerta est, & maximam varietatem subit ex circumstantijs personarum, ministerij, loci, ac temporis, alijsque similibus, quæ Theologis, ac prudentibus negotium facessere solent, ne dum famulis operas suas magni æstimantibus, & alioqui rudibus planèque imperitis principiorum, vnde sumitur iusta harum rerum mensura.

6. Erit igitur personis istis consilium non tantum *optimum, sed necessarium moraliter* (quod rectè admonuit in simili P. Suarez *lib.* 5. *de legib. cap.* 18. *prope fin.*) iudicio proprio non fidere; sed stare iudicio aliorum nullum interesse habentium, sed rei subiectæ peritiam, & maximè prudentis, ac sapientis Confessarij, qui pro debito sui muneris negotium examinabit, alioque, si fuerit opus, viros bonos, ac prudentes, & peritia, ac experientia istarum rerum instructos advocabit in consilium. Ancillæ

namque domesticæ iudicium, aut etiam famuli de iniustitia sui stipendij adeò explorata, vt fiat locus compensationi furtivæ, omnes vt valde suspectum recusabunt, præsertimque heri inauditi. Et si famuli ipsi saperent, etiam sibi deberent esse suspecti. Vrget enim illos amor lucri sæpe insanus, & faciens ex albo nigrum; vrget laboris assidui tædium, & subiectionis fastidium apparere faciens valde magna, quæ sunt mediocria, aut exigua; & vix vnquam eis non obstat defectus illius peritiæ, ac probitatis, quam postulat recta ratio, vt absque magno periculo errandi, & se, ac alios decipiendi in hoc puncto ferri possit practicum, securumque iudicium.

7. Hæc autem non tollunt fa- ilis, quod rectè explicat, & planum iudicat Petrus Navarra *lib. 3. de restit. cap. 1. à num. 359.* & alijs relatis Layman *lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 1. cap. 1. num. 9.* ac passim alij scribentes, vt beneficio compensationis occultæ vti valeant, ac gaudere, si generales conditiones seruentur, quæ eam alijs licitam faciunt, vt si iniustè ab heris defraudentur stipendijs lege, aut conventione, vel communi consuetudine taxatis pro servitio, quod fideliter obierunt; aut si, omnibus pensatis, liquidò appareat, stipendium, quod accipiunt, esse minus iusto, ita vt ne quidem ad minimum, quod dari solet, perveniat. Tunc autem, non quia ipsi iudicant suum laborem plus mereri, conceditur compensatio; sed quia debitum est certum, & satis clara iniustitia domini, quam claram non redderet solius famuli iudicium. Alijs ergo regulis minùs fallacibus vtendum est, eisdemque deberent vti ancillæ, & famuli, si essent capaces arbitrandi per se ipsos de istis rebus, vt licitè iudicio suo stare possent, & ea perspicuitate iudicare de maiori sui laboris merito, quanta necessaria est, vt occulta compensatio possit honestè exerceri.

8. Aliud enim est, quod famulus possit occultè subtrahere, quod iudicat plus mereri ex iustitia operam suam iudicio evidenti, ac certo: & hoc citra vllum incommodum admitti potest, ac debet, si cæteræ conditiones adsint, quæ in alijs desiderantur, vt compensatio honestetur. Aliud verò, quod id liceat absolutè, & indistinctè, cùm ipse famulus iudicat, se plus mereri, quod thesis proscripta tradidit, & est manifestè falsum, & nulli alij creditori concessum. Fieri namque sæpius potest, imò plerumque contingit, vt debitum non sit liquidum, neque inæqualitas certa, prout ad occultam compensationem exigitur, quantumvis creditor iudicet, rem aliquam sibi deberi. Nec quodvis eius iudicium sufficit ad hunc effectum. Potest enim iudicare, sibi ex iustitia deberi, sed non adeò clarè, vt, si in iudicio contenderet, victoriam sine dubio reportaret, quin rectus, ac æquus iudex altera comparte audita posset aliter sententiam ferre. Et quamvis iudicium eius enũtiaret, debitum non esse litigiosum, sed liquidum, vt sæpe evenit litigantibus, quorum vnusquisque putat, ius suum esse omnino certum, cùm iudicium hoc multoties soleat esse temerarium quoad certitudinem debiti, ortumque ex passione propria, ignorantiave iuris alieni, possitque contra se habere, quamvis sit opinativum, aliud iudicium probabile, vel forsasse probabilius, parum proderit, vt ei soli deferatur, præsertim in hac materia, cuius certò iusta, vel iniusta taxa ex tot circumstantijs pendet.

9. Quocirca, re bene inspecta, nulla est differentia formalis inter famulos, & reliquos circa licitum cõpensationis vsum; sed eædem prorsus con-

conditiones, quæ in alijs requiruntur, ac sufficiunt, in istis requiri pariter, atque sufficere debent. Siqua autem differentia datur, illa purè materialis erit, faciens scilicet, vt adsit, aut desit aliqua ex prædictis conditionibus ob speciales circumstantias, quæ si in alijs casibus invenirentur, eumdem effectū præstarent. Sunt autem adeò inæquales circumstantiæ, quæ in hac materia interveniunt, adeòque multiplices, vt difficillimum sit sapientibus etiam, & expertis, nullaque passione præoccupatis formare rectum iudicium inter famulos, ac heros, & liquidare, an salarium sit iusto minus, vt sæpe contendunt famuli, vel æquale, aut etiam maius, vt sæpe causantur heri. Et quia hinc potissimùm pendet vsus licitus, aut pravus occultæ compensationis, meritò Auctores desudant, assignando varias regulas iuxta varietatem frequētiorum casuum, vnde illud valeat discerni.

10. Rem accuratè explicabat cum Corduba Ludovicus Lopez *in structor. conf. p. 1. cap. 158 edition Salmant. anni* 1592. & adhuc plenius eam explicant, præter alios in decursu consignandos, Molina *tr. 2 de iust. & iur. disp.* 506. Dicastillo *tom* 1. *de iust. & iur. lib. & tr. 2. disp* 9. *dub. 7.* Gibalinus *tom. 1. de vsur. lib* 3. *cap. 8. art. 3. num. 26.* Fragoso *tom. 3. de regim. Reipub. Christ. in fin.* Moya *in select. p. 2. tr. 6 disp. 4. q. 3.* Zamoranus *de compensationib. disp. 5. cap. 12. &* 13. Legi etiam potest Rebellus *p. 2. de obligationib. iust. lib. 14 quast. 15. num.* 10. cui & Remigio Noydens *in summa. tr. 2. cap. 7. § 10. num. 1.* adscribit propositionem damnatam Lumbier *in præsenti num.* 1897. Sed Rebello valde immeritò. Rebellus siquidem expressè loquitur de compensatione exequenda, nō sicut famuli iudicant; sed *secundum communem æstimationem illius temporis*, requiritque, vt *constet* mercedem esse illi inæqualem, pluresque alias conditiones valde alienas à propositione, vt iacet. Et, quod plus mirere, Villalobos *in summa. tom. 2. tr. 25. diffic. 13 num. 6.* cuius verba refert, & sententiam approbat Lumbier ipse, pro se, & illa allegat etiam Rebellum.

CAPVT II.

Quatenus se occultè compensare possint famuli inservientes certa mercede sibi constituta?

11. CErta merces constituitur, quia ita convenit inter famulum, & herum, aut quia lege Principis taxata est, vel communi æstimatione eorum, qui vtuntur servitio pari. Et in his eventibus non licet famulis sese compensare occultè; & plus accipere de bonis domini, nisi *luce clarius constet*, salarium sic præstitutū, attentis omnibus, esse inæquale suis obsequijs, ac inferius pretio illorum, etiam infimo. Ita disertè Molina *suprà num.* 2. & qui eum laudat Gibalinus *num. 27.* Sanchez *lib. 4. consilior. cap. 1. dub. 14. num.* 11. dicens esse *omnium*, & verbis æquipollentibus Vasquez *de restit. cap. 5. §. 1. num.* 63. sequiturque apertè ex receptissima sententia aliorum statuente generaliter ad occultam compēsationem requiri debitum iustitiæ omnino clarum, seu adeò liquidum, vt absque aperta iniustitia à debitore retineri nequeat, aut non solvi sese compensanti.

12. Quocirca nil famulis proderit iudicare operam suam esse maiorem salario, quod ex conventione accipiunt, aut ex taxa legali, vel vsuali, nisi his motivis nitantur, quæ eam

demonstrent planè iniustam. Neque Confessarius poterit eos absolvere in his casibus, donec proponant desistere, ac restituere notabilem summam eo prætextu contrectatam. Standum namque est pactis conventis explicitè, vel implicitè, sicut & taxæ legali, aut vsuali, cùm deficiunt aliæ, semperque iusta præsumitur, nisi apertis documentis à iustitia defeciisse appareat. Ac profectò in foro externo ei parti tanquam iustiori favere debebunt iudices, quin possit certò constare, augendum esse stipendium, quãdo contractus legitimus, lex, vel consueta æstimatio eius augmento resistit. Porrò vbi certum non est in iudicio externo esse obtinendum, attenta lege iustitiæ, id, quod occultè subtrahitur, sed arbitrarium, aut dubium, licet omnia ibi constarent, quæ in foro interno agnoscuntur, occulta compensatio neque licet, neque potest à vitio furti excusari. Ea quippe solùm concedirur in subsidium, & per modum supplementi, quia probationes, testesve deficiunt, vel quia sine gravi incommodo debitum officio iudicis recuperari non valet; secùs verò vt possint homines iudicis arbitrium, & officium sibi in rebus litigiosis vsurpare, ac aliena bona arripere, quæ iudex absque iniustitia posset ipsis denegare.

13. Attamen quia sæpius famuli, alijque operarij conqueruntur de iniustitia sui salarij, etiam conventi, & taxam eius manifestè iniquam reputant, & servitio suo inæqualem, obtendentes non sufficere ad sustentationem propriam, aut familiæ, aliaque plura diverticula rimantes, diligenter inspiciendum est, quænam ex parte dominorum, ac servitij, & modi illius considerari debeant, vt ad hoc iudicium securè deveniatur. Certum namque est, iustum stipendium non esse commensurandum cum indigentijs servientis, quasi vxorem habens, atque filios, quos tenetur alere, hac sola de causa possit pro eâdem operâ plus mercedis postulare, quàm cœlibi, qui nullam familiam alit. Iusta ergo merces non istis, quæ impertinentia sunt, ac valde extranea, sed operæ personali exhibendæ, vel exhibitæ adæquari debet, & iuxta modum eius appretiari.

14. Sæpius autem non merebitur integrè alimẽta personalia ipsiusmet famuli, quia eius labor est exiguus, nec adeò assidua occupatio, vt aliunde sibi providere nequeat suis operis, & industria, & ita alij eiusdem conditionis id, quod deest, supplere solent, seque libenter locabunt pro eo stipendio diminuto. Quando autem singulis horis diei debet assistere, esseque paratus ad serviendum nutu heri, licet aliquando otietur, integrum stipendium sufficiens ad victum, & vestitum suo muneri congruentem ei deberi, affirmat Castro Palao *tom. 7. disp. 1. de iust. commut. punct. 16. §. 3. in fin.* Idque per se loquendo verum est, quia in gratiam heri nullum ei tempus relinquitur, quo aliunde sibi providere valeat. Erit autem alia ratio, si, cùm aliunde victum, & vestitum sibi comparare possit, in partem salarij computet cooptari in familiam eius, vnde maiora alia commoda lucri, aut honoris reportat, vel meritò sperat ope domini obtinenda esse.

15. Inspici præterea debet salarium alioqui iniustum, & inæquale servitio, sæpe iustum, & æquale reddi ex circumstantijs adiunctis, & maximè ex cessione voluntaria ipsius famuli. Nam, sicut ei integrum est inservire omnino gratis, ita etiam servire potest partim gratis, partim pro stipendio, & adijcere vltra eas operas, quas ex iustitia deberet attenta sola vtilitate salarij, ex supererogatione plures

plures alias in eodem, aut alio genere servitij, supplereque officia aliorum, aut duo simul exercere. Contingit autem frequenter hic modus cessionis in domibus Principum, Cardinalium, Episcoporum, Magnatum, Ministrorum Regis, & aliorum præpotentium, vel quia famuli iam anteà peculiaribus beneficijs obstricti suam hoc modo gratitudinem ostendunt, vel potiùs, quia ira conciliant eorum gratiam, vnde sperant potiora alia officia, aut beneficia, sibi aut suis cõferenda ex munificentia domini, vel eius interessione, aut contemplatione. Malunt enim vivere sub hoc incerto, & multiplicatis obsequijs non iam mercenarijs, sed gratuitis, promereri domini benevolentiam, bonamque existimationem, quæ esse solent principium benefaciendi, quàm legibus iustitiæ omnia metiri, & videri addicti soli suo interesse.

16. Quocirca nullam pro his operis recompensationem debent heri ex iustitia suis famulis, & longè minùs licebit istis occultè surripere excessum proprij servitij vltra valorem stipendij, etsi frustrentur spe sua, & de facto non obtineant liberalitate, aut ope domini tantum commodi, vel lucri, quantum aliàs secundum lancem iustitiæ labor suus mereretur. Resilire enim non licet illi, qui donandi operas suas capax erat, à donatione remuneratoria, aut liberali priùs facta, & iam exequuta: & illa, cùm est perfecta, per se nullum novum modum, aut conditionem admittit, quæ non sint adiecta anteà. Vnde sicut dominis non licet occultè subtrahere famulis, quæ eis donarunt spe obtinendi ab ipsis liberaliter, aut ex gratitudine maius servitiũ, quàm alioqui debent, quantumvis spei effectus non respondeant, ac deinceps nec plus, nec fideliùs serviant, ita vice versa famulis id non licet respectu dominorum, nisi fortè donationi addita esset, & implicitè, vel explicitè acceptata conditio ex futuro eventu dependens, & famulus non cessisset absolutè iuri accipiendi stipendium æquale labori suo, sed sub conditione, quod ex domino liberaliter, vel alio titulo parem vtilitatem capesseret.

17. Regulariter autem hæ cessiones conditionales non sunt, sed absolutæ, quia spes illa conciliandi domini benevolentiam, seu obligandi eum ex gratitudine, solet esse principalis causa, atque motivum cedendi; non verò eventus illius infœlix, aut fortunatus. Esset autem Simoniaca cessio illa conditionalis, necnon acceptatio ipsius, totumque pactum invalidum, si famulus suo iuri cederet sub conditione, quod dominus ipsi conferret aliquod beneficium Ecclesiasticum. Fraudulenta verò, & iniuriosa in quacumque alia materia, si domino occultaretur, exteriùs fingente famulo, se omnino gratis servire, aut pro inæquali salario, & sic decipiente dominum, vt quidpiam salario maius in remunerationem accipiat. Vnde sicut is, qui fingit, se esse pauperem, restituere debet eleemosynas extraordinarias, & amplas, quas eo titulo adquisivit: sic, servata proportione, iste sese benefactorem confingens, & remunerationem specialem promereri, eo quòd serviat pro parvo salario, aut nullo, restituere tenebitur, quod accepit hac de causa ex bonis domini, iustoque stipendio esse contentus, aut certè fraudem detegere, & arbitrio dantis rem relinquere.

18. Examinanda sunt insuper (etiam secluſa cessione) alia plura, vnde decrescit iusta æstimatio laboris, vt si multi alij invenirentur, qui eamdem conditionem libenter acceptarent, eodemque stipendio essent con-

contenti, quod hic accipit à domino. Nam, sicut venditorum multitudo & paucitas emptorum rerum venalium æstimationem diminuit, ita & rerum locandarum. Locatio enim, & venditio æquiparata sunt quoad iustitiã, vel iniustitiam mercedis, & ex eisdem causis sumunt suum augmentum, aut diminutionem. Quapropter, sicut in venditione non semper diminutio pretij iusta efficitur ex eo, quòd alij non sint defuturi, qui pro illo pretio minori vendant merces suas, si iste eo pretio vendere nolit, ita neque in locatione; sed vtrobique requiritur, quòd id non faciant inviti, nec errore, aut gravi necessitate compulsi (nam ista per se non conferunt ad diminutionem pretij) sed ducti ipsa rerum æquitate, & commensuratione, quam communis populi æstimatio iustam facit, & ex bono, & æquo taxat arbitrium timoratorum.

19. Iuvat quoque ad diminuendum sine iniustitia stipendium, quod alioqui iniquum foret, famulum vltro sese offerre, & rogare, vt admittatur, præsertim cùm eius operâ dominus non indigebat; sed propter eius importunitatem, vel ad instantiam amici, vel misericordia motus eum conducit, ac tunc maximè cùm significat, se id facere, donec ille inveniat alium dominum. Nam hîc etiam observari debet regula communis in contractu emptionis, quòd merces vltroneæ vilescant, decrescatque interdum æstimatio illarum ea de causa, vel vsque ad tertiam partem valoris alioqui æqualis, vt Caietanus, cui multi accedunt, putavit, vel etiam vsque ad dimidiam, vt censent Palacios, & alij, quos dabit Diana 1. *p. tr.* 8. *resolut.* 53. & 78. Notabat autem Molina *suprà num.* 4. etiam in prædictis casibus esse compensandam servienti operam suam, salario constituto vltra alimenta, si adeò vtilis inveniatur, vt vberiori mercede arbitrio boni viri digna existimetur, & tunc iuxta proportionem vtilitatis perceptæ sumendam esse mensuram, qua servitium, & salarium exæquentur. Quæ doctrina Lessio placuit *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 24. *num.* 25. & mihi satis æqua apparet. Nam hic famulus, tametsi dominus servitio eius non egeret, valde vtiliter gessit negotium ipsius, qui ea tota vtilitate caruisset, nisi famulatu illius vsus esset. Operæ autem adeò vtilis, & non exhibitæ gratis proportionata recompensatio debetur, etsi nonnihil decrescat, eo quòd fuerit vltro oblata, & non desiderata, aut quæsita, sed accepta in solius famuli gratiam.

20. Ipsa præterea qualitas, ac modus servitij frequenter stipendium variat, adeòque considerare oportebit, quanras operas, & quales herus exigat à famulo, & an iste sibi etiam simul proficiat addiscendo aliquam artem liberalem, aut mechanicam, aut saltem vitam politicam, modũve serviendi vrbanè, & se gerendi civiliter, vel potiùs ita operentur, vt soli domino prosint, & sibi laborem tantùm, ac defatigationem assumant. Huius postremæ classis sunt communiter servientes stabulo, aut culinæ, agricultores, messores, officialesque quamplurimi tota die occupati in commodum, vtilitatemve alterius absque alio compendio suo, & propterea eorum stipendium attenta hac circumstantia mensuratur operi, ac labori exhibito. Alterius verò, cum illi, quibus ex conventione relinquitur tempus proficiendi sibi separatim, studendo v.g. aut assistendo lectionibus, vt sæpe in Vniversitatibus cernitur; adeòque scholastici inservientes alijs, quotidiano victu, & vno calceorum pari in singulos menses ad æqualitatem satisfacti putantur, quin iure exigere possint quidquam am-

amplius, & longè minùs id subtrahere occultè. Tum etiam illi, qui ab heris edocentur artem aliquam, v.g. sartoriam, aut sutoriam, cuius possint postea esse Magistri (hos nostro idiomate *Aprendizes* vocamus) & tantum abest, vt heri, qui ipsorum operâ vtuntur, aliquid salarij eisdem rependere teneantur, quod potiùs ab eis vicissim stipendium pro doctrina accipere soleant, & præsertim primis annis, quibus rudiores sunt, & eorum labor exigui momenti, aut fructus.

21. Tum prætereà ephœbi alij, vulgò *Pajes*, quibus parẽtes se exonerant, & tradunt viris nobilibus, vt eorum protectione fruantur, ac in domibus ipsorum educentur, & ibi bonis moribus instruantur, vrbanitatem addiscant, vitamque aulicam, & habiliores fiant ad alia munia, & obsequia crescẽte ætate obeunda. Nam & istis, ex recepta nostri regni consuetudine nil amplius, quàm alimenta, confertur, victus scilicet, vestitus, lectum, habitatio, & alia huius generis, quæ dignitati dominorum congruunt, & præscribit ipse vsus, vt notat Flores de Mena *lib.* 1. *variar. q.* 8. §. 2. *num.* 9. & alij Auctores communiter. Quinimò pueros vsque ad annum quatuordecimum, & puellas vsque ad duodecimum expletum, nõ esse salario dignos, refert iudicatum fuisse in Lusitania Cahedo 1. *p. decis.* 162. *num.* 5. & tenet cum eo Fragoso *suprà num.* 108. Tum demum hi, quorum opera voluptati potiùs, & exhilarationi deservit, quàm vtilitati, vt mimi, citharædi, cantores, saltatores, alijque persimiles. Istos enim, secluſa conventione speciali, cibo, potu, atque vestitu, quod familiaribus alijs præstatur, contentos esse debere, resolvit alijs adductis Stephanus Gratianus *discept. forens. cap.* 185. *à num.* 41. & qui eum sequitur Fragoso *num.* 113. & Silva *de salarijs familiar. q.* 13. *per totam.*

22. Quapropter neque in hoc casu, neque in cœteris adductis locus est compensationi occultæ, quamvis reluctetur famulus, & pluris valere iudicet suum servitium, quàm taxavit approbata consuetudo. At verò, si ex parte sua heri non præstent, quod ab illis præstandum esse diximus, tunc aperta erit inæqualitas, & contraria resolutio, v. g. si scholari non permittatur assistere lectionibus, nec tempus vacandi studio: si Opifex non doceat officium, cuius addiscendi causâ se ipsi famulus locavit, aut non relinquat spatium addiscendi, & exercendi illud; sed alijs eum occupationibus distrahat: si alimenta debita ex contractu, aut vsu adeò miserè tribuantur, vt victus sustentationi nec mediocriter sufficiat, nec vestitus honestati, nec eo pertingat, quod in alijs domibus regulariter subministrari consuevit pro similibus servitijs. Etenim in his eventibus indubitanter incumbit dominis, qui officio suo defuerunt, obligatio restituendi, quod subtraxerant iniquè. Et, cùm debitum sit liquidum, nil obstat famulis potiùs, quàm alijs, vt compensatione occulta suum damnum resarciant, servatis reliquis, quæ generaliter præscribitur esse observanda, vt hac arte sese indemnem cuilibet reddere liceat.

23. Tandem noto, quæ sunt dicta de his, qui inserviunt certa mercede assignata, pariter dicenda esse de his, qui famulantur nulla conventione præmissa determinati stipendij, vulgo *à contento*. Nam & istis tantundem solvere debet herus, quantum alij similes communiter pro eodem genere, ac modo servitij persolvere consueverunt, & nisi id fiat, sed salarium minus infimo ex consuetis rependatur, vsque ad concurrentem quantitatem compensationi occultæ

locus

locus erit. Est communis; sed quia interdum vsualis taxa etiam deficit, aut valde incerta est, sapienter monuit Azor *p. 2. lib. 2. cap. 39. q. 9. in fin.* id non esse relinquendum iudicio heri; sed arbitrio boni viri determinandum. Nam iudicium heri in sui favorem easdem exceptiones patitur, quas *cap.* 1. vidimus pati in favorem sui iudicium famuli. Bonus autem vir, attenta quantitate, qualitateque servitij cum reliquis circumstantijs ex æquo, & bono prudenter arbitrabitur in casibus occurrentibus, quanti debeant æstimari operæ exhibitæ, servatis iustitiæ terminis.

CAPVT III.

An qui vi, aut necessitate adactus pro inæquali mercede famulatur, occulta compensatione possit supplere defectum?

24. CAsus hic planè est diversus ab eo, qui in thesi damnata proponitur, nec censura illius ad ipsum pertinet. Ibi enim iudicio famuli relinquitur æstimatio sui laboris, & sufficere putatur ad cõpensationem, quòd ipse reputet, operam suam esse maiorem stipendio; hîc verò vt certum supponitur, id nullatenus sufficere; sed requiri, vt planè constet esse re vera maiorem, ac plus salarij mereri: & solum quæritur, an famulus, qui vi, aut necessitate compulsus servire promisit pro minori illo stipendio, conventioni stare teneatur, quamvis nulla alioqui causa detur, quare minus valeat ministerium suum, quàm aliorum, qui parem operam præstant, vel potiùs possit occultè se indemnem servare, ac reducere contractum ad æqualitatem debitam, & de bonis heri sibi assumere quantum deest salario illi, quod ex lege, aut consuetudine cæteris dari consuevit.

25. Affirmant posse, servatis aliàs servandis, Navarro *lib. 3. consilior. 1. de locat. & cond. num. 5.* Molina *suprà num. 4.* & agentes de iustit. & iure Lessius *lib. 2. cap. 12. num. 63.* Card. de Lugo *tom. 1. disp. 16. num. 80.* Dicastillo *tom. 1. tr. 2. disp. 9. num. 144.* dicens, esse *omnium Auctorum*, Zamorano *dicto cap. 12. num. 7.* Suarez *disp. 86. de Sacram. sect. 4.* vers. *Vnde.* Persicus *de officio Sacerd. lib. 2. fol. 626. num. 39.* Trullenc *in Decal. lib. 7. cap. 4. dub. 5. num. 11.* Favetque apertè Abulensis *in 3. Exodi. q. 10.* alijque interpretes proinde excusantes Hebræos, qui in exitu ad terram promissionis multis divitijs commodato acceptis spoliarunt Ægyptios, quibus pro iniusta mercede coacti fuerant famulari. Idipsumque olim tradiderat elegantèr Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem. cap. 24.* hisce verbis: *Quod si & Christus dignos pronuntiat mercede operarios, excusavit præceptum illud Creatoris de vasis aureis, & argenteis Ægyptiorum auferendis. Qui enim villas, & vrbes operati fuerint Ægyptijs, digni vtique operarij mercede, non ad fraudem sunt instincti, sed ad MERCEDIS COMPENSATIONEM, quam aliàs à dominatoribus exigere non poterant.*

26. Quæ sententia mihi vera apparet, quamvis ipsi inter noviores refragari videatur Pasqualigus *tom. 2. de Sacrif. Missæ. q. 942. num. 11.* & intelligenda cum prædictis nõ tantum de domesticis ancillis, aut famulis, sed de militibus, operarijs, officialibus, & alijs quibuscumque, qui sub eisdem circumstantijs pro stipendio evidenter inæquali elocant operas suas, aut equos, aut quidpiam aliud. Ratio autem in aperto est. Quia con-

conductor in his casibus proculdubio restituere debet locatori illud, quod defuit iusto stipendio, & supplere illud ad æqualitatem; vbi autem debitum liquidum intervenit, quod alias recuperari non potest, ex hoc capite nil deficit occultæ compensationi, vt licitè exerceatur, sicut licitè exercetur ab eo, qui vendere cogitur triticum, aut alias merces infra infimum iusti pretij, aut ab eo, qui compellitur illas emere vltra summum. Summum etenim, & infimum sunt limites iusti pretij; summum scilicet respectu illius, qui supra iustum accepit; infimum verò respectu eius, qui infra iustum dedit.

27. Explicatur. Quia conductor nihil habet, vnde excusari possit probabiliter à supplemento salarij, cùm ipse vi, aut metu iniustis eum compellit ad illud acceptandum. Sed nec cùm ipse locator peculiari sua necessitate adductus minori stipendio consentit, quàm sit iustum, & æquale; siquidem consensus ille non habet vim donationis spontaneæ, ac liberalis, nec talis esse præsumitur in eo, qui potiùs vellet pinguius stipendiũ accipere, quo miseriam suam sublevaret. Et aliunde sola eius necessitas non est legitima causa diminutiva valoris, quem alioqui haberet res locata, vt prætextu ipsius conductori liceat partem iusti pretij defalcare. Ideò enim neque locatori licet exigere pro re locata stipendium maius summo, eo quòd conductori illa sit maximè necessaria. Atque in emptionibus, & venditionibus idem clarissimè apparet. Neque enim licitè venditur famelico sua ipsa fames, quasi ratione illius possit panis, quo actu indiget, ei cariùs vendi, quàm alijs. Neque vice versa emptor potest pretium minus infimo conferre pro pane, aut mercibus, eo solo titulo, quod vendens pecunijs egeat, ac vendendi necessitate prematur. Et alioqui quo maior esset necessitas, seu vendentis, seu locantis, eò plus subtraheretur iustè de pretio, quod solvunt alij, & cùm maxima esset indigentia, maxima etiam esse posset iusta mercedis detractio. Hoc autem nullus admittit, & ex terminis præsefert conspicuam absurditatem.

28. Addunt præterea Molina, Dicastillo, & Zamorano *vbi suprà*, eum, qui iniustè fuit compulsus pro inæquali mercede famulari, sese licitè recompensare posse saltem vsque ad medium gradum iusti stipendij. Id autem ego locum habere putarem, cùm pro infimo pretio iusto iniustè cogeretur operari. Nam sicut ius ipse habebat non locandi operam suam pro vllo pretio, ita pariter ius habet nolendi locare illam, nisi pro medio, vel summo; aut si illam locare vellet, iure suo quærere poterat alios, qui ista offerrent, & nolle consentire pretio infimo, donec esset destitutus spe inveniendi aliud maius. Cùm ergo invitus cogatur ad serviendum pro illo pretio, & ius detrectandi illud sibi competens iniustè pervertatur, non mirum, si cogens debeat resarcire illi, quod deest iuxta mensuram læsionis, nec quod ipse possit clam illud subripere, nihilo seciùs, quàm cætera, quæ pretium infimum non adæquabant.

29. Alia ratio esse censetur de eo, qui non ab extrinseco, sed propria necessitate compulsus contrahit pro iniusta mercede, quia iustam saltem infimam nõ invenit; huic enim compensatio non conceditur, nisi vsque ad gradum infimum. Etenim nec plus ipsi debetur ex convẽtione, cùm ea facta fuerit pro minori mercede, quàm sit infima inter iustas; nec plus requiritur ad tollendam iniustitiam contractus, cùm ille iustè fiat pro pretio infimo; nec compellendus est

alter inscius, ac meritò invitus plus solvere, quàm iustitia postulat, sicut compelli non posset casu, quo cum eodem isto de pretio infimo duntaxat à principio convenisset. Quare & transmutata proportione, si herus operarijs indigens, nec inveniens, qui servire vellent pro iusto salario etiã summo, aliud maius ipsis constituisset, solùm eis posset detrahere occulta compensatione, quod excedit vltra summum.

30. Forsan autem in his casibus haberi posset ratio laboris exhibiti, vt pro modo, ac quantitate ipsius cõpensatio exerceatur. Nam sicut salarium, aut pretium intra limites iustitiæ suam latitudinem habere solent, & quædam infima, quædam mediocria, & alia summa censentur, sic pariter merces vendibiles, & operæ alijs locabiles, servata iustitiæ lance, similem inæqualitatem admittunt. Iustum autem non videtur, vt optimus famulus, qui obsequia exhibuit non infimi, nec mediocris laboris, sed supremi, quod præstari solet in suo ministerio, infimum stipendium habeat, & æquale his, qui segniter sese gesserunt, & servitium non præstarunt, nisi in suo genere infimum: ad modum, quo iniquum appareret pactum expressum, quo famulus ex parte sua se obligaret ad supremum, & optimum servitium; herus verò non redderet, nisi infimum pretium, quod præstari solet alijs minùs diligentibus, & operæ minus vtilis. Vnde, si res ista liquidari posset, sic faciẽda videretur compensatio, quamvis iniusta compulsio ab extrinseco non interveniisset, vt sibi invicem respondeant, atque in eodem gradu stipendium, ac servitium, medio scilicet stipendio, si labor fuit medius, summo, si summus, & infimo, si solùm fuit infimus. Eademque ratio esset, servata proportione, de mercibus vendibilibus.

31. Illud certius, quod obsevat Gaspar Hurtado *de iust. & iur. disp. 6. diffic. 7.* famulum, qui non laborat intra infimum iusti obsequij soliti exhiberi ab alijs, qui eidem ministerio mancipantur, non posse licitè accipere integrum stipendium sibi consignatum intra limites iustitiæ, quãvis infimum sit; sed pro rata ex illo detrahendum esse quantum detractũ fuit servitio infimo. Iustum enim stipendium non debetur, nisi servienti iustè, & sicut herus non potest ex vi contractus exigere operam maiorem summa communiter exhiberi solita, aut aliam diversi generis, quin maius salarium præstet, ita nec famulus potest præstare minorem infima, quin minus salarij exigat, quàm alioqui fuerat constitutum. Quare excessum restituere tenebitur, imò & damnum ex tali omissione emergens, lucrumve cessans. Quia verò famulis plerũque est difficile præ inopia, aut alijs de causis, salarium iam acceptum, aut id, quod dominis debent ob domestica alia furta, prudentis Confessarij erit eis iniungere, vt extraordinarijs obsequijs, & indebitis pro posse compensent, quod acceperunt plus iusto.

CAPVT IV.

Enodantur argumenta.

32. COntra dicta arguitur 1. ex Soto. Quia sciẽti, ac volenti nulla potest fieri iniuria, saltem cùm disponit de his rebus, quarum habet liberam potestatem, ac dominium. Sed famulus, de quo nuper, dominium habere ponitur, ac liberam facultatem disponendi de suis operis, & sciens, ac volens eas locat

locat pro inæquali illo stipendio. Ergo nulla ipsi fit iniuria, neque ratione illius herus quidquam debet restituere. Confirmatur. Quia etsi famulus ius habeat non serviendi, nisi pro salario iusto, huic iuri suo voluntariè cedit, dum pro inæquali paciscitur; cessio autem iuris proprij in favorem alterius contrahentis tollit omnem iniustitiam: neque enim ius lædi potest, quoties is, cui illud competit, expressè vult eo non vti.

33. Respondeo, scienti, ac volenti voluntate merè liberali, & incoacta nullam irrogari iniuriam; secùs verò illi, qui solùm vult voluntate coacta, & habẽte involuntarium admixtum. Exemplum vulgare est in eo, qui mutuum accipit sub pacto solvendi vsuras: potiùs enim mallet eas non solvere, si is ipse, qui mutuũ præstat, aut alius inveniretur, qui illud exhiberet gratis, & legibus huius contractus non vellet contravenire. Ita igitur huic famulo evenit, quia conditionem iniustam valde illibenter acceptat, & pro salario evidenter inæquali deservire paciscitur, partim sua propria necessitate coactus, & partim aliena iniuria. Ipse enim potiùs optaret, ne quid sibi detraheretur de æquali salario, ac iusto, vt indigentiæ suæ satisfaceret, idque intendit; non verò donare quantum est ex se, aut se privare vllo iure. Sed quia herus non vult æquale conferre, nec contrahere, nisi pro pretio iniquo, iniquitati illius cedit, ac indigentiæ propriæ vtcumque subvenit. Ad confirmationem habeto, eam cessionem non prodesse, quia involuntariũ admixtum vim eius tollit, vt in illo cernitur, qui sub vsuris paciscitur; & in famelico, qui plus iusto solvit, quia venditor cibi non est æquali pretio, etiam supremo, contentus; sed necessitate illius ad diescendum abutitur; aut in eo, qui vice versa merces suas distrahere cogitur infra pretium iustum, etiam infimum, quia emptores, scientes ipsum egere pecunijs ex pretio mercium redactis, nolunt eas emere, nisi pro pretio iniusto. Nam quemadmodum donatio debet esse omnino libera, vt vim habeat, ita pariter libera omnino esse debet cessio, quæ tollit iniuriam.

34. Arguitur 2. ex Pasqualigo. Qui paciscitur pro incongrua mercede, rectè novit se licitè posse illa sola esse contentus; qui verò illam tribuit, etiam novit se posse licitè acceptare servitium sibi oblatum pro incongrua illa mercede, sicut posset illud acceptare, si omnino gratis daretur: & aliunde nemo id facit ab altero coactus; sed sponte sua, & motu proprio conveniunt. Igitur nulla hic intervenit vera iniustitia ex parte dantis, aut ex parte recipientis. Patet consequentia. Tum quia idem contingit in alijs contractibus, vbi concurrunt eædem circumstantiæ ex parte vtriusque contrahentis. Tum præterea, nam in mutuo ideò improbatur pactum persolvendi vsuras, quia vsuræ non possunt exigi, neque acceptari à mutante, cùm sint intrinsecè turpes, & inæqualitas accepti, & dati ab eis nunquam separetur. Atqui acceptare servitium pro salario, in quo alius convenit, illudque post cõventionem exigere non est intrinsecè turpe, neque vllam inæqualitatem involuit legibus iustitiæ contrariam. Igitur vel ipsa mutui paritas demonstrat id posse fieri in hoc genere contractus.

35. Respondeo, nulli esse dubium, quin famulus inservire possit, & quivis alius suam operam locare partim gratis, partim pro mercede, vt *à num.* 15. ostendebatur, & in venditione mercium, alijsque similibus passim contingit, atque in hac ipsa materia etiam dominus salarium

maius summo, quod merentur operæ, gratis potest constituere, quin propterea vlla obligatio restituendi consurgat, aut facultas exercendi occultam compensationem circa excessum, aut defectum Sed tunc non pura locatio, nec pura venditio intervenit; sed vltra ipsas admiscetur liberalis donatio eius, quod supereſt, vt quod vi solius contractus nec dari posset, nec exigi. Locatio enim, & venditio dati, & accepti æqualitatem postulant ex cõceptu suo essentiali, nihilo seciùs, quàm mutuum, & inæqualitas in ipsis reperta citra infimum, aut vltra summum intrinsecè turpis est, ac debitum restituendi parit, nisi alio diverso titulo & extraneo cohonestetur, vt in mutuo etiam cohonestari solet ratione damni emergentis, aut si ex. g. mera liberalitate mutuatori refundatur simul cum sorte aliud quidpiam ex vi contractus indebitum.

36. Ostendere ergo oportebat, vt vis argumenti staret, vltra contractum locationis in nostro casu inveniri aliquam obligationem admixtam, ex vi cuius teneatur famulus nõ exigere mercedem æqualem suis obsequijs; sed servire partim ob mercedem, partim gratis: nam sola locatio pro stipendio planè inæquali, & iniusto neque eum obligat, nec hero præbet titulum solvendi minus iusto, & retinendi sibi alteram partem. Atqui nulla eiusmodi obligatio, aut titulus hîc intercedit potiùs, quàm in mutuo puro, vel in sola venditione vltra summum pretium iustum, aut in emptione infra infimum. Nam prætensa cessio, seu donatio, quæ hîc obtenditur, etiam in alijs casibus obtendi posset pari iure: & re vera nulla datur, quia famulus solum contractum locationis intendit, & non animo donandi, aut cedendi iuri suo minus stipendium acceptat; sed quia eo indiget, & herus æquale præstare renuit contra naturam contractus.

37. Quinimo licet expressè exegisset, ac deduxisset in pactum, vt famulus iuri suo cederet, & partem servitij sui, aut correspondentis stipendij gratis sibi condonaret, non aliter, quàm sub ista conditione eum admissurus; adhuc cessio, atque donatio famuli nullius momenti foret ob involuntarium admixtum, & quia eiusmodi conditio, per modum oneris conductioni adiecta in aliam naturã vertitur, & cùm merè liberaliter, ac gratuito deberet adimpleri, non nisi ex iustitiæ debito, & ex vi pacti onerosi exequutioni mandatur. Quocirca in hoc modo agendi non invenitur rectitudo iustitiæ; sed potiùs vana quædam cavillatio sophisticè adinventa ad iniustitias palliandas. Eâdem quippe arte tegi possent emptiones, ac venditiones iniusta ratione pretij inæqualis, quasi virtute consensus adhibiti ab indigente induceretur donatio: ipsaque accessio vltra sortem posset non esse vsuraria, si valeret is prætextus. Nam quod dicitur, illam exigi non posse, neque oblatam acceptari ex vi mutui, verum est; sed pariter procedit in alijs contractibus. Quia neque ex vi conductionis licitè potest exigere Pater familias ab operario plus laboris, quàm correspondeat stipendio, neque oblatum acceptare quasi ex vi contractus debitum: donatio autem mere liberalis, aut remuneratoria sponte facta vtrobique locum habet, si vere vtrobique detur, & neque deducatur in pactum, neque desit plena illa voluntas quam ipsius natura exigit.

38. Arguitur 3. ex Tamburino, qui rem tractat ex professo *in opusc. de Sacrif. Missæ. lib. 3. cap. 1. §. 3. à num.* 57. Famulus se ostendens contentum inæquali illo stipendio, & aliunde intendens sese ad æqualitatem compen-

pensare, fraudulenter agit, & sua fraude est causa iniusta damni propterea emergentis Patri familias, cui aliunde non deesset in tanta famulantium multitudine alius, qui pro eodem stipendio parem operam præstaret. Ergo iniuste se compensat, quamvis coactus paupertate id faciat, quia paupertas nulli confert ius agendi fraudulenter, neque decipiendi alium, aut decipiendo irrogandi ei præiudicium, quod alias non pateretur.

39. Respondeo ex traditis *suprà num.* 18. facile dilui argumentum. Nam si multitudo quærentium, & non invenientium herum, cui locent operas suas, tanta sit vt ex vi illius salarium iuste decrescat, certum est nõ posse famulum, qui eo salario fuit contentus, sese compensare occulte, licet minus sit eo, quod foret iustum tali circumstantia deficiente. Sicut neque potest ille, qui pro iusto infimo ficte convenit, se compensare vsque ad summum seu locando, seu vẽdendo: neque vllus alius simulare omnino liberam condonationem salarij in totum, vel ex parte, vt ea fraude alliciat dominum ad admittẽdam suam operam, qua alioqui non indigebat, & interim occulte subtrahere quidquid illa mereretur, si non donata, sed locata esset. Quod recte Scilderẽ admonuit *tr. 4. de consc. num.* 102. *in fin.* & pro alijs quibusque evẽtibus debet notari vbi ex vltronea oblatione, vel ex alijs circumstantijs *cap.* 2. recensitis valor operæ decrescit, & stipendio minori sufficienter compensatur. Neque nos de hoc casu loquimur, sed de eo duntaxat vbi inspectis omnibus pro stipendio evidenter inæquali operæ conducuntur, aut locantur, quin plene voluntaria donatio, aut altera circumstantia interveniat, ratione cuius minus mereãtur, quam alijs parem operam præstantibus ex lege, aut consuetudine rependitur.

40. Vbi autem ista concurrunt, dominus iniuste agit, inire volens cõtractum iustitiæ, & nolens servare in ipso debitam æqualitatem. Famulus vero nullam fraudem adversus illum committit intra limites contractus, quia nec dicit stipendium esse iustũ, cum constet esse inæquale, nec pro suo libito potest immutare eius naturam, aut illud reddere æquale, quãvis æquale esse fingat, aut per errorem existimet illud non esse inæquale. Quare iniustitiam nõ aufert, quod se contentum ostendat illo modo contrahendi, nec solus consensus eius in contractum exse iniquum potest illum æquum facere. Quod vero fortasse dominus alios inveniret, qui pro eodem stipendio exhiberent sibi famulatum, nisi hunc conduceret, parum prodest, vt hic ipse reputetur vera causa iniusti damni. Nam si alij facturi id essent per errorem, aut inviti, vel in vim solius contractus, nec cum isto, nec cum vllo alio conductio ista iuste celebrari posset, aut acceptari promissio perficiens talem contractum, potius quam promissio persolvendi vsuras, aut pactum vendendi merces minoris quam valent, eo prætextu quod alij non deessent, quibus par iniuria posset irrogari. Si vero id essent facturi non in vim solius contractus, sed liberali donatione admixta, simili omnino prætextu posset quivis vsurarius, in tanta copia indigentium mutuis pecunijs, palliare vsuram, ac dicere non defuturos alios exigentes mutuum, qui sibi aliquid vltra sortem conferrent ex gratitudine vel liberalitate. Ac pariter emptor tritici, aut alterius mercis pro pretio infra infimum iustum, prætexere posset alios adfuturos, qui id quod deest voluntate omnino libera sibi condonarent. Sane donatio non

est

est nisi plene voluntaria, nec talis esse censetur cum causa donandi deest, sed adest necessitas, quæ esse solet causa non donandi.

CAPVT V.

De inæquali Missarum stipendio, eiusque compensatione occulta.

41. QVæ autem de famulis diximus, & ad quosvis alios stipendiarios extēdimus, servata proportione locum habent in Sacerdotibus, qui Missas celebrant: in vinea namque domini operantur, & sicut alij operarij condigni sunt sua mercede. Quapropter si merces iusta, & recepta lege, consuetudine, aut conventione taxata, eis non persolvatur, optimo iure sese compensare poterunt, & quod iusto deest sibi occulte accipere ex alijs pecunijs eius, qui ipsis Missas commendavit, servatis his, quæ in istis compensationibus ab alijs servari debent. Quod si pro stipendio exiguo convenerunt, & minori quam sit lege, vel communi æstimatione taxatum, sicut certum est occulta cōpensatione vti non posse, cum iniustitia contractus dubia est, & illiquida obligatio restituendi, ita conspicuum apparet illos non esse excludendos ab hoc medio resarciendi damnum suum, cum iniustitia contractus indubitate conspicitur, & liquido constat debitum solvendi ipsis; quod minus iusto acceperunt. Eisdem autem regulis dijudicari debet liquida, aut illiquida iniustitia huius contractus, quibus antea fuimus vsi ad illam discernendam in alijs, quibus eum æquiparari ostendimus.

42. Inspiciendumque est in primis, quod omnibus pensatis stipendium sit iusto minus, nam si ex circumstantijs accidētarijs decrescat valor operæ Sacerdotalis, quod præ nimia exiguitate iniquum videbatur, ex eo capite iustum reddetur. Inspiciendum quoque, ne interveniat omnino liberalis donatio, seu remissio eius quod deest, vt pro amicitia, gratitudine, misericordia, aut opulentia Sacerdotis pluries evenit; tunc enim quamvis non ratione exigui stipendij accepti, neque ex vi solius contractus onerosi, ex alio capite tollitur obligatio restituendi in dante, & facultas exigendi id quod interest in Sacerdote, qui iure suo vti non voluit, sed ei voluntarie cessit. Quoties vero ista deficiunt, & Sacerdos minus iusto acceptat privata sua necessitate compulsus, quia non invenit, qui iustum præbeat stipendium, cum contractus sit apertè iniquus & promissio non gratiosa, sed conventionalis fuerit, ita licet compensatio, sicut diximus licere quibusque alijs operarijs in similibus eventis, & sicuti liceret eidem ipsi, si stipendium iusta conventione designatū sibi non persolveretur. Aut si de iniusto stipendio conveniisset, quia errore ductus putabat tantumdem, & non plus esse præscriptum consuetudine, vel lege; ita enim errāti, & propterea consentienti cum involuntario admixto, recompensatio debetur ad æqualitatem, vt & illi, qui existimando adamantem esse vitrum pro pretio vitri illum vendit.

43. Gravis tamen inde insurgit difficultas. Num scilicet, is Sacerdos, cui recompensatio ex iustitia debebatur, supplementumque exigui stipendij, possit se indemnem servare non efferendo tot Missas, quod promisit iniquo contrahenti, sed paciores, & eas solum, quæ diminutis stipendijs simul sumptis respondent iusto stipendio? Nunc enim duntaxat di-

diximus illum servatis servandis posse occulte sibi assumere ex pecunijs debitoris stipendium correspondens ad æqualitatem Missis, quas ille exigit, & iam ipse integrè obtulit, quamvis sit iniuste læsus, absque vlla diminutione, iuxta intētionem illius. Est autem longe diversus hic vltimus casus, ab eo, quem paulò antea in cōtroversiam adduximus. Ibi enim agitur de occulta diminutione Missarū ob iniustitiam stipendij; hic vero potius supponitur tot Missas esse offerendas, & integre applicandas, quot à Sacerdote promissæ, & ab altero prescriptæ fuerant. Ibi opus proprium Sacerdotis subtrahitur, & nil alienū clandestine accipitur: hic pecunia aliena subtrahitur, & de proprio Sacerdotis opere nihil omittitur. Ibi Sacerdos intendit, (ne stipendio iusto defraudetur) non implere totum quod promisit hic autem, cum ex parte sua promissum implere velit, contendit se indemnem servare efficiendo, vt alter suppleat ex suis bonis defectum stipendij, quem supplere debet attenta lege iustitiæ.

44. Vtrobique autem videtur esse par ratio. Nam vtrovis modo ad æqualitatem revocatur contractus alioqui iniquus, cuius aperta inæqualitas neque voluntate alterius cōtrahentis, neque iudicis officio, neque alijs medijs suavioribus potest absque magno incommodo ad debitam æqualitatem reduci. Et sicut alij operarij iniuste læsi in contractu locationis circa stipendij iustitiam, bifariam sibi consulere possunt, cùm alia media deficiunt. Nempe vel exhibendo totam operam promissam dignam maiori stipendio, & sibi accipiendo occulte quod iusto stipendio deest, saltem vsque ad gradum infimum; vel potius minuendo operas, nec præstando nisi illas, quibus ad æqualitatem correspondet stipendium, quod tribuitur, ita pariter huic Sacerdoti, similiter læso iniuste circa stipendium Missarum, licebit sibi cōsulere, quocumque ex prædictis medijs, neutrum enim est iniustum. Vnde in venditionibus quoque, & emptionibus vterque putatur licitus, cum iniusta læsio intervenit circa pretium iustum versus maximum, aut versus minimum: & similiter cum creditores inviti remittunt partem sui debiti, vt aliam partem recipiant.

45. Negotium tamen facessunt decreta S. Congregationis auctoritate speciali Vrbani VIII. *edita die 21. Iunij anno* 1625. & in locis consuetis Romæ promulgata vbi §. 2. sub obtestatione Divini iudicij *præcipitur Sacerdotibus*, Ecclesijs, aut alijs quibuscumque ad quos id spectat quod vbi *pro pluribus Missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcumque INCONGRVA, ET EXIGVA, sive ab vna sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum, absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosynæ præscriptæ fuerint: ita vt alioqui hi ad quos pertinet suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Postea autem declaratum fuit authentice, ne daretur occasio cavillandi, verba illa *præscriptæ fuerint* esse intelligenda *de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario.* Quocirca licet antiquitus magna fuerit controversia circa occultam istam diminutionem Missarum, pluresque, ac gravissimi relati à Pasqualigo *supra num. 2.* duxerint eam esse licitam, contrarium modo vt iam certum fere ab omnibus supponitur, quos appellat idem Auctor *ibidem num. 4.* Diana *p. 10. tr. 16. resol. 71.*

46. Responderi tamen potest decretum non loqui in casu, de quo disse-

dicimus, nec pro eventu illius quidquam præcipere, sed de alio valde diverso, vbi ipsius ordinatio generalis est, atque iustissima. De illo namque eventu tractat, in quo Ecclesia, Capellanus, vel Sacerdos, qui incongruũ stipendium acceptavit, tenetur stare conventioni suæ, atque restituere, si non expleat totum numerum Missarum, quem promisit, & huic præcipit ne prætextu incongruitatis tunc notæ, aut postea emergentis eas reducat ad minorem numerum propria, vel cuiusque alterius auctoritate præterquam Summi Pontificis, aut in vim privilegiorum, omnia enim religionibus concessa quoad hunc effectum cassavit. Nos autem de hoc casu non loquimur, nec pro eventu illius quidquam indulgemus, vltra id quod in decretis mandatur, sed de eo solum, vbi Sacerdos non debet secundum iustitiæ rigorem observare suum cõtractum, neque dicere tot Missas quot promisit nisi stipendium, sibi suppleatur. Nimirum quia iniusta læsio ipsius, eaque certa, ibi intervenit, nec omnino sponte cessit iuri suo, sed externa vi, aut metu compulsus, vel fraude inductus, aut errore deceptus, vel necessitate coactus, qua alter abutitur, vt pro incongruo stipendio paciscatur, sicut vsurarijs cõtingit, & emptoribus, qui non nisi iniusto pretio emere volunt ab his, qui vendendi merces necessitate coarctantur.

47. Iam vero quod mens decreti ista fuerit, & non alia, ex ipsius cõtextu persuaderi valet. Tum ponderando illa verba: *Alioqui obligationi suæ non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & restituere teneantur.* Obligatio quippe illa, cui Sacerdotes dicuntur nullatenus satisfacere, non est obligatio præcepti à Congregatione impositi, cum illa non sit iustitiæ, nec peccatum contra ipsam, peccatum veræ iniustitiæ, vnde debitum restituendi relinquatur, sed est alia sua ipsorum, quæ antecedenter supponitur, & propria voluntate contrahitur, vi cuius ex iustitia tenentur stare conventioni suæ, non obstante quantacumque stipendij exiguitate, & propterea sine peccato iniustitiæ non deseritur, & restituendi obligationem relinquit, nisi numerus Missarum expleatur. Tum præterea, nam præcipua causa, quæ S. Congregationem induxit ad hæc decreta formanda, illa est, quæ in proœmio ipsorum declaratur. Nempe quia si aliter fiat, consequens sit, *vt depereant piæ testantium voluntates, OBSTRICTA BENEFACTORIBVS FIDES VIOLETVR, defunctorum animæ suffragijs priventur, Ecclesijs debitus cultus subtrahatur, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur.* Atqui, dum iniusta læsio intervenit, omnes hæ rationes cessant non tantum privative, sed contrarie, quia læsioni iniustæ, & pietas resistit, & charitas; nec debita suffragia tolluntur, aut fides obstricta violatur, dum in contractu ipso iniustitia committitur, & stipendium incongruum cum debito restituendi Sacerdoti, quod ei defuit, ab exigente sacrificium consignatur.

48. Suadetur præterea, tùm ratione, tùm exemplis. Ratione. Quia non est credibile S. Congregationem voluisse onerare eos, qui in hoc contractu iniuriam patiuntur, & favere his, qui iniuriam faciunt. Exemplis vero. Nam qui vi, vel metu mortis cogeretur acceptare stipendium manifeste diminutum, neque ex vi suæ conventionis, neque ex Sacræ Congregationis præcepto deberet adimplere totum numerum Missarum, quem promisit, si non aliter posset se indemnem servare, quam pauciores offe-

offerendo. Ille quoque qui non minis, aut externa vi coactus, sed aliena fraude, vel proprio errore deceptus, nempe quia iustum putabat, quod revera iniustum erat, eadem arte sibi consulere posset, vt de eo qui charta involutum stipendium acceptavit, si postea illud inæquale reperit, etiam in terminis Decreti affirmant Franciscus de Lugo Megala, & alij, quos referunt, & sequuntur Diana *dicta resol.* 71. & Zacharias. Pasqualigus *in dicto tomo* 2 *de Sacrificio Missæ quæst.* 945. necnon Hyacintus Donatus *in praxi Regular. tom.* 3. *tr.* 7. *q.* 47.

49. Ac demum non pauci putant, & in praxi tutum reputant, Capellanum, qui acceptavit sub certo onere Missarum beneficium, cuius redditus illi ad æqualitatem sufficiebant, posse licite ad pauciores Missas id reducere pro rata iusti stipendij, auctoritate propria, cum ijdem redditus adeò decreverunt sine culpa ipsius, vt evidenter iniustum, & inæquale Missis sit stipendium, quod defacto percipit. Neque enim se obligasse creditur, aut obligatus fuisse à Fundatore, qui de supplemento non providit, tali, ac tanta mutatione reddituum superveniente, sed solum rebus sic stantibus, quæ est conditio tacite subintellecta in locationibus, ac conductionibus, & alio quovis contractu tractum successivum includente. Neque Pontificia reservatio similium reductionum comprehendisse videtur casus apertæ iniustitiæ, sed eos tantum vbi dispensatio, derogatio, aut commutatio exigitur iustæ voluntatis alienæ, vel interpretatio in casu dubij. Sic censent Raphaël Aversa *q.* 11. *de Eucharistia. sect.* 18. §. *Quod si post assignatum.* Bordonus *tom* 1. *variar. resol.* 25. *q.* 26. Thomas Hurtado *tom.* 2. *de congrua. append.* 1. *num.* 211. & probabile agnoscit. Franciscus de Lugo *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 12. *q.* 9. *num.* 97. ac plene Pasqualigus *q.* 1076. *per tot.* Et valide confirmatur ex his, quæ tradunt Auctores circa deobligationem recitãdi Officium divinum, cum redditus Capellaniæ, aut Beneficij sunt adeò tenues, vt tanto oneri videantur impares. Casus namque est valde similis huic nostro, si vtrobique supponatur inæqualitas conspicua emolumenti cum onere, & ideò vtrumvis æquiparat nihil relinquens intactum P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de orat. cap.* 21. *num.* 7. *&* 8.

50. Monuerim tamen diminutionem, seu reductionem secretam Missarum non esse faciendam, nisi cum est medium vnicum ad reparandam læsionem aperte iniustam illius, qui maiori onere gravatur, quam fert quãtitas stipendij. Easdem enim conditiones postulat occulta reductio, quas occulta compensatio, scilicet læsionem liquidam, & quod conuenientiori alio modo resarciri nequeat, scilicet admonendo eum cuius interest, vel implorando officium iudicis. Nam si his medijs absque notabili incommodo læsio reparari valeat, aut recuperari debitum, nemo dicet occultam compensationem, aut reductionem licere; etsi quamplures affirment prætermissione huius ordinis non committi peccatum iniustitiæ, nec contrahi obligationem restituendi, sed solum peccatum veniale ob modum agendi indebitum. Quocirca sicut occulta compensatio sæpius redditur illicita non ratione sui, sed per accidens, seu ex præceptis virtutum à iustitia distinctarum v. g charitatis propriæ, vel alienæ, hic & nunc vetantis vsum eius, ita pariter in reductione contingit. Neutra namque potest exerceri v. g. cum periculo scandali, aut infamiæ, nam cum speciem furti habeat, alijs qui causam ignorant, furandi exemplum præbe-

bit; & is ipse, qui se iuste compensat, & iustitiam suam coram iudice ostẽ dere nõ valet defectu probationum, aut testium, erit sibi causa magnæ infamiæ plus nocentis quam amissio debiti, si periculum sit ne deprehendatur, & latrocinij damnetur, aut alijs innocentibus si forte agnoscat furtum illis imputandum esse.

51. Propterea si è duobus vnum foret necessarium ad iniustam sui læsionem reficiendam, & vtrumlibet possibile, potius intentanda esset occulta compensatio eius, quod interest, supplementumque capiendum ex alijs illius pecunijs, qui iniustum onus imposuit, quam intentanda reductio ad ratam iusti stipendij. Compensatio namque pecuniaria non plus incommodi habet in hac materia quã in alijs quibuscumque debitis liquidis, & ideò illam pariter licere diximus *num.* 41. idque tradit cum Rebello Donatus *suprà q.* 44. *num.* 10. & cum Corduba P. Azor 3. *p. lib.* 12. *cap.* 6. *q.* 3. *in fin.* At vero reductio Missarum gravissima afferre solet incommoda animabus purgatorij, & alijs pro quorũ necessitatibus essent offerendæ Missæ clanculum subductæ, & sæpe non leve scandalum, vt ex S. Congregatione expendebam *num.* 47. atque ea propter etiam cessante iniustitia saltem ex præcepto charitatis illa evitare tenebimur, cum absque notabili incommodo nostro id fieri valet. Charitatis quippe debitum maiorem ambitum habet, quã lex iustitiæ, & quamvis ipsius obligatio, sicut aliæ affirmativæ ex multis circumstantijs dependeat prudenti arbitrio librandis, in nostro casu magni ponderis videtur, quod ex vna parte proximus sit in gravi necessitate constitutus, v.g. in purgatorio detentus, aut periculosa infirmitate vexatus, à qua forsitan liberaretur oblatis pro eo sacrificijs, quæ omittuntur, & ex alia huic Sacerdoti peculiariter incumbat obligatio occurrendi istis necessitatibus, quibus ideò non succurritur oblatione Sacrificij, quia occulta reductio ignoratur, & creditur promissioni ipsius.

CAPVT VI.

Quæstio incidens circa facultatem sese compensandi occultè ex stipendijs Missarum pro alijs debitis contractis prius.

52. AFfinis est præcedenti quæstio ista, nec passim tractata, in qua P. Tamburinus *citato* §. 3. *num.* 103. Donatus *q.* 46. Diana *eo tract.* 16. *resol.* 66. *in fine*, existimant etiam in casu, quo debitũ aliter recuperari non valeat (neque enim illum excipiunt) illicitum esse Sacerdoti, cui Petrus ex.g. anticipate persolvit iustum stipendium Missarũ, quas de novo postulat ab ipso, sese occulte compensare ex eiusmodi pecunijs, easque subrogare in locum alterius debiti liquidi, quo ipsi Petrus antea tenebatur. V.g. quia alias Missas eidem Sacerdoti commendaverat data fide de stipendio persolvendo, & cum Sacerdos eas dixerit, Petrus nilominus illud solvere detrectat, nec alia via supereſt recuperandi ipsum; vel cum expensas iniuste illum facere coegit, litigando, aut alijs modis, vt solutionem debiti extorqueret. Esto namque in istis casibus Petrus ad restitutionem antiquioris stipendij, aut expensarum sine dubio teneatur, iniquum tamen his Auctoribus videtur, vt cum tanto nocumento aliorum Sacerdos iure compensationis vtatur, & Missas denuo commendatas omittat. Quapropter hunc modum

dum compensationis solum in eo eventu admittunt Tamburinus, & Diana, quo constaret totum damnũ resultans ex omissione Missarum esse solius Petri debitoris, non verò animarum purgatorij, vel alterius tertij; Donatus verò neque istius limitationis meminit, sed generaliter scribit.

53. Non me latet esse à contraria sententia permittente compensationem in his casibus Pellizzarium. Lezana, & Peyrinis apud Diana vbi proxime, necnon Thomam Hurtado *in dicta append.* 1. *num.* 213. & Zamorano *disp.* 8. *de compens. cap.* 11. *num.* 6. Nimirum quia iure suo Sacerdos vti videtur cum suum creditum prout potest recuperat. Neque vllo pacto est cogendus, aut amittere suum creditum si Missas pro stipendio velit celebrare, aut dicere Missas gratis si facta compensatione debiti antiquioris ex stipendio illarum adhuc maneat obligatus ad illas celebrandas iuxta intentionem Petri commẽdantis ipsas.

54. His tamen, quæ non sunt certa, sed ad summum probabilia, Donatus reponeret, in causis animarum purgatorij, quales plerumque sunt causæ Missarum, & pro illarum liberatione, non quamcumque opinionem probabilem esse sequendam, sed tutiorem atque favorabiliorem eisdem; hoc enim postulat gravissima earum necessitas, cui non potest comparari damnum, quod Sacerdos patitur ex eo quod debiti sui recuperationem periculo amissionis exponat, vel ad meliorem occasionem differat. Ita discurrit hic Auctor, *eo tr.* 7 *q.* 48. *num.* 3. qui præterea appellat Bonacinam *disp* 4. *de Sacrament. quæst. vlt. punct.* 8. Sed ibi nil reperio conducens isti doctrinæ. Nimis tamẽ illam promovet, quod exprofesso statuit Pasqualigus *suprà q.* 961. *per tot.* contra Marchinum *de Sacram. Ordinis. tr.* 3. *p.* 2. *cap.* 17. illicitum esse in praxi sequi opinionem probabilem in satisfaciendo oneribus Missarum, sive pro animabus purgatorij commendatæ fuerint, sive pro alijs quibuscumque, sed semper sequendam esse certam, & omnino tutam.

55. Quidquid autem sit de istis, quæ plus pietatis quam soliditatis habent, regula generalis esse debet, nullam opinionem speculative probabilem licite ad praxim deduci, cum vsus eius vetatur lege certa charitatis, obedientiæ, vel iustitiæ, aut cuiusque alterius virtutis. Quod ex terminis notum apparet, & agendo de vsu ipso compensationis occultæ exploratum est inter Doctores, & varijs exemplis firmatum *num.* 50. Nunc verò omnibus inspectis lex satis certa iustitiæ hanc compensationem vetat. Quia non est in potestate Sacerdotis, prætextu debiti antiqui, violare novum contractũ celebrationis Missarum, quantum est de se iustum ac validum, & omnino independentem à quocumque alio anteriori. Illo siquidem supposito iam debitum Petri non est vnicum, sed duplex respectu huius Sacerdotis; alterum antiquum, aliud novum, vi cuius tenetur solvere Sacerdoti stipendium ei promissum, & Sacerdos vice versa adimplere onus Missarum, quod ratione illius suscepit. Vbi autem respectu eiusdem creditoris duplex debitum concurrit in vna, & eadem persona, & vnum tantum persolvitur, illi tantum satisfactum creditur, de quo inter se convenerunt, nec iam licet creditori, qui pro talis debiti extinctione illud acceptavit, inscio, vel invito debitore contractum rescindere, & extinguere aliud debitum de quo nihil est tractatum.

56. Cum ergo à Petro Sacerdos illas pecunias acceperit titulo stipendij anticipati, & in vim contractus

oneroſi, quo ad dicendas Miſſas eis correſpondentes ſe obligavit, non erit liberum ipſi alio titulo illas facere ſuas, & tollere ab ipſis onus ſub quo illarum dominium comparavit. Eſto namque illæ pecuniæ ſecundum ſe conſideratæ, tanquam propriæ Petri antiqui debitoris, poſſent eſſe materia licitæ compenſationis, eædem tamen vt ſubſunt novo contractui, & ex mutua conventione partium ſunt datæ, & acceptæ non niſi cum novo onere, & ad effectum alium diverſum ab extinctione debiti antiqui, eo ipſo alterius conditionis eſſe incipiunt, & iam nequeunt privata auctoritate vniuſcuiuſque ab onere ſuſcepto occulte ſeparari. Vnde neque in iudicio audiretur Sacerdos; qui hunc modũ compenſationis obtenderet, quo ſe in poſterum ab onere Miſſarum liberaret, ſed eas cogeretur dicere, compellendo ſimul antiquum debitorem vt debito priori aliunde ſatisfaceret. Id autem quod re plene intellecta in foro externo iniquum reputaretur, ſecreta compenſatione iuſtificari non valet.

57. Ex oppoſito præterea aperiretur ingens oſtium magnis fraudibus, ſublata firmitate locationum, emptionum, aſſimiliumque contractuum, quos antiqui debitores cum ſuis creditoribus ineunt, nam ibi mutata materia eędem morales circumſtantiæ interveniunt, idemque prætextus ad compenſationem debiti antiquioris. Vnde ſicut ibi nihil refert, quod debitor in ſuum commodum, vel incommodum aliorum proprio nomine contractum celebraverit; ita nihili æſtimari debet (quidquid in contrarium ſuprà dixerint Tamburinus, & Diana) quod debitor pro ſua ſalute, aut pro liberatione animæ ſuæ à pœnis purgatorij Miſſas commendaverit, aut pro ſalute potius vel liberatione aliorum, ſemper enim vrget iuſtitia novi contractus, quæ compenſationi aditum obſtruit, & vim ſuam retinet donec mutuo conſenſu diſſolvatur. Neque iſta ſententia gravis Sacerdotibus videri debet, ſed vtrique parti æqualis. Nam ſicut ipſi non poſſunt ex ſtipendijs acceptis ſub certo Miſſarum onere compenſare ſecretò alia ſua debita, ita Miſſas commendantes, & titulo ſtipendij perſolventes pro celebratione illarum eleemoſynam pinguiorem ea, quæ in rigore iuſtitiæ foret ſatis, nequeunt licite prætextu huius exceſſus alia ſua debita extinguere, quibus eidem Sacerdoti adſtringebantur, ſed eis integre ſatisfacere tenentur ex alijs bonis, & ſtare contractui denuo inito.

58. Et hæc quidem inoffenſe procedere videntur, cum vtrinque contractus fuit celebratus vere, & ex animo ſeſe obligandi, quem verba externa ſignificant. Difficilius autem eſſet, ſi verus animus ſeſe obligandi defuiſſet, & non interveniſſet niſi fictus. Ex. g. quia Sacerdos pecunias ſibi datas titulo novi ſtipendij, quamvis exterius oſtenderit ſe eo titulo illas acceptare, & obligationem ſuſcipere dicendi Miſſas pro quibus confertur, interius autem contrarium animum habuit, ac potius voluit eas ſumere per modum compenſationis extinctioniſque debiti antiqui. Habuiſſe namque videtur cauſam valde ſufficientem ita agendi abſque iniuſtitia, cum ſuum debitum aliter recuperare non poſſet; & quamvis demus eum eſſe mentitum, aut peccaſſe decipiendo proximum, virtutemque veracitatis læſiſſe, non apparet cur gravius deliquerit. Quippe neque ex vi contractus tenebatur ex iuſtitia Miſſas dicere, cum ex defectu conſenſus ille nullus ſupponatur. Nec ratione deceptionis vlla ei obligatio incumbit perficiendi ex parte ſua

contractum, seu removẽdi fictionem ponendo consensum verum, quia adhibere illum non debuit cum tanto dispendio suo, qualis est amissio prioris debiti: & licet debitor deceptus fuerit contra suam voluntatem, non ideò putari debet deceptio perniciosa, vel iniusta, quia irrationabiliter invitus erat, & nolendo satisfacere alij debito anteriori contra iustitiam peccabat. Nec demum iniuste agit Sacerdos ita decipiens, si fictionem removere nolens, adhuc retinere velit pecuniam alioqui debitam, & titulo stipendij sibi datam; iustam enim habet causam retinendi illam, haud secus quam omnis alius, qui suum creditum secretò compensat retinẽdo æqualem summam ex pecunijs debitoris, à quo iniustum damnum patitur, quod aliter resarcire nequit.

59. Aliunde vero istis obstat. Primo quia non debet esse cœteris paribus melioris conditionis creditor decipiens, ac fingens alio novo contractu quam contrahens syncere ac candide: hic autem, vt iam evicimus, secreta compensatione vti non potest, sed contractum observare. Secundo quia vera æqualitas, & rectitudo iustitiæ pervertitur, dum in contractu oneroso alter voluit se obligare, & externa alterius repromissione deceptus ex parte sua iam implevit quidquid ad ipsum spectabat; alius vero liber maneat, & neque fictionem tollere ponendo novum consensum, nec acceptum debeat exæquare, exhibendo ex parte sua id quod se daturum dixit, & quod non aliter, nec alio titulo accepturus esset. Tertio quia tametsi debitor iniuste agat non solvendo antiquum debitum, non ideò creditori licet aliam iniustitiam facere, vt creditum suum compenset: hic autem aperte iniustus, & inæqualis contractus ex parte decipientis celebratur, & à priori debito independens, cuius nulla mentio est facta nec fortasse illius meminerat is, qui Missas denuo commendabat. Quarto nam licèt in hoc eventu nullum damnum vere tale patiatur in suis pecunijs ille, qui stipendium dedit, ponimus enim Sacerdotem titulo compensationis non plus accepisse quam sibi debebatur, aliunde vero ex omissione Missarum, quarum onus ficte suscepit Sacerdos nocumentum valde grave ipsi resultat in alijs bonis maximi æstimandis.

60. Privatur enim valore, ac fructu, quem iure optimo sperabat sibi, aut suis ex effectiva oblatione Sacrificiorum, quę exegit, & titulo oneroso commendavit, non commendaturus illa huic Sacerdoti, sed alteri, cuius debitor non esset, nisi deceptus putaret cum bona fide procedere, ac se obligare vicissim. Porro in onerosis contractibus, qui alium decipit, & decipiendo est ei causa vel gravis damni emergentis, vel magni lucri cessantis, sua fictione adversus iustitiam peccat, & vtrumlibet tenetur restituere, vt omnes affirmant passim, & testatur Gibalinus id comprobans ex professo *lib. 3. de vsuris. cap. 2. art. 2. regula 3.* Ergo cum iste deceptus merito existimet alium vere contraxisse, ac se obligasse ratione accepti stipendij, & propterea optimo iure credat ius sibi competere ad celebrationem Missarum, & ad totum illum fructum, quem ex ipsis prudenter sperare poterat, non mirum si illis fraudatus callida fictione alterius iustam recompensationẽ postulet. Tota quippe spes ista præciditur si sacrificia omittantur, & non applicetur eorum valor pro ea re obtinenda, quam ipse desiderabat v. g. pro liberatione propria à captivitate, aut ægritudine, à molestis tentationibus, vel à morte subitanea, pro victoria in bello, aut lite, aut pro obtinẽda dignitate aliquã

Im-

61. Imò & pro bonis aliorum tàm spiritualibus, quàm temporalibus adipiscendis, malisque avertendis pariter pacisci potest, & strictum ius iustitiæ in favorem illorum sibi comparare v. g. pro fœlici partu vxoris, pro liberis, aut cognatis, pro benefactoribus, ac alijs, quos naturalis charitas sibi devinxit, pro animabus purgatorij, aut pro afflictis, & captivis, ac quibuscumque alijs proximis; quos fratres in Christo reputat, & vnius corporis membra mutuis officijs iuvanda. Ipsi quoque quorum commodis, aut indigentijs prospicitur per oblationem Missarum, quamvis vi solius contractus initi inter Sacerdotem, & Petrum nullum ius iustitiæ adquirant, ius tamen iustitiæ habent, ne mendacijs, ac fictionibus impediantur ab assequutione tanti boni, quantus est valor Missarum, & spei capiendi fructum, qui ex ipsis sperabatur, & ideò ex hoc capite læditur ius ipsorum, dum Sacerdos fingit se suscipere obligationem Missarum, quam non suscipit, nec vult applicare in eorum favorem, sed ex stipendio accepto alia debita antiquiora compensare. Porrò tametsi Sacerdos ius compensationis habeat non tamen per media dese illicita, & adeò præiudicialia, quales sunt eiusmodi fictiones, nec cum tanto damno aliorum emergente ex facto ipsius, aut etiam lucro cessante.

62. Hæc sunt, quæ pro vtraque parte ancipitem reddere videntur quæstionem istam nondum discussam ab alijs, & maiori examine indigentem quam ferat præsens occasio. Rem pro dignitate tractandam sapientioribus relinquo, & interim nulli sim Auctor, vt secretam compensationem exerceat sub prædictis circumstantijs.

CAPVT VII.

Illatio pro Confessarijs circa occultas compensationes Sartorum, similiumque officialium.

63. NVllibi frequentior est occulta compensatio prætextu iniusti stipendij, nulliusque facilior, quam Sartoribus. Conqueruntur enim sæpesæpius, quod minus iusto sibi persolvatur pro factutis vestium, & ne ab illis dimittantur, qui ipsorum opera vtuntur, ostendunt se esse contentos ea mercede quam accipiunt, animo tamen sese occulte compensandi retinendo fragmenta, quæ supersunt ex telis, vnde vestes conficiuntur, aut etiam exigendo plus telæ quam vere orat necessariũ, vt eius occultatione resarciant, quod timent defuturum suæ mercedi.

64. Cum autem ad confessionem accedunt ipsi per modum levioris scrupuli ista exponunt, sed curis multo gravioribus involvitur Confessarius. Videt enim nullum in eis esse emendationis propositum, aut animum restituendi, sed in eadem consuetudine perseveravisse, quamvis plures alias similes confessiones instituerint. Agnoscit præterea res ablatas, & ignorante vestium domino retentas, non esse parvi momenti, neque ex illis quas ob sui vilitatem dominus pro derelicto haberet, & nollet sibi restitui ad vestes reficiendas, vel ad alium vsum, quamvis sciret apud Sartorem manere. Quod si in istis circumstantijs Confessarius iudicio Sartoris non deferat proponenti plus valere operam suam, & iure compensationis ista iuste detinere, illum in desperationem adducet imponendo

do ei restitutionem pro præteritis, & negando absolutionem nisi firmiter proponat emendationem in posterũ ipsi difficillimam, ac pene impossibilem, quia neque officium Sartoris his medijs destitutus retinere valet, nec potest illum dimittere, cum alterum non didicerit, nec aliam artem minoris periculi, vnde sustentari valeat. Si vero Confessarius ei deferat, eiusque iudicio velit stare, cum illud in causa propria sit valde suspectum, & sæpe apparentijs potius quam certæ, ac liquidæ veritati nitatur, prætextu compensationis Sartorum furta palliabit, eisque licentiam concedet valde pernicioſam toti alij populo, cuius panni subtrahuntur, & inauditus damnatur ad solvendum pro facturis suarum vestium plus quam fert conventio publica, & communis æstimatio.

65. In hoc puncto tria mihi certa videntur. Alterum est non esse denegandum Sartoribus vsum compẽsationis secretæ, dum aperte liquet minus iusto esse stipendium, quod accipiunt, & cœteræ conditiones cõcurrunt, quæ alijs eam licitam reddunt. Aliud vero eumdemmet vsum non esse cõcedendum, cum debitum maioris stipendij illiquidum est, incertaque obligatio restituendi ipsis quod defuit: nam hoc nulli alij Officiali, aut creditori permittitur, nec est cur istis specialiter tribuatur tanta licentia. Postremum autem (quod Auctores communiter observant, & specialius Villalobos, ac Diana locis statim referẽdis) Sartores quoad hunc effectum æquiparari famulis, ac reliquis mercenarijs, seu extraneis, seu domesticis, qui suam operam pro certa mercede locant in aliorum cõmodum. Quapropter omnia, quæ diximus de iusto famulorum stipendio, & causis vnde servitij æstimatio diminuitur, aut augetur, servata proportione Sartoribus, Textoribus, alijsque similibus Officialibus, sunt applicanda, & præ oculis habenda à Confessarijs, vt muneri suo satisfaciant, & tanquam iudices animæ discernant, num occultæ compensationes, quas hi faciunt, sint vt iustæ tolerandæ, vel tanquam furta palliata prohibendæ pœnitentibus in posterum, restitutione iiuncta pro præteritis?

66. P. Sanchez *lib. 1. consilior. cap. 7. dub. 3. num. 4.* iudicat prædicta fragmenta, aut partes integræ telæ licite retineri à Sartoribus Magistris artis, ac licite ab ipsis vendi, & emi posse absque scrupulo tanquam bona propria ipsorum, non vero furti suspecta. Quia illis communiter minus solvitur quam merentur facturæ, *atque ita*, ait, *mihi dixerunt multi ex timoratis, & rectæ conscientiæ, cum quibus hoc contuli.* Oppositum autem sentit de Officialibus ipsorum, quia istis Magister persolvit absque vlla diminutione totam mercedem conventam, atque ideo nullum damnum patiuntur, neque vllam habent compẽsationis materiam, quamvis minus iusto Magistris pro factura tribuatur ab illis, quorum sunt vestes. Idem probabile reputat Trullenc *in Decal. lib. 7. cap. 11. dub. 4. num. 8.* & à se non damnãdum Diana *p. 4. tr. 4. resol. 176. in fin.* absoluteque Sanctium sequuntur Card. de Lugo *tom. 1. de iustit. & iur. disp. 16. à num. 83.* & P. Moya *in select. 2. p. tr. 6. disp. 4. q. 3. num. 11.* Reiecta insuper ex parte limitatione spectante ad officiales, vel quia ipsis etiam contingit, vt minor iusta merces persolvatur, & ita sese compensant ex fragmentis, quæ Magister retinuit, vel quia tota iusta merces non solvitur sibi in pecunijs, sed (quod pluries vidi) partim pecunijs, partim telarum fragmentis, vel demum quia artis Magistri quod salario iusto deest ex-

exæquant, relicta eisdem facultate se se compensandi ad æqualitatem ex minoribus fragmentis, quæ ipsi possent retinere.

67. Attamen tota hæc doctrina, dato quod potuerit esse vsui Confessarijs, ac Sartoribus vbi, & quando Thomas Sanchez scribebat, nõ ideò generaliter practicari poterit, nec tradi tanquam probabilis apud quosvis vel vbique, aut semper. Fundatur enim in communi vsu, quem tunc temporis vigere credidit Granatæ, vbi Sanchez scripsit, informationemque accepit, non persolvendi Sartoribus mercedem iustam pro facturis vestium. Porro quæ in vsu fundantur, & non aliter quam eo supposito possunt licite exerceri, nullo iure extendi valent de loco ad locum, neque de tempore ad tempus, nec de persona ad personam, vbi talis vsus deficit. Quocirca si ibidem essent aliqui, essent autem proculdubio plurimi, qui iustum pretium saltem infimum persolverent, nemo diceret Sartorem posse ex telis ab illis datis rem alicuius momenti contra ipsorum voluntatem retervare, aut compensationis titulo plus telæ exigere, aut emere, quam sit necessarium vesti conficiendæ. Neque enim aliorum iniquitas eam patienti præbet iustam causam auferendi occulte ab alijs, quod ipsi nequaquam debent.

68. Rursus cum decursu temporis passim contingat immutari pretia rerum, tollique iniustitias, & abusus, qui olim inoleverant, etiam inspiciendum erit, vt facultas ista de præsenti concedatur, vtrum prava illa consuetudo persolvendi minus iusto pro facturis vestium iam cessaverit? vel vtrum merces, quæ antea erat iniusta, modo possit reputari æqualis ratione circumstantiarum de novo supervenientium. Quippe antiquæ corruptelæ modò extinctæ nihil prosunt, vt nunc liceant, quę ratione illarum prius licebant. Neque mercedis solutio, aut secreta compensatio fieri debet iuxta morem hic & nunc obliteratum, sed iuxta ęstimationem temporis præsentis, ac demum licet alicubi ea consuetudo duraret vel denuo introducta esset, non ideò consequens foret, vt in alijs locis vbi iustius agunt, qui vestiuntur, idem modus compensationis liceret. Quare Machado de Chaves *tom. 2. de perfecto Confessar. lib. 6. p. 8. tr. 8. docum. 8. num. 3.* optime obsevat Matriti, Hispali, & in alijs populosis civitatibus iusta stipendia refundi Sartoribus tàm Magistris, quàm Officialibus, atque eapropter opinioni Thomæ Sanchez inibi locum non esse.

69. Sed nec illi vnquam locus esse potest, nisi certo constet in casibus specialibus iniuriam fieri Sartori ab illo, cuius vestes conficiuntur, obligarique ad restitutionem eius, quod defuit mercedi pro factura persolutæ, vel mutua conventione taxatæ, vt accuratius reliquis expendit Villalobos *in summa. tom. 2. tr. 25. diffic. 13. num. 6.* & eo appellato Machado *suprà*, & Diana *p. 3. tr. 6. resol. 16.* Neque facile est credendum ipsis, dum obtendunt maiorem esse suam operam stipendio, quod accipiunt, quia iudicio proprio ipsorum in hac re non debet stari, sicut nec iudicio famulorum, sed taxæ vsuali, aut legali, vel privatæ conventioni, dum non constet esse manifeste iniquam, & ea non obstante illum, cuius vestes conficiuntur, ad supplementum teneri, atque ad eius restitutionem obligari. Qui autem diceret eorum iudicium circa inæqualitatem mercedis esse satis, vt se compẽsare possint, vt reor, proculdubio impingeret adversus condemnationem thesis, de qua nunc tractamus. Nam licet illa de famulis, ancillisque domesticis duntaxat loquatur,

quatur, id potius exempli, seu demõstrationis gratia, quam limitationis apparebit additum, expendenti easdẽ exceptiones pati iudicium privatum Sartorum, ac similium Officialium, quamvis sint bonæ conscientiæ, & periti intra suam artem. Plenum siquidem, firmumque iudicium de inæqualitate operæ ac mercedis, quale ad occultam compensationem exigitur, non tantum pendet ab arte, aut bona conscientia opificis, sed ex multis alijs circumstantijs, quas ipse requiri ignorat, & accurati Theologi non parvo labore examinant, vt ex illis, quæ præmisimus *cap.* 1. *&* 2. satis aperte constabit. Nec ergo sutor vltra crepidam, aut vltra vestis confectionem Sartor hoc genus iudicij sibi arrogare præsumat, neque Confessarius ei credat, nisi in his, quæ ad proprium factum, quantitatemque acceptæ mercedis, ac tempus laboris spectant, nam alioqui facillime decipientur, & iniuriam multis alijs irrogabunt, quibus vtpote indefensis, ac ignaris longe iustius est favere.

70. Nec quidquam iuvat opifices, aut emptores earum rerum, quas occultè suffurantur, sed potius eis obstat, si obtendant vsum communem persolvendi minus iusto pro facturis vestium. Quia hic prætextus tacitam quamdam contradictionem involvit, & eam ipsam inæqualitatem destruit, quam statuere conabatur. Pretia namque iusta rerum, & æqua mensura illarum, cum taxa legalis deficit, ex communi vsu, atque æstimatione sumuntur, & quod istis conformatur æquale, ac iustum censetur in vtroque foro, atque ea de causa dum dicitur pretium consuetum persolvi, & nihilominus nõ solvi æquale, termini inter se implicantur, & ab vna parte ponitur, quod destruitur ab altera. Foret præterea incredibile reliquum populum contra solos Sartores conspirasse, ne eis refunderet iustum stipendium, cum tot in illo timorati inveniantur iubentes vestes conficere, & nolentes quempiam defraudare. Adhucque incredibilius appareret, Sartores publice non reclamasse, sed communiter pro mercede aperte iniqua convenisse, cum multis occasio desit se ex fragmentis vestium compensandi.

71. Confessarij quoque ipsi iniquum illum morem extirpare curassent, & onus restituendi imposuissent dominis vestium, vtpote nescientibus vtrum Sartor sese aliunde compensaverit. Ijdemque domini sibi satius fore crederent iustam mercedem æquare pecunijs, quam liberam facultatem relinquere Sartoribus retinendi fragmenta, aut ornamenta vestium, quæ supersunt, quibus ipsi indigent ad vestes reficiẽdas, vel ad alios vsus, & defectu illorum sæpesæpius coguntur maiores expensas facere, vt alia de novo comparent, sæpeque similia non inveniunt, & integras vestes perdunt, ne difformiter variegatę appareant, & conspectui aliorum dissonent.

CAPVT VIII.

An famulis, alijsque operarijs sufficiat ad compensationem occultam iudicium mere probabile de inæqualitate suæ mercedis?

72. EXistimo non sufficere, quamvis reliquæ cõditiones non desint, sed necessario requiri iudicium moraliter certum, quo alterius iniustitia clare appareat, & ius nostrum nulli omnino probabili contradictioni subiectum. Ita suppo-

sui ex Molina, Giballino, Vasquez & omnibus alijs, qui de famulis, ac alijs operarijs specialiter loquuntur *suprà cap. 2.* & ita sentire *omnes*, dum regulas generales præscribunt secretæ compensationes sine peccato faciendæ, supponebat Thomas Sanchez *lib. 4. consilior. moral. cap. 1. dub. 14. n. 11.* Cæterum quia nuncnō desunt, qui generale hoc principium in controversiam adduxerint, & oppositum tanquam probabile in praxi stabilire contenderint, aut distinctionibus variis vniversalitatem eius evacuare, ad exactam theseos condemnatæ explicationē, examinare oportebit, vtrum hæc secure admitti valeant, & famulis prodesse possint, cum probabiliter iudicant iniuste recompensari suam operam, & revera plus mereri, quam ex vsu, aut conventione, vel prudenti arbitrio pro illa accipiunt.

73. Nemini autem id prodesse, sed necessario requiri in omnibus, qui se occulte compensant, certum iudicium de iniustitia debitoris, atque claritatem proprij iuris, ex hac ipsa thesi, in qua versamur, efficaciter colligitur. Namsi cæteris liceret sese compensare occultè ob opinionem probabilem iniustitiæ alienæ, ac iuris sui, idipsum pariter liceret famulis, ancillisque domesticis, cum nulla specialis ratio excogitari valeat, quæ in eis postulet maiorem certitudinē; vnde neque illos excipiunt Spinula, Garsi, & alij, qui doctrinam huic nostræ contrariam recenter invexerunt, sed de omnibus indiscriminatim loquuntur. At famulis, & ancillis nunc satis non esse ad compensationem occultam iudicium merè probabile de sui salarij iniustitia, ex eo patet, quia si oppositum illis adhuc est permissum, solum esset condemnata, & praxis eius prohibita propositio, quæ affirmaret eos posse ab heris surripere, quod iudicant iudicio improbabili sibi ex iustitia deberi, & subtrahi ex salario iusto. Hoc autem nemo non videt esse manifeste absurdum, cum propositio sit damnata, vt iacet, & absolutè loquatur de iudicio famulorum nulla restrictione, vel mentione facta improbabilis iudicij. Explicatur. Quia, vt vterque Pontifex in suis decretis præfatur, scopus ipsorū fuit prohibere theses noviter inventas, aut de novo suscitatas, cum iam antiquatæ fuissent. At nullus vnquam somniavit opinionem improbabilem iuris proprij, aut iniustitiæ alienæ ad occultam compensationem sufficere, sed nova recentiorum inventa circa sufficientiam opinionum hinc inde probabilium versabantur, relictis debitis omnino certis, aut prorsus improbabilibus, quia insufficientia istorum semper, & vbique omnibus constitit, haud secus quam illorum sufficientia, dum aliæ conditiones non deficiunt.

74. Probatur 2. assertio. Quia bonæ fidei possessor probabilem pro se rationem habens, privilegio certæ possessionis nanciscitur, vt nihil restituere teneatur, donec in iudicio proprietatis condemnetur, sed rem totam iure suo retinere valeat, & si forte ab altero spolietur opinante rem ad se spectare, iniuria adversus ipsum committitur cum obligatione restituendi ipsi possessionem, à qua deturbatus fuerat. Ergo à fortiori idem ipsum in occulta compensatione est dicendum. Nam qui se occulte compensat ex bonis sui debitoris, nō tantum certa possessione eum spoliat, sed etiam dominio certo, & vtrumque ad se transferre satagit. Quippe iusta compensatio vtrumque effectum producit. Et quod ille, cuius bona surripiuntur, alioqui debitor foret, non obstabat quominus talia bona, antequam occulte subtraherētur, legitime ad eum spectarent iure

possess-

possessionis, ac dominij, sicut certi debitoris sunt bona vnde solvit, priusquam sponte dentur in solutum. Confirmatur. Nam huc spectat manutentio, ac remedia alia possessoria; sed præsertim restitutio spoliatorum. Est enim primum principium iuris tàm Civilis, quàm Canonici, spoliatũ ante omnia esse restituẽdum integre. Neque audiretur, qui diceret, se accepisse rem alterius, qui probabiliter sibi debebat æstimationem ipsius, cum ad summum ille audiatur, ne restituat, qui claram aliquam exceptionem opponit, vt si adversus non dominum ex g. privata auctoritate spoliatum excipiat, sibi notoriè competere rei sublatæ prædominium.

75. Probatur 3. Nam qui intentata lite, & exceptionibus suis rite propositis, in iudicio externo condemnandus esset ad restitutionem rei ablatæ tanquam spoliator iniquus, nullo iure sibi potest arrogare auctoritatem adiudicandi sibi possessionem, atque proprietatem eius, aut spoliandi debitorem suum. Ita autem se habet is creditor, qui ob debitum litigiosum, quod alius inficiatur probabiliter, occultè debitorem spoliat, vt rem eius faciat suam. Condemnaretur enim proculdubio, si res iudici constaret, ad reponendum rem in eo ipso statu, qui præcessit ante spolium, atque id poscentibus iure Civili, ac Canonico, apertæ rationi innixis, non nisi iniustè tunc possent ipsi pleno iure adiudicari rei possessio, atque dominium. Porro quod publica auctoritas re plenè intellecta nequit absque iniustitia præstare, nulli privatorum licet. Et alioqui talis creditor privata auctoritate sibi ius diceret contra ius commune, ac debitorem spoliaret non solum certa possessione, verumetiam iure illo verè probabili, & non paruæ æstimationis, quod habet ad nõ solvendum, vel ad rem, quam putat esse suam. Et cum debitum in se litigiosum, ac incertum longe minus valeat quam certum, ac prorsus liquidum, debitorem inscium, ac invitum cogeret tantumdem pro incerto solvere, quanti æstimaretur si esset liquidum, & prorsus indubitabile.

76. Arguo vlterius in favorem debitorum, quibus valde graves essent, ac sæpe præiudiciales istæ compensationes clandestinæ. Nam occulta compensatio creditoribus non licet, cum debitum, quod ita compensant, est æque, aut minus probabile, & debitori etiam favet æqua, aut maior probabilitas. Sed neque eis licet, cùm probabilius est rem sibi deberi, & minus probabile non esse debitam. Numquam igitur licebit, nisi debitum sit liquidum. Consequentia evidens est, & antecedens quoad priorem sui partem inde constat, quia ex oppositio manifestè sequeretur quidam irrequietus circulus mutuarum compensationum in infinitum procedens, & turbans pacem, ac securitatem, quam legitima possessio, & bona fides civibus debent præstare. Nam si creditor in hoc eventu posset debitori clam surripere, quæ deberi sibi merito opinatur, ita pariter debitor posset illum vicissim spoliare propter opinionem suam æquè, vel magis probabilem, qua nil se debere putat, & hoc facto iterum rediret primo creditori eadem facultas sese denuo compensandi, & debitori eripiendi, quæ sibi fuerunt ablata, & sic in infinitum dum sua probabilitas vtrique favet. Quocirca semper maneret bellum istud iustum ab vtraque parte, & legitima possessio, ac bona fides nullam securitatem præstarent circa suarum rerum retentionem incerto isti debitori, cùm alioqui in pari causa reo, atque possessori sit favendum, & bona fides tantum possi-

denti præstet quantum veritas, quoties lex possessioni non resistit, iuxta regulas iuris pervulgatas.

77. Iam vero idem antecedens quoad secundam partem sic probatur. Nam si maior probabilitas sit incerta, atque, vt plerumque contingit, creditor ac debitor inter se discordent, vnoquoque probabiliorem reputante opinionem sibi fauentem, tunc par erit eorum causa, & idem inconueniens sequetur, quod nuper expendebatur. Possent enim toties quoties se vicissim licitè spoliare, si prima compensatio liceret, & quod forte ob ignorantiam facti alieni isto iure vti non possent per accidens est, ac nihil relevat. Nam compensatio non ideò occultè fieri permittitur, vt creditori ius suum occultetur, & vsus eius tollatur, sed vt creditor, qui publicis medijs se indemnem seruare nequit contra iniustitiam alterius, absque noua iniuria illius, iuri suo satisfaciat. Fit autem clara iniustitia ei, qui in iudicio, vel extra poterat se tuta conscientia à creditore defendere, & possessionem suam recuperare, imò sperare prudenter litem sibi adiudicandam, si media compensatione ad solvendum compellatur, & occultatione illius, ipsi occultentur arma, quibus licitè vti posset ad præseruationem iuris sui, eorumque vsus prorsus auferatur.

78. Quod si opinio manifeste probabilior creditori aperte faueat, tunc difficilius videtur occultam ei compensationem negare, cum + creditor solutionem detrectat; & recursus ad iudicem iustum nō pateat; vel quia probationes deficiunt, vel quia ius actionem non concedit, vt in læsione infra dimidium accidit, vel quia magnæ pro rei qualitate expensæ, inimicitiæ, aut molestiæ, aliaue similia incommoda ex intentata lite resultabunt. Ratio autem est, quia istud debitum in foro iudiciali liquidum est, & sine dubio creditori adiudicandum, non obstante ea minori probabilitate, qua se debitor defendit, cum iudex debeat secundum probabiliorem opinionem iudicare, & probabile non sit, eum posse pro libito iuxta minus probabilem proferre sententiam, ea relicta, quam sua maior probabilitas certo cognita iustiorem facit. Etenim hanc esse iudicum obligationem liquido deprehendi valet ex damnatione *propos.* 2. quam *diss.* 3. enucleauimus. Inde autem rectè colligi videtur, idem in foro conscientiæ esse sentiendum antequàm sententia obligans debitorem ad solvendum in iudicio proferatur. Neque enim sententia facit debitum, quod alioqui erat indebitum, vt in pœnalibus frequenter accidit, neque vlli falsæ præsumptioni innititur, sed certæ probabilioritati, & solum declarat ius, quod ab initio creditori competebat, secundum merita causæ, fuisse adeò liquidum, vt illi tanquam euidenter digniori non possent absque iniustitia iudicum suffragia denegari.

79. Vtique si quando potest securè deduci ad praxim opinio occultam compensationem permittens ex vi debiti probabilis, ad hunc casum restringenda erit, qui non tàm esset exceptio, quàm declaratio sententiæ postulantis debitum omnino certū. Sed adhuc nō quiescit animus. Tum quia falsò assumitur iudicis sententiam in eo eventu esse merè declaratoriam iuris prævij, cum potius sit attributiva noui, ac certi iuris, quod antea non competebat, vt *num. fin.* ostendetur. Tum quia in præsenti non agitur de spoliando bonæ fidei possessore illa re, cuius proprietas in cōtroversiam vocatur, sed de eo spoliando in perpetuum, vi occultæ cōpensationis, possessione, ac proprieta-

te

te certò sibi competentibus, eisque in alium transferendis ob debitum personale. Hoc autem in foro externo non permittitur, antequam lis decidatur, vlli creditori, quamvis ei assistat ius ad solutionem certo probabilius eo, quod debitor ad non solutionem habet. Sed certo certius apparet longe meliorem esse conditionem eius, qui est simul possessor, ac dominus indubitatus, quam illius, qui duntaxat est possessor. Tum quia licet demus controversiam esse circa rei possessæ proprietatem, & creditori affirmanti eam esse suam faveat opinio certo probabilior, possessori autem id neganti non nisi minus probabilis, adhuc iste ante sententiam non potest auctoritate publica spoliari possessione sua, & longè minus occultè spoliari possessione, ac proprietate, sed restituendus, aut manutenendus esset, si causa proprietatis interim omissa, intentaret remedia possessionis recuperandæ, aut retinendæ.

80. Tum vlterius quia bonæ fidei possessor, minus probabili opinione munitus circa proprietatem rei possessæ, licite illam retinere potest, quamvis probabilius putet esse alienam, nec in foro fori, aut poli illam restituere cogitur, aut à se abdicare possessionem, & dominium eius, donec per sententiam iudicis, aut alia ratione, constet eam nō esse suam, sed alterius. Ergo iure suo illam retinere valet. Ergo iniuria adversus ipsum committitur, dum in istis circumstantijs clam ei tolluntur tàm dominiū, quam possessio. Quippe possessor legitimus, & à fortiori, qui est simul tàm dominus, quàm possessor, saltem iure gentium istud commodum sua possessione nanciscitur, vt ab illa nequeat deturbari, contraria veritate non comperta. Atque hoc sensu recte traditur tanquam certi iuris regula *L.* 136. *ff. de regul. iuris. Bonam fidem tantumdem possidenti præstare, quantum veritas.* Notantque Auctores communiter possessionem prævalere adversus quasvis rationes oppositas in contrarium, modo non sint convincentes, & specialiter Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp. vnic. num.* 231. Diana *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 26. *in fin.* Tamburinus *lib.* 1. *in Decalog cap.* 3. §. 7. verb. *Mors coniugis*, & verb *Restitutio. num.* 2. Palao *tom.* 1. *disp* 3. *de consc punct.* 2. *num.* 11. atque vt plures alios prætermittam P. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap* 10. *num* 9. *in fin.* Sumiturque aperte *ex Leg. vnic. C. de prohib. sequestrat pecun.* ibi: *Oportet enim debitorem primo CONVINCI, & sic deinde ad solutionem pulsari. Quam rem non tantum iuris ratio sed & ipsa æquitas persuadet, vt probationes secum afferat, debitoremque CONVINCAI pecuniam petiturus.*

81. Huc etiam spectat, quod permulti tradunt alijs vocibus, sed pari energia, nimirum certitudinem moralem iuris, seu dominij alieni in bonæ fidei possessore requiri, vt alteri restituere debeat, aut semetipsum spoliare re illa cuius possessionem optima fide inchoavit. Sic inter alios loquuntur *vbi suprà* Palao, & Salas, necnon Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 14. *num.* 23. Dicastillo *lib.* 2. *tr.* 1. *disp.* 10. *num.* 344. Molina *tr.* 2. *disp.* 35. *num.* 20. Layman *lib.* 1. *Theolog moral. tr.* 1. *cap.* 5. *num.* 21. *&* 24. Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 3. *num* 7. dicens oppositum *non esse probabile.* Vasquez *de restitut. cap.* 5. §. 1. *num.* 40. ac plerisque alijs relatis Caramuel, & Vericelli locis statim consignādis. Quod si moralis certitudo debiti, aut dominij alieni necessario prærequiritur, vt debitor solvere, & possidens restituere teneatur, consequens aperte fit, vt nec solvere, nec restituere debeat, interim ac opinione probabili negativa debiti,

debiti, aut affirmativa sui dominij defenditur. Nam certitudo moralis vnius extremi contrariam alterius partis probabilitatem excludit, & dubium opinativum rem vtrimque incertam facit. Moraliter enim certum illud solummodo dicitur, cuius oppositum non est probabile, vt recte exponit Suarez aliud agens *tom. 4. de Relig. tr. 10. cap. 15. num. 21.* & ad propositum nostrũ ex professo Vericelli *1. p. tr. 2. q. 13.* Lessius *lib. 2. de iust. & iur. cap. 10. num. 39.*

82. Quocirca si forte debitor hac certitudine carens, & sola minus probabili opinione præmunitus, ad confessionem accedat, communis sententia est, & receptissima in praxi, eum esse absolvendum, esseque recte dispositum, quamvis nihil restituere velit, sed perseverare in eodem statu. Additque vlterius Suarez *disp. 32. de pœnit. sect. 5. num. 3. & 4. Rem esse claram & nullius difficultatis*, tàm respectu Sacerdotis excipientis confessiones ex debito proprij officij, quam cuiusque alterius mere voluntarij. Et insuper adiungit Baldellus *tom. 1. Theolog. moral. lib. 4. disp. 13. num. 6.* oppositum *non videri rationabiliter dictum*. Inde autem patet, summa cum ratione dici, vice versa denegandam esse absolutionem creditori illi, qui non vult restituere rem, quam bonæ fidei possessori subripuit, prætextu iuris incerti, tametsi probabilioris. Iniuste enim agit, dum eum privat propria auctoritate re, quam licite, ac iustissime retinere in totum poterat non obstante prætenso iure ipsius.

83. Neque hic debet, aut potest admitti bellum ciuile iustum ab vtraque parte ratione ignorantiæ, veritatisve incompertæ. Quia id locum habet ad summum, quoties cœtera sunt paria: in præsenti autem valde dispatia inveniuntur. Nam de possessione legitima, ac pacifica debitoris certo constat: ea vero dum talis est, possessori tantum præstat quantum veritas, nec cedit vllis rationibus, nisi plane convincentibus rem debeti, aut eius proprietatem non spectare ad possessorem ipsum. Vnde quamvis in hoc casu creditori surripienti bona alterius faveat maior probabilitas iuris proprij, adhuc ab illo iniustitiam cõmitti, & contrahi ratione ipsius obligationem restituẽdi totam rem ablatam possessori bonæ fidei, diserte exprimunt Bresserus *lib. 4. de consc. num. 35.* Vericelli *dicto tr. 2. q. 12. num. 12.* vers. *Ergo.* & latè Caramuel *in dialexi de non certitudine. fol. mihi 123. num. 136.* estque sententia communis contra Ioannem de Medina, qui censuit creditorem mortaliter peccasse clandestine auferendo rem alterius prætextu iuris incerti, sed postea nil debere restituere.

84. Concludo igitur iure optimo Auctores, demptis novioribus paucis, sine controversia supposuisse certitudinem debiti moralem necessario prærequiri ad praxim licitam occultæ compensationis, id enim aperte sequitur ex hucusque dissertatis. Signanterque tradiderunt nullum debitum probabile, aut etiam probabilissimum posse sufficere ad illam iustificandam P. Suarez *lib. 5. de legibus. cap. 18. num. 20.* P. Vasquez *de restit. cap. 6. §. 3. num. 83.* dicens id esse *certũ secundum omnes*, & *cap. 5. §. 1. num. 40.* vbi expresse adijcit (quod etiam Vericelli, & Caramuel statim appellandi prænotarunt) ita esse tenendum, quamvis debitum nec iudicis officio, nec alia via recuperari valeat. Villalobos *in summa tr. 1. diffic. 17. num. 7. in fin.* Giuniparus *in defens. iur. Pontif. disp. 6. q. 5. cap. 3. num. 51. fol. mihi 378.* affirmans itidem rem esse certam Vericelli *in dicta quæst. 13. num. 3.* Caramuel *vbi suprà num. 315.*

Diana

Diana *p.* 9. *tr.* 9. *resol.* 44. Thomas Sanchez clare affirmans contrarium *non esse probabile in dicto cap.* 3. *num.* 7. Lessius qui *certum* id vocat. *eo cap.* 10. *num.* 40. & *cap.* 14. *dubit.* 4. *prope fin.* dicens: *Ita in omnibus tribunalibus apud omnes gentes iudicari.*

CAPVT IX.

De tacita compensatione debiti probabilis ex una parte, & ex alia mere dubij.

85. QVæ cum vera sint, omninoque tenenda quoties debitori, ac creditori favent suæ opiniones inter se contradictoriæ, sed hinc & inde probabiles, oppositum tamen dici debet, cum pro parte affirmativa debiti adsunt rationes probabiles, pro alia vero nullæ, aut adeò tenues, vt non sufficiant in concursu aliarum ad generandum iudicium negativum debiti, nisi forte imprudens, ac improbabile. Ita olim sentiebam, nunc autem Doctores habeo eiusdem doctrinæ Lessium *dicto num.* 40. Card. de Lugo *tom.* 1. *de iust. & iur. disp.* 17. *sect.* 4. *in fin.* Bressetum *lib.* 4. *de consc. num.* 24. Quocirca debitor in hoc eventu totum debitum solvere tenebitur, & nisi id faciat contra iustitiam peccabit, licet rationes oppositæ sola sua vi non convincant, sed dubitare permittant, cum non sint nisi probabiles. E contrario vero creditor contra suam opinionem affirmativam debiti non habens, facto sufficienti examine, nisi solam opinionem improbabilem negativam eius, recte poterit sese occulte compensare tanquam pro debito liquido, etsi in contrarium occurrant leves aliquæ rationes formidandi.

86. Ratio sumenda est ex dictis *dissert.* 4. *cap.* 6. quibus immerito Cardenas refragatur *in Crisi Theologica, disp.* 4. *à num.* 102. & peculiariter huic nostræ assertioni *p.* 3. *disp.* 64. *num.* 18. Nam si aliquid obstaret huic doctrinæ, maxime quod debitum in tali statu non est moraliter certum, sed incertum, ac illiquidum. Atqui esse certum moraliter modo humano, & sufficiente ad imponendam obligationem certissimam hominibus, qui circa res contingentes raro, & in paucis plenam evidentiam assequuntur, eo loci monstratum est ex communi sensu omnium, & moralibus exemplis prorsus irrefragabilibus. Baptismi, Ordinis, Consecrationis, Voti, Legis, ac similium confirmatum. Explicatur. Quia tametsi moralis certitudo suos valde inæquales gradus habeat, & pro materiæ gravitate, ac qualitate modo requiratur maior, & modo sufficiat minor, id accurate explicantibus Card. de Lugo *disp.* 1. *de fide. à num.* 316. & P. Suarez *tom.* 3. *de gratia. lib.* 9. *cap.* 11. *num.* 2. & maxime *à num.* 9. in præsenti autem non est quare maior certitudo postuletur, quam in delictis exigitur ad condemnandum reum pœna mortis, nam & ibi dici solet probationes meridiana luce clariores desiderari. Porro certitudo, quæ ibi intervenit non est omnino infallibilis, ac semper connexa cum delicti veritate; sufficiunt enim duo oculati testes, quibus nulla probabilis exceptio opponi possit, quamvis multoties contingat eorum testimonium esse falsum, & condemnari innocentem.

87. Atquo insuper. Nam quod Petrus v. g. sit revera filius eorum, quorum filius reputatur, non est veritas, quæ attentis suis motivis aliter se habere nequeat, sed multis fallentijs exposita tàm ex parte patris, quàm

ex

ex parte matris, vt egregie S. Augustinus expendebat, cuius verba protuli *eo cap. 6. num. 60.* & nihilominus ea communis reputatio, dum nulla exceptio probabilis in contrarium potest obijci, sufficit vt filius sine dubio debeat eis reverentiam præstare, ipsorum hæreditatem capessere, exclusis alijs cognatis, & suo iure ab illis alimenta postulare, illaque occulte surripere, si alia via obtineri nō valeant. Ergo idem plane licebit in alijs compensationibus tacitis, dum concurrunt pariformes circumstantiæ. Esto namque facta reflexione creditor, aut debitor timere possit, ne forte sit debitum falsum, ex generali motivo, vnde cognoscit falsa esse posse, & interdum falsa esse, quæ ita proponuntur; esto etiam quandoque habeat speciales aliquas rationes, vnde dubia, aut suspiciones falsitatis excitantur, dum illæ adeò leves sunt, vt probabilitatem non generent, nec sufficiant ad negandum rationabiliter debitum, tota illa formido, ac dubietas levis, ac scrupulosa reputatur, & nullius momenti habetur; nam si gravis foret, ac ponderis iusti, probabile redderet rem esse indebitam, & ita essemus extra nostrum casum.

88. Vrgeo præterea, quia moralis certitudo captui nostro accommodata non excludit omne dubium, omnemque formidinem, aut suspicionem contrarij, hæc namque sæpius insurgunt contra veritates claras ob rationes apparentes, ac sophisticas, sed satis ei est quod eius veritas hic, & nunc inspectis omnibus sit iuxta prudentiam innegabilis, & falsitas incredibilis. Ita autem evenit, quoties ex vna parte datur probabilitas, non vero ex alia. Vnde nec Baptismus, aut Sacerdotium reiterari potest prætextu dubij improbabilis, nec omitti illius voti adimpletio, aut præcepti illius observantia, cuius existentia probabiliter ostenditur, & non potest negari, nisi improbabiliter. Atque ea propter etiam in his causis, vbi evidens, aut manifesta probatio desideratur in iure v. g. ad alienandum res Ecclesiæ, vel ad ostendendum rem aliquam versam esse in vtilitatem eius, non requiritur concludens demonstratio, sed probatio etiam accepta ex vrgentibus coniecturis admittitur, vt est in praxi receptum, & tenet cum Glossa, & alijs Mantica *de tacit. & ambig. convētion. tom. 1. lib. 8. tit. 14.* & maxime *num. 13.* dicens, quod ita probatur manifeste comprobatum censeri.

89. Suadetur denique. Nam qui opinatur esse alienam rem, quam bona fide possidet absque opinione partis oppositæ, nequit illam retinere, sed suo domino debet restituere, vt notarunt inter alios Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 44. num. 1. iuncto num. 5.* & Card. de Lugo *disp. 17. de iustit. num. 88. in fin.* Ergo nisi ipse restituat, nec altera via supersit, recte poterit spoliari ab alio per compensationem occultam. Nam multo onerosius est, cæteris paribus, cogere aliquem, vt spoliet semetipsum, quā permittere alteri, vt eum spoliet, atque ideò cum leges privant delinquentem bonis suis, ne ipse contra se sententiam exequatur, & facto proprio se spoliare debeat, valde communiter dicitur, non obligari ad tradendum Fisco sponte sua eadem bona, sed exequutionem pertinere ad iudicem. Quod si in proposito eventu bona possidentis fides omnino cessare creditur, & sua possessio nihil eum iuvat, quominus restituere teneatur, à fortiori nil iuvabit, ne possit spoliari ab alio casu, quo ipse non restituat, sed debitum retinere velit.

90. Atque exinde obiter intulerim coniugem, qui pro sui nullitate matrimonij probabilem opinionem habet,

habet, pro valore vero nullam facto diligenti examine, nec posse petere, nec reddere debitum; habet enim certitudinem moralem nullitatis matrimonij, qua perstante neutrum licet, quamvis alter sit possessor, & de valore matrimonij non dubitet. Sic sumitur *ex textu in cap. Si virgo.* 5. 34. *q.* 1. *cap. Inquisitioni.* 44 *de sentent. excommunic.* Neque obstat quod ibi adijcitur, *tum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta* (nullitatis) *quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet.* Fateor enim non loqui Pontificem in casu, quo pro valore, & nullitate sit certo probabilis opinio, tunc enim licitum est petere, ac reddere, sed solum casu quo opinio sit contra valorem matrimonij, in favorem vero merum dubium. Adhuc tamen in eo casu interdum licitum est reddere debitum alteri petenti bona fide, interdum vero illicitum. Illicitum quidem quoties, præmisso congruenti examine, prudenter creditur matrimonij nullitas, & prudenter credi nequit eius valor, quia tunc nullitas pro certa habetur, & stante hac certitudine debitum veri coniugij nec peti, nec reddi valet, vt Pontifex iam præmiserat. Licitum vero, quoties non est facta sufficiens diligentia ad indagandam matrimonij veritatem, quia tunc dubium est vincibile, & nullitas Sacramenti incerta, quamvis appareat probabilis. Nemo autem privatus potest in casu incerto spoliare alterum certa possessione exigendi, aut vtendi aliqua re tanquam sua, sed interim ac contrarium non ostenditur, isti iuri debet satisfacere.

91. Vnde cum Pontifex dixit, coniugem in isto eventu reddere posse, sed non petere, solum loquitur in casu, quo nondum erat adhibita sufficiens diligentia perveniendi ad certam cognitionem veritatis, vt tenet Sanchez *eo lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 53. Coninc *disp* 34 *de matrim. num.* 106. & satis placet Card. de Lugo *ea disp.* 17 *num* 87. & extendendum est etiam ad casum, vbi pro vtraque parte adsit dubium suspensivum, aut opinativum. Semper enim adhiberi debet accurata diligentia inveniendi certam cognitionem veritatis, si spes probabilis subsit deveniendi ad illam, neque excusat ignorantia inclusa in prædictis dubijs orta ex negligentia nostra, sed ea solum, quæ post diligens examen incipit esse invincibilis. Licet autem Pontifex in dicto textu nil dixerit de diligentia debita facta, aut non facta, parum obstat huic expositioni, quia, inquit Sanchez *quamvis ius non distinguat, ratio distinguere cogit.* Nos autem addere possumus in speciali casu, de quo loquimur, cogere etiam textum ipsum. Nam cum Pontifex expresse separaverit nullitatem certam ab incerta, diversamque decisionem pro vtroque statu adhibuerit, eo ipso implicite distinxit factæ diligentiæ, ac diligentiæ non factæ, decisionem, ac eventum.

92. Quippe diligentia facta, nullaque probabilitate adinventa pro valore matrimonij, cuius nullitas est certo probabilis, moraliter pro certo haberi debet à coniuge sic dispositio illud esse vere invalidum, & agendum iuxta regulas observandas ex decreto Pontificio in casu quo certum est nihil deberi exigenti, quamvis bona fide id faciat. At vero cum non est facta debita diligentia inquirendi, vtrum saltem sit probabilis verus valor matrimonij, eius nullitas pro certa haberi nequit, forsan enim inveniretur mediante investigatione probabilitas valoris, quæ non apparebat antea, atque ideò contrariæ regulæ interim debent servari, vt tunc

petere nō liceat id præscribente Pontifice, sed reddere non tollatur.

CAPVT X.

Opiniones contrariæ proponuntur, & illarum argumenta profligantur.

93. PRima probabile existimat ad tacitam compensationem non requiri debitum omnino liquidum, sed sufficere probabile, quamvis pro parte negativa debiti stet opinio æque probabilis, aut forte probabilior. Ita Spinula *tr. de electi opin. disp. vlt. sect. 7.* Franciscus de Lugo *de consc. p. 1. cap. 3. num. 100 fol. mihi* 166. Didacus de Avendaño *tom. 3. auctarij Indici. p. 4. sect. 1. num. 79.* Garsi *centur. 2. cap. 65.* Secunda sententia distinguit inter opiniones facti, & opiniones iuris in re vel ad rem. & prioribus exclusis, putat postremas sufficere, vt secluso scandalo, & servatis alijs in quavis alia secreta compensatione servandis, eius vsus labe careat. Ita late Zamorano *de compensat. cap 2. & sequētibus*, post Ioannem Sanchez *in selectis, disp 33. à num. 32. & disp 43. à num. 48.* Cœterum duæ istæ sententię re bene inspecta non differunt. Quia nec prior imaginatur illius facti certitudinem, nedum probabilitatem, vnde nullum ius resultat in favorem creditoris secretæ cōpensationi sufficere, nec posterior inficiari intendit ius probabile esse satis, quamvis non ex facto certo, sed probabili duntaxat resultet. Postrema denique sentētia fert in hoc casu solum esse licitam occultam compensationē vsque ad medietatem debiti, altera medietate apud debitorem relicta, ita enim vtrique iuri ex bono, & æquo sua portio defertur, & nec debitor, nec creditor conqueri potest, cum in re incerta servetur æquitas inter vtrumvis. Sic sentiebat Iulius Mercorus *in basi Theolog moral. 3 p. art. 12.* & illustrat ex professo P. Moya *p. 2. select. tr. 6. disp. 4. q. 1. §. vnic.*

94. Argumentum omnibus istis commune ex eo ducitur, quia licet Doctores tradant, seu potius supponant, veluti primum principium desiderari debitum omnino certum, vt secreta compensatio creditori liceat, nihilominus in multis casibus vbi ius tantum probabile ipsi favet, eam licere existimant non pauci magnæ sapientiæ, ac iudicij. Eadem autem videtur omnino ratio, vt proinde semper admitti debeat vi iuris mere probabilis, si in aliquo casu admittitur. Plures autem huius generis profert rem egregie versans Card. de Lugo *tom. 1. disp. 16. à num* 94. aliosque insuper adijciunt Moya *in dicta q. 1. à num. 4.* & Zamorano *in dicta disp. 4. cap. 1. ex num. 3.* Cœterum Card. de Lugo sua solita maturitate nihil definire est ausus, neque contradicere principio adeò generaliter recepto, sed iudicium suum suspendit, & *num.* 106. ita concludit: *De hoc tamen nil volo asserere, imò libenter abstineo ab vltimo iudicio circa hoc totū punctum de compensatione licitè facienda cum opinione solum probabili; quia licet in casibus particularibus Auctores videantur id admittere, vt vidimus; in communi tamen, & dum quæstionem in proprijs terminis tractant, videntur id communiter negare, à quibus non est in re practica facilè discedendum, quia fortasse aliquid illis occurrebat, quo argumenta nostra suprapositа possent dissolvere.*

95. Prolixus essem si extra sedem suam peculiariter examinare vellem omnes casus quos prædicti Auctores afferunt, vbi aliqui tacitam compensatio-

sationem admittunt ratione debiti, aut iuris probabilis. Prætermitti autem non debet vnus, cui omnes insistunt, vt illius explicatio sit norma extricandi reliquos. Quæstionis est, an testamentum, cui deficiunt testes, aut aliæ solemnitates necessario requisitæ vt fidem faciat, sit validum iure naturæ, vel potius invalidum? Et multi valde probabiliter censent iure naturæ esse invalidum, quia leges vbi præscribitur eiusmodi solemnitates adhibendas esse, iustis de causis irritam reddiderunt voluntatem testatoris, aliter de suis bonis disponentis, atque adeò hæredem ita institutum ex vi illius nil iuris adquirere, sed hæreditatem relinquendam esse hæredibus ab intestato, ac si contraria voluntas nullo modo declarata esset. Alij vero non minus probabiliter tradunt eiusmodi testamentum iure naturæ esse validum, & hæreditatem deberi in conscientia ei, qui ita institutus fuerat, non vero hæredibus ab intestato: nam cum de voluntate testatoris certo constet, illa debet prævalere; nec leges illam reddiderunt irritam, sed solum voluerunt, ne tale testamentum in iudicio fidem faceret, aut vim legitimæ probationis haberet.

96. Inde autem denuo consurgit altera specialis quæstio. Num scilicet, rebus sic stantibus, liceat hæredi ita instituto occulte surripere hæredibus ab intestato in possessione hæreditatis constitutis bona ad illam pertinentia? Etsi autem dissentiant plures, alij ex oppositò sentiunt, rebus sic stantibus, hæredi instituto secretam compensationem licere. Ita Sylvester verb. *Hæreditas* 3. q. 7. *in fin.* P. Molina *tom.* 1. *de iust. & iur. tr.* 2. *disp.* 81. *num.* 22. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 22. Filliucius *tr.* 34. *p.* 1. *num.* 151. Reginaldus *in praxi tom.* 2. *lib.* 25. *num.* 105. Granado 1. 2. *controv.* 7. *de legib. tr.* 3. *p.* 2. *disp.* 15. *num.* 17. idque probabile putat Diana *p.* 1. *tr.* 8. *resol.* 75. & *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 109 *in fin.* Ex quo tandem argumentum sic conficitur, Licita est recuperatio occulta hæreditatis, aut legati relicti in testamento, cui solemnitates desunt legibus positivis requisitæ. Sed tale debitum non est liquidum, aut certum moraliter, sed illiquidum, ac valde incertum, cum tota illius veritas sumatur ex opinione probabili affirmante tale testamentum esse validum iure naturæ, & contra se habente aliam opinionem non minus probabilem, quæ huic valori contradicit. Non ergo requiritur debitum liquidum, certumque moraliter, vt occulta illius recuperatio liceat, sive surripiendo bona hæreditaria, sive non solvendo alia indubitata debita, sive non restituendo possessori hæreditatis alia bona, quæ ad ipsum clare attinebant.

97. Respondeo 1. hanc opinionem (eadem ratio est de alijs similibus) non esse certo probabilem, sed ad summum probabilitatis dubiæ, ac valde incertæ: (certò autem probabilis esse debebat, vt conscientiæ securitatem præstaret, & suam praxim tutam redderet.) Improbabilem namque illam censuerunt, quavis opinione admissa circa valorem talis testamenti, Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 17. *num.* 7. & cum alijs P. Sanchez *in consilijs lib.* 4 *cap* 1. *dub.* 15. *num.* 12. Neque excessisse videbitur, vt recte ponderat Cardenas loco inferius allegando *num.* 184. si eius ratio perpendatur, quæ proculdubio est magni momenti, ita enim arguit: *Secundum omnes ad recompensationem requiritur, quod luce clarius constet de debito: in dubio enim, an sit debitum, melius ius habet possidens. Et in hoc casu sive possideat hæres ab intestato, sive hæres institutus in tali testamento, non est luce clarius*

rius alteri deberi, cum vterque habeat opinionem valde probabilem, quod potest retinere. Ex eisdem principijs reijcit eamdem opinionem Dicastillo *lib de iust. tr. 3. disp. 1. num. 142.* atque iterum Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 22. num. 24.* contendit *nullatenus esse admittendam* aliam opinionem, quæ in diverso casu, sed paris circa debitum incertitudinis, tacitam compensationem permittebat.

98. Non inficior occultam compensationem licere, quoties omnibus inspectis aliqua probabilis opinio dictat illam esse licitam, & praxim eius tutam in conscientia, id enim aperte constat ex regula generali tradita *differt. 4. cap 1. præsertim num. 11.* & in hac ipsa materia compensationis id specialiter advertunt P. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 7.* Gibalinus *tom. 2. de negotiat. lib. 5. cap. 2. art. 9. num. 4. circa fin.* Moya *in dicta q 1. num. 14.* Card. de Lugo *ea disp 16. num. 97. & quoad hoc*, inquiens, *omnes debemus convenire*; sed solum contendo, quod *prædicta differt. 4. cap. 6.* ex professo comprobatur, & communissime traditur ab Auctoribus, eam opinionem proximè, seu practicè practicam, quæ attentis omnibus dictat compensationem hic, & nunc licere, debere esse non vtcumque, sed certò probabilem, vt praxim suam licitam reddat. Nam si probabile sit eam esse improbabilem, valde temere, imprudenterque operabitur, qui ei confidere ausus fuerit. Porrò opinio quam tractamus, & omnes aliæ admittentes vsum licitum occultæ compensationis virtute debiti incerti, certo probabiles esse non valent. Semper enim illis obstat ratio, quam Sanchez vrgebat, quæ efficacissima est, & principium quod assumit irrefragabile apparet, sive rationes spectentur, quibus illud antea comprobabimus, sive vniformis consensus Doctorũ ipsum tradentium expresse, & indubitanter, dum rem exprofesso tractant, inter quos sunt ijdem ipsi ex quorum dictis obiter, & absque examine, Spinula, & alij perpauci oppositum colligere intendunt.

99. Respondeo 2. concedendo esse probabilem eam opinionem. Non quia tutum, certove probabile sit in vniversum debita prorsus incerta sufficere ad compensationem tacitam, sed quia certissime constare supponitur, testatorem voluisse relinquere suam hæreditatem hæredi instituto in testamento minus solemni, & satis certum videtur maxime in hoc nostro regno, ius positivum non reddere irritam hanc voluntatem. Nullibi enim invenietur expressum, aut insinuatum apud nos ei fuisse sublatam vim obligandi iure naturali sibi competentem, sed præcise ablatam esse vim probandi testamentis debita solemnitate destitutis. Etenim *L. 2. in fin. tit. 4. lib. 5. Nova Recop.* vbi hæc materia tractatur, solum dicitur: *Los quales dichos testamentos, y codicilos, si no tuvieren la dicha solemnidad de testigos, mandamos, que no sigan fé, ni prueba en juizio, ni fuera de el.* Hæc ibi. Vice autem versa testamentum, de quo loquimur iure Gallico, esse nullum etiam in foro conscientiæ, & irritam testatoris voluntatem, certum putat Gibalinus *in dicto lib. 5. cap 7. art. 2. num. 19.* Atque adeò ibi hæredibus institutis, & retentio, & compensatio sine dubio erit illicita. Cæterum iure Cæsareo, vbi attentis Digestorum legibus res obscurior videretur, apparebit decisa satis clare in favorem voluntatis mortuorum, ac hæredum, quos ipsi designarunt, ex novis Imperatorum Antonini, & Iustiniani sanctionibus. *Leg. 2. & Leg. vltim. C. de fideicom.* Nam ibi, etsi testamentum minus solemne nil probet, admitti-

tur

tur tanquam sufficiens probatio, si hæres ab intestato recognoscat eam fuisse voluntatem defuncti, aut si delato sibi iuramento recuset illud præstare. Et tunc legatum, hæreditas, aut etiam fideicommissum non iam ipsi adiudicabitur, sed his qui vocati erant in testamento carente debitis solemnitatibus. Frustra autem admitteretur probatio alia voluntatis defuncti, si hæc nullius momenti facta esset ad hæreditatem transferendam etiam iure naturali, & solum valida foret, dum legitime explicatur in testamento solemni.

100. Vides igitur, quod iam præmonuit Verricelli *in dicta q.* 12. *num* 14. hanc opinionem probabilem posse censeri, tutamque in praxi, quamvis vniversim defendatur, cum sententia omnium communissima, ratione debiti illiquidi nullum tacitæ compensationi locum esse. Idemque puto contingere ferè omnibus alijs, quas recentiores coacerbant, vt auctoritate illorum, qui in particularibus eventis compensationem admittunt, vtcumque labefactari suadeant doctrinam adeò receptam: cum ea namque probabiliter conciliari possunt, ac reddi sufficiens disparitas, vt alibi singillatim ostenderetur, & ostendere conatur Cardenas *in Crisi Theolog. p.* 1. *tr.* 1. *disp.* 16. *cap.* 8. *art.* 6. *per totum.* Cæterum sic duobus vnum eligendum esset, satius foret affirmare eos ab eis sententijs discessuros, si cõtradictionem animadvertissent, quam imputare eis dissensum ab eo principio, quod nemo ipsorum expressim ausus fuerat denegare, & omnis schola receperat. Recessus enim ille nec temeritati, nec imprudentiæ, aut nimiæ laxitati attribui poterat, sed potius laudi non contradicendi classicis Doctorum placitis in re practica, & valde præiudiciali eis omnibus, qui certo possident, cum certo non debeant: dissensus vero ab eo principio his vitijs erat obnoxius, & saltem certo probabilis esse non valet, cum tot Auctores affirment, dum rem in suasede examinant, & tractant in proprijs terminis, eum esse improbabilem, ac oppositum doctrinæ certæ. Videndi, quos appellabimus *num.* 84. quibus alij possent adijci, quos lector obvios habebit.

101. Vnde quamvis Zamorano insistat valde fidenter auctoritati illorum, qui in nonnullis eventis particularibus debiti mere probabilis secretam compensationem permisisse videntur, adhuc nil proficit. Tum ex dictis, quia plerique ex eis eventibus cum præiacto principio conciliari valent, aut cum mente horum Auctorum, qui fortasse existimabant debitũ ibi esse liquidum; vel certe non concesserunt absolutè creditoribus facultatem sese compensandi in statu debiti vtrimque probabilis, sed solum sub conditione, quod vera sit ea sententia, quæ rem deberi pronuntiat. Hinc etenim conditionem expressè adiecit Molina *tr.* 2. *disp* 81. *num.* 22. pro casu illo testamenti minus solemnis, & eam alij tacitè subintellexisse videntur, sicut cæteras alias subintelligunt, quas occulta compensatio requirit. Tum prętęrea quia non premit illius scriptoris auctoritas, qui contra cõmunem dicit aliquid obiter, & in transcursu, neque id sufficit vt suam doctrinam practice probabilem, aut tutam reddat: ita autem evenit istis Auctoribus, nullus enim rem examinat in locis vbi allegantur, neque dicti sui rationem exhibet, neque argumẽta dissolvit, imò nec difficultatem excitat, sed eam intactam relinquit, cum magni momenti esset, & nullatenus dissimulanda, si forte in mentem veniisset, peculiarem eam doctri-

nam

nam communissimæ omnium Theologorum sententiæ esse contrariam, imò, vt statim ostendo, etiam suis ipsorum dictis.

102. Tum præcipue quia ab auctoritate illorum, quorum peculiaria asserta in contrarium ponderantur, vera, & communis sententia potius comprobatur, quam infringitur. Quippe contra veritatem claram nihil prosunt argumenta, aut coniecturę. Clarissimum autem est, eosdem Auctores postulasse generaliter ad compensationem tacitam debitum omnino liquidum, ac nominatim Molina *in dicta disp.* 691. *num.* 1. & Lessius, ac Sanchez *relati eo num.* 84. qui sæpesæpius inculcant neminem contradicere huic principio. Aperte etiam constat, illos consequenter exegisse in alijs permultis casibus debitum luce ipsa clarius, vt occulta cõpensatio liceat, prout speciatim adnotabimus *num.* 72. circa servientium salaria, quorum occasione hæc scribimus. Frustra igitur ex vna, aut altera resolutione ipsorum obiter, & absque examine tradita in casu aliquo speciali, conijcere tentant adversarij, eos contrariæ regulæ adhæsisse. Ad summum enim retorquenda esset per argumentum ad hominem auctoritas ipsorum contra ipsos, & notari inconsequentia doctrinæ, donec causam peculiarem excipiendi eos casus redderent, & congruam disparitatem assignarent, ne ipsi sibi contradicerent. Vtut sit, si vera causa exceptionis, ac disparitatis reddi potest, nihil inde in sui favorem elicient Spinula, & pauci eius assecłæ. Si vero reddi non valet, solummodo concludetur, optimos alioqui Auctores aliquando dormitasse, ac minus consequenter processisse. Nunquam tamen debet ipsis imputari regula, cuius cõtrariam, & disertis verbis tradunt, & prorsus certam existimant.

CAPVT XI.

Monstratur occultam compensationem ex vi debiti probabilis etiam pro medietate illius esse illicitam.

103. EX dictis concludes tãdem nullo pacto esse admittendam sententiam Mercori, ac Moyæ propositam *num.* 93. *in fin.* quatenus asserebat tacitam compensationem esse licitam, non in totum, sed pro medietate debiti, quoties opinio affirmativa, & negativa illius probabilis est creditori, ac debitori, vel sua cuique probabilior. Ratio illationis accipitur ex dictis *cap.* 8. quæ nullo negotio huic instituto accommodari valent, & æqua vi persuadent compensationem prohiberi tàm ex toto, quàm ex parte virtute debiti illiquidi. Vnde ita sentiunt Molina *in dicta disp.* 691. *num.* 1. Valquez *de restit. cap.* 6. §. 3. *num.* 83. Suarez *disp.* 13. *de Charit. sect.* 6. *num.* 3. imò omnes supra laudati. Nullus enim huius partitionis meminit, sed compensationem debiti ex opinione probabili in totum denegant, aut in totum concedunt, sicut illam concessit, nominatim refellens istam Mercori opinionem, Didacus de Avendaño *tom.* 3. *auctarij Indici. p.* 4. *sect.* 1. *num.* 80. Et merito. Nam sicut incertum est in hoc eventu deberi creditori totum, quod prætendit, ita incertum est deberi medietatem. Atqui compensatio debiti prorsus incerti, ac illiquidi propria auctoritate facta illicita est, vel si ea licet absque iniustitiæ peccato respectu partis illiquidæ, licebit etiam respectu totius debiti, siquidem certius non est vnum quam aliud; imò sæpe certum erit,

attentis

attentis hinc inde rationibus opinionum contrariarum, deberi totum, aut nihil, vt accidit æque dignis in concursu ad Præbendas, vel ad Cathedras.

104. Explicatur 1. Quia medietas in illis circumstantijs non est creditori debita secundum rigorem iustitiæ, sed ad summum ex quadam æquitate, vt aliquid deferatur iuri probabili ipsius opinantis totam rem sibi deberi. At debitum ex sola æquitate ex recepta omnium sententia ad occultam compensationem non sufficit. Imò neque æquitas fert, vt creditor inscius rei gerendæ creditoris privata auctoritate cogatur quasi trãsigere litem, ac debitum pro medietate componere, & volens nolens spolietur certa possessione, & spe, ac iure probabili, quod habet nihil solvendi. Esset enim dispositio de iure tertij, quam nemo privatus potest facere sine consensu illius, vt omnes norunt, & re ad ipsum delata competens iudex non ignorabit ex *textu in L. Si cum hermes. 7. C. de locat.* vnde Auctores id eliciunt. Quod vero medietas tunc non sit debita ex rigore iustitiæ, clarum apparet, cum debitor est simul possessor, ac dominus totius rei, quam alius exigit v. g. centum aureos ex vi actionis personalis. Nam quidquid sit de sola possessione, duo isti tituli simul vniti ius potentissimũ conferunt retinendi, ac vtendi rebus suis citra iniuriam alterius, & verum dominum valde rationabiliter invitum reddunt extra casum certitudinis. Iam autem multoties diximus speculativam probabilitatem alicuius facti, aut iuris, nihil deservire ad praxim, cum potentius ius ipsi resistit.

105. Sed & possessio bonæ fidei duntaxat, cui non contradicunt leges, aut legalis aliqua præsumptio, idem privilegium habet, quamvis circa rei possessæ proprietatem contrariæ opiniones dentur. Nam alioqui iste possessor, non iam probabiliter, sed prorsus certò teneretur restituere medietatem rei litigiosæ creditori probabile ius habenti, & non esset absolvendus, nisi id sponte vellet facere, quia opinio, qua probabiliter censet se à toto excusari, iuxta prædictam sententiam respectu medietatis non sufficit. Porro hæc non esse admittenda, sive iura sint omnino paria circa proprietatem, sive ius non possidentis probabilius, sed rationes convincentes postulari, vt seipsum possidens spoliare teneatur ex toto vel ex parte dominio rei, quam bona fide possidere cœpit, *eo cap. 8.* constitit, maxime *ex num. 80.* atque ita fert Confessariorum praxis. Et sicut nequaquam debet rem sorte decidere, vt cui ea faverit res in integrũ adiudicetur, ita nec debet dividere, aut licite potest arrogare sibi auctoritatem disponendi de iure creditoris per divisionem, aut sortem contra ipsius voluntatem. Vtique cum res est indivisibilis, vt equus, aut maioratus potius sors congrueret, quam divisio. Neque vllum ius ei concedit electionem retinendi totam rem, & dandi alteri medietatem æstimationi ipsius, aut vice versa, sed hæc omnia, vt iuste fiant, mutuo partium consensu debent approbari.

106. Explicatur iterum. Quia nemo potest propria auctoritate subripere possessori bonæ fidei, quod sibi iudex adiudicare non posset, servatis iustitiæ legibus, post allegata & probata omnia fundamenta suæ intentionis. Sed iudex in hoc eventu rei medietatem, aut partem litigioso creditori adiudicare non posset. Ergo longe minus creditori ipsi licebit illam sibi occulte adiudicare. Cætera in aperto sunt præter minorem, illa vero ita probatur. Quia ante sententiam

tiam circa proprietatem possessor integre manutenendus esset, vt omnia iura proclamant; per sententiam autem res non esset dividenda iudicis auctoritate, stante æquali omnino iure vtriusque partis, sed compositio suadenda, aut etiam imperanda, vel potius favendum integre bonæ fidei possessori, aut etiam reo, quorũ melior est conditio in pari causa. *Neque esset æquus iudex*, ait Molina *tom.* 1. *tr.* 2. *de iustit. disp.* 103. *num.* 8 *qui, in eo eventu iuberet rem dividi: neque vnquam auditum est, iudicem, qui arbiter non sit, præcepisse, vt is, qui bona fide rem aliquam cœpit possidere, eam pro quantitate dubij divideret cum adversario, neque iura sonant id ita esse faciendum.* Hæc ille, qui aperte loquitur de omni eo dubio, in quo non constat certo, & absque ambiguitate, rem ad alterum, & non ad possessorem pertinere, vt inibi clare explicat.

107. His addiderim ad compensationem privatam non esse satis, quod iudex licite posset creditori adiudicare debitum sub opinione positum, sed necessario requiri, vt facti veritate inspecta id facere teneatur, ita vt aliter decernens committeret apertam iniustitiam, hoc enim ratio ipsa postulat, ne in his eventibus incerta semper sint rerum dominia, & infinitus processus occultarum compensationum inter creditorem ac debitorem credatur posse esse licitus, vt *num.* 76. vrgebam, & evidenter sequitur ex mente omnium Doctorum ad has compensationes exigentium debitum omnino liquidum, tot ex ipsis asserentibus contrarium nõ esse probabile, idque denuo confirmante valide decreto Innocentij prout expendimus *num.* 73. Atqui iudicem, stante æquali probabilitate iuris, non teneri rem dividere, imò teneri secundum leges iustitiæ totam rem adiudicare possessori bonæ fidei, regula est vtriusque iuris tradita *in cap. Ex litteris.* 3. *de probationib. Regu. In pari.* 65. *de regu. iuris. lib.* 6. *Regu. In pari.* 170. *ff. de regu. iuris*, & communiter in praxi recepta, subscriptaque fatis frequenti calculo à Theologis, vt cũ Valencia, Suarez, Granado, Arriaga, Coninc, Bressero, & plerisque alijs defendit Angelus Bossius *p.* 1. *de cõsc. tit.* 1. *num.* 516. Gibalinus *tom.* 2. *de negotiation. lib.* 6. *cap.* 3. *art.* 3. *num.* 9. Castro Palao *tom.* 1. *disp.* 2. *de consc. punct.* 10 *num* 3. Scildere *de principijs consc. tr.* 2. *num.* 79. *in fin.* Honoratus Fabri *in apologetico dialog.* 2. *de opinion. probab. fol. mihi* 38. *colum.* 1.

108. Et quamvis aliter sentiant cum P. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 30. multi appellati, strenuèque defensi à Verricelli *vbi suprà quæst.* 18. *ex num.* 3. non ideò doctrina illorum favet mediæ huic opinioni, quam reijcimus, sed contradicit expresse. Nullus namque ex ipsis dixit, iudicem in hoc eventu teneri, aut posse rem litigiosam dividere, sed omnes potius voluerunt, posse adiudicare eam totam illi, qui non possidebat, & in arbitrio ipsius relictum esse, adhærere inter æquales opinioni, quam maluerit, & pronuntiare contra possessorem, aut contra reum, vel contra quemvis alium, cuius causa favore iuris fovetur, vt si litiget pro libertate, pro dote, aut alijs id genus. Quocirca frustra indignatur adversus hanc opinionem, eamque reijcere intendit tanquam improbabilem P. Moya *in dicta quæst.* 1. *à num.* 17. Esto namque id concedatur, nihil eius causam promovet, sed potius evertit. Omnes siquidem tàm affirmantes, quàm negantes in hoc casu possessori esse favendum, partitioni illi resistunt, quam hic Auctor cum Mercoro intentat. Quocirca si est improbabile iuxta iuris, ac iustitiæ regulas

regulas bonæ fidei poſſeſſorem re tota ſic controverſa poſſe in iudicio ſpoliari, multo improbabilius erit, tot Doctoribus (quamvis alioqui diviſis) vnanimi conſenſu repugnantibus, ſaltem medietate illius non ſolum ſpoliari poſſe, ſed debere.

109. Accedit ſpecialis ratio. Nam ſi in caſu æqualitatis opinionem res pro medietate dividenda eſſet, etiam dividenda foret in caſu inæqualitatis iuxta mutuam proportionem, quam ſervat probabilitas illarum, nam ſi qua æquitas in priori eventu æqualem diviſionem requirit, eadem in poſteriori poſtularet inæqualitatem, ita ſcilicet, vt plus adiudicetur ei, cui facti veritate præſuppoſita, favet maior iuris probabilitas, minus vero ei, cui minor favet. Porro iſtud conſequens ipſi adverſarij non audent admittere, neque ab vllo admitti valet. Certiſſimum quippe eſt poſſeſſori bonæ fidei probabiliorem iuris opinionem pro ſe habenti abſque vlla diminutione totam rem eſſe applicãdam in iudicio proprietatis: imò & non poſſeſſori contra poſſeſſorem, poſtquam Pontifex damnavit opinionem afferentem licere iudici relicta pro libito probabiliore opinione ſententiam proferre ſecundum minus probabilem. Sententia autem ſic prolata iam incipit eſſe ex vi illius ius certum, ac prorſus liquidum quod ante ipſam ſolum erat incertum ac opinabile.

110. Quippe iudex in hoc caſu non declarat ius victoris fuiſſe certum, antequam ſententia proferretur, vt evenit quoties victus cõdemnatur ad expenſas litis tanquam litigator temerarius; nec ſolum dicit ius victoris fuiſſe probabilius, ſervata in poſterum probabilitate iuris contrarij, quia hac ratione lites nunquam finirentur, & ſententia eſſet inefficax ad transferendum dominium certum, & indubitabile; ſed pro poteſtate ſibi tradita à Republica novum ius victori tribuit, quo anterior victi probabilitas prorſus extinguitur, quin prætextu illius iam poſſit contradicere, aut obſtare. Quocirca valde eſt notanda quoad hunc effectum differentia inter iudicem, & alios privatos recte expoſita à Scildere *loco cit. num.* 80. Iudex quippe per ſententiam, quæ non continet errorem intolerabilem, ius certum confertè poteſt ei, qui non habebat niſi ius probabile, atque ex vi illius vt in re liquida, ſpoliare bonæ fidei poſſeſſorem, quem in lite condemnavit. At vero nullus privatus ſua propria auctoritate poteſt facere de illiquido liquidum, neque certum de opinabili, atque ideò quamvis ius ipſius ſit longe probabilius, dum res in eo ſtatu manent, vt manent ante ſententiam, neque bonæ fidei poſſeſſorem ſpoliare poteſt, nec ſe occulte compenſare.

DISSERTATIO XXV.

DE FVRTIS MINVTIS, EORVMQVE restitutione.

Furta minuta vocantur illa, quibus non surripitur summa gravis, ac per se seorsim considerata sufficiens ad peccatum lethale furti ex. g. acceptio vnius assis, quæ ob parvitatem materiæ solum est culpa venialis, & non nisi sub veniali restituendi obligationem inducit. Accidit autem multoties, vt paulatim interpolatis his furtis deveniatur ad quantitatem notabilem, quæ simul, vel morali quadam continuatione vsurpata furto mortali sufficeret, & tunc inspicere oportet quanta, & qualis obligatio restituendi inde consurgat.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur thesis damnata, & multiplex lectio illius.

1. ILla quidem sic se habet, & est ordine 38 *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Quo loci statim occurrit mendum fortasse irrepsisse propter incuriam Typographi, & potius legendum esse *parva furta*, quam *pauca*. Nam de parvis furtis id intelligunt absque vlla hæsitatione expositores omnes: & de parvis non de paucis loquuntur, qui in hoc puncto à recto tramite exorbitasse videntur. Nam quod furta non sint multa, sed pauca, ne apparenter quidem refert ad tollendam restituendi obligationem sub lethali, si vnum quodque illorum per se sumptum respicit gravem materiam: vnicum enim iuxta fidem sufficit ad obligationem gravem, neque vlli Auctori Catholico venire potuit in mentem, illam ex eo capite cessare, quod fiant pauca eiusdem generis. Sin vero singula quæque non nisi parvam materiam respiciunt, eo tandem negotium reddit, vt parvitas inspiciatur, non paucitas, aut multitudo furtorum ad obligationem gravem excusandam, aut statuendam. Etenim dum summa gravis ex omnibus simul sumptis conficitur, nil apud Auctores interest, quod paucis vicibus, aut plurimis surripiatur. Nullusque hucusque somniavit, eamdem summam v. g. sex regalium sub lethali restituendam esse, si octo, aut decem parvis furtis vsurpetur, secus vero si tribus, aut duobus.

2. Quapropter potius videbitur legendum *parva*, quam *pauca* vt alia inferius ostendent. Interest autem quamplurimi ad Pontificij decreti effectus, ac vim capiendam, vtro ex his modis legatur. Nam thesis in eo contentæ solum sunt proscriptæ, vt iacent.

iacent. Qui autem diceret ſermonem eſſe præciſe de paucis furtis abſque reſtrictione ad parva, conſequenter ſubinferret de parvis eorumque reſtitutione nihil eſſe ſpecialiter diſpoſitum, nil præceptum, nil prohibitum ſub excommunicatione reſervata, ſed attenta vi decreti omnia eò ſpectantia manſiſſe in ſtatu quo antea erant. Porro ibi legendum eſſe *pauca*, & non *parva* inde conijcitur, quod ita habetur in edicto Inquiſitionis Hiſpanæ, vbi Pontificium decretum D. Inquiſitori Generali communicatum per manus Illuſtriſſimi Nuncij Apoſtolici, & ad litteram inſeritur, & omnibus intimatur. Habeo autem illud authenticum, & prę oculis, dum hæc ſcribo. Eidem autem conformatur aliud traſumptum Decreti impreſſum in Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ, eo ipſo anno, quo decretum prodijt, & ad me Roma tranſmiſſum; necnon & altera editio Taurinenſis, eodem anno, ac aliæ omnes, quæ vulgo circumferuntur. Auctores quoque ex profeſſo incũbentes huic operi, ſicut Lumbier, Torrecilla, Piſani Sandæus, & Martinus Brezmes *pauca* legunt, & non *parva*, ipſoſque Cyrillus Rubeus imitatur *lib. de morientium eleemoſ. art.* 1. §. 33. *fol. mihi* 239. *colum* 2.

3. Obſtat tamen ex adverſo, quod theſis relata, & delata ad S. Sedem *parva* ſcribit, & non *pauca*, vt mihi conſtat ex delatione ipſa manuſcripta, & in alijs omnibus tranſcripta valde fideliter, quam eo tempore ſum nactus, & omnibus poteſt patere *ex ſpecimine Theologiæ manantis per Belgium. p.* 4. *tr.* 9. §. 1. quod tunc temporis in lucem prodijt, & totam huius delationis litteram, & cauſas detegit. Conſtat inſuper Academiam Lovanienſem, ex qua delatio promanavit, ad inſtantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis examinaſſe inter alias iſtam theſim (quæ fuit ordine 16.) ſub termino parvitatis, ac cenſuiſſe eam eſſe prohibendam, nec in praxi tolerandam. Quam cenſuram idem Archiepiſcopus Romam tranſmiſit ad Eminentiſſimos Cardinales Inquiſitionis præfectos per litteras Bruxellis datas die 17. Iulij 1654. quas lector apud Fagnanum inveniet, 1. *p. in* 1. *Decret. in cap. Ne innitaris de conſtitut. num.* 337. vt eorum auctoritate prohiberentur theſes in illa notatæ. Porro incredibile eſt S. Congregationem, Summumque Pontificem mutaſſe in aliam diverſam doctrinam ſibi delatam, & cum illa de ſolis parvis furtis loqueretur, & de his tantum eſſet conſultatio, loco parvorum *pauca* ſuffeciſſe, vt alteri quæſtioni reſponderet à nemine excitatæ, ea prætermiſſa, quæ ſola delatores offendebat. Et cum nullam ex theſibus delatis immutaverit, ſed de his omnibus cẽſuerit, vt iacebant, quo pacto ſuaderi poterit, circa hanc vnam ſtylum immutaſſe, & examen adeò exactum inſtituiſſe de re nunquam controverſa.

4. Ad hæc Pontifex, vt patet ex procœmio vtriuſque decreti, non iuſſit examinare, neque condemnare intendit aſſertiones inauditas, ſed eas ſolum, quas audiverat, non ſine magno mœrore, noviter eſſe adinventas, aut de novo ſuſcitatas, cum iam antiquatæ eſſent. Atqui quod ſumma quamtumcumque magna non ſit reſtituenda ſub lethali, eo quod paucis furtis fuerit vſurpata, inauditum prorſus erat, & iuxta dicta adeò abſurdum, vt nulli cordato in cogitationem venerit. Quocirca non delatores tantum, à quibus theſim immediate excepit Sac. Congregatio, & Sedes Apoſtolica, ſed & alij, qui tunc temporis laxas opiniones corrodebant, *parva furta* legunt, & *non pauca*, vt videre eſt apud Gonet *in diſſert. Theolog. de opinion. probab. art.* 3. § 3. *prop.* 8. & Sinni-

chium *in Saule ex rege. cap.* 116. *pag.* 525. *col.* 2. Sed & Stephanus Bauni, cui eam laxitatem tribuunt, de parvis furtis disservit non de paucis, ac similiter Auctores alij, quibus videri potuit adscribenda.

5. Quare omnibus pensatis, aut dicendum est errorem Typographi cum forte irrepsisse in primā Decreti editione, quæ fuit aliarum exemplar, & loco illius vocis *pauca* reponendū esse *parva*: aut si vulgatam lectionem retinere placeat, dictio *pauca*, sic erit exponenda, vt parvitati æquivaleat, & furta pauca dicantur, quamvis alioqui sint plurima, ob paucitatem materiæ respōdentis vnicuique ipsorum, sicuti parva dicuntur ob illius parvitatem, licet aliàs in magnam summam coalescant. Et quamvis prædicta acceptio minus propria videatur, prorsus necessaria apparet, vt damnatio delationi correspondeat, & scopo, quem sibi Pontifex in illa præfixit, ac tot alijs circumstantijs, quas in favorem parvitatis expendimus. Iuvatque maxime, vt diximus, hoc sensu Decretum accepisse expositores omnes tametsi vniformiter nō parva, sed pauca legant, & quamvis ex ipsis nullus difficultatem attigerit, nemo dubitat de parvis illud esse intelligendum.

6. Erit igitur huiusmodi, thesis damnata in se, aut in æquipollenti: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quamtumcumque sit magna summa totalis.* Illam tribuunt P. Bauni *in summa peccat. pag.* 220. Gonet, & Sinnichius *suprà*, sed absque vllo fundamento, vt iam ante me adnotarunt Guilielmus le Maire *in statera Saulis ex regis. sect.* 1. *cap.* 13. *num.* 179. Wilhelmus Sandeus *in confutat. trium viror. pag. mihi* 249. & Synopsis ipsa Belgica loco nuper cōsignato. Auctor, & assertor eius fuit Berarducius *in summa Corona. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 28. quem ipsemet Bauni appellat, & impugnat, vbi dicitur assensisse isti sententiæ. Eidem tamen nimis favet Navarro *lib.* 3. *consil. tit. de statu Monach. consil.* 3. *à num.* 27. dum tradit *veriorem* esse oppositā, quam docuerat *in manuali. cap.* 17. *num.* 139. Favet *insuper lib.* 5. *consil.* 2. *de furtis. num.* 2. vtrobique *iuxta editionem Lugdun. anni* 1594. Idem probabile dixit, quamvis oppositum teneat Sa verb. *Furtum. num.* 8. & Didacus de Avendaño *in Thesauro Indico. tom.* 3. *p.* 1. *num.* 611. neque id improbat Diana 1. *p. tr.* 6. *resol.* 34.

CAPVT II.

Merito thesim assertam gravi censura esse inustam ob suam generalitatem.

7. ILla siquidem, vt iacet, est regula vniversalis negativa obligationis restituendi sub lethali, quod ablatum est per parva furta quantumcumque sit magna summa totalis ex illis simul sumptis coalescens. Nec distinguit, an parva illa furta per vices commissa sint ab vno solo ex vnius bonis, vel ab vno ex bonis plurium, vel à multis ex vnius, aut plurium bonis cum conspiratione aut sine illa; imò neque an fuerint facta intentione perveniendi ad quantitatem notabilem, vel solum ex occasione absque respectu ad futura, sed de omnibus parvis furtis indiscriminatim loquitur, ac decernit in confuso in quantavis totali quantitate nullam gravem restituendi obligationem inducere. Negari tamen non potest sæpesæpius in his casibus contrariam regulam currere iuxta principia Theologica ex omnium mente certissima, & non ne-

neganda abſque ſcãdalo puſillorum, ac ſapientum. Puſillorum, quia inde accipient perniciosam facultatem nõ reſtituendi ſuis dominis, quod ab illis contrectarunt: ſapientum vero, quia vident exemplo peſſimo tradi regulam aperte obliquam, deducentemque ad viam pravam tanquã rectam, & ſecuram, ne à via ſaluris recedant, qui ei in praxi conformantur. Igitur ob iſtam cauſam merito repelli potuit generalis illa propoſitio tanquam ſcandaloſa, & pernicioſa in praxi, vt patebit percurrendo ſingula hic breviter indicata.

8. Atque in primis quoties parva furta proceſſerunt ex intentione perveniendi ad quãtitatem magnam, nemo dubitare poteſt, ſtatim ac ea completur dari obligationem gravem reſtituendi vero domino, quod ita fuerat ablatum. Et ſuadetur. Tum ad hominem, quia tota ratio ob quã Navarrus exiſtimat removeri obligationem gravem ea eſt, quia ſingula furta ſunt ſolum levia peccata. Atqui in hoc eventu ſingula à primo vſque ad vltimum gravia ſunt, ex depravata intentione vnde procedunt. Ergo non eſt cur ea exequuta, & completa quantitate magna furti, aut damnificationis tollatur gravis obligatio reſtituendi, à qua ſolum levitas peccatorum excuſabat. Tum ex re ipſa. Quia inde oritur aliqua obligatio reſtituendi alienum ſive levis ſive gravis. Levis autem eſſe nequit, cum quantitas furto ablata magna ſit, & ipſæ actiones quibus tandem fuit completa ſint etiam peccata gravia iniuſtitiæ contra dominum invitum quoad rei ſubſtantiam.

9. Rurſus quamvis non ex intentione pervenier di ad quantitatem magnam, ſed per occaſionem & fragilitate quadam, quiſpiam ab vno & eodem ſingillatim panca ſufforetur, quæ multiplicatis vicibus tandem coaleſcant in ſummam valde notabilem, *certum* quoque eſt inde conſurgere obligationem reſtituendi ſub lethali, quamvis dicatur in nullo ex eis furtulis committi grave peccatũ. Ita animadvertit P. Salas *tom. 2. in* 1 2. *tr.* 13. *diſp.* 16. *num.* 96. verſ. *An verb*, atque id negari non poſſe ſcribit Card. de Lugo *tom.* 1. *de iuſt. & iur. diſp.* 16. *num.* 37. & oppoſitum eſſe prorſus improbabile, & à veritate alienum admonebat P. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 21. *num.* 3 cui acceſſit P. Moya 1. *p. ſelect. tr.* 6. *diſp.* 4 *q.* 4. *num.* 3. atque in eo omnes convenire ſupponit. P. Molina *tom.* 3 *de iuſtit. & iur. tr.* 2. *diſp.* 688. *num.* 2. non diffitente Navarro *dicto conſil.* 2. *de furtis.* aliam ſententiam, cui poſtremo adhæſit, eſſe ſuam particularem, ac repugnantem communi; quam antea ſequutus erat.

10. Et quidem ſi tota ſumma per vices ablata exret adhuc apud furem, cum gravis ſit, & aliena, cœcus erit, qui non videat reſtituendam ſub lethali vero domino, qui dominium eius non amiſit, eo quod per peccata levia coacervata fuerit ſimul, ſed pro materiæ gravitate rectè poteſt eſſe graviter invitus circa ſimultaneam eius detentionem apud alium, vt invitus eſſe poterat circa ablationem ipſius. Idem autem iuris eſt, ſi iſte latrunculus ſummam totalem ſemel habitam donet, prodigat, aut deſtruat, quia nemini licet eſſe liberalem de alieno, & ſua fraus nullum excuſat. Parique evidentia cernitur idem onus furi incumbere, tametſi ſummam totalem ſimul, aut ſenſim expenderit in ſuum commodum, ſic ſcilicet vt factus ſit locupletior, & de ſuis aliàs expendendis tantundem retinuerit, quantum de alienis conſumpſit. Nam certum principium eſt Theologice, & iuridice eum, qui bona fide expendit rem

alie-

alienam, quam putabat esse suam, saltem obligari ad restituendum, quatenus factus est ditior. Si ergo quisquis bona fide, & absque peccato vllo locupletior factus est ex re aliena, ad restitutionem tenetur, & graviter, si gravis sit summa apud eum manens, quomodo excusari poterit, qui mala fide eam accepit, & mala fide consumpsit? Quapropter thesis damnata quatenus vniversalitate sua hos etiam casus amplectitur, & excusat à lethali intolerabilis est, & scandalosa, atque pernicioſa vt minimum.

11. Videri autem posset maior difficultas, cum res ablata non extat, neque ex ea factus est ditior, qui illã abstulit minutis furtulis, quorum nullum fuit mortale. Nam in hoc casu Diana putat, *ea resol.* 34. cessare debitum grave restituendi, atque illud non *esse certum* dixit Iacobus Granado 1. 2. *controv.* 6. *tr.* 2. *disp.* 2. *num.* 49. favetque non parum Lorca *tom.* 2. *in* 1. 2. *disp.* 60. Ratio autem hinc sumi potest, quia obligatio restituendi sub lethali tunc non oritur ex re accepta, quæ vbicumque existit semper pro domino clamat; perijsse namque supponitur absque vllo lucro auferentis, & nõ extare in se ipsa, neque in lucro æquivalenti subrogato loco illius. Neque item oriri potest ex sola iniusta acceptione, cum ponatur eam non fuisse graviter iniustam etiam respectu quantitatis totalis, sed absque vlla culpa gravi subripientis contigisse. Ex levi autem iniustitia non resultat obligatio gravis restituendi, quia non restitutio solum est prioris iniuriæ prolongata continuatio, & cæteris paribus non peccat minus, qui furatur, quam qui non restituit. Confirmatur. Nam ex gravi damno dato per actionem venialiter iniustam absque vllo commodo, aut lucro accipientis debitum restituendi non consurgit, vt videre licet apud Lessium *lib.* 2. *de iustit. & iur. cap.* 7. *num.* 27. & Henriquez *in summa. lib.* 14. *cap* 3 *num.* 1. Non est autem maior obligatio reparandi magnum damnum parvis damnificationibus per vices illatum, v. g. conculcando alienas segetes in transitu quotidiano, quam datum actione vnica.

12. Verumtamen huic sententiæ nullatenus acquiescendum puto. Tum ex dictis, quia si tota res ablata semel extitit in potestate furis, tolli nequit gravis obligatio restituendi orta ex ipsamet re accepta, ex eo quod illam destruxerit. Tum præterea, quia esto demus sermonem esse de actionibus mere damnificativis, qualis est combustio, aut depravatio rei alienæ, non potest negari, ex parvis pluries contra voluntatem domini iteratis aliquam obligationem cõsurgere reparandi damnum ita illatum; ius enim alterius læditur quacũque ex illis, & virtus iustitiæ non solum prohibet vsurpare sibi bona aliorum, sed etiam nocere ipsis, & facere, vt in bonis minus habeant, quam habere debent attento iure dominij. Ergo vel ex parvis illis damnificationibus tot leves obligationes resultant reparandi damnum, quot fuerunt vices, ac peccata levia, quibus id fuit irrogatum, vel non, sed vnica gravior successive crescens ex omnibus simul sumptis? Si hoc dicatur, iam habetur intentum. Nam cum damnum simul sumptum magnũ sit, atque sufficiens ad obligationem reparandi illud sub lethali, magna quoque, & sub lethali erit obligatio illud respiciens nõ per partes, sed per modum vnius. Si vero eligatur aliud, erit profecto absurdissimum. Damnum enim totum simul manet, quamvis actiones damnificãtes transierint, & semper invito domino per intervalla augmentatur, ac cum reliquis moralitet vnitur. Quo ergo iure dici potest illud in quamta-

vis

vis magna quantitate non esse reparandum sub lethali, nec tollendam perseverantiam ipsius? Aut quomodo excogitabitur, ius domini ad reparationem tanti damni, quantum simul patitur, esse divisum in plura parva iura ex se totalia, quin integretur ex omnibus vnum ius magni momenti respiciens per modum partis singula damna irrogata, collectionem vero illorum per modum vnius totius.

13. Indidem facile solvitur argumentum pro Diana confectum *num.* 11. respondetur enim gravem obligationem restituendi tunc oriri non ex lucro accipientis, neque ex vna, aut alia parva damnificatione iniusta, sed ex collectione omnium illarum. Esto namque nulla ex ipsis fuerit peccatum mortale, sed veniale solùm ob parvitatem materiæ respõdentis vnicuique ipsarum, adhuc tamen singulæ post se relinquunt obligationem reparandi damnum, quod aliorum reiteratione succrescit, & tandem fit valde grave. Crescente autem damno iniusto, etiam crescit pari mensura obligatio reparandi ipsum, & sicut illud de præsenti est magnum, quamvis ex parvis compositum, ita quoque magna est obligatio restituendi proximum sue indemnitati. Nec levis censeri potest ex eo quod leves sint seorsim acceptæ partes, quibus integratur, ita enim ingens acervus pecuniæ leve est pondus ad portandum, leve quoque ad surripiendum, si asses singuli inspiciãtur; gravissimum verò, si omnes simul succollandi sint, aut suffurandi. Vnde quamvis nunquam integretur vnum peccatum mortale ex quantacumque multiplicitate venialium, nec tota ipsorum malitia vnquam adæquare possit gravis culpæ pravitatem, nihilominus cum materiæ illorum, effectusve ex eis relicti ita vniuntur, vt ex ipsis resultet aliquid gravi prohibitione dignum, nemo dubitat ob istam circumstantiam id, quod aliàs leve foret, posse transire in mortale. Non quia ex venialibus mortale fiat, sed quia est ibi novus actus, vel nova restitutionis omissio cadens in materiam gravem, eique æqualem, seu æquipollentem, quam attingit furtum grave.

14. Ad confirmationem iam constat, quomodo obligatio restituẽdi sub lethali resultare possit ex parvis iniurijs furandi, aut damnificãdi, prout etiam animadvertit, vltra alios suprà laudatos, ipse Lessius, qui nobis obijciebatur, *eo lib. 2 cap 12. num. 45.* & in casu longe difficiliori idem cẽsent P. Suarez *in dicto num. 4.* Molina *vbi suprà, disp. 689. num. 1.* Lopez *in instructor. conse. p. 1. cap. 93. q 1. in fin.* Raynaudus *tom. 14. tr. de monitor. cap. 2. quæst. 1. vers. Video. fol. mihi 151.* Vasquez, Rebellus, Filliucius, Turrianus, Megala, Bonacina, Azor, Sayrus, vterque Ledesma, & alij Auctores communiter, vt refert, & attestatur Diana *p. 2. tr. 17. resol. 41.* Tunc scilicet cum non vnus, sed plurimi intulerunt grave damnum vineæ alienæ v. g. vnoquoque parum quid comedente, aut suffocante, & singulis inculpabiliter ignorantibus ea ratione tandem damnum grave esse inferendum, vel illud iam esse illatum. Esto namque ex ipsis nullus peccarit plusquam venialiter, accipiendo partem suam, singuli tamen postquam iam agnorunt, aut ignorant culpabiliter ex omnibus collective inspectis graviter damnificari vineæ dominũ, iuxta hos Auctores tenentur sub mortali ad restitutionem partis suæ, ne alioqui eveniat, vt dominus per iniuriam gravissimum damnum patiatur, qualis est devastatio totius vineæ, & nemo illud resarcire debeat sub lethali, etiam postquam conscij

sunt

sunt magni damni, aut grandis furti.

15. Et quamvis huic doctrinæ contradicant valde probabiliter Lessius *lib. 2. cap. 12. dub 9.* Navarro *in man. cap. 17. num. 130.* Tannerus, Malderus, & aliis relatis Sanchez *in Decalog. lib 7. cap. 21. num. 22.* & latè, ac optimè Salas *vbi suprà ex num 93.* addente Diana *vbi proxime* id esse tutum in praxi, & omnibus affirmantibus singulos quosque in eo eventu ad suæ parvæ partis restitutionem teneri sub veniali, nullum vero sub mortali, ideò est, quia nullus ipsorum est causa totalis damni, sed partialis, tàm partialitate effectus, quàm partialitate causæ. Quando autem vnus, & idem per parva furta pervenit ad quantitatem notabilem, ipse est vna, & tota causa damni exinde provenientis, & ideò non est par ratio, sed gravis obligatio restituendi hic debet agnosci vt certa, quamvis probabiliter in alio casu excludatur, attentis naturis rerum, & dissimilitudine circumstãtiarum. Quocirca etsi quisque conservaret apud se eos paucos nummos, aut racemos, quos abstulit ex acervo pecuniæ, vel ex vinea, adhuc nemo teneretur illos restituere sub mortali, seu ratione rei retentæ, seu ratione damni iniuste conservati. Non ratione rei retentæ, quæ parva esse præsupponitur. Nõ ratione damni iniuste conservati, quia ex eis nemo grave damnum facit alteri accipiendo, aut retinendo rem parvam ipsius, neque est causa, vt alij id faciant; imò neque ipsis consentit, sive quia inculpate ignorat parva furta aliorum, sive quia conscius illorum, nec acceptioni, nec retentioni se immiscet, sed forsan dissentit, & grave damnum alterius non nisi præter, aut contra intentionem suam, ac mere concomitanter concausat. Idipsumque P. Salas *suprà num 94. concluf. 4.* extendendum etiam censet ad illos, qui solo exemplo absque alia cooperatione, fuerunt reliquis occasio furandi, aut non restituendi: adeò vt putet, neque sub veniali eos esse obligatos ad aliorum partes resarciẽdas, neque enim scandalum obligat, cum soli charitati præiudicat, & iustitiam commutativam non lædit.

16. Contingere tamen potest etiam in ista sententia, quam sequitur Card. de Lugo *ea disp. 16. num. 55.* & mihi verior apparet, vt quamvis nullus graviter peccaverit illa pauca surripiendo, nihilominus sub peccato gravi ad restitutionem teneatur. Ideò etenim accipiendo nullus peccabat lethaliter, quia nemo ipsorum grave damnum fecit per se ipsum, aut per alios, cum ipse parum acceperit, & non fuerit causa alijs faciendi sua parva furta, consilio, auxilio, aut consensu, vel approbatione facti. Cæterum circa omissionem restitutionis debita ab vnoquoque sub veniali longe aliter se habere possunt, conspirando scilicet ad invicem ne restitutionem faciant, vel consilio, seu auxilio, aut aliter iniuste cooperando ad illam non faciendam. Et tunc sicut hoc modo accipiendi ab initio lethaliter peccassent, & cum gravi onere restitutionis, sic graviter peccant eiusdem restitutionis omissione, nec iam per accidens, & mere materialiter, sed mutua opera, & consilio iniusto per modum vnius conservant damnum grave alteri illatum. Vnde non mirum si quilibet pro sua virili portione primo loco teneatur ad restitutionem sub lethali, & in aliorum defectu ad totam summam ablatam. Nam alioqui licet sua parva materia apud vnumquemque extaret, & mutua conspiratione statuerint, nihil restituere omnino, à peccato lethali essent immunes, quod nemo audebit somniare.

CA-

CAPVT III.

Obliquam esse eorum regulam, qui ex delicto non agnoscunt sine peccato mortali obligationem gravem restituendi.

17. ERgo non est adeò firma, nec adeò sine exceptione tradēda regula illa, qua vniversim dicitur, *neminem teneri sub mortali restituere illud quod debet ex mero delicto, iniustave acceptione, nisi graviter peccaverit accipiendo, aut damnum dando.* Fallit enim proculdubio in dictis casibus, & alijs multis infra subijciendis, quos tanquam indubitatos vera Theologia recepit. Vnde valde immerito Navarra scripsit *lib. 3. de restit. cap. 1. num. 55. in edition. 2.* nullum fore, qui vel vnicū exemplum prædictæ regulæ contrarium afferat, veriusque reponere possemus, nullum exhiberi posse, vnde stabiliri valeat, nisi valde controversum. Omnes enim quotquot scribunt de obligatione restituēdi damnum grave ortum ex culpa peccaminosa venialiter, aut nullam obligationem restitutionis agnoscunt ob imperfectionem actus, qui fuit causa vel occasio damni, aut gravem esse pronunciant pro materiæ restituendæ gravitate; nullumque invenies, vt reor, nisi forte aliquos innominatos, qui in hoc puncto aliter senserit. Porro in casu de quo loquimur, vbi singula quæque parva furta, vel actiones damnificantes iniuste semiplena deliberatione non fiunt, neque advertentia imperfecta, sed ex sola materiæ parvitate excusantur à mortali, nullo pacto detrectari valet obligatio restituendi, eaque certa ex eis relicta. At levis esse non potest, cum materia restituenda sub peccato gravis sit, & exparte sua sufficiens ad obligationem gravem. Restat ergo, vt gravis esse debeat, & sub lethali constringens, quamvis originem duxerit ex peccatis tantum levibus.

18. Vasquez vtique, ex quo maxime Navatra profecisse fertur, ab ea regula tam longe abest *cap. 2. de restitut. § 2. à num. 18.* vt ex adverso contendat, damnum grave, quod quis dedit immediate, vel quod noluit præcavere in se, vel in causis suis, cum posset, & ex iustitia deberet illud evitare, integre esse restituendum, quamvis non nisi veniale peccatum eius causa, vel occasio fuerit. Neque dubium quin loquatur de obligatione gravi restituendi. Nam semper pariformiter loquitur de obligatione orta ex vtrovis peccato, atque ad illam imponendam ex delicto solum postulat voluntarium sufficiens ad imputationem damni, vt damnum est, quod peræque veniali, ac mortali convenit. Atque ideò *num. 20.* expresse affirmat impertinens esse, quod culpa fuerit mortalis, aut solum venialis. Non esset autem impertinens, si ex damno gravi dato cum culpa mortali consurgeret gravis obligatio restituendi; ex dato vero cum sola veniali, non nisi levis duntaxat, acsi damnum foret leve. Eisdem vestigijs insistit cum alijs Luisius Turrianus *disp. 11. de iust & iur. dub. 2. num. 11.* & clarissime in vtroque eventu gravem obligationem agnoscit Gaspar Hurtado *tr. de iust. & iur disp. 5. difficul. 1. in fin.* Gibalinus *lib. 6. de negotiat. cap. 5. art. 3 num. 4.*

19. Ab hac igitur sententia, sibi è regione contraria, nil præsidij habere potest regula, quam impugnamus. Sed neque ab alia mitiore, quā Bonacina tuetur *disp. 1. de restit. q. 1. punct. 3. § vnico num. 9.* affirmans esse communem. Rebellus *lib. 1. de oblig.*

*iustit. q.*10. *num.* 17. Layman *lib.*3. *sect.*5. *tr.*3. *p.*1. *cap* 6.*num.*4. Existimant namque hi Auctores contra Vasquez, totum damnum datum veniali peccato inadvertentiæ, aut negligentiæ ex natura rei non esse restituendum, sed aliquam eius partem prudenti arbitrio taxandam, habita ratione culpæ, ac damni, & servata proportione vtriusque. Vnde, ait Bonacina, aliquando adeò levis esse potest culpa venialis in damno inferendo, vt vix adsit obligatio ad centesimam partem restituendam, & ex opposito potest aliquando esse tam gravis intra limites venialis, vt obliget ad decimam; quando vero dubitatur, vtrum fuerit mortalis, vel venialis dimidium restituì poterit. Cœterum in hac sententia, satis difficili ad praxim, seponenda est ante omnia pars illa damni, cuius restituendæ nullâ datur obligatio sive gravis, sive levis, & cõsideranda duntaxat altera pars, quæ relinquitur obnoxia restitutioni, nam ea sola ad præsentem considerationem spectat. Porro si illa parva sit, sua parvitate damnificatorem excusabit ab obligatione restituendi sub lethali: si vero magna, atque de se sufficiens ad obligationem gravem, gravis quoque erit obligatio illam restituendi, quamvis ex peccato veniali duntaxat relicta fuerit. Perse notum namque apparet, illum peccare mortaliter, qui cum restituere debeat sub peccato magnam quantitatem, omittit restitutionem, idipsumque clarius patet simili casu proposito in restitutione famæ. Neque id detrectare audent Auctores huius sententiæ, imò expresse profitentur ibi adesse obligationem restituendi sub lethali, locis antea consignatis Rebellus, Layman, Gaspar Hurtado, & Bonacina *num.* 10.

20. Plus forsitan iuvare videbitur opinio, quam in favorem Dianæ proposui *num.*11. *in fin.* Sed re accuratius inspecta non iuvat, sed potius nocet. Illis siquidem nusquam affirmant sine peccato mortali nunquam dari obligationem restituendi sub lethali ex damno iniuste dato, vel ex iniqua acceptione, sed solummodo contendunt ex culpa tantum veniali negligentiæ, inadvertentiæ, aut semiplenæ deliberationis, secluso speciali pacto, nullam in foro conscientiæ relinqui restituendi obligationem. Atque expressius alijs Lessius *lib.* 2. *de iustit. & iur. cap.* 7. *num.* 28. non contentus verbis generalibus speciatim exclusit in eo eventu obligationem restituendi etiam sub veniali Trullenc *lib.*7. *in Decal. cap.*6. *dub.*3. *num.*12. Filliucius *tr.*32. *nu.*31. Malderus *de iustit. & iur. tr.*2. *dub.*5. *init.* & ex professo Card. de Lugo *tom.*1. *disp.*8 *sect.*5. Attamen inde nõ sequitur quod intendebat Navarra, sed præcise, quod ratione solius culpæ venialis admissæ in damnificando, nulla omnino relinquatur obligatio restituendi damnum quantumcumque grave, nisi deliberatio intercedat, advertentia, & negligentia ex se ad mortale sufficiens. Quam sententiam in hoc sensu vltra Auctores præcitatos probabilem esse putat, tutamque in praxi Layman eo *num.*4. *prope fin.* Bulembaum *in medulla lib.* 5. *tr.* 3. *cap.*2. *dub.*1. *in fin.* eamque sequitur, & vocat communem P. Sanchez *lib.* 2. *cap.*23. *num.* 160. mihique satis arridet.

21. Quia obligatio restituendi ob vim iniuriæ adeò tenuis, vt illam venialem reddat sola parva imputabilitas, non obstante magna gravitate damni, nec gravis esse potest, nec levis. Non gravis. Quia tantum onus pœnale, aut quasi pœnale, ex bonis proprijs luẽdum, improportionatum est delicto adeò exiguo ex defectu plenæ imputabilitatis, vt non tantum

apud

apud homines excusabile reddatur, verum etiam coram Deo excusetur ab inimicitia, & alijs mortalis peccati oneribus. Non levis. Quia materia gravis est, & magna illa inæqualitas, quæ permanere cognoscitur, & per iustitiam reducenda esset ad æqualitatem; iustitia autem nunquam præcipit restitutionem rei gravis sub peccato tantum levi. Vnde neque sub veniali à religione præcipitur adimpletio voti emissi cum deliberatione adeò imperfecta, vt modus eius non sufficeret ad peccandum lethaliter, quamvis valde gravis sit voti materia. Et sic iustitia ipsa neque sub peccato levi obligat ad donationes, aut contractus semiplene deliberatos implendos, etiam in materia gravi. sed nullam obligationem imponit, cum gravis, quam materia postulabat, immerito imponeretur.

22. Quo concludes in quacumque tandem ex supradictis sententijs concedendam esse obligationem restituendi sub lethali damnum, aut læsionē gravem proximo illatam, quātumvis nullum peccatum mortale in ea inferēdā intervenerit. Quippe iuxta duas priores id est clarum, & receptum ab Auctoribus ipsarum; iuxta posteriorem vero idipsum constat aperte. Quia illa non excusat generaliter omnes contrectantes, aut nocentes graviter solis peccatis venialibus, sed eos tantum, quibus gravis læsio non est plane, pleneque imputabilis ob delicti imperfectionem, sed duntaxat semiplene: & ideò non curat, vtrum damnum fuerit datum vnica actione, vel pluribus iniustis tantum venialiter, neque ex hoc capite excusationem assumit, sed quamvis vnica actione totum damnum irrogatum fuerit, omnem obligationē restituendi summovet sive gravem, sive levē. Inde autem solum colligitur nullam esse obligationem restituendi damnū grave alteri illatum pluribus parvis furtis, aut damnificationibus semiplene duntaxat deliberatis, aut ex parva quadam negligentia examinandi, vel præcavendi grave periculum damni, quod ex nostris actionibus, aut omissionibus alij imminebat, idque probabiliter admitti potest, ac deber iuxta hanc sententiam. Nam si vnica actione, aut omissione damnificativa datum, ob imperfectionem eius, nullam relinquebat restituendi obligationem, à fortiori nullam parcet, cum non vnica, sed pluribus eiusdem imperfectionis infertur.

23. Cæterum cum parva furta, seu damna iniuste data ex illa advertentia, & negligentia fiunt, quæ ex se ad mortale sufficeret, nisi sola materiæ parvitate excusarentur, nulla est ratio, vnde excusetur non restitutio à mortali, cum paulatim est deventum ad quātitatem notabilem. Nam tunc proculdubio manet obligatio restituendi, & singulis furtis augetur, solumque vocari posset in dubium, vtrū sit levis vel gravis? At levis esse non potest ob parvitatem materiæ, cum ea gravis supponatur; & ex parte sua sufficiens ad prohibendum sub lethali non restitutionem eius. Sed nec levis reddi valet ex defectu imputationis, cum non sit semi imputabilis, sed singulæ quæque iniuriæ vnde coaluit tantum damni, factæ fuerint plena deliberatione, & advertentia sufficiēte ad mortale. Restat ergo vt gravis sit, perinde acsi vnica actione datum esset totum damnum. Neque enim iuvat distinguere, quādo cætera sunt paria, quod actio sit vna, aut multiplex. Et hæc sunt furta illa parva, ex quibus nunquam induci obligationē gravē restituendi putavit thesis damnata, eo quod parva sit materia singulorum, licet tota collective inspecta coalescat in grandem summam, talemque, vt si magno aliquo furto

tolleretur, proculdubio foret restituenda sub lethali.

24. Nos vero ex adverso asserimus sub lethali restituēdam esse tàm ratione rei acceptæ, si illa extet in se, aut in æquipollenti, quàm ratione actionum iniustarum, quæ in eius ablatione intervenerunt, licet nulla ex eis fuerit mortalis, vt sæpe potest contingere; & propterea idem extendimus, servata eadem proportione, ad iniustitias veniales non lucrosas, sed præcise damnificativas. Quando autem furtum, aut damnum excusatur à mortali, titulo quodam communi magnis, & parvis, vt evenit, cum ex semiplena solum deliberatione contingunt, tunc dicimus rem esse controversam, possèque defendi vtrumlibet absque vlla contraventione ad decretum Pontificium. Quia propositio damnata non coarctabat suam doctrinam ad parva furta semideliberata duntaxat, nec de his agebat, quæ peræque excusarentur quamvis essent magna; sed de illis, quæ venialia esse intelliguntur ob differentiam parvi à magno, licet ad mortale nil deficeret ex parte advertētiæ, ac modi, quo defacto sunt patrata. Excusatio autem accepta ex imperfecto illo modo agendi, à mortali etiam excusat magna furta, & magna damna, etsi vnica actione fiant, vt si quis occidat hominem, vel rem magni pretij rapiat per motum secundo primū.

25. Ac similis imperfectio potest contingere pariter ex inconsideratione, aut errore venialiter solum culpabili contra virtutem iustitiæ, vt si quis alienam domum evertat, existimando esse suam, per errorem, in quē incidit, facta quidem diligentia comperiendi veritatem, at non tota, quam facere tenebatur, vt alterius damnum præcaveret sed solum fere tota, ac prope integra dūtaxat: vel si nonnihil debitę circumspectionis omiserit, aut ex fere naturali oblivione maiorem non adhibuerit, ne forte ex periculosa sua omissione, seu actione damnū alij resultaret. Et vniversim quoties damnum grave sive à nobis immediate datum, sive à nostris servis, ovibus, aut alijs animalibus, non evenerit, nisi ex adeò parva negligētia præcavendi eius periculum, vt solum excludat aliquam exiguam partem diligentiæ debitæ ex iustitia, & cum fere plena, ac integra diligentia componatur, tunc venialis solum erit, quia in negligentijs sua parvitas excusans à mortali admitri debet, vt communiter admittitur fere in reliquis peccatis.

26. Consulto autem sum loquutus de omissione diligentiæ debitæ in foro conscientiæ, non determinando qualem, vel quantam, quia non semper par diligentia debetur, neque par culpa civilis imputatur ad peccatum, sed pro diversitate officij, vel contractus valde inæqualis diligentia debetur, neque semper eius obligatio ad forum conscientiæ spectat, sed in foro externo sistit, vbi sæpe ex coniecturis, aut præsumptionibus agitur, & propterea nomen culpæ latæ, levis, aut leviſſimæ longe alio sensu apud Iuristas accipitur, quam apud Theologos capitur. Illis enim culpa est omnis ea actio, aut omissio diligentiæ, vnde aliquod damnum sequitur, sive vt ipsi communiter loquuntur, & in idem tandem recidit, omnis deviatio ab illo bono, quod per diligentiā hominis potuit provideri: his vero, quodvis peccatū tàm mortale, quàm veniale, seu quæcumque deviatio à bono rationis rectæ. Vnde omnes Auctores notant, culpam, quam vocant iuridicam, inveniri sæpe sæpius absque vlla culpa Theologica. Vel quia diligentia omittitur, ad quam homo non tenetur iure naturali, aut positivo, qualis ordinariè est summa

possi-

poſſibilis, ſed ſuo muneri ſatisfacit, adhibendo illam mediocrem, quam homines frugi, ac cordati circa bona ſua ſolent adhibere. Vel quia ignorãtia invincibilis facti, aut iuris obligãtis in conſcientia ex vi officij, ſeu cõtractus ad hunc, aut illum diligentiæ modum negligentiam ei oppoſitam excuſat à peccato imputabili apud Deum.

27. Certum eſt autem, nullam culpam ſive latam, ſive levem inducere obligationem reſtituendi ex delicto damni iniuſte dati, ſi mere civilis ſit contra officium, aut contractũ, & nullum in ea peccatum Theologicè, ac proprie tale veræ iniuſtitiæ intervenerit. Quæſtio vero peculiaris, & propria huius loci eſt, num peccatum negligentiæ debeat eſſe mortale, vt ratione ſui inducat obligationẽ reſtituendi, vel an potius, veniale ſolum ſit ſatis ad eamdem obligationẽ in foro poli inducendam? Non enim deſunt, qui affirment id mortale eſſe debere, vt Card. Toletus *in inſtructione Sacerdotum. lib* 5. *cap.* 18. & ante ipſum Soto *lib* 4. *de iuſt. & iur. q.* 7. *art.* 2. *ante ſolut argument. fol. mihi* 342. loquens expreſſius de contractu commodati, vbi maior difficultas erat: *Crediderim*, inquiens, *in foro conſcientiæ levem culpam commodatarij non obligare eum ad reſtitutionem, niſi ſit mortalis apud Deum. Nam à venialibus vix homo liberari poteſt, quare propter illas non eſt homo tanta pœna plectendus.* Et pluribus relatis Henriquez *in ſumma. lib* 14 *cap* 15. *in fin.* adiungens *litt. y.* eſſe communem recentiorum Theologorum, & addens contrarium ſentientes ita limitandos eſſe, vt pro ſolo foro externo locum habeat eorum placitum, & non pro foro conſcientiæ.

28. Attamen ſententia iſta adeò generaliter prolata haudquaquam probari debet. Nam ſicut ex multis furtis, aut damnificationibus extra officium, aut contractum plena deliberatione contra iuſtitiam commiſſis, oritur gravis obligatio reſtituendi ex radice iniuſtæ actionis, cum ad magnam furti, aut damni quantitatẽ pervenitur, eſto nulla ex eis mortalis fuerit, idque omnium fere ſententia ſancitum erat, vt vidimus, ante Innocentij decretum, ita ex multis negligentijs venialiter peccaminoſis duntaxat, ratione officij, aut contractus, conſimilis obligatio conſurgere valet, ac debet. Contingere namque poteſt, ac contigit ſæpeſæpius, vt magna incuria alicuius, qui illam vitare debebat ex officio, ſeu contractu, ſit cauſa, vel occaſio parvi damni ex. g. quia res depoſita exigui valoris perijt, aut aliquantulum fuit facta deterior apud depoſitarium, nulla diligẽtia adhibita ad illius preſervationem, vel adeò parva, vt ne quidem ad eam mediocrem accedat, cuius paulo antea meminimus, & tunc indubitatum apparet, eam culpam eſſe venialem coram Deo propter parvitatẽ damni, & reſtituendi obligationem ſolum ſub veniali relinquere, licet damnum datum fuerit ex gravi culpa iuridica, hoc eſt ex illa omiſſione diligentiæ, ſeu incuria, quam Iuriſtæ culpam latam communi conſenſu appellant. Ergo ſi ſimilia damna, & ſimiles negligentiæ reperantur ſine peccato mortali vſque ad magnam damni quantitatem, iam conſurget obligatio reparandi illud ſub lethali ex radice iniuſtæ actionis, vel ea pariter in parvis furtis, & quibuſque alijs damnificationibus venialiter iniuſtis denegãda eſſet. Idemque cenſere oportet, quamvis non tanta negligentia in damno dato intervenerit, ſed ea ſolum, quæ ſufficeret, iuxta leges peculiares cuiuſcumque officij, vel contractus, ad culpam lethalem, niſi parvitate damni excuſaretur.

Iam

29. Iam vero cum grave est damnum, inspiciendum est quam diligentiam homo ad illud evitandum exhibere teneatur, & an ad illam præstandam obligetur sub peccato, vel non, sed solum sub onere reparandi damnum datum omissione talis diligentiæ? Nam si primo modo debeat eam præstare ex iure naturali, aut positivo, obligatio erit Theologica; sin vero secundo tantum non Theologica, sed mere civilis erit. V.g. commodatarium teneri non solum ad diligentiam communem cuius omissio vocatur civiliter culpa lata, sed etiam ad aliam maiorem, qua cautissimi, ac vigilantissimi rebus proprijs providere solent, recepta doctrina est, atque ideò dicitur, ipsum teneri ad reparationem damni non tantum ex dolo, vel ex culpa lata, verum etiam ex levissima. Nam culpa iuridica levissima ea negligentia appellatur, qua prætermittitur exactissima illa diligentia; levis vero ea, qua omittitur, quam cautiores, ac circumspectiores alijs solent exhibere. Quæritur ergo, an sub peccato tantam diligentiam adhibere debeat, ne res magni pretij sibi commodata, aut pereat omnino, aut graviter deterioretur? Vel non, sed solum sub pœna restituendi dominum suæ indemnitati, nam hoc onus recte potest civiliter dici; cum civili culpæ correspondeat, quamvis Theologica desit.

30. Etenim si nullo iure naturali, aut positivo ad tantam diligentiam obligatur sub peccato, qui rem commodato accepit, obligatio illam præstandi non Theologica, sed mere civilis erit, sicut & culpa commissa in eius prætermissione. Quo etiam fiet, vt obligatio reparādi grave damnum, quod ex illa resultavit, non sit ex culpa iniustitiæ, seu veniali, seu mortali, neque ex culpa suapte natura inducente necessatio eiusmodi obligationem (nam ea non inducitur, vbi omnis prorsus iniustitia defuit) sed ex lege positiva, quæ eam induxit, ex naturali congruentia, in contractu commodati, ac alijs, qui in solius accipientis vtilitatem exercentur. Porro leges, quæ non obligant sub peccato ad actum, sed tantummodo sub pœna, aut certo aliquo gravamine in casu contraventionis, raro sunt latæ sententiæ, & nunquam ante illam obligant, nisi id exprimant clarissimis verbis. Hęc autem expressio deficit in legibus obligantibus commodatarios ad reparationem damni dati rebus sibi commodatis ob culpam iuridicam levem, aut levissimam, & quod hinc sequitur, nunquam ad illius reparationem tenebuntur etiam in foro conscientiæ ante sententiam prolatam; si verum est eas non obligare sub peccato ad eas culpas evitandas, sed solum ad restitutionem damni in casu, quo non vitentur.

31. Quod si ex opposito velis, commodatarium, ac reliquos, qui ratione officii, seu contractus dicuntur teneri ex culpa iuridica non solum lata, sed etiam levi, aut levissima, in foro conscientiæ obligari ex iustitia ad illam exactissimam diligentiam præstandam, qua eiusmodi culpæ secludantur, tunc vtique si illam non præstiterint, & ideò res pereat, vel notabiliter deterior fiat, ex radice iniustæ damnificationis ad restitutionem sub mortali tenebuntur ipso facto, absque vllo novo præcepto declaratione, aut sententia; nam id generale est per se loquendo, quoties vi actionis, aut omissionis iniustę proximus in rebus suis graviter damnificatur. Neque id absque peccato mortali continget. Nam ea ipsa culpa iuridica, quæ comparatione doli, aut culpæ latæ dicitur levissima, aut levis in ratione negligentiæ, in ratio-

ne iniustitiæ; culpæque Theologicæ non est levis, sed lethalis, & lege graviter obligante prohibetur ob magnitudinem damni ab ea imminentis, peculiaremque necessitatem evitandi ipsam, ac præstandi oppositam diligentiam in eo officio, vel contractu. Si vero eveniat per accidens, vt ea ipsa culpa iuridica, quæ alioqui mortalis esset, excusatur à mortali ob semiplenã deliberationem, aut ignorantiam venialem periculi, aut obligationis, diversa erit resolutio circa obligationem gravem restituendi damnum totum, vel ex parte, vel fortasse nihil, iuxta diversitatem sententiarum, quas cum Auctoribus suis *n. num.* 18. consignavimus.


32. Pendet igitur, vt vidimus, ex modo obligandi sub peccato, vel sub pœna solum ad præstandam diligentiam proportionatam vnicuique officio, vel contractui, modus obligationis, quæ contrahitur ex omissione eiusdem diligentiæ, ad reparationem damni subsequuti ex illa. Quo autem pacto, & quanam lege, positiva, aut naturali, introducta sit in singulis obligatio præstandi diligentiam, & quantam, ex. g. in officio Medici, Cõfessarij, Iudicis, Advocati, Pastoris, aut Custodis vinearum, vel in contractu depositi, pignoris, commodati, vel precarij, non est huius loci disputare. In genere autem loquendo satis probabile apparet Lessio, & aliis scriptoribus ex sola lege naturali in officijs, aut contractibus nullum teneri ex iustitia ad maiorem diligentiam præstandam in avertendo alterius damnum, quam ordinariam illam, ac mediocrem cuius omissione incurritur culpa iuridica lata. Satis namque esse videtur, si in officio, aut re sibi commendata quivis prudenter, ac diligenter se gerat ex more communi aliorum, quamvis neque extraordinariã curam habeat, nec vigilantissime operetur, nisi id forte specialiter promisit seque, ad illud voluerit obligare, sicut se obligare potest etiam ad casus mere fortuitos, & suscipere periculum tàm damnorum casualium, quàm expertium omnis culpæ. Non ergo iure naturæ contra iustitiam peccabit, vel ad restitutionem tenebitur ex culpa levi, aut levissima.

33. Vtrum autem saltem teneatur vi legum positivarum præscribẽtium, vt in certis officijs, aut contractibus ex hisce culpis aliqui obligentur ad reparationem damni, valde incertum est. Nam Sotus, & alij appellati *num.* 27. quorum opinionem Lessius non improbabilem duxit *in dicto cap. 7. num.* 43. & valde probabilem Azor agens de custodia, quam debet præstare conductor 3. *p. lib.* 8. *cap.* 7. *de locat. q.* 3. *fin. col. mihi* 578. putant eiusmodi leges non obligare ex iustitia neque sub pœna peccati ad extraordinariam illam diligentiam, cuius prætermissione contrahitur culpa iuridica levis, aut etiam levissima, sed esse pure pœnales, aut quasi pœnales, & ex illis, quæ ante sententiam non obligant in foro cõscientiæ ad subeũdam pœnam illam, seu gravamen, quod ex vi ipsarum iniungitur. Qui autem hoc modo opinantur, consequenter debent dicere, neque ex iure positivo contra iustitiam peccare eos, qui in contractu, aut officio iuridica incuria levissima, aut etiam levi sunt causa, vel occassio alieni damni; & quod exinde continenti filo trahitur, neque ex vi actionis, aut omissionis iniustæ illos in foro conscientiæ ad restitutionem obligari. Obligantur autem per sentẽtiam ad reparationem damni in quibusdam officijs, aut contractibus (vt omittam alia exempla) sicut obligatur iuvenis ad dotandam puellam, quam volentem defloravit, non quia peccatum iniustitiæ adver-

sus

fus illam commiserit, sed quia bono communi id exigente positivis legibus ita disponitur, vt damno integritatis amissæ, alijsque incommodis eius hac ratione consulatur. Vnde talis reparatio in rigore non est restitutio damni, cum non supponat iniuriam, seu culpam iniustitiæ Theologicam, nec ratione illius inferatur pœna tamen dici potest, & ipsamet lex pœnalis, quia imponitur ratione culpæ iuridicæ eamque connotat; & sicut ex culpis aliæ Theologicæ sunt, aliæ iuridicæ, ita pœnæ pariter dividi valent.

FINIS.



INDEX
DISSERTATIONVM, QVÆSTIONVM, & Capitum.

PRoœmiales Quæſtiones. Pag. 1.
Quæſtio prima dividens decreta in ſuas partes. 1.
Quæſt. II. Quid ſignificetur, cùm propoſitiones iſtæ, vt ſcãdaloſæ, damnantur? 3.
Queſt. III. Quidnam propriè ſit, hãſce doctrinas pernicioſas eſſe in praxi? 6.
Quæſt. IV. Vtrùm Pontifex declaret, has propoſitiones eſſe propriè ſcãdaloſas, vel potiùs illas reprobet, ac ſi eſſent tales? 7.
Quæſt. V. Vtrùm decretum hoc ſit deciſivum, vel interlocutorium, & pro nunc duntaxat? 9.
Quæſt. VI. An iſtæ propoſitiones cõdemnatæ ſint vt falſæ? 10.
Quæſt. VII. Conferuntur inter ſe harum theſium damnatio, atque prohibitio. 14.
Queſt. VIII. Qua poteſtate, ſeu auctoritate vtantur Summi Præſules in his decretis? 18.
Quæſt. IX. Vtrùm decreta iſta orta fuerint ex ſola legislativa poteſtate? 19.
Quæſt. X. An iſtiuſmodi decreta vt merè declarativa poſſint eſſe leges propriè tales? 22.
Quæſt. XI. An, & quomodo condemnatio iſtarum theſium ad præterita extendatur? 24.
Quæſt. XII. Quid tandem ſit iſtiuſmodi condemnatio, & quomodo cõparetur ad eam, qua Clemens VIII. confeſſionem in abſentia factam reprobavit? 27.
Quæſt. XIII. Vtrùm Pontifex errare poſſit in his cenſuris ferendis, approbando tanquam licitum aliquid iuri Divino, vel naturali cõtrarium? 29.
Quæſt. XIV. Quanta certitudine tenendum ſit, Pontificem non errare in his cenſuris, neque in prohibitionibus, præceptis que adiunctis? 32.
Quæſt. XV. Vtrùm prædicta decreta ab alijs ſaltem Pontificibus retractari valeant? 38.
Quæſt. XVI. Vtrùm Pontifices circa decreta morum aliquando diſſenſerint, vel aliorum reſponſa revocaverint? 41.
Quæſt. XVII. Quibus ſignis colligatur, quæ decreta ſint de fide, quæ autem minùs certa, & quouſque nonnulla falſitas in eis poſſit inveniri? 43.
Quæſt. XVIII. Vtrùm hæc decreta facta ſint ex Cathedra? 46.
Quæſt. XIX. Quo titulo, quanta què infallibilitate emanaverint ex Cathedra Apoſtolica hęc decreta? 49.
Quæſt. XX. Quo genere peccati delinquat, qui tradit, aut docet propoſitiones ab his Pontificibus dãnatas? 57.

DISSERTATIO IJ.

Circa primam propoſitionem ab Innocentio damnatam.

CAput primum. Legitimus propoſitionis ſenſus. 58.
Cap. II. Propoſitionem exhibitam iure optimo eſſe damnatam propter diminutam exceptionem, quæ in priori parte illius continetur. 62.
Cap. III. Proponuntur alij caſus certò illici-

illiciti ob periculum,& nullatenus exceptí in assertione prohibita. 66.
Cap. IV. De Ecclesiæ consuetudine, & alijs exceptionibus in propositione damnata immeritò prætermissis. 69.
Cap. V. De vsu opinionis probabilis circa valorem Baptismi, Sacerdotij, vel Episcopatus. 72.
Cap. VI. Quando liceat conferenti Sacramenta sequi opinionem probabilem circa valorem ipsorum, & tutiorem relinquere? 76.
Cap. VII. Num, stante hoc decreto, liceat vti opinione probabili circa iurisdictionem,& alia, quæ ad valorem Sacramenti ex dispositione Ecclesiæ requiruntur? 80.
Cap. VIII. Nostrum iudicium. 83.
Cap. IX. Concluditur, non omnia, quæ in hoc genere putari possunt illicita, esse prohibita, aut damnata vi Pontificij decreti. 89.

DISSERTATIO IIJ.

De opinione Iudicis.

CAp. I. Status quæstionis ante decretum Innocentij. 90.
Cap. II. Status quæstionis post decretum Innocentij. 94.
Cap. III. An contra decretum Pontificium proposita argumenta retorqueri valeant? 98.
Cap. IV. Etsi cætera sint paria, & quæstio solius iuris, adhuc probabile non est, iudices posse liberè, ac licitè lites decidere secundum opinionẽ minùs probabilem. 100.
Cap. V. Refellendo contraria fundamenta censura Pontificia comprobatur: vbi de opinionibus pœnitentis,& Confessarij. 104.
Cap. VI. Variæ quæstiones ad vberiorẽ lucẽ decreti Pontificij. 107.
Cap. VII. Quovsque iudicibus liceat iudicare ex opinione aliena, & quomodo in isto casu propriam deponere debeant? 111.
Cap. VIII. Vtrùm in favorem matrimonij liceat iudici, relicta probabiliori opinione, iudicare secundum minùs probabilem? 114.
Cap. IX. De iudice circa valorem matrimonij odiosi Ecclesiæ. 122.

DISSERTATIO IV.

De tenui probabilitate ad propositionem tertiam Innocentij.

CAp. I. Præcipuus propositionis sensus, & iusta illius confixio demonstratur. 127.
Cap. II. An quisquis tenui aliqua probabilitate, sive extrinseca, sive intrinseca, confisus aliquid agit, semper prudenter agat? 132.
Cap. III. Quando,& quomodo inter tenues numerari debeant probabilitas minima, dubia, aut opinabilis? 136.
Cap. IV. Continuatio, vbi de tenui assensu. 140.
Cap. V. De opinione probabiliter probabili. 143.
Cap. VI. Quali,& quanta certitudine opinionum probabilitas constare debeat, vt ei fidere possimus, & quomodo haberi valeat? 146.

DISSERTATIO V.

Circa propositionem quartam Innocentij.

CAp. I. Exhibetur propositio dãnata, & eius Auctor, ac sensus, & ex Angelico Doctore profligatur. 151.
Cap. II. Propositionem damnatam, quoad suppositum scandalosam esse,& pernicioſam in praxi. 153.
Cap. III. Vtrùm infidelis, cui proponitur fides vera tanquam manifestè

ſeſtè probabilior omnibus ſectis contrarijs, ab infidelitate excuſetur, ſi ſtatim non credat, ſed in ſua ſecta permaneat? 156.
Cap. IV. Notitiam revelationis Divinæ probabilem, ac formidoloſam non ſufficere ad credendum fide ſalutari, ac Theologica. 162.
Cap. V. Vtrùm liceat in materia fidei ſequi quamcumque ex contrarijs opinionibus certò probabilibus? 166.
Cap. VI. Obiectio pro obligatione ſequendi hac in re tutiorem partem, & vberior prædictorum confirmatio. 171.

DISSERTATIO VI.

De præcepto affirmativo diligendi Deum.

CAp. I. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret? 177.
Cap. II. An præceptum Divinæ dilectionis per ſe obliget, ſaltem quinto quoque anno? 180.
Cap. III. Quo primùm tempore, vel circumſtantijs obliget præceptum iſtud? 183.
Cap. IV. De obligatione diligendi Deum in periculo, aut extremo vitæ. 185.
Cap. V. An præceptum charitatis erga Deum tunc ſolùm obliget, quãdo tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſimus? 190.
Cap. VI. Vindicantur Azorius, & Tamburinus. 194.

DISSERTATIO VII.

De vſu cibi, atque coniugij ob ſolam delectationem.

CAp. I. Iuſta confixio propoſitionis octavæ. 196.
Cap. II. Vtrùm opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs culpa careat? 200.
Cap. III. Qua temperantiæ menſura diſcernendus ſit vſus coniugij honeſtus à vitioſo, ſeu moderatus ab immoderato? 205.
Cap. IV. Vtrùm opus coniugij, alioqui honeſtum, aut licitum, vitietur, ſi ab operante propter ſolam voluptatem de facto exerceatur? 208.

DISSERTATIO VIII.

De dilectione proximi.

CAp. I. An detur præceptum diligendi proximum actu interno, & formali, vel ſatis ſint ſoli externi? 214.
Cap. II. Variæ quæſtiones ad vberiorem claritatem prædictorum. 219.
Cap. III. Perficitur totus diſcurſus. 224.
Cap. IV. De charitate exercenda circa proximum per eleemoſynas collatas ex ſuperfluo ſtatus. 227.

DISSERTATIO IX.

De odio vitæ proximi.

CAp. I. An liceat alterius mortem optare, vel de ea gaudere obtemporale aliquod emolumentũ inde à nobis reportandũ? 235.
Cap. II. Quando liceat mortem alterius optare? 239.
Cap. III. An ſit peccatum mortale triſtari de vita alterius, aut de illius morte naturali gaudere, vel eam petere, & deſiderare non ex odio, ſed ob aliquod temporale emolumentum? 242.
Cap. IV. Vtrùm ſit licitum filio gaudere de parricidio parentis à ſe inebrietate perpetrato propter in-

gentes divitias inde ex hæreditate consequutas? 247.
Cap. V. Dissolvuntur argumenta cõtra doctrinam propositam. 250.
Cap. VI. Quando liceat propriã mortem petere, aut desiderare? 256.
Cap. VII. De desiderio, aut petitione mortis ob leves afflictiones, aut calamitates. 260.

DISSERTATIO X.

De præceptis Fidei.

CAp. I. Vtrùm Fides cadat sub præceptum speciale, & secundum se? 264.
Cap. II. An sit satis actum Fidei semel in vita elicere? 269.
Cap. III. De præcepto non tacendi, sed confitendi suam Fidem, si à potestate publica quis interrogetur. 274.
Cap. IV. Argumẽta contraria dispelluntur. 278.

DISSERTATIO XI.

De certitudine Fidei.

CAp. I. Vtrùm voluntas possit efficere, vt assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium? 281.
Cap. II. An possit aliquis prudenter repudiare assensum supernaturalem, quem habebat? 285.
Cap. III. Vtrùm assensus Fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stet cum notitia solùm probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus? 289.
Cap. IV. Vberior prædictorum confirmatio. 292.

DISSERTATIO XIJ.

De necessitate Fidei.

CAp. I. An Fides explicita Dei vt remuneratoris necessaria sit necessitate medij ad gratiam iustificationis proprijs actibus in hac vita comparandam? 295.
Cap. II. Authores, & argumenta. 299.
Cap. III. Solutio mihi verior, & exactior. 302.
Cap. IV. De necessitate Fidei strictæ ad iustificationem. 305.

DISSERTATIO XIIJ.

De mendaci, & ficto iuramento.

CAp. I. An sit peccatum mortale Deum invocare in testem mẽdacij levis? 309.
Cap. II. Quare in iuramentis promissorijs rei illicitæ detur parvitas materiæ; non autem in assertorijs mendacijs? 312.
Cap. III. Vtrùm cum causâ licitum sit iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis? 317.
Cap. IV. Quantæ gravitatis peccatum sit iurare falsum absque intentione iurandi? 319.
Cap. V. Quale peccatum sit iurare verum absque intentione iurandi? 321.
Cap. VI. Dubia quædam circa sensum damnationis Pontificiæ. 323.

DISSERTATIO XIV.

De loquutionibus adiecta mentis restrictione veris.

CAp. I. Adducitur propositio cum aliquibus præambulis ad eius intelligentiam. 327.
Cap. II. An solùm damnatæ sint restrictiones, quæ adduntur verbo

non

non feci; præservatę verò à damnatione, quæ adduntur verbis *nescio*, vel *non memini*? 329.
Cap.III. Prædictam propositionem meritò damnatam esse propter illud verbum, *sive quocumque alio fine*. 331.
Cap.IV. Num thesis proposita ideò damnari meruerit, quia supponit, restrictiones mentales nunquam esse illicitas, nisi ex fine, aut circũstantijs pravis? 335.
Cap.V. Vtrùm restrictiones merè voluntariæ sint peccata opposita virtuti veracitatis? 340.
Cap.VI. An mentiatur quisquis vtitur restrictionibus internis merè voluntarijs? 343.

DISSERTATIO XV.

An sit periurium iurare cum restrictione mentali?

CAp.I. De periurio, & falsitate necessaria ad ipsum. 348.
Cap.II. Quidnam consequenter affirmare debeant hi, qui censent, nomine periurij non significari nisi iuramentum falsum? 351.
Cap.III Colligitur ex dictis, thesim, de qua loquimur, meritò fuisse proscriptam propter ea, quæ de periurio tradit. 355.
Cap.IV. Iustam quoque damnationẽ fuisse, si vox periurij sumatur pro iuramento deceptivo aliorũ. 358.
Cap.V. Quid sentiendum sit, si periurium in sua stricta, & rigorosa significatione sumatur? 360.

DISSERTATIO XVJ.

Vtrùm mentalis restrictio possit honestari ex causa?

CAp.I. Proponitur sententia affirmans. 363.
Cap.II. Varijs argumentis ab auctoritate ostenditur, adhuc esse probabile, restrictiones mentales ex idonea, ac gravi causa licitè posse exerceri in casu necessitatis sine intentione fallendi. 366.
Cap.III. Quæ rationes persuadeant, ex causa idonea esse licitum vti verbis, quæ verificantur propter restrictionem tacitam? 370.
Cap.IV. Proponitur sentẽtia negans, & expenditur, quo differat ab affirmante. 373.
Cap.V. Qua ratione restrictio purè mentalis adhibita ex causa idonea excusari possit à mendacio? 378.
Cap.VI. An semper mentiatur quisquis dicta sua verificare contendit per restrictionem mentalem? 382.
Cap.VII. Cur mendacium nulla ex causa liceat; secùs autem loquutio verificata per restrictionem tacitam, occultè ve prolatam? 385.
Cap.VIII. Vtrùm supradictis obstet condemnatio Pontificia? 390.

DISSERTATIO XVIJ.

De causa reddente licitum vsum restrictionum mentalium.

CAp.I. Ostenditur, non causam pro causa in hoc puncto sępius assignatam esse. 393.
Cap.II. Quænam causa idonea, atque sufficiens reputari debeat ad praxim licitam restrictionum occultarum? 396.
Cap.III. Miscellanea quæstionũ. 398.

DISSERTATIO XVIIJ.

De illicito restrictionis vsu in iuramentis iudicialibus.

CAp. I. Vtrùm Magistratus munere, aut commendatione promoti id fateri teneantur iudici exigenti

exigenti ab ipsis iuramentũ? 403.
Cap.II. Quousque liceat occulta cõmendatione, vel munere ad Magistratum promotis, & iuramento compulsis crimen suum non manifestare? 406.
Cap.III. An in nostro casu ad mẽtem iudicis respondere teneantur, qui ex vi sui criminis non sunt inhabiles ante sententiam iudicis? 409.
Cap.IV. Illationes ad pleniorem prędictorum lucem. 412.
Cap.V. Aliæ illationes spectantes ad illos, qui interrogati iuridicè negant crimina inhabilitantia. 415.
Cap.VI. Expenditur invectiva quædam adversus Card. de Lugo valde immerenter prolata. 418.
Cap.VII. Enodantur argumenta: & ibi, vtrùm possit dari bellum ab vtraque parte iustum inter Iudicẽ, & reum ob opiniones contrarias? 423.

DISSERTATIO XIX.

De simulata administratione Sacramentorum.

CAp. I. An vrgens metus gravis sit causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi? 429.
Cap.II. Vtrùm aliquando liceat simulare in Sacramentis proferendo verba formæ absque intentione ad illorum valorem necessaria? 433.
Cap.III. An aliquando metus gravis faciat licitam simulationem in Sacramento matrimonij administrando? 438.
Cap.IV. Vter plus peccet, qui ex metu irritante simulat, se habere intẽtionem celebrandi matrimonium; an is, qui verè illam habet? 441.
Cap.V. An in Sacramentis liceat ratione metus, vel alterius causæ gravis vti verbis formæ in sensu æquivoco, aut occulta restrictione limitatis? 444.
Cap.VI. Vtrùm aliquando liceat simulare in Eucharistia, porrigendo hostiam non consecratam pro consecrata? 450.
Cap. VII. Argumentis Sancti Thomę monstratur vera conclusio. 453.
Cap. VIII. De Sacerdote, qui simulat, se præbere hostiam cõsecratam peccatori occulto, & nullam præbet, vt infamiam eius, & sacrilegam communionem deviter. 456.
Cap.IX. Execrandæ duæ simulationes spectantes ad Officium Sanctæ Inquisitionis. 461.
Cap.X. Regulæ practicæ circa obligationem denuntiandi Confessarios solicitantes, qui simulant confessionem extra occasionem ipsius. 465.

DISSERTATIO XX.

De homicidijs palliatis.

Cap.I. An liceat alios occidere ad præoccupandam calumniam, vel recuperandum honorem amissum alapâ, vel ictu arundinis? 471.
Cap. II. Vtrùm liceat interfectio illius, qui fugit, postquàm impegit alapam, aut fuste percussit? 477.
Cap. III. Obiectiones ex honore mundiali. 480.
Cap.IV. Vtrùm regulariter sit licitũ occidere furem pro conservatione vnius aurei? 485.
Cap.V. De defensione occisiva eorum, qui nobis impediunt assecutionem bonorum, ad quæ ius, aut spem habemus. 490.
Cap.VI. De spe necessariorum ad vitandam mortem, aut aliud quidpiam morti æquiparatum. 494.
Cap.VII. Vtrùm mors alterius directè amari possit in supradictis eventibus? 496.

DISSERTATIO XXI.

De abortu fœtus inanimati.

CAp. I. Vtrùm liceat procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur? 499.
Cap. II Illicitum esse abigere fœtum inanimatum, quamvis aliter vitari nequeat occisio, aut infamia matris. 502.
Cap. III. Enodantur argumenta opinationis contrariæ: & ibi, an metus infamiæ æquiparari valeat metui mortis? 505.
Cap. IV. Vtrùm impedire liceat cõceptionem, aut animationem fœtus ad matrem præservandam à morte imminente ex morbo, vel difficultate partus? 509.
Cap. V. Occurritur secundæ paritati præcedenti capite propositæ. 513.
Cap. VI. Fit satis duabus alijs paritatibus. 516.

DISSERTATIO XXIJ.

De animatione fœtus intra vterum.

CAp. I. Quinam sentiant, fœtum, quamdiu in vtero est, non informari animâ rationali sibi propria, & quibus argumentis id suaderi valeat? 520.
Cap. II. Statuitur, sententiam propositam esse scandalosam vt minimũ, & pernicioſam in praxi. 523.
Cap. III. Enodantur rationes dubitandi. 528.
Cap. IV. Scandalosè quoque dictum esse, in nullo abortu homicidium committi. 532.
Cap. V. Vtrùm probabiliter dicatur, in omni abortu homicidium perpetrari, & irregularitatem incurri? 535.
Cap. VI. De irregularitate causantis abortum, cùm dubitatur, vtrùm fœtus fuerit animatus? 540.

DISSERTATIO XXIIJ.

De furtis pauperum.

CAp. I. An permissum sit furari in necessitate gravi, vel extrema? 543.
Cap. II. Quibus circumstantijs opus sit, vt absque furto auferatur res aliena ratione necessitatis? 547.
Cap. III. Obiectiones. 550.
Cap IV. Quæ necessitates in particulari auferant rationem furti? 553.
Cap. V. Illationes. 555.
Cap. VI. Quovsque restituere teneatur, qui debuit, ac noluit indigenti subvenire? 558.

DISSERTATIO XXIV.

De occultis compensationibus famulorum.

CAp. I. Affertur thesis damnata, & demonstratur, sanctissimè factum esse. 560.
Cap. II. Quatenus se occultè compensare possint famuli inservientes certa mercede sibi constituta? 563.
Cap. III. An qui vi, aut necessitate adactus pro inæquali mercede famulatur, occulta compensatione possit supplere defectum? 568.
Cap. IV. Enodantur argumenta. 570.
Cap. V. De inæquali Missarum stipendio, eiusque compensatione occulta. 574.
Cap. VI. Quæstio incidens circa facultatem sese compensandi occultè ex stipendijs Missarum pro alijs debitis contractis priùs. 578.
Cap. VII. Illatio pro Confessarijs circa occultas compensationes sartorum, similiumque officialium. 582.


Cap.

Cap. VIII. An famulis, alijsque operarijs sufficiat ad compensationem occultam iudicium merè probabile de inæqualitate suæ mercedis? 585.
Cap. IX. De tacita compensatione debiti probabilis ex vna parte, & ex alia merè dubij. 591.
Cap. X. Opiniones contrariæ proponuntur, & illarum argumenta profligantur. 594.
Cap. XI. Monstratur, occultam compensationem ex vi debiti probabilis, etiam pro medietate illius, esse illicitam. 598.

DISSERTATIO XXV.

De furtis minutis, eorumque restitutione.

Cap. I. Proponitur thesis damnata, & multiplex lectio illius. 602.
Cap. II. Meritò thesim assertam gravi censura esse inustam ob suam generalitatem. 604.
Cap. III. Obliquam esse eorum regulam, qui ex delicto non agnoscunt sine peccato mortali obligationem gravem restituendi. 609.



INDEX
RERVM NOTABILIVM,
quæ in hoc opere continentur.

Littera Q. *significat Quæstiones Proœmiales.* D. *Dissertationem.* C. *Caput.* & N. *Numerum marginalem.*

A.

Abortus fœtus inanimati definitur. D. 21. c. 1. n. 2. & 3. Quo sensu prohibeatur à Pontifice? ibi. à n. 4. Licitus non est ad evitandam occisionē, vel infamiā matris. ibi. c. 2. An liceat ad evitandam mortem ex superveniente morbo? ibi. c. 1. n. 5. & c. 4. à n. 34. Non licet ob expertum in partu periculum, sicut nec sterilizatio. ibi. c. 5. Nec item abortus, aut eiectio feminis violenter suscepti. ibi. c. 6. In gravi periculo abortus non licet copula coniugatis. ibi. n. 50. Removētur circa hoc scrupuli. ibi. n. 52. Quid si patris vita periclitetur? ibi. n. 53. In abortu frequens homicidium. D. 22. c. 4. An semper? ibi. c. 5. Illum procuranti quæ pœna decernatur in lege? ibi. c. 2. n. 11. Parētes dant pœnas parricidij. ibi. c. 4. n. 39. Cur iure Digestorum exilio solo mulctentur? ibi. n. 39. Fœtûs animati reservatus intelligitur, homicidio reservato. ibi. n. 37. An in dubio animationis fœtûs incurratur irregularitas? ibi. c. 6.

Absolutio cum opinione probabili an liceat? D. 2. c. 7. Ea licet. ibi. c. 8. vsque ad n. 75. & n. 81.

Actus efficax quomodo distinguatur ab inefficaci? D. 9. c. 4 à n. 34. Actibus externorum sensuum sæpe illicitum frui. D. 7. c. 1. Actus coniugij quando licitus, vel illicitus? ibi. c. 2. 3. & 4. Quando item actus aliorum sensuum? ibid. n. 47. Actum fidei semel in vita elicere non sufficit. D. 10. c. 2.

Affectio pia voluntatis ad fidem quomodo constans, & invicta? D. 11. c. 1. n. 10.

Ambiguitas an aliquando liceat interrogato de nostra fide? D. 10. c. 4. n. 41. Ambiguitas, & æquivocus sensus an liceat aliquando in administratione Sacramentorum? D. 19. c. 5.

Amor Dei an semel tantùm in vita præcipiatur? D. 6. c. 1. vide *Præceptum.*

Amor amicitiæ erga Deum plus ex parte obiecti requirit, quàm summam eius bonitatem. D. 12. c. 3. n. 20. Quid requirat amor benevolentiæ? ibi. n. 21. Qualis amor complacentiæ requiratur ad iustificationem? ibid. Ad amorem charitatis erga Deum esset necessaria fides remunerationis, etsi nō requireretur actus Spei Theologicæ. ibi. n. 25. Amor licitus finis an illico licitum reddat amorem vnici medij? D. 20. c. 7. n. 68.

Amphibologia illicita, cùm ex ea prævidetur inducendus error. D. 14. c. 4. n. 36. vide *Restrictio.*

Angelorum custodia quando incipiat? D. 22. c. 3. n. 32.

Anima non potest informare duas materias adæquatas. D. 22. c. 2. n. 20. An infundatur in primo conceptionis instanti? ibi. c. 5.

Apostata charitatis habitum sine habitu fidei retinere posset, aut saltē esse fidelis, & iustus, si posset assensum fidei prudenter repudiare. D. 11. c. 2. n. 15.

Approbationes, & reprobationes doctrinarum. Q.19.à n.135.

Assensus fidei. vide *Fides.*

Attritio cum Sacramento in lege gratiæ contritionis loco subrogatur. D.6.c.4.n.28.

Azor vindicatus.D.6.c.6.

B.

Bannitos occidere an aliquando liceat privatis, aut illorum filijs? D.9. c.4.n.36.

Baptismus parvulis nondum natis ministrãdus. D.22.c.3.n.24. Non sufficit vnus pro matre,& eius prole.ibi. n.26. Cur informi amoto fœtui non administretur? ibi.c.5.n.45.

Baunius ab impostura vindicatus. D.13.c.1.n.1.

Bellum an vtrimque possit esse iustum,& nominatim Iudicem inter,ac reum? D.18.c.7.

Bona Ecclesiasticorum remissivè. D.8.c.4.n.50.

C.

Cathedra,& loqui ex illa.Q.18.

Castro Palao vindicatur. D.8.c.4. n.38.

Causa dicendi vna est ex circumstantijs licitum reddentibus vsum restrictionis. D.16.c.4.n.33.

Censuræ doctrinarum variæ.Q.15. n.99.& q.19.n.137.

Certitudo in assensu fidei cum eiusdem intrinseca firmitate recurrit. D. 11.c.1.n.3. Moralem certitudinem inducere potest aliquando probabilis opinio.D.24.c.9.à n.86.

Christum D.in vtero Virginis hominem fuisse,quàm certum?D.22.c. 4.n.38.

Cibi,& potus mensura.D.7.c.1.

Circumstantiæ, quæ licitum reddunt vsum restrictionum mentalium. D.16.c.4.à n.33. Sensibiles non consignificant implicitè exercitiũ actuale loquẽdi cum restrictione. ibi.n.37.

Compensatio occulta quàm temerè relinquatur famulorum arbitrio. D.24.c.1. In eius vsu nulla formalis differentia inter famulos,& reliquos. ibi.n.9. An liceat, quãdo merces conventione, lege, vel vsu taxata est? ibi. c. 2. Iustitia mercedis vnde sumenda? ibi.à n.13. An liceat compensatio illi,qui vi,vel necessitate cõpulsus mercede certò inæquali servit? ibi.c.3. Ad quem iusti pretij gradum tunc perringi possit? ibi.à n.28. Qua cessione stipendij reddatur iniusta? ibi.& c.4. An liceat Sacerdoti vi, aut necessitate compulso ad certũ Missarum numerum iniusto stipendio? ibi.c.5. An licitè tunc fiat,detrahendo è numero Missarum,etiã post Vrbani decretum? ibi.à n.43. Potest aliquando esse illicita, etsi non sit contra iustitiam.ibi.n.50. Quod frequentius accidet in reductione Missarum.ibi.n.51. Non licet ex stipendio Missarum pro debitis anteà contractis.ibi.c.6. Quid si Sacerdos fictè contrahat? ibi.à n.58. Illicita Sartoribus ex panni, aut serici fragmentis. ibi.c.7.Ad eam non sufficit iudicium probabile. ibi.c.8. Imò nec probabilius.ibi.à n.77. Liquidum exigit debitum.ibi.c.10. Et alioqui ne ad medietatem quidem licita.ibi.c.11.Quid si creditoris opinio solùm habeat contra se dubium,aut improbabilem opinionem debitoris? ibi.c.9.

Coninck defenditur.D.8.c.4.n.38.

Confessarij,& pœnitentis opiniones.D.3.c.5. Confessarius interrogatus de peccato pœnitentis vti potest restrictione.D.16.c.3.n.19. Ob quam confessionis simulationem denuntiandus ad Sacrum Tribunal? D.19. c.9.& 10.

Coniux absens an licitè gaudeat de

de licita præterita copula, vel de habita ante coniugium? D.9. c.5. n.46. Quando licita, vel illicita copula cõiugibus? D.7. c.2. 3. & 4. An possit coniux debitum petere, vel reddere, cùm solùm adest opinio de nullitate probabilis; nulla verò de valore matrimonij? D.24.c.9.à n.90. vide *Debitum.*

Consuetudo, & lex comparantur. D.2.c.4.à n.36.

Contritio suppletur in lege gratiæ per attritionem cum Sacramento. D. 6. c.4. n.28. Existimatam requiri ad valorem Sacramenti, vt erroneum ab alijs taxatur. ibi. n.32. An habenda statim de peccato commisso, propter mortis periculum? n.33. An eius præcepto fiat satis per dilectionem Dei? D.8.c.2.n.16.

Credere ex toto corde, quid? D.11. c.4. n.35. Credibilitas fidei, iudicata evidens, & voluntati ad imperandum firmius, & intellectui deservit ad firmiùs iudicandum. ibi. c.2. n.18. vide *Fides.*

Culpa lata, levis, & levissima diversimodè à Iurisconsultis, ac à Theologis vsurpatur. D.25.c.3.n.26. Qualis inducat obligationem restituendi? ibi. n. 28.

D.

Damnatio, & prohibitio istarum propositionum non sunt actus diversi. Q.7. Damnatio propositionis vniversalis non est illico damnatio particularium omnium, quæ sub illa cõtinentur. D. 14. c. 1. n.5. Damnatio vnius casus non extenditur cum sua peculiari obligatione, & pœnis ad alios non certò similes. ibi. c.2.n.10.

Debitum licitè negatur, vbi mulier timet prudenter mortem, si concipiat. D. 21. c.4. n. 30. & c.5. n.42. Quid si vitæ discrimen in alijs partubus experta, transeat ad secundas nuptias? ibi. n.43. Sæpe reddendum debitum, etiam illi, qui peccat postulando. D.23.c.2.n.10.

Deceptio audientis potest ex causa permitti. D.16. c.3. n.27.

Decreta Alexandri, & Innocentij comparantur. Q.1. An sint decisiva? Q.5. Emanant à Pastorali potestate. Q.8. Procedunt à potestate non tantum legislativa, sed etiam declarativa. Q.9. Et sunt verè leges Iudicis controversiarum moralium. Q.10. Videntur non extendi ad præteritum. Q.11. Per se non extenduntur; sed iudicio præcedenti, & persuadenti scandalosas fuisse, aut fore doctrinas illas. Q.12. An ab alio Pontifice possint retractari? Q.15. & 16. Quæ, & qualiter decreta sint de fide? Q. 17. An ex Cathedra? Q.18. Et quidem vt innixa Deo non vt revelanti eas doctrinas, sed vt dirigenti Pontificem. Q.19. Decretis damnantibus satisfit per doctrinam contradictoriam. D.2. c.9.

Defensio. vide *Occisio.*

Delectatio quando bona, vel mala? D.7. c.3. n.34. & D.9.c.5.n.44.

Desiderare, quod alter careat dignitate, vel honore, an aliquando licitum? D.9.c.7.n.69. Desiderare dignitates an possit licitè, qui vovit eas non ambire? D. 9. c. 7. n. 70. vide *Mors. Gaudere. Pollutio.*

Dilectio Dei an semel tantùm in vita obliget? D. 6. c. 1.

Doctrina declarata vt probabilior an possit esse falsa? Q.6.n.32.& 33. An declaretur falsa, quæ temeraria, & erronea? n.34.& 35. Doctrinarum variæ censuræ. Q.15.n.99.& q.19.n.137. Doctrinas contrarias istis decretis docere, est peccatum scandali. Q.19. n. 142.

Dolus à propriâ quandoque significatione extrahitur. D. 19. c. 1. n. 12.

Domicilium pro matrimonio. D. 3. c. 8. à n. 77.

Dubium quomodo deponatur: & an tenui assensu? D. 4. c. 4. Speculativum, seù facti, seu iuris, inducit obligationem inquirendi. D. 22. c. 6. n. 56.

E.

Ecclesiasticorum bona. D. 8. c. 4. n. 50.

Eleemosyna quando, & ex quibus bonis largienda? D. 8. c. 4.

Error, & ignorantia invincibilis etiam circa fidem. D. 5. c. 6. à n. 67.

Escobar ab impostura liberatus. D. 6. c. 2.

Eucharistiæ administrationem simulare, porrigendo nō consecratam hostiam, nunquam licet. D. 19. c. 6. & 7. Quale id peccatum foret? ibi. n. 75. Licet aliquando nullam re ipsa dare, occultè subtrahendo hostiam. c. 8. at non semper. ibi. n. 84. Ea occultatio est debita, cùm licet Sacerdoti. ibi. n. 86. & 87. Simulata hostiæ ostensio. ibi à n. 90. Eucharistiæ simulata confectio maius peccatum, quàm simulata administratio. Ea D. 19. c. 6. à n. 66.

F.

Famulorum, & officiorum diversitas pro iusta mercede computanda. D. 24. c. 2. à n. 13. vide *Compensatio.*

Fidei non sufficit opinio revelationis. D. 5. c. 4. Nec componitur illa cum notitia solùm probabili Divinæ revelationis, aut cum formidine ne Deus non sit locutus. D. 11. c. 3. In materia fidei, & morum adsunt opiniones vtrimque licitè defensabiles. D. 5. c. 5. & 6. Imò quod probabiliter est de fide, potest in se tantùm esse probabilius, & falsum. ibi. n. 59. Eius assensus est magis in se firmus, quàm mereatur pondus rationum impellentium. D. 11. c. 1. Rationes istæ non includuntur in motivo fidei ibi. n. 5. vox *rationes* in propositione damnata facere potest sensum exclusivum. ibi. n. 11. Præhabitus eius assensus non potest repudiari prudenter. D. 11. c. 2. Si esset discursiva formaliter, præsupponeret assensum omnino certum Divinæ revelationis. ibi. c. 3. n. 25. Attingit non tantùm veritatem revelatam; sed & ipsam revelationem. ibi. n. 26. Quā formidinem excludat? ibi. c. 4. n. 33. & 34. Explicita Dei vt remuneratoris necessaria necessitate medij. D. 12. c. 1. Hæc non continetur implicitè in explicita Dei, vt vnus est. c. 2. n. 15. Fides Dei summi boni non sufficit ad amorem amicitiæ. c. 3. n. 20. An ad amorē benevolentiæ? ibi. n. 21. Fides remuneratoris est necessaria ad propositū suscipiendi Sacramentum. ibi. n. 24. Esset ad salutem necessaria, licet non requireretur actus Spei Theologicæ. ibi à n. 25. Fides lata, & stricta. D. 12. c. 4. n. 27. Neutra se sola sufficit ad iustificationem. ibi. n. 29. & 32. Remuneratoris, supernaturalis quovis tempore fuit ad salutem necessaria. ibi. n. 34. Fidem exteriùs negare cum restrictione purè interna, duplex delictum. D. 14. c. 6. n. 54. An eam fateri debeat interrogatus à potestate publicâ? D. 10. c. 3. Quid si à privatâ? ibi. n. 34. An fugere liceat? ibi. n. 42. vide *Infidelis. Præceptum.*

Finem vltimum in creatura ponere quis dicatur? D. 7. c. 2. n. 22.

Firmitas in assensu fidei duplex. D. 11. c. 1. n. 2. Intrinseca cum certitudine recurrit. ibi. n. 3.

Fœtus non est pars matris ad huius commodum, aut conservationem destinata. D. 21. c. 3. n. 20. Non est iniustus aggressor, licet ex illo matri mors immineat. ibi. c. 3. n. 41. Ante nativitatem animari, certum. D. 22. c. 2.

Non

Non animatur in primo conceptionis momento. ibi. c. 5. Quo tempore? ibi. n. 49. vide *Abortus.*

Formido de revelationis existentia non componitur cum fide supernaturali mysterij D. 11. c. 3.

Formido duplex, & quam earum fides excludat? ibi. c. 4. n. 33. & 34.

Furtum nulla necessitate licitum; etsi in aliqua liceat acceptio rei alienæ. D. 23. c. 1. Quid importet ex conceptu suo? ibi. n. 5. Vt alienæ rei contrectatio non sit furtum, supponi debet in eius domino obligatio dandi illam. ibi. c. 2. Et non quæcumque, sed iustitiæ. ibi. à n. 9. vide *Necessitas.* Furta minuta quando inducant obligationem gravem restituendi? Fur. vide *Occisio.*

G.

Gaudere de parricidio à se in ebrietate commisso, an liceat filio propter inde consequutas ingentes divitias? D. 9. c. 4. An liceat gaudere de operibus materialiter malis in somno, ebrietate, aut ignoranter factis? ibi. n. 37.

Gaudere, aut desiderare pollutionem absque periculo venereæ delectationis? ibi. n. 43. De transgressione ieiunij ignoranter facta? ibi. n. 46. De congressu honesto, an coniugi absenti, vel viduis? ibid.

Gaudere in effectu, & non in causa. ibi. à n. 49.

H.

Hæres. An licitè possit occidere impedientem additionem iniustè? D. 20. c. 5. & 6. Institutus in testamento solemnitate carente an possit vti occulta compensatione? D. 24. c. 10. à n. 95. An ex eo testamento iure naturali debeatur hæreditas? ibi. n. 99.

Hæretici fidem non detrectant, quia de veracitate Dei, sed quia de eius loquutione formidant. D. 11. c. 3. n. 26. Hæreticus esset, qui formidinem haberet actualem circa res fidei, aut iudicaret eas esse duntaxat probabiles. ibi. c. 4. n. 31.

Homicidium in abortu sæpè committitur. D. 22. c. 4. An in omni? ibi. c. 5. Quo tempore committatur à die conceptionis? ibi. n. 52. vide *Occisio.*

Honor ablatus ab impingente alapam non recuperatur occisione eiusdem iam fugientis. D. 20. c. 3.

I.

Idololatriæ culpam an committat, qui ex condicto cum Sacerdote non consecratam hostiam sumit? D. 19. c. 7. n. 71. Quid de circumstantibus, qui pactum ignorant? ibi. n. 73. Occasionem dare materialis idololatriæ quale peccatum? ibi. n. 75.

S. Ignatij exercitia. Q. 19. n. 136.

Indifferentia, quæ? D. 9. c. 7. n. 65.

Infamia rectè ne cum morte comparetur? D. 21. c. 3. n. 23.

Infidelis quibus sensibus dici potuerit excusari opinione minùs probabili? D. 5. c. 1. Ea propositio supponit falsum. ibi. c. 2. Maximè circa apostatas. ibi. n. 15. & iterùm. c. 3. Tenetur inquirere veritatem. ibi. à n. 23. Excusari potest, non opinione probabili, sed impossibilitate credendi. ibi. à n. 29.

Invidia an, & quando mortale peccatum? D. 9. c. 3. n. 26. & 28.

Irregularitas probabilis. D. 3. c. 2. n. 22. Contracta ex procurato abortu faciliùs in extraneis, quàm in patre dispensabilis. D. 22. c. 4. n. 41. An contrahatur in dubio de animatione fœtus? ibi. c. 6.

Iudex in quæstione facti sequatur pro-

probabilius. D.3.c.1. Et etiam iuris ſolius. ibi.à n.6. Et ſaltem praxi, ac conſuetudini minor probabilitas cedere debuit.ibi.c.2.Quid in cauſis favorabilibus? n.19. & ſequentibus, & iterum c. 3. Ei iam nunquam licebit iudicare ex opinione minùs probabili. ibi. c. 4. An liceat cum exiguo probabilitatis exceſſu? ibi. c.6. n.52. Quid ſi opinio communis videatur minùs probabilis? ibi. à n.53. ad 62. An liceat opinio aliena? ibi.c.7 Quid de ſententijs interloquutorijs? ibi. n.69.

Iuramentum aſſertorium mendacij, etiam leviſſimi, mortale peccatum. D.13. c.1. Promiſſorium, ſeu comminatorium rei venialiter malæ (modò adſit animus implendi) non eſt peccatum grave.ibi à n.9.Cur hęc præ aſſertorio materiæ parvitatem admittant? ibi.c.2. Rei malæ, ſi fiat ſine animo implendi, vnum eſt peccatum, & grave ſemper; ſi cum animo,duplex;at non ſemper grave.ibi. n.19. Vrbanitatis, puritionis filiorum,&c.quando ſit grave? ibi.à n.20. In aſſertorio falſo levitas peccati ob parvitatem periculi iurandi falſum. ibi. n.22. Non ſufficit prudens, aut probabile iudicium de rei exiſtentia. ibi. n.23. Iurare ſine animo iurandi, ſemper illicitum. ibi. c.3. Si falſum, grave. ibi.4. (Minùs tamen, quàm ſi cum animo.ibi. n.31.) Si verum, ſæpè grave,ſæpe etiam leve. ibi. c.5. Nec damnatio propoſitionis 25.reſtringẽda ad iuramentum aſſertorium falſum. ibi. c. 6. n. 42. Sine animo non licet vti verbis illis, quæ verum conſtituerent iuramentum,ſi adeſſet animus. ibi.n.44. Quid de verbis, quæ communiter non accipiuntur, vt iuramentum? ibi.n.46. Quomodo dignoſcantur hæc verba? ibi.n.47. Iurare cum reſtrictione purè internâ num ſemper illicitum? D. 14. per totam. Si reſtrictio adhibeatur animo decipiendi, periurium eſt. ibi. c.3. & D. 15. c. 4. Iuramentum eſſe poteſt contra Religionem, etſi veritatem confirmet. D.15.c.1.à n.3. Promiſſorium non adimplens, dat pœnas periuri. ibi. n.7. Voluntaria tantùm reſtrictione verum maiorem habet ſpeciem mendacij, quàm promiſſorium rei illicitæ. ibi. c.2.à n.20. Quot nominibus illicitum iuramentum ſolâ reſtrictione voluntariâ verum? ibi.c. 3. Iurare ob ſolam voluptatem, illicitum. D.7.c.2.n.19.

Iuriſdictionis opinio an certam reddat abſolutionem? D.2.c.7.& 8.

Ius ad rem an licitam reddat occiſionem impedientis aſſequutionem iniuſtè? D.20.c.5.

Iuſtificatio qualem amorem complacentiæ poſtulet? D.12.c.3.n.21.

L.

Lex prohibens aliquid intrinſecè turpe, quatenus obliget? D. 19. c. 2. n. 22.

Licentia debita ſæpe præſumptam inducit,ad excuſandum,ſeu Religioſum à proprietate, ſeu quemlibet à furto. D.23.c.5.n.33.

M.

Matrimonium an,& qua opinione valere defendatur? D.3.c.7. Praxis in iudicando.ibi.c.8.n.76. Nihil in hoc vel dubia prodeſt, vel tenuis probabilitas. ibi. à n.77. Prævalet eius favor in pari cauſa, vel imparitatis dubio.ibi.n.83. Odioſum Eccleſiæ cum rigore iudicandum.ibi. c.9. Contractum culpabiliter ſine monitionibus quo ſenſu ſit clandeſtinum? ibi. à n. 98. An obliget ad debiti redditionem fœminam, quæ noverat, in primis nuptijs ſibi periculoſum fuiſſe? D.21.

D.21. c.5. à n.43. Simulata eius administratio quatenus excuſetur ob metum grauem? D. 19. c. 3. Sub eo metu præbens conſenſum abſolutũ, graviter peccat. ibi c.4.n.38. vide *Sacramentum. Simulatio.*

Mendacium in reſtrictione animo decipiendi. D. 13 c. 3. In facto ſæpe reperitur. ibi.n.17. In ſilentio. n.18. Non requirit directam intentionem decipiendi.n.19 Iocoſum quãdo peccatum?n.21. Non mentiendi,& non decipiendi diſtincta præcepta.ibi.c.4. n. 30. Mendacium non prohibetur inutiliter, etiam quando licet interna reſtrictio.D. 16.c.7.à n.61. Animum fallẽdi ſemper includit,ibi.n.46 Omnia ſunt eiuſdem rationis in ordine ad Diuinum teſtimonium. D.13.c.2. n. 14.

Merces famulorum vnde taxanda? D.24.c 2. Eius ceſſio ſæpe fraudulenta,ſæpe & Simoniaca.ibi.à n.13.

Metus gravis an iuſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi? D.19.c.1.& ſeqq. An adminiſtrãdi illa cum equivocatione? ibi.c.5 Potentior, quàm ſpes, ad faciendum involuntarium. D. 20.c.6.n.64. Mortis potentior etiam , quàm infamiæ. D.21.c. 3.n.23. Cadens in virum conſtantẽ,qualis?ibi.n.27. Metus in Cõfeſſario ſolicitato. D.19.c.10. à n.113.

Miſſarum reductio. vide *Compenſatio.*

Molina vindicatus ab impoſtura. D.20.c 4.n.49.

Montes pietatis certò liciti. Q.13.

Mors alterius an poſſit licitè deſiderari propter emolumentum temporale inde proveniens? D.9.c 1.& 3. An propter bonum ſpirituale? ibid.& c. 2. An quandoque poſſit amari directè? D.20.c.7. Propriam an aliquãdo deſiderare liceat? D.9.c.6. An ob leves calamitates? ibi.c.7. præſertim. n.67.Mortis,& infamiæ comparatio. D.21.c.3.

N.

Neceſſitas medij,& præcepti. D.12. c.1.n.3.

Nulla neceſſitas licitum reddit furtũ,etſi aliqua licitam faciat alicui contrectationem. D.23.c.1. Vt hæc liceat, ſupponi debet eius dominum eſſe obligatum ad rei datione.m. ibi. c.2. Et quidem ex iuſtitia. ibi. à n.9. An ſic obligetur Dominus in extrema?ibi.c.3. An etiam in valdè gravi? ibidem à n.19. Gravis,an æquipararetur aliquando extremæ ad excuſandũ à furto? ibi.c.4. Quam perfecta debeat eſſe ad excuſationem iſtam? ibi. c.5 n.10. Non ſuccurrens extremè indigenti an reſtituere teneatur?ibi.c.6. Neceſſitas emptoris,aut locatoris nõ minuit iuſtum pretium mercis, aut mercedis. D. 24.c.3.n.27.

O.

Occiſio an ex ſe indifferens? D.9. c.7.n.65 & 66. Non licet ob calumniam imminentem. D.20.c.1. Nec in aliquo raro caſu. ibi. à n.13. Neque dehonorantis,& iam fugientis.ibi.c.2 An fugiẽtis latronis?ibi.c.3.n.25. Illa nõ recuperatur honor.ibi.n.27. Qualem inducat irregularitatẽ? ibi. n. 36. Occiſio defendentis , aut continuantis iniuriam hîc non damnatur. ibi.n. 37. Non licet impedientis iniuſtè poſſeſſionem eorum , ad quæ vel ius habemus,vel habituros ſperamus. ibi.c. 5.& 6. Amicus defenditur. ibi.n.53. Furis pro defenſione vnius aurei regulariter illicita.ibi.c.4. Quid ſi fuerit magna ſumma , aut exigua ſummè neceſſaria?ibi.à n.42. Quid ſi fur cõtumeliam ſimul inferat? ibi. à n. 47. Occiſio , ſeu mors alterius quo ſenſu poſſit amari directè , vt medium defenſionis? D.20.c.7. Vincent. Baron. re-

reprehenditur. ibi. n. 70.

Opinio minùs probabilis circa ſectam. vide *Infidelis*. Opinio nunquam eſt probabilis contra fidei credibilitatem. D. 5. c. 3. & c. 5. n. 42. & 43. Etiã probabilior inſufficiens ad veram fidem. ibi. c. 3. à n. 21. Opiniones cõtrariæ, & vtrinque licitæ in materia fidei, & morum. D. 5. c. 5. & 6. Opinio probabilis an in mortis articulo ſufficiat? D. 6. c. 4. n. 31. De inæqualitate mercedis non reddit licitam compẽſationem occultam. D. 24. c. 8. Imò nec probabilior. ibi. à n. 69. Niſi quãdo rem facit moraliter certã. ibi. c. 9.

Orandi præceptum quando obliget? D. 6. c. 2. n. 14.

Originale peccatum contrahitur in vtero. D. 22. c. 2. n. 12. & c. 3. n. 29.

P.

Parere non dicitur illa, cui mortuæ filius exſectus eſt. D. 22. c. 2. n. 21.

Parricidium. vide *Gaudere*.

Particulæ *pro nunc, interim*. Q. 5. & q. 19. n. 141. & 142.

Parvuli ante partum animantur. D. 22. c. 2. Tunc originale cõtrahunt. ibi. n. 12. Martyrij palmam conſequũtur, matre in odium fidei occiſſa. ibi. n. 15. 16. Non animantur animâ matris à n. 18. Baptizari poſſunt nondum nati. ibi. c. 3. n. 24. Eorum curam an habere incipiat Angelus tutelaris? ibi. n. 32.

Periurij deordinatio non metienda ex deordinatione mendacij. D. 13. c. 1. n. 7. Periurium an ſemper committatur, quando verba mentaliter reſtringũtur. D. 14 & ſeqq. Latè ſumptum non ſemper confirmat mendacium. D. 15. c. 1. à n. 2. Sæpe tale eſt iuramentum aſſertorium, & ſi nec falſitas appareat, nec eius periculum. ibi. c. 2. à n. 16. Semper tale eſt iuramentũ ex animo decipiendi. ibi. c. 4. Periurus quomodo poſſit eſſe melioris conditionis, quàm peierare nolens? D. 18. c. 5. à n. 38.

Pernicioſa propoſitio. Q. 3.

Pollutionem deſiderare, vel de illa gaudere. D. 9. c. 5. n. 42.

Pontifex errare non poteſt in his cenſuris. Q. 13. Dat plenam certitudinem, ſed non fidei. Q. 14. Pontifices an, & quomodo aliquando diſſenſerint? Q. 16.

Poſſeſſio quoad aliqua certa, non iuvat quoad incerta. D. 18. c. 7. n. 68. Poſſeſſor bonæ fidei quouſque ius habeat ad poſſeſſionem tuendam? D. 24. c. 8. n. 64. & 80.

Præceptum diligendi proximum actu interno, & formali. D. 8. c. 1. Quo actu impleatur? c. 2. Quando impleri debeat? ibi. n. 20. Quinam ſint proximi? c. 3. n. 25. Præceptum ſpeciale fidei. D. 10. c. 1.

Pœnitendi. ibi. n. 3. Diligendi Deũ. D. 6. c. 5. n. 39. Hoc quando obliget? D. 6. c. 1. & c. 5. n. 42 (vbi de præceptis Fidei, & Spei.) An obliget intra quinquennium? D. 6. c. 2. Quo primùm tẽpore? c. 3. Excuſat ſæpe invincibilis ignorantia. ibi. n. 20. Non obligat ſtatim poſt peccatum. n. 22. Obligat in extremo vitæ periculo: nec ſufficit tunc attritio. ibi. c. 4. n. 26. Maximè, ſi de Sacramenti valore dubitatur. n. 30 & 35. Non ſolùm obligat, cùm tenemur iuſtificari, & alia via deficit. D. 6 c. 5. Iubet dilectionẽ Dei, non tantùm vt medium ad obſervanda alia præcepta; ſed etiam vt medium neceſſarium ad ſalutẽ. ibi. c. 3. n. 23. Non illi fit ſatis per actus aliarum virtutum. D. 6. c. 1. n. 8. Nec per amorem concupiſcentiæ, etiam cum affectu ſervandi omnia mandata. n. 9. An per dilectionem moraliter perſeverantẽ impleatur in mortis articulo? ibi. c. 4. n. 34.

Præceptum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ quoties obliget? D. 6. c. 1.

Probabilitas alterari potest. Q. 15. à n. 104. Tenuis, cui, & quo sensu ad praxim placuerit? D. 4. c. 1. Malè pro ea citantur Authores. n. 9. & 10. & c. 3. n. 29. & 30. Practica certa semper sufficit. c. 1. n. 11. & 12. Practica tenuis quid, & qualiter damnetur? c. 2. Tenuis improbabilitas. c. 3. n. 26. An sit tenuis probabilitas, quæ minima, vel dubia? c. 4. Et iterum, an probabilis, & an hæc praxi sufficiat? c. 5. Probabilitas quando certa? c. 6. Istius certitudinis signa. ibi. à n. 65. Etiam in opinionibus novis. ibi. à n. 67.

Probabilioritas tenuis. D. 4. c. 3. n. 24. Probabilior. ibi. c. 5. n. 55.

Propositiones scandalosæ. Q. 2. An hic damnatæ sint huiusmodi? Q. 4. Damnantur etiam vt falsæ. Q. 6.

R.

Religionum approbatio, & Sanctorum Canonizatio quàm certæ? Q. 13. n. 81. & 82. & Q. 14. n. 93.

Remuneratoris fides necessaria, necessitate medij. D. 12. c. 1. Quænam in ea contineantur? ibi. n. 5.

Restitutio magnæ quantitatis, minutis etiam furtis ablata, obligat sub mortali. D. 25. c. 2. Sive tota penes furem extet, sive consumpta sit. ibi. à n. 11. Quid si à pluribus casu fiat dānum grave per parva furta? à n. 14. Gravis obligatio restituendi etiam ex culpa levi: & variæ ad id regulæ. ibi. c. 3.

Restrictio purè interna. D. 14. Addita verbo *nescio* perinde, ac addita verbo *non feci*. c. 2. n. 10. Animo decipiendi concepta nec à mendacio potest, nec à periurio excusare. c. 3. à n. 12. Ex variis capitibus illicita c. 4. à n. 23. An ex se licita? ibi. n. 25. Voluntaria est cōtra veracitatem. c. 5. Et peccatum commissionis contra præceptum negatiuum huius virtutis. ibi. à n. 43. Fallacia dici debet potiùs, quàm mendacium. c. 6. Causa sufficiens ad eam occultandam non semper sufficit ad iurandum sub illa. D. 15. c. 3. n. 24. Non omnis, quæ aufert à restrictione mendacium, aufert & iniustitiam. ibi. n. 25. Ex aliqua tamen causa honestatur. D. 16. c. 1. 2. & 3. Negativa sententia quò differat ab affirmāte? c. 4. Restrictio externa sensu exceptibilis, sæpe inutilis. imperceptibilis non magis vtilis, quàm interna ad evitandum mendacium. ibi. n. 36. Restrictio interna quatenus excuset à mendacio? c. 5. & 6. Quod ea liceat, non infert, licere mendacium. c. 7. n. 61. An inter affirmativas, & negativas voces discrimē? ibi. n. 72. Non omnis restrictio subiacet Pontificiæ censuræ. c. 8. Causæ ad eam honestandam insufficientes. D. 17. c. 1. Sufficientes. c. 2. Exempla. ibi. à n. 14. An sufficiat sola interrogantis importunitas? c. 3. n. 17. An mutui peritio? ibi. n. 19. An cùm interrogans non facit iniuriam? ibi. à n. 20. An cùm hic ignorat, adesse iustam restrictionis causam? ibi. à n. 23. An respondendo ad mentem interrogantis? n. 25. An nullo interrogante? n. 27. Non licet promotis contra legem ad officium ex munere, vel commendatione. D. 18. c. 1. Etiam si delictum sit occultum. ibi. à n. 4. & c. 4. Si lex inhabilem ipso facto reddat. c. 2. Secùs, si requirat sententiam iudicis, & simul interrogatio fiat non promoto, sed promovendo. c. 3. Aut etiam, si fiat parato vel non acceptare, vel relinquere officium. c. 4. à n. 30. Quid si commendatio, vel munera non influant efficaciter in promotionem? ibid. Restrictio an, & quando liceat reo? ibi. à n. 24. & c. 6. & 7. An in administratione Sacramentorum, vrgente metu gravi? D. 19. c. 5.

Resurrectio parvulorum, qui mortui sunt in vtero, Theologicè certa. D. 22. c. 4. n. 34.

Revela-

Revelatio probabiliter tantùm proposita, & credita non sufficit ad fidē. D. 11. c. 3. Sufficienter proposita est iusta assentiendi ratio. n. 25. Credi debet cum veritate revelata. n. 26. In eam vltimò resolvitur fides. n. 27.

Reus quomodo respondeat? D. 18. c. 3. à n. 24. & c. 6. & 7. vide *Restrictio.*

S.

Sacerdos ad certum Missarum numerum vi, aut necessitate compulsus, quatenus vti possit compensatione? D. 24. c. 4. vide *Compensatio.*

Sacramenti administratio nō certa est peccatum, vt minimum contra charitatem. D. 2. c. 2. Imò contra iustitiam ibi. n. 16. An contra Religionē? n. 22. & c. 3. n. 30. & c. 6. n. 56. In hac materia periculum damni levis est peccatum leve. c. 3. Consuetudo attendenda. c. 4. Exceptiones aliæ faciēdæ, ibi. n. 40. Necessitas facit licitū vsum cum probabilitate, ac dubietate valoris. c. 5. & c. 6. n. 54. An aliquando liceat sine necessitate? n. 55. Licet sæpe vsus opinionis ex parte suscipientis. n. 56. Non licet (etsi damnatus hîc nō sit) in conficiendo. n. 62. Quisnam Sacramenti vsus prohibitioni oppositus, & vitandus? D. 2. c. 9. Sacramenti simulatio non excusatur ob metum gravem. D. 19. c. 1. Eius verba illicitè proferuntur absque intentione conficiendi. c. 2. n. 16. An liceat in Sacramento matrimonij ob metum gravē ad id incussum? c. 3. An tunc gravius sit non simulare, quàm simulare consensum? c. 4. Liceat ne tunc æquivocatio, vel restrictio? c. 5. Quid si Sacramenti administratio futura erat illicita, non tamen invalida? ibi. n. 59. vide *Eucharistia. Simulatio.*

Sartores an possint se occultè cōpensare panni, vel serici fragmentis? D. 24. c. 7.

Scandalum non datum, sed acceptum, vt in voluntate, sic & in intellectu. D. 14. c. 4. à n. 33.

Semen an licitè possit eijci à fœminâ per vim cognitâ? D. 21. c. 6. à n. 46.

Signum sensibile ex parte insensibili constare potest. D. 16. c. 5. n. 65.

Simplicitas à veracitate non distinguitur. D. 14. c. 5. n. 39.

Simulatio in administratione Sacramentorum non licet ob metum. D. 19. c. 1. Etsi adsit intentio conficiēdi Sacramentum ibi. c. 2. An in matrimonio? c. 3. An in casu metus irritantis peius sit simulare, quàm habere intentionem? c. 4. Simulatio Sacerdotij. c. 9. Hostiæ consecratæ. ibi. à n. 90. Confessionis, & quæ ad denuntiādum obliget? ibi. à n. 93.

Solicitatio, & simulatio in Confessario. D. 19. c. 9. à n. 97. Regulæ obligationis tunc denuntiandi. ibid. c. 10.

Spes veniæ quatenus ad iustificationem necessaria? D. 12. c. 3. n. 23. Spes retributionis haberi potest ex motivo amicitiæ. n. 26. Spes ad bona reddat ne licitam defensionem occisivam iniustè impedientis? D. 20. c. 5. à n. 54. & item c. 6.

Subditus an possit ex opinione probabili se tueri contra præceptum Superioris vtentis opposita probabili? D. 18. c. 7. à n. 61. Superflua bona quæ? D. 8. c. 4.

Supernaturalis assensus prudenter irrepudiabilis. D. 11. c. 2. n. 17. Eidem repugnat incertitudo. c. 3. n. 25.

T.

Tamburinus vindicatus. D. 6. c. 6. D. 9. c. 1. & D. 10. c. 1.

Temperantiæ mensura in actu cōiugij. D. 7. c. 3. In cibo & potu. ibi. c. 1.

Testamentum solemnitate carens an tribuat hæredi institutio ius ad occultam

cultam compensationem? D. 24. c. 10. à n. 95. An pariat naturalem obligationem? n. 99.

Timor Dei ad iustificationem quã necessarius? D. 12. c. 3. n. 22. Gehennæ sine spe veniæ insufficiens dispositio. n. 23.

Tyranni mortem an desiderare liceat? D. 9. c. 7. n. 70.

V.

Vasquez defenditur. D. 8. c. 4. n. 35.

Veracitas restrictione voluntariâ violatur. D. 14. c. 5. n. 38. Non semper præcipit, vt verba menti conformentur adæquatè. D. 16. c. 6. n. 54.

Verba vocalia cum mentalibus vnam integram orationem construere possunt. D. 16 c. 5. n. 41.

Viduis an liceat gaudere de actu coniugij? D. 9. c. 5. n. 46.

Virginitatis velum non conceditur violentiam passis. D. 7. c. 4. n. 43.

Voluntas facere potest, vt assensus sit in se certior, quàm mereatur pondus rationum impellentium. D. 11. c. 1. n. 8.

Voluptatis causâ quæ fiunt, vt minimum otiosa. D. 7. c. 2. n. 18.

FINIS.